{BnF

gallica
BIBLIOTHÈQUE
NUMÉRIQUE

Hilaire, Saint (de Poitiers). Sancti Hilarii, pictaviensis episcopi, Opera omnia, juxta editionem monachorum ordinis Sancti Benedicti e congregatione S. Mauri et omnes alias inter se collatas, reproducta, emendata, singulariter aucta. 1845.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD USQUE INNOCENTII III TEMPORA FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;

DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;

OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;

INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;

CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;

OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;

DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS, CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

UNIVERSITÉ DE LILLE BIBLIOTHÈQUE

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

ACCURANTE J.-P. MIGNE, Cursuum Completorum IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS X.

S. HILARII TOMUS POSTERIOR.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,

IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRÈS LA BARRIÈRE D'ENFER, OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

SANCTI

HILARII

PICTAVIENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA,

JUXTA EDITIONEM MONACHORUM ORDINIS

SANCTI BENEDICTI

E CONGREGATIONE S. MAURI

ET OMNES ALIAS INTER SE COLLATAS,

REPRODUCTA, EMENDATA, SINGULARITER AUCTA.

TOMUS II ET ULTIMUS.

PARISIIS, EXCUDEBAT VRAYET,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PRES LA BARRIERE D'ENFER,
OU PETIT-MONTROUGE.

1845.

ELENCHUS

OPERUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

De Trinitate libri duodecim.	col.	9
Liber de Synodis seu Fide Orientalium.		471
Apologetica ad reprehensores libri de Synodis responsa.		546
Hilarii epistola ad Abram filiam suam.		547
Hymnus eidem ab eodem missus.		551
Censura alterius hymni Hilario perperam tributi.		553
Libri duo ad Constantium Augustum.		*Ibid.*
Liber contra Constantium.		571
Liber contra Arianos vel Auxentium.		605
Quindecim Fragmenta ex Opere Historico.		619
Fragmenta ex aliis S. Hilarii operibus.		725
S. Hilarii Epistola seu Libellus cum præfatione et dissertationibus.		727
Sermo B. Hilarii de dedicatione ecclesiæ.		877
Liber de Filii et Patris Unitate.		883
Liber de Essentia Patris et Filii.		887
Nicolai Fabri in Fragmenta Hilarii præfatio.		*Ibid.*
Index rerum et sententiarum.		915
Index Glossarum.		1014

IN LIBROS DE TRINITATE

PRÆFATIO.

I. *Hi libri Athanasio adscripti. Quantam Hilario laudem pepererint.* — Temporis dispendium facere merito judicaretur, qui in his libris auctori suo vindicandis illud consumeret. Quamvis enim eos Athanasio adscriptos quondam viderint Philippus bonæ Spei Abbas et Joannes quidam ipsius æqualis et amicus, illos tamen ab Hilario profectos esse ex castigatioribus membranis postmodum agnoverunt. Qua etiam in re tanto consensu sibi concinit priscorum temporum omnis ætas, ut nihil certius, nihil exploratius a majoribus acceperimus. Propter hos præsertim libros eam Hilarius apud omnes cum Latinos tum Græcos promeruit scientiæ, fidei, et eloquentiæ laudem, ut, quod valde rarum, etiam ab adversariis ejus iidem libri summopere fuerint commendati. Sic enim ex vulgi fama testatum reliquit Sozomenus lib. III, cap. 14 : *Hilarii autem libros de fide, etiam ab iis qui contrariam tuebantur catholicæ fidei opinionem, admodum commendatos esse prædicant.*

II. *Non una ratione ab antiquis inscribuntur.*— Non ita constans est veterum in iis inscribendis consensio. Hieronymus de Script. eccl. in Marcello et Hilario, vetus Codex canonum Ecclesiæ Romanæ c. 41, et Ado Viennensis in Chronico eos *contra Arianos* inscribunt. Eosdem *de fide* appellant alii longe plures numero, et auctoritate non inferiores. Quos inter præcipui sunt Rufinus lib. I hist. cap. 31 ; Cassianus lib. VII de Inc. c. 24; Leo Papa epist. alias 97, c. 3, Patres concilii Chalcedonensis Act. 2, p. 357 ; Theodoretus Dial. II, p. 106; Leontius Byzant. lib. I contra Nestorium et Eutych. ubi Hilarium ut ex Nicænæ synodi Patribus unum falso commendat. Neque alio eos titulo laudant Alcuinus contra Felicem lib. IV ; Ratramnus Corb. Spicil. t. VII, p. 335, Joannes Diaconus commentario nondum vulgato in Pentateuchum, et Hincmarus de Prædestin. cap. 25. Quibus aperte suffragatur Oratio olim inter sacrosancta Missæ sacrificia in Natali S. Hilarii legi solita, in qua habetur: *Deus, qui infusus corde beati Hilarii antistitis, quasi de tuo templo,* FIDEI *responsa dedisti*, etc. Quo etiam alludere videtur et benedictio in perantiquo Pontificali Ecclesiæ Ebroicensis ad kal. Nov. in Natali S. Hilarii prænotata : *Sit apud te pro nobis exorator, qui tunc contra hæreticos pro te adstitit assertor : ut te retribuente populus crescat innumerus, quod sudavit* IN FIDE *sacerdos*, etc. At apud Cassiodorum lib. I Instit. c. 16, *de Trinitate* inscriptos eos videre est, consentiente Fortunato lib. I Vitæ S. Hilarii, juxta quos a Philippo abbate *de fide sanctissimæ Trinitatis* appellantur. Libros eosdem laudat Augustinus epist. CLXXX, n. 3, et lib. VI de Trinit. cap. 10, sed a titulo indicando utrobique abstinet. Eos quoque ab Ambrosio tritos fuisse persuademur vel ex primis ipsius de Fide libris, in quibus plura ad horum Hilarii librorum imitationem expressa identidem advertimus. Quamvis enim ea in proprium stylum converterit, adhuc tamen apparet unde delibata sint. At cum pro more ne eum quidem nominet, e cujus lucubrationibus profecit, nihil ab eo habemus, unde nobis constet quod quæritur. Nisi forte dicamus eum etiam suum *de fide* titulum ab Hilario assumpsisse. Quamquam hunc ipsi quodam modo præscripsisse videtur imperator Gratianus.

III. *In hoc non magis consentiunt mss.* — Neque ex antiquis exemplaribus quidquam magis certi statui queat. In vetustioribus si quidem desideratur inscriptio, quæ in aliis *de Fide*, in aliis *de Trinitate*, in Vindocinensi *de fide sanctæ Trinitatis adversus Arianos*, quibus in Remigiano additur, *vel cæteros hæreticos*, in Telleriano autem *de Trinitate contra omnes hæreses* prænotatur. Sed insignis præ cæteris in Corbeiensi atque altero e Sorbonicis hæc habetur epigraphe : *Hic insunt libri Hilarii episcopi numero* XII, *quos in exsilio conscripsit, missus* (scil. *in exsilium*) *ab hæreticis Arianis propter deitatis unitatem Domini Jesu Christi cum Patre. Beatissime presbyter Barbario in Christo Jesu Domino nostro utere felix cum omnibus tuis. Fides, spes, charitas maneat in cordibus nostris.* Eamdem, paucis mutatis, inscriptionem præ se fert Pratellensis codex, in eoque pro, *felix cum omnibus tuis*, legere est, *felix curationibus tuis.* Nonnullam in expendendo titulo operam ponimus, de inscriptione ipsa non tam solliciti, quam ut inde consilium auctoris exploratum habeatur.

IV. *Illos* DE FIDE *inscribere licet.*— Etsi non appareret prima fronte cur hoc opus *de Fide* inscriptum sit; si tamen propius inspiciatur totius operis ratio, non displicebit titulus satis congruens cum iis libris, in quibus Filii et Patris consubstantialitas, præcipuum fidei nostræ caput ac fundamentum, ubique propugnatur ; quique ad hoc maxime sunt suscepti, ut ea fides, in qua renati sumus, illæsa et integra teneretur. Neque sane probabile videtur, tot tamque diversos scriptores græcos ac latinos in eamdem inscriptionem conspirare potuisse, nisi ab ipsomet auctore instituta esset. Conjecturæ huic plurimum favet quod lib. I, n. 16, Hilarius ipse testatur se ad hos libros scribendos animum appulisse, ut eos compesceret, *qui evangelicæ fidei corrumpunt sacramentum.* Imo num. 34, totius operis sui studium *in* insinuanda *maxima et gravissima totius fidei intelligentia* ponendum esse declarat. Unde lib. X, num. 5, *totius fidei demons-*

trationem vocat, quidquid eo usque disseruit. Quid vero sibi velit *evangelicæ fidei sacramentum*, cap. 13 in Matth., n. 6, explicat his verbis: *Quamquam ad fidei sacramentum, id est, ad Patris et Filii et Spiritus sancti unitatem*, etc. ubi *fidei sacramentum* idem sibi esse significat, quod *Trinitatis mysterium*. Mittimus interim singulare in iis libris haberi patrocinium fidei. Eo namque statim perducitur liber primus, ut in Dei rebus non humano sensui, sed Dei ipsius de se testimoniis credendum esse quisque persuadeatur. Tum liber tertius in id unum niti videtur, ut ad capiendas res divinas hominem infirmitatis suæ convincat, doceatque nullum ei esse nisi in fide præsidium. Quod quidem rursum quarto, quinto, aliisque libris sæpenumero inculcatur.

V. *Quomodo sint contra omnes hæreses.* — Hinc non immerito *contra omnes hæreses* dicti fuerint, in quibus non modo omnium generatim hæreseon caput ac principium, quo cuique fidem intra sensus sui fines concludere, et ad placita propria Scripturas detorquere permittunt, passim profligatur atque retunditur; sed et Arii, Photini, veterumque hæreticorum Hebionis, Valentini, Manichæi, Hieracæ, Sabellii jam tum propagatæ confutantur blasphemiæ; imo etiam prævertuntur nondum excitatæ Apollinarii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Sacramentariorum, etc. Deinde cum Athanasius epist. ad Epictetum Synodum Nicænam vocet τροπαῖον οὖσαν πάσης αἱρέσεως, cumque hujus Synodi Symbolum *contra omnes hæreses* inscriptum in veteribus exemplaribus legere sit; eodem prope jure hi fidei ejusdem vindices libri titulo eodem insigniri meruerunt.

VI. *In Arianos potissimum intenti sunt.* — Fatendum tamen est eos potissimum contra Arianam sectam fuisse conscriptos. Consilium suum declarat Hilarius ipse lib. I, num. 17, ubi de Arianis, quorum nomini parcere solet, sermone habito statim subjicit: *Horum igitur furori respondere animus exarsit.* Neque illud libri septimi exordium, *Septimus hic nobis adversum novæ hæreseos vesanam temeritatem liber scribitur*, aliud sibi vult, nisi ut indicet in unam Arianam hæresim hactenus disputatum esse. Ac ne superfluis probationibus diutius immoremur, sufficiat illud lib. x, num. 8, ubi Hilarius ad finem hujus operis licet vergens, cum unis tamen iisdemque hæreticis, quorum *stultissimis professionibus* huc usque responderit, sese rem habuisse testificatur. Non enim obscurum est quas vocet stultissimas professiones, cum Arii ac sociorum ejus epistolam ad Alexandrum missam, in qua perfidiam suam consignarant, libris quarto et sexto totam describat, et in ea refellenda tum in iisdem libris tum in sequentibus totus occupetur. Quo spectat illa tituli pars, quam præ se fert exemplar Vindocinense: *In hoc codice B. Hilarii quartus in ordine liber manifestissime hæreticorum pandit fallacem doctrinam. Idem ipsum illam perfidiæ eorum expositionem, quibus Ecclesiæ fidem nitebantur infirmari, ex eorum libris delatam præfatus Doctor in suo inseruit volumine: scilicet ut callidis propositionibus eorum agnitis, legis et prophetarum atque evangelicorum testimoniorum responsionibus eorum vesanam doctrinam destrueret, et fidem Ecclesiæ firmius roboraret.*

VII. *Ut efficacius confutentur, simul refellitur Sabellius.* — Non minori quidem conatu adversus Sabellii, quam adversus Arii commenta videtur contendere: sed hoc tantum agit, ut Arianos efficacius configat, quos, ut ipse notat lib. x, num. 5, validissimis licet rationum momentis conterere frustra conaretur, quam diu in se vel levissimam relinqueret Sabellianæ labis suspicionem. *Sub specula enim*, inquit, *omnium hæreticorum ad occasiones singulorum verborum in os meum pendentium loquor.* Sed pendentibus licet ita omnem de se detrahendi occasionem se sustulisse confidit, ut lib. x, n. 5, dicere non timeat: *Nam quoque nunc secundum sancti Spiritus donum temperavimus totius fidei demonstrationem, ut ne quid ementiri saltem adversum nos criminis possent.*

VIII. *Libri scripti contra Arianos*, CONTRA ARIANOS *non sunt inscripti.* — Quamvis autem totum hoc opus contra Arianos scriptum ultro concedamus, ægre tamen dabimus inscriptum *contra Arianos*. Quis enim credat Hilarium, qui ab Arianis ex nomine designandis de industria abstinet, illud in ipsa librorum fronte inscripsisse? Vix enim bis Arii, semel Ariomanitarum vocabulum lib. VI, ex ipsius calamo excidit: alias vero prorsus parcit sectæ nomini. Hæc modo (*Lib.* VII, *n.* 3) *nova hæresis*, modo (*Ibid. n.* 6) *novella nunc hæresis*, nunc (*Lib.* XII, *n.* 17) *nostri temporis infidelitas* appellatur. Hujus vero auctores similiter tectis verbis vocitari audias, aut *non veri Dei prædicatores*, aut (*Lib.* II, *n.* 4) *aliquos nunc hujus temporis prædicatores*, aut (*Lib.* VII, *n.* 6) *præsentes hæreticos*, aut (*Ibidem*) *dissimilem Patri Filium prædicantes*, aut (*Lib.* XI, *n.* 4) *novi Christi prædicatores*, vel etiam (*Lib.* I, *n.* 26) *creaturæ prædicatores;* nusquam *Arianos.*

IX. *Hilarius moderationem suam his libris patefecit.* — Sicut cum solerter cavit, ne favere Sabellio videretur, egregium dedit prudentiæ specimen; ita hac agendi ratione singularem patefecit animi moderationem. Quam quidem longe clarius testatam facit, cum totis illis libris pravam Arianorum doctrinam convellere contentus, in nullum nominatim invehitur. Alicubi enim audies mala deflentem, quibus tum misere per eos afflictabatur Ecclesia: at vel unius eorum, per quos illa tam injuste patiebatur, nomen prodentem frustra exspectaris. Semel lib. x, incidit mentio exsilii sui; sed injuriæ sibi illatæ velut immemor, quærit potius unde de eo gratuletur, quam unde queratur. Neque cuiquam videri debet huic moderationis proposito adversari, quod Arianam hæresim non *novellam* modo, sed et *furentem* et *impiam* frequens cognominet. Certis enim notis indicanda erat, cujus nomen proprium tacebatur. Vulgo autem *furentem* illam cognominabant, cum nefaria illius indole conveniente nominis ratione. Ut enim ait Gre-

gorius Nazianz. Or. XXI, n. 3, Ἀρεῖος τῆς μανίας ἐπώνυμος : ac rursum Or. XXIX, n. 4, hanc sectam vocat τὴν Ἀρείου καλῶς ὀνομασθεῖσαν μανίαν, hoc est, *a furore recte cognominatam*. Quidni etiam *impia* a temperante dicta sit, quæ a dilecto Filio Patrem optimum separabat? Denique Hilarius ipse sibi conscius quam moderate iis libris ac toto exsilii sui tempore se gessisset, ubi adversus Constantium scribendi quadam necessitate se constrictum vidit, libere contestatus est *nihil* a se hactenus *in tempora maledictum, nihil in eam, quæ tum se Christi Ecclesiam mentiebatur... famosum ac dignum impietate ipsorum scripsisse aut locutum esse* (*Lib. in Const. num.* 2). Non igitur sine causa crediderimus eum, qui ita affectus erat, lucubrationes suas *contra Arianos* minime inscripsisse.

X. *Inscriptio* DE TRINITATE *retinenda.*— Minus constat an non *de fide* eas nuncuparit. At inscriptioni huic quamvis, ut superius ostensum est, multa faveant, iisque accedat exemplum Ambrosii, qui libros a se contra Arianam sectam scriptos *de fide* compellavit; cum tamen non vera sit, nisi quatenus fidei nomine Trinitatis mysterium significatur, nulla succurrit ratio satis gravis, ut antiquum et a multis jam sæculis receptum *de Trinitate* titulum immutemus: huic præsertim suffragante Fortunato, cujus auctoritas eo pluris omnibus facienda, quo ipsummet Hilarii autographum vidisse potuit. Si enim illius ætate pii præsulis ad Abram epistola *Pictavis tenebatur pro munere conservata*, quanto magis insignes illi libri? Titulum eumdem confirmant liturgicæ preces in annua B. Hilarii solemnitate legi consuetæ, quæ etiamnum in duobus Ecclesiæ S. Gatiani Turonensis codicibus ab annis saltem 800 exaratis asservantur : in uno quidem ad primam novembris diem, in altero autem ad decimam tertiam januarii. Sic porro habent : *Deus, qui venerabilem B. Hilarii confessoris tui atque pontificis festivitatem solemniter recurrentem populo tuo dedicasti, cujus lingua in sæculo pro* SANCTÆ TRINITATIS *æqualitate sic tonuit, ut mundi hujus principem miles tuus prosterneret,* etc. Exstat eadem oratio kal. novemb. assignata in Sacramentario regiæ bibliothecæ not. 5865, annos circiter 900 præ se ferente, in quo Symbolum Nicænum habetur sine additione *Filioque*.

XI. *Titulo huic qui satis fiat.* — Certe Hilarius ipse quodam modo videtur festinare ut titulum hunc impleat, cum in asserenda vera Trinitatis fide et in discernendo singillatim de Patre, Filio et Spiritu sancto librum secundum totum consumit, quem propterea lib. I, n. 22, *brevem demonstratæ Trinitatis sermonem cognominat* : ut non immerito libri IV initio profiteatur, sese *fidem et confessionem Patris et Filii et Spiritus sancti* superioribus libris sufficienter tradidisse. Et deinceps quidem ad defendendam Patris et Filii consubstantialitatem, de qua pene omnis erat controversia, diligentius incumbit : propositi tamen sui non immemor, ad scopum titulo præscriptum ante operis finem revertit, et librum XII non concludit, nisi propugnata totius Trinitatis, ac nominatim Spiritus sancti divinitate. Hic non videntur tacenda, quæ ad dicti libri XII argumentum in primo scribit, se nimirum vitiosas et irreligiosas de Spiritu sancto prædicationes ad hoc amovisse, *ut illæsum atque incontaminatum regenerantis* TRINITATIS *sacramentum intra definitionem salutarem apostolica atque evangelica auctoritas contineret; neque jam per sensus humani sententiam Spiritum Dei inter creaturas quisquam auderet referre, quem ad immortalitatis pignus et ad divinæ naturæ consortium sumeremus* (*Lib.* I, *n.* 36). Ex his enim palam fit, eum hisce libris *regenerantis Trinitatis sacramentum* defendere voluisse, *ut nihil de totius fidei* (in baptismo susceptæ) *absolutione deesset.*

XII. *Spiritum sanctum Deum non nominari perperam notat Erasmus.* — Erasmo hic non succensere vix B sustinemus, de docto præsule nostro, et antiquis Patribus in præfatione sua perinde scriptitanti, ac si Spiritus sancti divinitatem asserere formidassent. Hos quidem Spiritus sancti cultores facit, sed ita ut simul in animum inducat aut eos coluisse quem non certo cognoscerent Deum, aut non ausos esse ore vel scriptis confiteri quod animo crederent. Neque novæ sunt Erasmi argutiæ. Longe ante illum Gregorio Nazianzeno teste Or. XXXVII, num. 52, objecerant Pneumatomachi, nusquam se in Scripturis reperire Dei nomen Spiritui sancto adscriptum. Et Basilium quidem laudat idem præsul Or. XX, n. 100, quod eorum disputationi non nihil cedens, quos benigne ad veritatem reducere peroptabat, in libris de Spiritu sancto ab ea voce, a qua abhorrebant, pro tempore C consideratissime abstinuerit, dum interim *in aliis vocibus e Scriptura petitis, testimoniisque minime dubiis eamdem vim habentibus, necessariisque argumentis adversarios ita comprimebat, ut nullo modo repugnare ac contra niti possent.* Alias vero tum privatis, cum publicis sermonibus Spiritum sanctum Deum dicere numquam eum dubitasse testificatur.

XIII. *Deus ab antiquis et in Scripturis appellatur.*— Longius a scopo aberraret oratio, si quotquot ex antiquis id ipsum asseruerunt, hic recensere aggrederemur. Unum itaque sit omnium instar illud Tertulliani testimonium lib. adversus Praxeam num. 13: *Duos quidem definimus Patrem et Filium, et jam tres cum Spiritu sancto, secundum rationem œconomiæ quæ facit numerum; ne, ut vestra perversitas infert, Pater* D *ipse credatur natus et passus, quod non licet credi, quoniam non ita traditum est. Duos tamen Deos et duos Dominos numquam ex ore nostro proferimus : non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et* SPIRITUS SANCTUS DEUS, *et Deus unusquisque,* etc. Neque etiam concedendum Spiritum sanctum in Scripturis minime Deum nuncupari. Ambrosius lib. III *de Spiritu sancto, c.* 9, *aliud probat præsertim ex verbis Petri,* Act. III, 3, etc., quibus ait primo, *Anania, cur implevit satanas cor tuum ad mentiendum Spiritui sancto;* ac deinde subjicit, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

XIV. *Nugatur qui, cum rem habeat, quærit rei nomen. Cur Spiritui sancto Dei nomen Hilarius non attribuat.* — Sed quidquid sit de hac disputatione, quod

prædictis hæreticis litteram, non spiritum sapientibus respondit Gregorius Or. XXXVII, num. 56, nunc in promptu est in Erasmum retorquere, quem tamen Pneumatomachis ita in hac argutandi ratione comparamus, ut nullo pacto comparatum velimus in fide. Illos porro Gregorius nugari docet qui, relictis rebus syllabas consectantur, quique audientes ea in Scripturis Spiritui sancto attribui, quæ non consentanea sint nisi Deo, adhuc quærant ubi illud *Dei* nomen ei adscribatur. Quid enim interest, utrum *decem*, an *bis quinque*, utrum *homo*, an *ratione præditum et mortale animal* dicatur? Sane quibus placebit hæc Gregorii ratio, ii non inani scrupulo tribuendum existimabunt, quod Hilarius Spiritus sancti vocabulo Dei nomen non adjiciat. Hoc potius ita factum crediderint, quia ipsammet Dei naturam vel solo Spiritus nomine intelligere soleat. Neque vero dubium est eum externo illo litterarum sono expressius aliquid scriptis suis consignasse, quo Spiritus sancti divinitatem commendaret.

XV. *Dei in eo naturam constanter prædicat.* — Ac primo quidem quoties inculcat, quod sæpius facit, verbis baptismi Filium indicari et credi Patri consubstantialem, toties Spiritum sanctum utrique pariter consubstantialem esse profitetur. Non enim baptismi verba Filium magis quam Spiritum sanctum unius cum Patre naturæ ac substantiæ esse significant. Sed et cap. 13 in Matth. num. 6, diserte declarat, quod *in Patre et Filio et Spiritu sancto* absque ullo causæ externæ subsidio, quæ fermenti in morem eos copulet atque conjungat, *omnia unum sint*. Sic lib. II de Trinit. num. 28, Patrem et Filium et Spiritum sanctum spectat velut aliquod totum, quod nullatenus separari queat. *Qui* enim, inquit nominatim de Spiritu sancto, *confessioni Patris et Filii connexus est, non potest a confessione Patris et Filii separari. Imperfectum enim est nobis totum, si aliquid desit a toto.* Hinc in eodem lib. II, n. 4, Arianorum doctrinas ut novas et humano ingenio conflictas notat, quod *dissolvant perfecti hujus sacramenti veritatem, dum substantias diversitatum* IN REBUS TAM COMMUNIBUS *moliuntur*. Hoc igitur a Deo traditum, et in Ecclesia semper creditum existimavit, Patrem et Filium et Spiritum sanctum res communes esse, neque in eis haberi substantiarum diversitates. Ita vero persuasum ei erat Patri consubstantialem esse Spiritum sanctum, ut unam Patris et Filii esse substantiam lib. IX, num. 72, hinc demonstret, quod Spiritus sanctus, ut ex iis quæ Patris sunt, ita et ex iis quæ sunt Filii, suam accipiat. *Non enim*, inquit ibi, *de creaturis sumebat Spiritus sanctus*. Sumebat igitur de Creatore. Ut enim habet Ferrandus Diaconus epist. ad Anatolium, *Omnis res aut Deus est, aut creatura : si Deus est, creatura non est ; si creatura est, Deus non est*. Quia porro noster Hilarius Spiritum sanctum de Deo Creatore substantiam suam sumere certo sciebat ; magno etiam studio laboravit, uti ex libro I, num. 36, audivimus, ne quisquam eum *inter creaturas* auderet referre. Ei quippe videbatur absurdum, ut incorruptæ ac divinæ naturæ non esset, quem *ad immortalitatis pignus et ad divinæ naturæ consortium sumeremus*. Qui plura volet, adeat librum XII, n. 54, etc., ubi Spiritus sanctus ejusdem cum Patre naturæ, virtutis ac substantiæ esse luculenter adstruitur.

XVI. *Luculentum de Spiritus sancti divinitate argumentum.* — Unum dumtaxat ex eo loco proferimus argumentum, petitum ex verbis apostoli, *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Ex quibus ad Patrem conversus, sic eum cum magna Spiritus sancti reverentia alloquitur : *Nulla te nisi* RES TUA *penetrat : nec profundum immensæ majestatis tuæ, peregrinæ atque alienæ a te virtutis causa* METITUR. TUUM EST, *quidquid te init : neque alienum est, quidquid virtute scrutantis inest*, quasi diceret : Qui omnia etiam profunda Dei scrutatur, immensam majestatem metitur : non metitur autem nisi immensus et æqualis eidem majestati. Item : Qui scrutatur profunda Dei, internus sit necesse est ipsi Deo : internum autem ei non est, quidquid alienum ab eo est, aut non ejusdem cum eo substantiæ. Confitendus est igitur Spiritus sanctus immensus, et æqualis Deo, ejusdemque cum eo virtutis ac substantiæ. Brevius, sed non minus clare idipsum docet lib. II, n. 31, cum scribit Deum in Spiritu sancto adorari, ubi in Spiritu adoratur ; et ubi in Spiritu adoratur, jam non nisi *in semetipso* adorari.

XVII. *Ex dictis de Spiritu sancto non sequitur hos libros post exortam Macedonii hæresim confectos esse.* —Propter hæc aliaque tam clara ad probandam Spiritus sancti divinitatem argumenta, hos libros nonnulli conscriptos volunt post exortam Macedonii hæresim, proindeque post annum 360, quo Macedonius, Constantinopolitana Synodo episcopatu dejectus, errorem suum disseminare cœpit. Nihil tamen inde necessario conficitur. Quis enim nesciat, ut Filii, ita et Spiritus sancti divinitatem ab Ario labefactatam? Ipse in Thalia sua apud Athanasium Or. 2 contra Arianos, p. 312, *divisas, et abunitas, et disjunctas, et alienas, et incommunicabiles esse Patris et Filii et Spiritus sancti substantias* prædicat. Quem deinde perstringens Athanasius pag. 315 : *Quomodo*, inquit, *de Spiritu sancto recte opinaretur, qui blasphemus est in Verbum quod Spiritum suppeditat*? Simili omnino ratione Hilarius noster, lib. II, n. 4 : *Quid mirum ut de Spiritu sancto diversa sentiant, qui in largitore ejus* (Verbo scilicet) *creando, et demutando, et abolendo tam temerarii sint auctores?* Quibus mox adjungit, Spiritum sanctum ab illis nesciri, quia Filium, *auctorem ejus*, ignorant. An hæc, quæso, adversus Macedonii fautores dixerit, qui de Verbo prava sentire non audiebant, quos ipse libro de Synodis laudavit ut qui veræ fidei revocandæ spem attulissent, quibus denique Constantinopoli post concilium Seleuciense communionem non negavit suam, imo etiam cæterorum ex Galliis episcoporum coacto Parisiis concilio litteras obtinuit?

XVIII. *Probabilius est contra Arianos, quam contra*

Macedonianos, assertam esse Spiritus sancti divinitatem. — Longe igitur probabilius est, Hilarium in iis, quæ de Spiritu sancto disserit, unos Arianos respexisse; quos non plane devicisse videretur, nisi etiam Spiritus sancti divinitatem asseruisset. Sed quia Filii divinitate, ex eo quod a Patre substantiam suam accipit, demonstrata, consectarium erat Spiritum sanctum, qui suam ab utroque sumit, neutri esse inferiorem; paucioribus hoc præstandum fuit, cum illud pluribus confectum jam fuisset. Itaque quemadmodum Gregorius Nazianz. Or. 27, n. 1, Alexandrum Alexandrinum, cui nullum contra Macedonianos certamen fuerat, *magni Trinitatis propugnatoris et præconis* elogio donat, et antea Or. XXI, num. 36, Athanasii ab Arianis, non a Macedonianis expulsi *fugam pro Trinitate et cum Trinitate susceptam* vocat: ita credibile est Patris et Filii et Spiritus sancti æqualitatem ab Hilario adversus Arianos, non adversus Macedonianos fuisse propugnatam.

XIX. *Liber decimus est contra errores Apollinarii.* — Expendendum hic venit, an non libro X, contra Apollinaristas disputetur: non enim repugnat magis libro duodecimo aliisve locis contra Macedonianos disceptari, quam contra Apollinaristas decimo; cum illorum princeps anno 360, horum autem non ante annum 361 prava sentire deprehensus sit. Negandum sane non est, totum librum decimum scriptum esse adversus errores, quorum auctor Apollinarius vulgo existimatur. Namque a num. 15 usque ad 23, magno studio defenditur, Christum verum ac totum hominem ex anima et corpore perfectum assumpsisse; simulque eorum refellitur opinio, qui eumdem Dominum nostrum non modo carnem, sed et animam ab Adam propagatam suscepisse arbitrantur. Imperfectum autem hominem, ut ignorat nemo, a Christo susceptum prædicabat Apollinarius: qui etiam, ut Nemesius cap. 2, testis est, existimabat *animos ab hominibus gigni, ut a corporibus corpora; progredi enim ut propagationem primi hominis in omnes qui ex illo generantur.* Unde Monachi ab Apollinario ad Alexandrinum concilium missi, ut a suspicionibus quibus adspersus erat se purgaret, profitentes *Verbum ex Maria hominem esse genitum* (Apud Athanasium epist. ad Antioch.), non sine causa adjicere videntur, *quantum ad carnem attinet*, ne videlicet suspicio relinquatur, eos Christum ex Maria secundum animam genitum sentire. Ex eodem concilio Alexandrino apparet, Apollinarium insimulatum esse, quod Verbum Domini ut in prophetis, ita et in Jesu fuisse crederet. Hæc porro opinio etiam notatur et exploditur prædicto n. 21 libri X, quo deinceps per totum confutantur tum iidem illi errores, tum maxime impietas eorum, qui Christum in sua divinitate passum esse asserebant. Nihil autem apud Leonem et alios Patres solemnius, quam ut Apollinaristis hæc impietas attribuatur.

XX. *Errorum eorumdem auctores Ariani in eo refelluntur.* — Atque tamen affirmare liceat, nullum Hilarium in hi libris cum Apollinario conflictum fuisse, illumque de hoc hæretico ne quidem cogitasse. Et vero cum Sirmiensi concilio anni 351, damnatos legamus can. 8, qui prolativum verbum Filium Dei dicant; et can. 11 et 12, qui Verbum in carnem translatum, aut demutationem, corruptionem, et passionem, cum crucifixus est Dei Filius, in sua divinitate sustinuisse prædicent; cum etiam in generali præfatione § 3, ex Theodoreto, Augustino, Gregorio Nazianzeno et Athanasio demonstraverimus Arianos animam Christo negasse, quo in ipsummet Verbum caderent tristitia, dolor, aliæque, quæ ipsi ut homini adscribuntur, infirmitates: cum hæc, inquam, ita se habeant, perspicuum est Apollinaristas commentis illis, quæ ab Hilario lib. X confutantur, esse recentiores: ac sicut Eutyches, Leone teste epist. nunc XCVII, ad Monachos Palæstinæ, c. 2, et alibi, Apollinarii suscitavit errores; ita Apollinarium ab Arianis pravarum opinionum semina collegisse et disseminasse; nec proinde earum tam auctorem habendum esse, quam fautorem. Si cui adhuc dubii aliquid supersit, an liber decimus adversus Arianos scriptus sit, necne; ipsummet librum consulat, eosque ipsos, quibus in superioribus libellis responsum sit, in eo refutari audiet, cum hoc tamen temperamento, ut non jam quod omnes unanimi consensu, sed quod *plerique eorum volunt*, excutiatur.

XXI. *Opus hoc in exsilio Hilarii conscriptum.* — Sed quid moramur? Hoc Hilarii opus in exsilio illius lucubratum, antiqui mss. fidem faciunt, ipse lib. X, n. 4, conceptis verbis testatur: adeoque confectum fuerit necesse est ante annum 360, quo patriæ ac propriæ ecclesiæ redditus est, et perinde ante exortas Macedonii aut Apollinarii hæreses. Certe in patria ac propria ecclesia, quamvis absque exsilii indulgentia, jam manenti non congruunt hæc libri X verba: *Loquemur exsules per hos libros: et sermo Dei, qui vinciri non potest, liber excurret.* Ut enim hæc, quemadmodum vult non nemo, eum nondum exsulem, sed ad exsilium animo dumtaxat paratum ac promptum dixisse vel scripsisse intelligamus, alia quæ illis proxime cohærent non permittunt. Quo autem exsilii anno animum ad hoc opus appulerit, non constat. Veri tamen simillimum est eum non distulisse, quin illud susciperet.

XXII. *Tres primi libri pridem ante cæteros absoluti.* — Ex initio quarti libri perspicuum est, tres primos *pridem* ante subsequentes fuisse absolutos. Photini autem hæresim tunc temporis Hilario nondum notam fuisse hinc suspicamur, quod commentum a Photino suscitatum libro I, ad argumentum libri VII proponens, ac lib. II, n. 23, refellens, de hoc utrobique agit unius Hebionis nomine, non Photini: cujus, utpote recentioris, et perinde nocentioris, nomen potius exprimendum erat, quam Hebionis. Contra vero libro VII, jam doctior factus, argumentum, quod libro I adversus Hebionem sibi proposuerat, ita prudens in Photinum retorquet, ut ne propositi immemor videatur, n. 3 et 7, consulto repetat Hebionem esse Photinum.

XXIII. *Non deest unde primus putetur scriptus, qui primus est.* — Hac ratione nonnihil prohibemur, quo minus subscribamus Erasmo, qui librum, nunc ordine primum, auctori postremum nemine hactenus repugnante asseruit. Movet nos præterea, quod Hilarius ipse quarti libri initio testetur, se anteriores libellos, sine exceptione, pridem conscripsisse : ac deinde num. 2, aperte indicet, scriptum jam fuisse librum primum, cum ad quartum manus admovit; sic enim habet : *Atque hæc sicut* PRIMO LIBELLO *testati sumus, nunc quoque idcirco a nobis commemorata sunt*, etc. Neque solum libro quarto, sed etiam nono num. 10, in memoriam revocat quæ lib. I a se tractata sint.

XXIV. *Quædam inde consectaria ad laudem auctoris et tempus operis.* — Si quid autem inde conficitur, antistes doctissimus laudem non meretur minorem ob amplitudinem ingenii, quo tot ac tanta ab ipso operis sui exordio complexus sit, quam ob acumen, quo in tam abstrusa penetrarit. Ex his etiam sequitur, tres saltem priores libros ante librum de synodis, in quo de gestis in Photini condemnationem fuse disserit, fuisse compositos. Cum autem hæc adversus Photinum gesta diu latere non potuerint in oriente degenti, hinc conjectare est Hilarium in lucubrandis tribus prædictis libris prima exsilii sui otia dedisse. Nisi forte quis malit, eos ab illo etiam ante hoc tempus, hoc est, ante medium annum 356 scriptos fuisse, ita ut exsilio tum interveniente nonnihil retardatus sit, ne alios prosequeretur. An cæteris quoque libris posterior censenda sit prædicta de Synodis lucubratio, non ausim affirmare, quod tamen licet opinari. Hoc vero mancat, ita opus intermissum fuisse, ut pius confessor adhuc in exsilio detentus decimum librum peregerit.

XXV. *An illi libri ad Constantium ab Hilario sint missi.*—Si Gregorio Turonensi fidem habere quis volet, non modo totum hoc opus in exsilio absolutum, sed etiam inde ad Constantium ab Hilario missum credat necesse est. Non enim aliud indicare videtur lib. I Hist. Franc. c. 38, ubi ait : *Beatissimus Hilarius Pictavensis episcopus suasu hæreticorum exsilio deputatur : ibique libros pro fide catholica scribens Constantio misit.* Hoc quippe de libellis ad Constantium loqui non intelligendus est, quorum unum ante exsilium misit Hilarius, alterum non misit, sed ipse Constantio dedit. Verumtamen conjectare licet, Gregorium confudisse quod pro fide catholica confessor strenuus et fecit libros illos conscribendo, et tentavit libellis Constantio aut missis aut datis audientiam deprecando.

XXVI. *Barbario presbyter.* — Rationem tituli expendentes, necdum diximus quis sit ille *presbyter Barbario*, cujus nomen in Corbeiensi aliisque duobus codicibus adscriptum reperimus; isne fuerit, ad quem Hilarius ipse autographum destinarit, an ad quem apographum longe post Hilarium alter vel sponte sua, vel rogatus miserit. Hoc postremum significatur his ms. Pratellensis verbis, *utere felix curationibus tuis.* Ex antiquitate autem Corbeiensis codicis, quem in Aquisgranensi bibliotheca ab Hincmaro et Alcuino consultum fuisse ad lib. II, n. 27, ostendemus, planum est Barbarionem illum Caroli Magni temporibus non esse inferiorem. Cum autem hujus nomen absit a mss. aliis, quis illum Hilario existimandum putet æqualem?

XXVII. *Quibus causis ad scribendum adductus sit Hilarius.* — Porro ipse non Barbarione, non aliquo alio suasore, sed charitate sola et episcopalis officii necessitate urgente se ad scribendum permotum fuisse declarat lib. VI, n. 1 : *Ac mihi quidem*, inquit, *præter officii mei necessitatem, qua hoc Ecclesiæ episcopus prædicationis evangelicæ debeo ministerium : tamen eo propensior cura ad scribendum fuit, quo magis plures periculo infidelis intelligentiæ detinebantur, uberius gaudium consectans ex salute multorum, si cognitis sacramentis perfectæ in Deum fidei, impia humanæ stultitiæ instituta desererent, et se Deo redderent.* Hunc locum aliosque non attendisse convincuntur, qui cum velint plurimos non mala fide hæresim amplexatos, clementiam erga illos in Hilario desiderant. Eos certe, qui Arii partibus errore et ignorantia favebant, apprime distinguere noverat ab illis qui in eadem hæresi pravo quodam voluntatis affectu detinebantur. Et horum quidem malitiam ac sensus pravitatem non sine horrore et indignatione cogitabat : at singulari in illos misericordia commovebatur. Sed quia utrisque subvenire cupiebat, utrisque scripsit.

XXVIII. *Quid de Arianorum affectione sentiebat.* — Scripsit enim et propter magistros nequitiæ vel corrigendos, vel saltem refellendos : scripsit et propter eos, quos illi deceperant, erudiendos. Illorum cum emendationem perdifficilem prævideret, quia, inquit lib. VI, num. 11, ab ipsis *et ratio intelligentiæ non quæritur, et deinceps ab intelligente intimata non capitur*, refutationem et facilem propter ipsorum imprudentiam, et propter simplices necessariam existimabat. De cæteris vero spes ei longe alia erat, de quibus eodem in loco subjicit : *Sed si quos amor Dei et intelligentiæ ignoratio*, NON IMPIETATIS VOLUNTAS *per stultitiæ sensum detinuerit in errore; spero ut ad emendationem proclives sint, cum impietatis studium absolutæ veritatis sit demonstratio proditura.* Hac spe nonnihil recreatus superius aiebat, *Uberius gaudium consectans ex salute plurimorum, si cognitis sacramentis perfectæ fidei, impia humanæ stultitiæ instituta desererent, et se Deo redderent.*

XXIX. *Effecit his libris ne sana doctrina cum sanctis exsularet.* — Neque vero propter Arianos solum aut refellendos aut emendandos, sed et propter fideles instruendos, has lucubrationes aggressus est; ut nimirum exsulantium Doctorum quodam modo vicariæ essent, et quos ipse præsens nequibat, absens doceret per illas firmaretque. *Licet*, inquit lib. X, num. 4, *nunc a multis coacervantibus sibi secundum desideria sua magistros sana doctrina exsulet; non tamen a sanctis quibusque prædicationis veritas exsulabit : loquemur enim exsules per hos libros*, etc. Triplicem illam scribendi causam lib. II, num 5, paucis

ita perstringit : *Extorquetur nobis hoc velle, dum et audaciæ resistitur, et errori consulitur, et ignorantiæ providetur.*

XXX. *De Trinitate verba facere illicitum putat.* — Non igitur sponte, aut aliquo suadente, ad verba de sancto Trinitatis mysterio facienda prosilivit: sed tam necessariis ad utilitatem Ecclesiæ causis hæc ei voluntas extorta fuit. Ei nimirum persuasum erat illud sola fide, sola mentium religione oportuisse contineri (*lib.* II, *n.* 2; *ibid. n.* 5), quod *extra significantiam sermonis est, extra sensus intentionem, extra intelligentiæ conceptionem.* Quocirca cum de tanto mysterio sermonem inire illicitum ac vitiosum putaret, ad hanc se necessitatem adactum lib. II pluribus ingemiscit. *Compellimur*, inquit n. 2, *hæreticorum blasphemantium vitiis illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere :* et mox, *Cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea quæ inenarrabilia sunt extendere : et in vitium vitio coartamur alieno.*

XXXI. *Quo animo hoc Opus aggreditur.* — Unde ad illud petractandum eo animo accedit, ut et prius veniam pro delicto deprecetur, nec de se spondeat quidquam, nisi supplendum esse per fidem suam, quod sermoni defuturum non ambigat. Sic enim ibid. num. 5, habet : *Sed nos necessitatis hujus ab eo qui hæc omnia est veniam deprecantes, audebimus, quæremus, loquemur : et quod solum in tanta rerum quæstione promittimus, ea quæ erunt significata credemus.*

XXXII. *Quanta illius de hoc mysterio fides.*—Neque enim incerta, aut trepida, aut vulgaris fuit illius de occultissimo Trinitatis mysterio fides. Hanc perspicue adeo in Scripturis assertam videbat, ut hæreticorum duces, quibus illæ ignotæ non erant, sic haberet, quasi qui ex pertinacia et pravo impietatis studio apertæ resisterent veritati : Hinc est illud lib. XII, num. 48 : *Non habet saltem impietas veniam, ut prætendat impietatis errorem :* quod verbis aliis frequens inculcare consuevit. Ipse vero tam alte eamdem fidem animo imbiberat, ut a vita facilius quam ab illa sese divellendum confideret : *Hæc enim ego ita didici, ita credidi, et ita confirmatæ mentis fide teneo, ne aut possim credere aliter, aut velim.* Quibus lib. VI, n. 20, verbis similia sunt hæc num. 21 : *Ab his ego quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus sum : et ignosce omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, et commori possum.* Quocirca libello 2 ad Constantium enixe rogans ut de fide coram disputans audiretur, *Non tam mihi*, inquit num. 8, *rogo audientiam, quam tibi atque Ecclesiæ Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non egeo : quod accepi teneo, nec demuto quod Dei est.*

XXXIII. *Unde illius tam constans, hæreticorum vero tam dubia fides.* — In his habemus tam constantis fidei rationem, quia nimirum adhæsit antiquæ traditioni, neque ex iis quæ acceperat quidquam demutavit. Contra vero hæreticorum doctrinam, vel propter novitatem respuendam ac veritatis expertem lib. VI, n. 21, lepide probat in hunc modum : *Tarde mihi hos impiissimos, quantum ego arbitror, doctores ætas hujus nunc sæculi protulit : sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros. Inauditis ego nominibus his in te ita credidi, per te ita renatus sum; et exinde tuus ita sum.*

XXXIV. *Fidem Scripturis assertam iisdem locis defendit, quibus impugnatur.* — Quam autem e Scripturis hauserat fidem, Scripturis explicat, primum quidem propheticis, tum evangelicis, ac demum apostolicis. Ad quas intelligendas aptisque verbis enarrandas eo se spiritu donari enixe rogat (*lib.* I, *n.* 38), quo primum afflati sunt prophetæ et apostoli ad eas edendas. Hinc varios inter timores ne verbo offenderet, lib. VII, n. 3, mentem confirmat ac serenat his verbis : *Non meis, sed apostolicis scando gradibus.* Sed et quam secure Scripturis ducibus scandat, libro superiore num. 20 luculentius ostendit, ubi recensens quibus auctoribus credidisset, et num bene his Arianos doctores anteferret proponens, quamdam ex divinis Scriptoribus, quos sequitur, perpetuæ traditionis catenam contexit. Verum quia hæretici etiam se Scripturis niti gloriantur, eam illis fiduciam eripere curat, cum eos ipsos Scripturæ locos, quibus abuti solent ad destruendam fidem, prudenter adhibet ad eam adstruendam; *ut illic veritas reperiatur, ubi negatur*, inquit lib. II, num. 7, ubi deinceps sibi præstandum monet, quod hactenus se præstitisse confidit. Eodem in loco num. 6, libris superioribus se docuisse declarat, omnes Arianorum fraudes et errores hinc oriri, quod *dispensationem assumpti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis*, et duplicem Christi naturam distinguere aut nesciunt, aut nolunt. Quocirca ut et errores radicitus amputentur; et inanes cadant hæreticorum technæ et fallaciæ; magno in id studio incumbit, ut demonstret Christum et Deum verum esse, dum natus ex Deo est, et perfectum hominem, dum ei est partus ex Virgine; ut cum veritate corporis subsistat in natura Dei, et cum Dei natura maneat in corporis veritate (*lib.* XI, *n.* 6).

XXXV. *Unde Cassiodorus tredecim libros dixerit.* — Veremur ne, dum præclari operis occasionem, causas, tempus, rationem, scopumque indagamus, moleste ferat lector in ipso limine se diutius detineri. Tempus est ut non jam stillas quasdam Hilarianas delibare, sed pleno ore de immenso doctrinæ profundo potare permittatur. Nonnulla tamen adhuc restant paucis explicanda. Ac primo eximendus scrupulus, quem Cassiodorus de Div. instit. c. 16, injicit, ubi tredecim Hilarii de Trinitate libros recenset. Nec nos diutius distinere debet libri illius decimi tertii inquisitio. Haud dubie enim libris de Trinitate adjungit librum de Synodis, qui in ms. Colbertino ab annis ut minimum mille exarato, necnon in Germanensi et altero Colbertino prædictis libris cohærens *Liber* XIII inscribitur.

XXXVI. *Illorum stylus, qui cum libris Quintiliani consentiat.* — Cæterum Hilarius ipse in duodecim tantum libros totum opus suum distribuit, et ab Hieronymo epist. LXXXIV ad Magnum propter hunc præsertim duodenarium numerum memoratur *duodecim*

Quintiliani libros stylo imitatus esse et numero. Excepta enim quadam subtilitatis affectatione, quæ Quintiliano quodam modo peculiaris est, horum librorum stylum eruditi judicant non absimilem esse Quintiliani. Quamquam ut Quintiliano affectatam demus illam subtilitatem, Hilario tamen ex naturali ingenii acumine, non ex affectatione profectam arbitramur. Neque debet offendi quisquam, si de mysteriis nostris nobiscum sentiens, verbis aliis, quam quibus modo utimur, cogitationes suas aliquando enuntiet. Ipse enim primus e Latinis contra Arianos scribens, voces nobis præscribere potuit, non potuit a nobis recipere. Ut tamen in assequenda ipsius sententia minus laboraremus, prudenter cavit ne illam una ratione explicaret. Hinc sane non ad vanam eloquentiæ ostentationem nata est ea qua utitur verborum copia : nimirum cum de Deo magnificentissime sentiret, nullis umquam verbis satis expressisse existimabat quod sentiret. Ita tamen sermo fusus est in verbis, ut densus sit in sententiis. Ut enim notavit Augustinus, brevitati studuit (*Aug. lib.* VI *de Trin., cap.* 10). Longe autem magis studuit ordini. Quo inspecto nonnulli eruditi facile factu judicarunt, ut singuli libri in diversa capita distribuerentur, idque lectori commodum fore, si cuique capiti summatim prænotatum haberet quod in eo tractatur. Nihil negligendum rati unde lectoris labor sublevaretur, hoc non reliquimus intentatum : sed experti sumus non sine aliqua confusione præstari a nobis posse, quod ab Hilario minime præstitum est. Alia tamen via provisum est quod volebant. Quippe libros in plures numeros partiti, paucis verbis, quantum per marginem licuit, conati sumus comprehendere quod in iis disseritur.

XXXVII. An simile quidquam in fronte cujusque libri præponeremus, diu hæsimus. Cum enim Hilarius ipse in primo libro totius operis sui synopsim ediderit, anceps erat ac dubius animus, an de nostro novam aliquam cuique præponendam cuderemus, an potius ex primo repeteremus, quod ad unumquemque pertinet, aut etiam eo mitteremus lectorem, quo summatim conspiceret, quod in unoquoque copiosius disputatur, an denique satis haberemus describere brevia quædam argumenta, quæ ad limbum mss. Corbeiensis et Pratellensis ab antiqua manu in fronte cujusque libri proposita sunt. Sed hæc breviora sunt visa, quam ut sufficientem dicendorum notitiam parere valerent. Hilariana autem synopsis plerumque est prolixior : et qui illius loquendi modis nondum satis assuefacti sunt, desiderarent fortasse ut simplicioribus locutionibus exposita cujusque libri summa ad Hilariani sermonis intelligentiam via ipsis sterneretur. Neque hunc in nobis laborem suscipere gravati sumus. At ne quidquam ex veterum studiis pereat, argumenta quæ in mss. Corbeiensis et Pratellensis singulis libris, primo tantum excepto, præfixa sunt, hic in unum collata exhibemus.

SUMMA LIBRORUM SEQUENTIUM E DUOBUS MSS.

I. *Liber, qui totius operis est veluti proœmium solus in prædictis mss. epitome caret.*

II. *Omne sacramentum divinæ generationis edocet, absolutissime demonstrans et Trinitatis et nominum veritatem ; ita ut neque non ipsa sit veritas nominis, neque non nomen sit veritatis.*

III. *Omnem difficultatem dicti, quo Dominus ait,* Ego in Patre, et Pater in me, *multis exemplis ad intelligentiæ fidem coaptat : ita ut neque non credendum de se Deo sit ; neque opinandum, extra rationem fidei esse intelligentiam potestatis.*

IV. *Hæreticorum doctrinam exponit. Deinde, omnibus legis ac prophetarum testimoniis demonstratis, perfidiam eorum ita revincit, ut unum Deum sine Christo Deo et confiteri, et non cum eo prædicare perfidiæ sit.*

V. *Contra omnes hæreticorum professiones congreditur, quibus unum Deum secundum legem, ad adimendam Domino Christo nativitatem, et proferentibus et prædicantibus ita respondet, ut uno vero Dei patre ex lege et prophetis prædicato et fides unius Dei maneat incorrupta, et non negetur nativitas.*

VI. *Omnes impias et fraudulentas hæreticorum assertiones, Valentini scilicet, et Sabellii, et Manichæi et Hierarchæ apertissime pandit. Sic enim singulorum correptis in melius verbis occurrit, ut nec commune esse cum damnatis hæreticis quidquam patiatur, nec Filium Dei secundum et Patris testimonium, et suam professionem ignorandum esse cuiquam permittat.*

VII. *Contra Sabellium et Hebionem et hos non veri Dei prædicatores congreditur, quorum inter se diversas perfidiæ quæstiones conferendo, quantum intersit inter sanam et inviolabilem fidei nostræ doctrinam absolutissime demonstrat. Sic namque causas singulorum generum ex Evangeliis excerptas prosequitur, ut nec professio nostra tacuerit Dei Filii potestatem, nec potestas non exseruerit naturam, nec natura non suæ nativitatis sit, nec nativitas non sui sit nominis.*

VIII. *Totus in unius Dei demonstrationem detentus est, non auferens Filio Dei nativitatem, sed neque per eam duum deorum divinitatem introducens. Deinde quibus modis hæretici veritatem Dei Patris et Dei Filii, quia negare non possunt, eludere nituntur, edocet. Sic etiam cætera prosequitur, ut et in Patre Filius intellectus, et Pater in Filio cognitus, unigeniti Dei nativitas et perfecta* (Ms. Corb. *perfecti.* Confer. Breviarium Hilarii lib. I) *in eo deitas in omni manifestetur veritate.*

IX. *In repellendis hæreticorum fraudibus totus digestus est : quibus corrupto depravatoque sensu ex dictorum dominicorum professionibus ad infirmandam unigeniti Dei divinitatem resistentibus ita respondet, ut*

omnibus dictorum causis ex his ipsis vel interrogationum vel temporum vel dispensationum generibus demonstratis, non pertineat ad contumeliam veræ divinitatis, quod sacramentum fidei evangelicæ sub dispensatione et temporis et nativitatis et nominis prædicatur.

X. *Universa quæ per stultæ intelligentiæ sensum ad contumeliam divinæ in Domino Jesu Christo naturæ virtutisque hæretici rapuerunt, impiissime ab iis intellecta esse demonstrat, magisque a Domino ad protestationem veræ et perfectæ in se majestatis esse memorata, nihil etiam inexploratum aut tacitum, quod ad sacramentum animæ corporisque Domini Jesu Christi pertinet derelinquens, sed fidem dictorum universorum absoluta evangelici mysterii prædicatione confirmat.*

XI. *Primum ex dictis apostolicis demonstrat, non modo non ad divinitatis infirmitatem subjectionem proficere, sed per eam ipsam, veritatem Dei qui ex Deo sit natus ostendit. Deinde omnibus evangelicis atque apostolicis testimoniis edocet semper Patrem et semper Filium, et non post aliqua Deum omnium, sed esse ante omnia : sic vero natum esse Filium, ut et semper fuisse manifestet, et sit in eo non innascibilitatis exceptio, sed nativitatis æternitas ; ita ut nativitas habeat auctorem, et non careat æternitate divinitas.*

XII. *Totus ad repellendas hæreticorum occasiones intentus est, quibus, per id quod scriptum est,* Dominus creavit me initium viarum suarum, *contra dicentibus,* Erat quando non erat, *et,* Non fuit ante quam nasceretur, *et,* De non exstantibus factus est, *ita respondet, ut semper Patrem, semper Filium, et non post aliqua Deum omnium, sed ante omnia esse doceat : et ita semper fuisse Filium, ut et natum esse prædicet, et semper fuisse manifestet, ut in eo non innascibilitatis* (mss. *nascibilitatis*, male, uti planum est ex lib. I, n. 34) *sit exceptio, sed nativitatis æternitas : ita ut et nativitas habeat auctorem, et non careat æternitate divinitas.*

SANCTI HILARII
PICTAVENSIS EPISCOPI
DE TRINITATE
LIBRI DUODECIM.
(CIRCITER AN. 356 INCHOATI.)

1 LIBER PRIMUS.

In quo Hilarius, positis philosophorum de beatitudine ac de Deo sententiis, e Scripturis tum veteribus, tum maxime ex Joannis Evangelio veriorem ac sublimiorem Dei notitiam, certioremque immortalitatis spem nobis præberi declarat. Deinde ex parta Scripturis Dei cognitione observat summam illius majestatem humani ingenii vires superare, nec attingi posse nisi fide; hincque natas hæreses, quod infinitatem illius intra sensus sui finem concludere voluerint. Duas præsertim, Arianam videlicet et Sabellianam, impugnandas proponit. Denique quo animo sacra Dei verba legi debeant, quave ratione quod ipse de Deo loquturus est excipi velit, lectore prænonito, librorum suorum ordinem et argumenta præmittit, hunc-que humillima ac fide plena ad Deum prece concludit.

1. *In otio et opulentia non est nisi beluina (a) felicitas.* — Circumspicienti mihi proprium humanæ vitæ ac religiosum officium, quod vel a natura manans, vel a prudentum studiis profectum, dignum aliquid hoc conce-so sibi ad intelligentiam divino munere obtineret, multa quidem aderant, quæ opinione (*b*) communi efficere utilem atque optandam vitam videbantur, maximeque ea quæ et nunc et semper antea potissima inter mortales habentur, otium simul atque opulentia, quod aliud sine altero mali potius materies, quam boni esset occasio; quia et quies inops prope quoddam vitæ ipsius intelligatur esse exsilium, et opulens inquietudo **2** tanto plus calamitatis afferat, quanto majore indignitate his caretur, quæ maxime et optata et quæsita sunt ad utendum. Atque hæc quidem quamquam in se summa atque optima vitæ blandimenta contineant, tamen non multum videntur a consuetudine esse beluinæ oblectationis aliena : quibus in saltuosa loca ac maxime pabulis læta (*c*) evagantibus, adsit et securitas a labore, et satietas ex pascuis. Nam si hic optimus et absolutissimus vitæ humanæ usus existimabitur, quiescere et abundare; necesse est hunc eumdem, secundum sui cujusque generis sensum, nobis atque universis rationis expertibus beluis esse communem : quibus omnibus, natura ipsa in summa rerum copia et securitate famulante, sine cura habendi copia redundat utendi.

2. *Ad alia natos se senserunt plerique homines.* — Ac mihi plerique mortalium non ob **3** aliam quidem

(*a*) Constanter hoc adjectivum nomen cum uno *l* scribit editio accuratissima quam recudimus.

(*b*) Pervetustus codex Colbertinus cum Germanensi, *communione*; forte, *communiore*.

(*c*) In iisdem mss. *vacantibus* ; quæ vox Hilarii menti, bestiarum scilicet otio designando, optime congruit, sed non ita orationi.

causam hanc ineptæ ac beluinæ vitæ consuetudinem et respuisse a se, et coarguisse in aliis videntur, quam quod, natura ipsa auctore impulsi, indignum homine esse existimaverunt, in officium se ventris tantum et inertiæ natos arbitrari; et in hanc vitam non ob aliqua præclari facinoris aut bonæ artis studia esse deductos, aut hanc ipsam vitam non ad aliquem profectum esse æternitatis indultam (*a*) (quam profecto non ambigeretur munus Dei non esse reputandum, cum tantis afflictata angoribus, et tot molestiis impedita, sese ipsa atque intra se a pueritiæ ignoratione usque ad senectutis deliramenta consumeret) : et ideirco ad aliquas se patientiæ et continentiæ et placabilitatis virtutes et doctrina et opere transtulisse, quod bene agere atque intelligere, id demum bene vivere esse opinabantur : vitam autem non ad mortem tantum ab immortali Deo tribui existimandam ; cum boni largitoris non esse intelligeretur, vivendi jucundissimum sensum ad tristissimum metum tribuisse moriendi.

3. *In Dei cognitionem ardet Hilarius.* — Et quamquam non ineptam hanc eorum esse sententiam atque inutilem existimarem, conscientiam ab omni culpa liberam conservare, et omnes humanæ vitæ molestias vel providere prudenter, vel vitare consulte, vel ferre patienter : tamen hi ipsi non satis mihi idonei ad bene beateque vivendum auctores videbantur, communia tantum et convenientia humano sensui doctrinarum præcepta statuentes : quæ cum non intelligere beluinum esset, intellecta tamen non agere, ultra beluinæ immanitatis esse rabiem videretur. Festinabat autem animus, non hæc tantummodo agere, quæ non egisse, et criminum esset plenum, et dolorum : sed hunc tanti muneris Deum parentemque cognoscere, cui se totum ipse deberet, cui famulans nobilitandum se existimabat, ad quem omnem spei suæ opinionem referret, in cujus bonitate inter tantas præsentium negotiorum calamitates, tamquam tutissimo sibi portu familiarique requiesceret. Ad hunc igitur vel intelligendum, vel cognoscendum, studio flagrantissimo animus accendebatur.

4. *Variæ antiquorum de Deo opiniones. Hilario non probantur, pro certo habenti Deum non esse nisi unum.* — Namque plures eorum numerosas incertorum deorum familias introducebant : et virilem ac mulierem sexum in divinis naturis agere existimantes, ortus ac successiones ex diis deorum asserebant. Alii majores ac minores et differentes pro potestate deos prædicabant. Nonnulli nullum omnino Deum esse affirmantes, eam tantum, 4 quæ fortuitis motibus atque concursibus in aliquid exsisteret, naturam venerabantur. Plerique vero Deum quidem esse opinione publica loquebantur, sed hunc eumdem incuriosum rerum humanarum ac negligentem pronuntiabant. Aliqui autem ipsas illas creaturarum corporeas conspicabilesque formas in elementis terrenis et cœlestibus adorabant. Postremo quidam in simulacris hominum, pecudum, ferarum, volucrum, serpentum, deos suos collocabant, et universitatis Dominum atque infinitatis parentem intra angustias metallorum et lapidum et stipitum coartabant. Dignumque jam non erat, auctores eos veritatis (*b*) existere, qui ridicula et fœda et irreligiosa sectantes, ipsis illis inanissimarum sententiarum suarum opinionibus dissiderent. Sed inter hæc animus sollicitus, utili ac necessaria ad cognitionem Domini sui via nitens, cum neque incuriam Deo rerum a se conditarum dignam esse arbitraretur, neque naturæ potenti atque incorruptæ competere sexus deorum, et successiones satorum atque ortorum intelligeret : porro autem divinum et æternum nihil nisi unum esse et indifferens pro certo habebat, quia id quod sibi ad id quod esset auctor esset, nihil necesse est extra se quod sui esset præstantius reliquisset : atque ita omnipotentiam æternitatemque non nisi penes unum esse ; quia neque in omnipotentia validius infirmiusque, neque in æternitate posterius anteriusve congrueret : in Deo autem nihil nisi æternum potensque esse venerandum.

5. *E Scripturis discit quid sit Deus ; quod æternus.* — Hæc igitur, multaque alia ejusmodi cum animo reputans, incidi in eos libros, quos a Moyse atque a prophetis scriptos esse Hebræorum religio (*c*) tradebat : in quibus ipso creatore Deo testante de se, hæc ita continebantur : *Ego sum, qui sum* (*Exod.* III, 14); et rursum : *Hæc dices filiis Israel. Misit me ad vos is qui est* (*Ibidem*). Admiratus sum plane tam absolutam de Deo significationem, quæ naturæ divinæ incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo, quam esse, intelligitur ; quia id ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti : sed id, quod cum incorruptæ beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse ; quia divinum omne neque abolitioni, neque exordio obnoxium est. Et cum in nullo a se Dei desit æternitas ; digne hoc solum, quod esset, ad protestationem incorruptæ suæ æternitatis ostendit.

5 6. *Deus infinitus; mente capi nequit.*—Et ad hanc quidem infinitatis significationem satisfecisse sermo dicentis : *Ego sum qui sum*, videbatur : sed magnificentiæ et virtutis suæ erat a nobis opus intelligen-

(*a*) Martinus Lipsius post Erasmum *ob quam*, addita particula *ob* præter fidem mss. Mox apud eosdem *refutandum* : in editione Badii Ascensii, *reputandum* vel *refutandum*, quomodo exstat in uno e Colbertinis mss. In edit. Parisiensi an. 1605, et pluribus mss. *reputandam*. At in mss. vetustioribus, *reputandum*. Quod in his ad *munus*, in aliis eodem sensu ad *vitam* refertur. Deinde in mss. Colb. et Germ., *languoribus*, non *angoribus*.

(*b*) Bad., Er., Lips., et mss. non pauci, *existimare*. At potiores cum Par. *exsistere*.

(*c*) Non ita abhorret Hilarius, ut Scultetus sibi fingit, a doctrina traditionis, ex qua cum sacris libris auctoritatem hic tribuat, in psal. II, n. 2, eorumdem sensum ex ipsa quærendum esse defendit.

dum. Namque cum esse ei proprium esset, qui maneus semper non etiam aliquando cœpisset; æterni et incorrupti Dei dignus de se hic rursum auditus est sermo: *Qui tenet cœlum palma, et terram pugillo* (*Esa.* XL, 12); et rursum: *Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum mihi ædificabitis, aut quis locus erit requietionis meæ? Nonne manus mea fecit hæc* (*a*) (*Esa.* LXVI, 1 *et* 2)? Universitas cœli palma Dei tenetur, et universitas terræ pugillo concluditur. Sermo autem Dei, etiamsi ad opinionem religiosæ intelligentiæ proficit, plus tamen significationis introspectus sensu continet, quam exceptus auditu (*Vide Augustin. epist.* CXXXVII *ad Volusian., n.* 3). Nam conclusum palma cœlum rursum Deo thronus est; et terra, quæ pugillo continetur, eadem et scabellum pedum ejus est: ne in throno et scabello, secundum habitum considentis, protensio specici corporeæ posset intelligi, cum id, quod sibi thronus et scabellum est, rursum ipsa illa infinitas potens palma ac pugillo apprehendente concluderet; sed ut in his cunctis originibus creaturarum Deus intra extraque, et supereminens et internus, (*b*) id est, circumfusus et infusus in omnia nosceretur, cum et palma pugillusque continens potestatem naturæ exterioris ostenderet; ac thronus et scabellum substrata esse (*c*) ut interno exteriora monstraret, cum exteriora sua interior insidens, ipse rursum exterior interna concluderet: atque ita totus ipse intra extraque se continens (*supple*, concta), neque infinitus abesset a cunctis, neque cuncta ei qui infinitus est non inessent. His igitur religiosissimis de Deo opinionibus veri studio detentus animus delectabatur. Neque enim aliud quid dignum esse Deo arbitrabatur, quam ita eum ultra intelligentias rerum esse, ut in quantum se ad aliquem præsumptæ licet opinionis modum mens infinita protenderet, in tantum omnem persequentis se naturæ infinitatem infinitas immoderatæ æternitatis excederet. Quod cum a nobis pie intelligeretur, tamen a propheta hæc ita **6** dicente manifeste confirmabatur: *Quo* (*d*) *abibo a spiritu tuo, aut a facie tua quo fugiam? Si adscendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, et ibi ades. Si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in postremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* (*Psal.* CXXXVIII, 7 *et seqq.*). Nullus sine Deo, neque ullus non in Deo locus est. In cœlis est, in inferno est, ultra maria est. Inest interior, excedit exterior. Ita cum habet, atque habetur; (*e*) neque in aliquo ipse, neque non in omnibus est.

7. *Deus pulcherrimus. Quia cæterarum rerum speciem, si non verbo, certe sensu assequimur; Dei autem speciem neutro modo.* — Quamquam igitur optimæ hujus atque inexplicabilis intelligentiæ sensu animus gauderet, quod hanc in parente suo et creatore immensæ æternitatis infinitatem veneraretur; tamen studio adhuc intentiore ipsam illam infiniti et æterni Domini sui speciem quærebat, (*f*) ut incircumscriptam immensitatem in aliquo pulchræ intelligentiæ esse opinaretur ornatu. In quibus cum religiosa mens intra imbecillitatis suæ concluderetur errorem, hunc de Deo pulcherrimæ sententiæ modum propheticis vocibus apprehendit: *De magnitudine enim operum, et pulchritudine creaturarum, consequenter generationum conditor conspicitur* (*Sap.* XIII, 5, *sec.* LXX). Magnorum creator in maximis est, et pulcherrimorum conditor in pulcherrimis est. Et cum sensum ipsum (*g*) egrediatur operatio, omnem tamen sensum longe necesse est excedat operator. Pulchrum itaque cœlum, æther, terra, maria, et universitas omnis est, quæ ex ornatu suo, ut etiam Græcis placet, digne κόσμος, id est, mundus nuncupari videtur. Sed si hanc ipsam rerum pulchritudinem ita sensus naturali metitur instinctu, ut etiam in quarumdam volucrum ac peculum accidit specie, ut dum infra sententiam sermo est, sensus tamen id ipsum intelligens non eloquatur; quod tamen rursum, dum sermo omnis ex sensu est, sensus sibi ipse loquatur intelligens: nonne hujus ipsius pulchritudinis Dominum necesse est totius pulchritudinis esse pulcherrimum intelligi; ut cum æterni ornatus sui species sensum intelligentiæ omnis effugiat, opinionem tamen intelligentiæ sensus non relinquat ornatus? Atque ita pulcherrimus Deus est confitendus: **7** ut neque intra sententiam (*h*) sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi.

(*a*) In aliquot mss. additur hic *omnia*, quod et habent LXX, de quibus licet dicat Hilarius in psal. CXVIII, lit. 4, n. 6: *Nobis neque tutum est translationem* LXX *Interpretum transgredi:* hos tamen in dubiis tantum ac difficilibus locis præfert, cum latinam versionem sequi soleat, ac maxime hic, ubi secundum LXX, *namque*, pro *nonne* vertendum ei fuisset.

(*b*) Aliquot mss. cum vulgatis, *idem circumfusus*, et mox, *cum et palmo pugilloque continens:* castigantur ex vetustioribus libris. Verba Hilarii illustrant hæc Gregorii lib. II Moral., c. 8: *Cœlum palmo metiens, et terram pugillo concludens ostenditur, quod ipse sit circumquaque rebus quas creavit exterior: id namque, quod exterius concluditur, a concludente exterius continetur. Per sedem ergo, cui præsidet, intelligitur esse interius supraque; per pugillum, quo continet, exterius subterque signatur.*

(*c*) Editio Par. cum quibusdam non inferioris notæ mss. *ut in throno.* Magis probamus cum aliis libris *ut interno*, sumpta particula *ut* pro *velut.*

(*d*) Vetus codex Colb. aliique: *Quo ibo.* Utraque lectio tract. in psal. CXXXVIII, exhibetur.

(*e*) Unus e Colb. mss., *neque sine aliquo.* Alii recentiores, *neque non in aliquo.* Melius abest *non* ab excusis et antiquioribus mss. Nam quatenus habet, non ipse in aliquo inclusus; sed quodvis potius in ipso est: quatenus vero habetur, in omnibus est.

(*f*) Bad. et Er. *ut unam.* Lips. et Par. *ut illam.* Neque *unam* neque *illam* habent mss.

(*g*) Editi, *supergrediatur:* nullius veteris libri auctoritate.

(*h*) Id est, licet pulchritudinem illius ne intelligentiæ quidem sensu complectamur, adeoque non sit *intra sententiam intelligendi;* sensus tamen dictat eum, qui ita captum suum superat, intelligendum esse pulcherrimum: qua ratione Dei species non est *extra intelligentiam sentiendi*, puta, eam esse omnium pulcherrimam.

8. *Deus intelligentiam excedens fide attingendus.* — His itaque piæ opinionis atque doctrinæ studiis animus imbutus, in secessu quodam ac specula pulcherrimæ hujus sententiæ requiescebat, non sibi relictum quidquam aliud a natura sua intelligens, in quo majus officium præstare Conditori suo (*a*) minusve posset, quam ut tantum eum esse intelligeret, quantus et intelligi non potest, et potest credi: dum intelligentiam et fides sibi necessariæ religionis assumit, et infinitas æternæ potestatis excedit.

9. *In immortalitatis spem assurgit Hilarius. Hanc ratio ipsa ei suadet.* — Suberat autem omnibus his naturalis adhuc sensus, ut pietatis professionem spes aliqua incorruptæ beatitudinis aleret, quam sancta de Deo opinio et boni mores quodam victricis militiæ stipendio mererentur. Neque enim fructus aliquis esset, bene de Deo opinari: cum omnem sensum mors perimeret, et occasus quidam naturæ deficientis aboleret. Porro autem non esse hoc dignum Deo ratio ipsa suadebat, deduxisse eum in hanc participem consilii prudentiæque vitam hominem sub defectione vivendi et æternitate moriendi: ut in id tantum (*b*) non exsistens substitueretur, ne substitutus exsisteret; cum constitutionis nostræ ea sola esse ratio intelligeretur, ut quod non esset esse cœpisset, non ut quod cœpisset esse non esset.

10. *Spem ac Dei notitiam auget Joannis Evangelium.* — Fatigabatur autem animus, partim suo, partim corporis metu. Qui cum et constantem sententiam suam pia de Deo professione retineret, et sollicitam de se atque hoc occasuro secum, ut putabat, habitaculo suo curam recepisset, post cognitionem legis ac prophetarum istius modi quoque doctrinæ evangelicæ atque apostolicæ instituta cognoscit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Quod* (*c*) *factum est in eo, vita est, et vita* 8 *erat lux hominum, et lux lucet in tenebris, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* (*d*) *In mundo erat, et mundus per eum factus est, et mundus eum non cognovit. In sua venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine ejus: qui non* (*e*) *ex sanguine, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam tamquam unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate* (*Joan.* I, 1-14). Proficit mens ultra naturalis sensus intelligentiam, et plus de Deo quam opinabatur edocetur. Creatorem enim suum Deum ex Deo discit: Verbum Deum, et apud Deum in principio esse audit. Mundi lumen in mundo manens, et a mundo non recognitum intelligit. Venientem quoque in sua, a suis non receptum: recipientes autem sub fidei suæ merito in Dei filios profecisse cognoscit; non ex complexu carnis, neque ex conceptu sanguinis, neque ex corporum (*f*) voluntate, sed ex Deo natos. Deinde (*supple*, cognoscit) Verbum carnem factum, et habitasse in nobis, et gloriam conspectam ejus, quæ tamquam unici a patre, sit perfecta cum gratia et veritate.

11. *Filius Dei Deus. Filios Dei fieri potestas est, non necessitas. Filius Dei factus homo, ut homo fieret filius Dei. Christus verus Deus et verus homo.* — Hic jam mens trepida et anxia plus spei invenit, quam exspectabat. Ac primum ad cognitionem Dei patris imbuitur. Et quod antea de Creatoris sui æternitate, et infinitate, et specie, naturali sensu opinabatur, hic nunc proprium esse etiam unigenito Deo accipit: (*g*) non in deos fidem laxans, quia ex Deo Deum audit; non ad naturæ diversitatem (*h*) in Deum ex Deo decedens, 9 quia plenum gratia et veritate Deum ex Deo discit; neque præposterum ex Deo Deum sentiens, quia in principio apud Deum esse Deum comperit. Rarissimam deinde hujus salutaris

(*a*) Apud Bad. et in uno ms. Colb. *muneris sui*. In editis aliis, *munusve*. Magis placet cum duobus mss. Colb. necnon German. *minusve*.

(*b*) Abest *non* ab uno ms. Colb. male: perinde enim est *non exsistens substitueretur*, ac *ex non exsistente conderetur*. Porro, *substituere*, pro *creare* rursum usurpatur infra lib. VI, n. 18, sicut et a Faustino Hilario nostro æquali adversus Arian. Attendenda etiam particula *ne*, quæ ut hic, ita et alias, pro *ut non* sæpius effertur, scil. ut non exsisteret, postea quam exsistentia donatus est. Idem argumentum de immortalitate hominis non minus clare tractatum videsis in psal. CXVIII, lit. 14, n. 1.

(*c*) Hæc verba, *quod factum est*, cum præcedentibus jungunt vulgati, quæ disjungenda esse liquet ex lib. II, n. 19, ubi deinde, quomodo et hic pro *in eo vita erat*, reposuimus *in eo vita est* omnium prope mss. auctoritate. De distinctione verborum hujus loci videndus Ambrosius lib. III de Fide, c. 6.

(*d*) Vetustus codex Colb. *In hoc mundo*.

(*e*) Editi, *ex sanguinibus:* renitentibus mss.

(*f*) Basilicæ Vaticanæ vetustissimus codex cum plerisque aliis mss. *voluptate*.

(*g*) Mss. Colb. et Germ. *non in duos:* infra n. 56, *non in duorum numerum veritatis diversitate referendum*. Utraque illa lectio confirmari potest ex lib. IV, n. 4, ubi Ariani *hanc improbandi homousii causam comminiscuntur, quod secundum verbi hujus significationem ex divisione paternæ substantiæ esse Filius existimetur; tamquam desectus ex eo fuerit, ita ut in duos sit res una divisa*. Si præferas hic *non in duos*, tacita intelligenda est vox *deos*, quæ infra n. 17, ita exprimitur: *Edocti divinitus neque duos deos prædicare, neque solum:* et n. 24: *Nec duos deos, nec solitarium verum Deum prædicavimus*. Idem habetur lib. VIII, n. 29.

(*h*) Erasmus ac post eum Lips., *Deum ex Deo decidens:* quod non displiceret, si adesset alicujus ms. auctoritas. Arriserat etiam cum veterrimo codice S. Petri in Vaticano, *in Deum Deum decidens*: Sed antiqui notarii multa passim mutantis nimios ausus formidamus, ubi nullus alius codex suffragatur. Plerique mss. cum Bad. *in Deo*, vel *in Deum, ex Deo decidens*. Alii probæ notæ cum Par. *in Deum ex Deo decedens*. Quod sic intelligi commode queat: non decedens ad invehendam in Filium, qui Deus ex Deo est, naturæ diversitatem. Legentibus *in Deo ex Deo*, supplere licet *credendam* ante *decedens* vel *decidens*.

cognitionis fidem esse, sed maximum præmium nos- A cit: quia et sui non receperunt, et recipientes in filios Dei aucti sunt, non ortu carnis, sed fidei. Esse autem filios Dei, non necessitatem esse, sed potestatem: quia proposito universis Dei munere, non natura gignentium afferatur, sed voluntas præmium consequatur. Ac ne id ipsum, quod unicuique (*a*) esse Dei filio fit potestas, in aliquo infirmitatem fidei trepidæ impediret; quia per sui difficultatem ægerrime speretur, quod et magis optatur, et minus creditur: Verbum Deus caro factum est, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum. Ac ne Verbum caro factum aut aliquid aliud esset quam Deus Verbum, aut non nostri corporis caro esset, habitavit in nobis: ut dum habitat, non aliud quam Deus maneret (*b*); dum autem habitat in nobis, non B aliud quam nostræ carnis Deus caro factus esset; per dignationem assumptæ carnis non inops suorum, quia tamquam unigenitus a Patre plenus gratiæ et veritatis, et in suis perfectus sit, et verus in nostris.

12. *Divina non capit nisi fides.* — Hanc itaque divini sacramenti doctrinam mens læta suscepit, in Deum proficiens per carnem, et in novam nativitatem per fidem vocata, et ad cœlestem regenerationem obtinendam potestati suæ permissa, curam in se parentis sui Creatorisque cognoscens non in nihilum redigendam se per eum existimans, per quem in hoc ipsum quod est, ex nihilo substitisset: et hæc omnia ultra intelligentiæ humanæ metiens sensum, quia ratio communium opinionum consilii cœlestis incapax, hoc solum putet in natura rerum esse, quod C aut intra se intelligat, aut præstare possit ex sese. Dei autem virtutes secundum magnificentiam æternæ potestatis, non sensu, sed fidei **10** infinitate pendebat: ut Deum in principio apud Deum esse, et Verbum carnem factum habitasse in nobis, non id-circo non crederet, quia non intelligeret; sed idcirco se meminisset intelligere posse, (*c*) si crederet.

13. *Christi gesta non succumbunt naturalibus mentium sensibus.* — Ac ne in aliquo sæcularis prudentiæ tardaretur errore, ad piæ confessionis hujus absolutissimam fidem ita insuper per Apostolum divinis dictis edocetur: *Videte ne quis vos spoliet per philosophiam et inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis: in quo et circumcisi estis, circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed circumcisione Christi, consepulti ei in baptismate, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitavit eum a mortuis. Et vos, cum esse tis* (*d*) *mortui in delictis et præputiatione carnis vestræ, vivificavit cum illo,* (*e*) *donatis vobis omnibus delictis, delens quod adversum nos erat* (*f*) *chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis: et ipsum tulit e medio, affigens illud cruci: exutus carnem, et potestates ostentui fecit, triumphatis iis cum fiducia in semetipso* (*Coloss.* II, 8 *et seqq.*). Respuit captiosas et inutiles philosophiæ quæstiones fides constans, neque humanarum ineptiarum fallaciis succumbens, spolium se præbet veritas falsitati; non secundum sensum communis intelligentiæ Deum retinens, neque de Christo secundum mundi elementa decernens, in quo divinitatis plenitudo corporaliter inhabitet: ut dum infinitas æternæ in eo est potes- C tatis, omnem terrenæ mentis amplexum potestas æternæ infinitatis excedat: qui nos ad divinitatis suæ naturam trahens, non etiamnum corporali præceptorum observatione distrinxerit, neque per legis umbram ad solemnia desecandæ carnis (*id est*, circumcisionis) imbuerit; sed ut omnem naturalem corporis

(*a*) Sic mss. castigatiores ea ratione qua dixit Tullius, *licet tibi esse bono viro*. Alii vero, *esse Dei filium* vel *filios*. Ex utraque illa lectione in vulgatis obtinuit, *esse Dei filium a Deo filio fit*, vel *sit potestas*: glossema quod non exstat nisi in unico recentiore mss. Colb.

(*b*) Quia nimirum habitator, domum habitando quam antea non habitabat, minime aliud ab eo quod prius erat efficitur: adeoque verbum *habitandi* aptissimum est ad exprimendam Verbi corporati immutabilitatem; de quo præmittitur *caro factum est*, ad significandam ipsius cum carne conjunctionem. Tum D verba *habitat in nobis*, sic ab Hilario intellecta esse quasi *in nostris*, patet ex subnexis, *verus in nostris*. Unde refellitur Erasmus, qui in dubium revocavit an Christi carnem ex Maria assumptam credidisset. Qui vero existimant Hilarium in gentilitate natum, ac primæ suæ ad veram fidem conversionis historiam hic texere, expendendum habent, an sola Joannis verborum lectio per se tantam mysteriorum nostrorum notitiam gentili præstare potuerit, ut jam Apollinario, Nestorio, et Eutycheti confutandis suffecerit.

(*c*) Quia, ut loquitur Augustinus epist. CXX ad Cosentium n. 3: *Fides præcedat rationem, qua cor mundetur, ut magnæ rationis capiat et perferat lucem*; et rursum epist. CXXXVII ad Volusianum n. 15: *Intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit.* Confer superiora Hilarii dicta num. 8.

(*d*) Omnes mss. uno nullius ferme auctoritatis excepto omittunt hic verbum *mortui*: quod tamen habent infra lib. IX, n. 10, et in Ps. LXVII, n. 23. Sed hoc apud Hilarium non inusitatum, ut etiam in eodem tractatu eadem Scripturæ loca non eadem ratione repetat.

(*e*) In ms. bas. Vat.: *Donans nobis omnia delicta, delendo quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat adversarium nobis*: et mox, *exuens se carne, et potestate traduxit palam retriumphans illos*; quæ versio Hilario videtur extranea. Quæ hic exhibetur, confirmatur lib. IX, n. 10. Vide tract. in psal. LXVII, n. 23.

(*f*) Præter ms. Vat. bas. pauci, iique recentiores habent, *chirographum decreti*. Ab hac lectione non abhorret quæ subjicitur explicatio, *ut nova in se generis nostri creatione constitutionem decreti anterioris aboleret*. Aliter lib. IX, n. 10, ubi Hilarius Apostoli verba tanquam hic jam tractata memorat, sic interpretatur hoc chirographum, *delens chirographum legis peccati, quod per sententias anteriores contrarium erat nobis*. Unde in ps. CXX, n. 18, illud simpliciter vocat *chirographum legis*; hic vero *sententiam mortis*. Non est omittendum quod in uno ms. Colb. exstat, *chirographum decreti in sententiis*. Et hoc Hilario est solemne, ut duas versiones, quas pariter probat, simul componat.

necessitatem circumcisus a vitiis spiritus criminum emundatione purgaret : cujus morti consepeliremur in baptismo, ut **11** in æternitatis vitam rediremus; dum regeneratio ad vitam mors esset ex vita, et morientes vitiis immortalitati renasceremur; ipso pro nobis ex immortalitate moriente, ut ad immortalitatem una cum eo excitaremur ex morte. Carnem enim (*a*) peccati recepit, ut assumptione nostræ carnis delicta donaret, dum ejus fit particeps assumptione, non crimine; delens per mortem sententiam mortis, ut nova in se generis nostri creatione constitutionem decreti anterioris aboleret; cruci se figi permittens, ut maledicto crucis oblitterata (*b*) terrenæ damnationis maledicta figeret omnia : ad ultimum in homine passus, ut potestates dehonestaret; dum Deus secundum Scripturas moriturus, et (*c*) in his vincentis in se fiducia triumpharet; dum immortalis ipse, neque morte vincendus, pro morientium æternitate moreretur. Hæc itaque ultra naturæ humanæ intelligentiam a Deo gesta non succumbunt rursum naturalibus mentium sensibus; quia infinitæ æternitatis operatio infinitam metiendi exigat opinionem : ut cum Deus homo, cum immortalis mortuus, cum æternus sepultus est, non sit intelligentiæ ratio, sed potestatis exceptio; ita rursum e contrario non sensus, sed virtutis modus sit, ut Deus ex homine, ut immortalis ex mortuo, ut æternus sit ex sepulto. Coexcitamur ergo a Deo in Christo per mortem ejus. Sed dum in Christo plenitudo est divinitatis, habemus et significationem Dei patris nos coexcitantis in mortuo, et Christum Jesum non aliud quam Deum in divinitatis plenitudine confitendum.

14. *Christi fides et mortis metum et vitæ tollit tædium.* — In hoc ergo (*d*) conscio securitatis suæ otio mens spebus suis læta requieverat : intercessionem mortis hujus usque eo non metuens, **12** ut etiam reputaret (*e*) in vitam æternitatis. Vitam autem hujus corporis sui non modo non molestam sibi aut ægram arbitrabatur, ut eam quod pueritiæ litteras, quod ægris medicinam, quod naufragis natatum, quod adolescentibus disciplinam, (*f*) quod militiam esse crederet imperaturis : rerum scilicet præsentium tolerantiam, ad præmium beatæ immortalitatis proficientem. Quin etiam id, quod sibi credebat, tamen per ministerium impositi sacerdotii etiam cæteris prædicabat, munus suum ad officium publicæ salutis extendens.

15. *Hæreticorum ingenium.* — Sed inter hæc emerserunt desperata in sese, et sæva in omnes impiæ temeritatis ingenia (*supple*, hominum), potentem Dei naturam naturæ suæ infirmitate moderantium : neque ut ipsi usque ad infinitatem opinandi de infinitis rebus emergerent, sed intra finem sensus sui indefinita concluderent; essentque sibi arbitri religionis, cum religionis opus (*g*) obedientiæ esset officium; sui immemores, divinorum negligentes, præceptorum emendatores.

16. *Hæreses duæ præcipuæ de Christo. Sabellii et Arii.* — Nam ut de cæteris hæreticorum stultissimis studiis sileam, de quibus tamen, sic ubi occasionem sermonis ratio præbebit, non tacebimus; quidam (*h*) ita evangelicæ fidei corrumpunt sacramentum, ut sub unius Dei pia tantum professione nativitatem unigeniti Dei abnegent; ut protensio sit potius in hominem, quam descensio : neque ut qui filius hominis secundum tempora assumptæ carnis fuit, idem antea

(*a*) Solus cod. Victorinus, *peccati expertem fecit ;* quam lectionem amplexatus est Lud. Miræus, inepte : vult quippe tantum Hilarius Christum, in carne ejusdem nobiscum naturæ, carnis delicta donasse. Ut enim docet Tertullianus de carne Christi n. 16, neque ad propositum Christi, peccatum carnis evacuaturi, neque ad gloriam faceret, non in ea carne evacuare illud, in qua erat natura peccati. Tum cuidam Alexandro sic argutanti : *Ergo si nostram induit, peccatrix fuit caro Christi : Nostram*, reponit, *induens, suam fecit; suam faciens, non peccatricem eam fecit.* Hic igitur dixit Hilarius peccati carnem, quæ per peccatores ad Christum usque propagata est, quæ, ut laudato loco Tertullianus, *genere, non vitio, Adæ* est : dum scil. Christus, ut hic habet Hilarius, *ejus fit particeps assumptione, non crimine.* Quare frustra in limbo unius ms. Colb. non nemo annotavit, *Carnem peccati, caute lege.* Alias, puta l. x de Trinit., num. 25, de eadem Christi carne dicit, *Neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati.* Vide tract. ps. LXVII, n. 25.

(*b*) In tribus mss. *terrenæ maledictionis.* In Remig. Corb., Pratel., etc., *terrenæ dominationis.* Retinendum putamus cum pluribus aliis, *terrenæ damnationis*; ut sit allusio ad sententiam quam homo damnatus accepit, *Terra es, et in terram ibis.*

(*c*) Sex. mss. non tamen potiores, *in his vincendis in se cum fiducia.*

(*d*) Excusi, *conscia* : refragantibus mss.

(*e*) Unus codex Remig. cum Theod., *initium æternitatis.*

(*f*) Particulam *quod* hic in vulgatis omissam restituimus ex mss. Ita hæc intelligere est, quasi legeretur, *ut eam, quamvis tantis angoribus afflictatam, crederet esse, quod pueritiæ litteras*, etc.

(*g*) Ita Par. cum antiquioribus mss. At Bad. Er. et Lips. cum aliis, *in solo obedientiæ esset officio.* Hic commendatur obedientia fidei, de qua infra n. 37 : *Ultra naturalem opinionem fidei obedientia* nos *provehit.*

(*h*) Hæc Noetum, Praxeam, et Hermogenem spectant, maxime vero Sabellium, qui, ut notat Augustinus de Hæres. ad Quodvultdeum, iis quibus consentiebat, subinde factus est *famosior.* Hujus hæresis rursum exponitur lib. de Synod. n. 45 : *Quidam enim ausi sunt innascibilem Deum usque ad sanctam Virginem substantiæ dilatatione protendere, ut latitudo deducta quodam naturæ suæ tractu assumensque hominem filius nuncuparetur, neque Filius ante sæcula perfectus Deus natus, idem postea et homo natus sit.* Utrumque illum locum illustrat Epiphanius, quo teste hær. LXII, n. 1, asserebat Sabellius, *Filium radii in morem emissum, omnia, quæ ad Evangelii et humanæ salutis procurationem attinerent, in hoc mundo præstitisse; atque ita in cœlum rediisse, quemadmodum is qui a sole manavit radius in eumdem postea refunditur.* Quomodo autem sol radio in terras protenditur potius quam descendit, ita Dei in Virginem protensionem tantum, non descensionem admisit. Haud aliter sensit Marcellus Theodoreto teste, qui de eo prodit lib. II Hæret. fab. : *Prorsus existimavit Trinitatem extendi contrahive pro œconomiarum et consiliorum diversitate ;* et paulo ante : *Extensionem quamdam divinitatis Patris in Christum venisse dixit, et hanc Deum Verbum appellavit : peracta autem universa œconomia rursus attractam esse reversamque ad Deum ex quo extensa fuit.*

semper fuerit atque sit filius Dei : ne in eo nativitas Dei sit, sed ex eodem idem sit ; ut unius Dei, ut putant, inviolabilem fidem (*a*) series ex solido in carnem deducta conservet, dum usque ad virginem Pater protensus, ipse sibi natus **13** sit in filium. Alii vero (quia salus nulla sine Christo sit, qui in principio apud Deum erat Deus Verbum), nativitatem negantes, creationem solam professi sunt : ne nativitas veritatem Dei admitteret, (*b*) sed creatio falsitatem doceret, quæ dum ementiretur in genere (*c*) Dei unius fidem, non excluderet in sacramento : sed nativitatem veram nomini ac fidei creationis (*d*) subjicientes, a veritate unius Dei separabilem cum facerent, ut creatio substitutionis, perfectionem sibi divinitatis non usurparet, quam veritatis nativitas non dedisset.

17. *Fides vera contra utramque toto hoc opere stabilienda.* — Horum igitur furori respondere animus exarsit : recolens hoc vel præcipue sibi salutare esse, non solum in Deum credidisse, sed etiam in Deum patrem ; neque in Christo tantum sperasse, sed in Christo Dei filio ; neque in creatura, sed in Deo creatore ex Deo nato. Maxime ergo properamus ex propheticis atque evangelicis præconiis vesaniam eorum ignorantiamque confundere, qui sub unius Dei, sola sane utili ac religiosa prædicatione, aut Deum natum Christum negant, aut verum Deum non esse contendunt ; ut creatio potentis creaturæ intra unum Deum fidei sacramentum relinquat ; quia nativitas Dei extra unius Dei fidem religionem protrahat (*e*) confitentum. Sed nos edocti divinitus neque duos deos prædicare neque solum, hanc evangelici ac prophetici præconii rationem in confessione Dei patris et Dei filii (*f*) afferemus, ut unum in fide nostra sint uterque, non unus : neque eumdem utrumque, neque inter verum ac falsum aliud confitentes ; quia Deo ex Deo nato, neque eumdem nativitas permittit esse, neque aliud.

18. *Lectori fides necessaria.* — Et vos quidem, quos fidei calor et (*g*) ignoratæ mundo ac sapientibus mundi veritatis studium ad legendum vocavit, meminisse oportet terrenarum mentium infirmas atque imbecillas opiniones esse abjiciendas, et omnes imperfectæ sententiæ angustias religiosa discendi exspectatione laxandas. Novis enim regenerati ingenii sensibus opus est, ut unumquemque conscientia sua secundum cœlestis originis munus illuminet. Standum itaque per fidem ante est, ut sanctus Jeremias admonet (XXIII, 22), (*h*) in substantia Dei : ut de substantia Dei auditurus, sensum suum ad **14** ea quæ Dei substantiæ sint digna moderetur ; moderetur autem non aliquo modo intelligendi, sed infinitate. Quin etiam conscius sibi divinæ se naturæ participem, ut beatus apostolus Petrus in epistola sua altera ait (*cap.* II, 14), effectum fuisse, Dei naturam non naturæ suæ legibus metiatur, sed divinas professiones secundum magnificentiam divinæ de se protestationis expendat. Optimus enim lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet ex dictis potius quam imponat, et retulerit magis quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. Cum itaque de rebus Dei erit sermo, concedamus cognitionem sui Deo, dictisque ejus pia veneratione famulemur. Idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus non est.

19. *Comparatio ad divina nulla est perfecta.*—Si qua vero nos de natura Dei et nativitate tractantes, comparationum exempla afferemus, nemo ea existimet absolutæ in se rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorum ad Deum nulla est : sed infirmitas nostræ intelligentiæ cogit species quasdam ex inferioribus, tamquam superiorum indices quærere ; ut rerum familiarium consuetudine admonente, ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur (*Hæc memorantur lib.* IV, *n.* 2). Omnis igitur comparatio homini potius utilis habeatur, quam Deo apta, quia intelligentiam magis significet, quam expleat : neque naturis carnis et spiritus, et invisibilium ac tractabilium coæquandis præsumpta reputetur, protestans et infirmitati se humanæ intelligentiæ necessariam, et ab invidia esse liberam non satisfacientis exempli. Pergimus itaque de Deo

(*a*) In Pratellensi ms. *series ex solido Deo*, et mox, *Pater spiritu protensus* : voces *Deo* et *Spiritu* ex margine in textum haud dubie translatæ. Hic rursum locus illustratur similitudine solis, ut quemadmodum radius est series ex solido solis corpore educta in terras, ita et Filius sit series educta a Patre : ut enim in sole vis triplex, illuminandi, calefaciendi, et orbicularis figura, seu solidum illud unde est utraque vis : ita et in Trinitate excogitabant Sabelliani triplicem vim, cujus Pater esset hypostasis ac veluti totius forma, ut loquitur Epiphanius loco laudato : ex quo hæresis hujus notitiam ad capiendos Hilarii libros necessariam comparamus.

(*b*) Apud Bad., Er., necnon in ms. Vat. bas. et Colb. uno, *sed creatio veluti compositi et simulati Dei falsitatem doceret* : quod glossema suspicamur, maxime cum hæc loquendi ratio ab Hilario sit aliena.

(*c*) In vulgatis et pluribus mss. hic additur vox *creationis*, quæ rectius abest a castigatioribus libris. Antea excusi habent *ementirentur*, et post *excluderent*, nullo fere suffragante ms. Non displiceret tamen, si antea præmitteretur *qui dum*, non *quæ dum*, etc., id est, quæ creatio non nisi mendaciter subjicitur fidei Dei, qui genere et natura unus est, quamvis non excludatur a fide Dei in sacramento, quatenus plures per quamdam prærogativam hoc nomen sortiuntur. Videsis lib. contra Auxent. n. 5.

(*d*) Solus codex Vat. bas. *substituentes* : minus bene. Hoc enim sibi vult : quem catholici Deum verum, utpote ex Deo vera nativitate natum credunt, illi hæretici nomini ac fidei creationis subjiciunt.

(*e*) Editio Par. antiquos libros, quibus solemne est mutare *t* in *d*, secuta, *confitendum*.

(*f*) Vat. bas. ms., *asserimus*.

(*g*) Bad. et Er., *ignorante*, Lips. et Par., *ignoratum* : castigantur ex mss.

(*h*) Apud LXX, ἐν ὑποστάσει. Gregorius Nazianz. Orat. XXXIV, legens ἐν ὑποστήματι, explicandæ hujus vocis gratia addit, καὶ οὐσίᾳ Κυρίου : quod quidem ulli viventium hactenus concessum negat, quia eorum nemini datum est videre naturam seu essentiam Dei. Ambrosius, l. III de Fide, c. 15 : *Quis stetit in substantia Domini, et vidit verbum ejus?*

loculturi Dei verbis, sensum tamen nostrum rerum A nostrarum specie imbuentes.

20. *Ordo totius operis.* — Ac primum ita totius operis modum temperavimus, ut aptissimus legentium profectibus connexorum sibi libellorum ordo succederet. Nihil enim incompositum indigestumque placuit afferre : ne operis inordinata congeries rusticum quemdam tumultum perturbata vociferatione præberet. Sed quia nullus per prærupta conscensus est, nisi substratis paulatim gradibus feratur gressus ad summa; nos quoque quædam gradiendi initia ordinantes, arduum hoc intelligentiæ iter (*a*) clivo quasi molliore lenivimus non **15** jam gradibus incisum, sed planitie subrepente devexum, ut prope sine scandentium sensu, euntium proficeret conscensus.

21. *Quid contineat liber secundus.* — Post hunc enim primi hujus sermonis libellum, sequens ita sacramentum edocet divinæ generationis, ut baptizandi in Patre et Filio et Spiritu sancto non ignorent nominum veritatem, neque vocabulis intelligentiam confundant, sed unumquodque ita sensu concipiant, ut est ac nuncupatur; agnituri absolutissime in iis quæ dicta sunt, quod neque non ipsa veritas sit nominis, neque non nomen sit veritatis.

22. *Liber tertius.* — Post hunc itaque lenem ac brevem demonstratæ Trinitatis sermonem, tertius liber, etsi sensim, tamen jam proficienter incedit. Nam id, quod ultra humani sensus intelligentiam Dominus de se professus est, quantis potest potentiæ exemplis ad intelligentiæ fidem coaptat, dicens : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* x, 38) : ut quod ab homine per naturam hebetem non capitur, id (*b*) fides jam rationabilis scientiæ consequatur : quia neque non credendum de se Deo est, neque opinandum est, extra rationem fidei esse intelligentiam potestatis. C

23. *Liber quartus.* — Quartus deinde liber initium sui ex hæreticorum doctrinis auspicatur, se ipsum vitiis, quibus fides Ecclesiæ (*c*) infamatur, expurgans : ipsam illam perfidiæ expositionem a multis (*d*) non olim editam proferens, et subdole eos, ac per id impiissime, unum Deum ex lege defendisse convincens, omnibus legis ac prophetarum testimoniis ita demonstratis, ut sine Deo Christo unum Deum confiteri irreligiositas sit; et confesso unigenito Deo Christo, non unum Deum prædicare perfidia sit.

24. *Liber quintus.* — Quintus vero (1) tenuit eum responsionis ordinem, quem hæretici instituerant professionis. Namque cum unum Deum prædicare se secundum legem mentiti essent; unum quoque Deum verum ex eadem proferre se fefellerunt : ut (*e*) per exceptionem Dei et unius et veri, nativitatem Domino Christo adimerent; quia ubi nativitas est, ibi et intelligentia sit (*f*) veritatis. Nos autem iisdem B gradibus, quibus idipsum negabatur, docentes, nec duos deos, nec solitarium verum **16** Deum, sed Patrem verum Deum ita ex lege ac prophetis prædicavimus, ne aut unius Dei fidem corrumperemus, (*g*) aut nativitatem denegaremus. Sed quia, secundum illos, creato potiusquam nato nomen Dei Domino Jesu Christo deputaretur potius quam inesset; divinitatis veritas ita ex auctoritatibus propheticis demonstrata est, ut nos, Domino Jesu Christo Deo vero prædicato, intra intelligentiam unius Dei veri nativæ in eo divinitatis veritas contineret.

25. *Liber sextus.* — Sextus vero jam liber omnem hæreticæ assertionis fraudulentiam pandit. Namque ut dictis suis fidem facerent, damnantes dicta et vitia hæreticorum, Valentini scilicet et Sabellii et Manichæi et Hieracæ, pias Ecclesiæ prædicationes velamento professionis impiæ furati sunt : ut (2) correptis (*h*) in melius verbis irreligiosorum, et ambigua significatione moderatis, sub impietatis damnatione doctrinam pietatis exstinguerent. Sed nos singulorum dictis et professionibus demonstratis, sanctas Ecclesiæ prædicationes absolvimus, neque quidquam cum damnatis hæreticis commune eis esse permisimus, ut damnanda damnantes, sola venerabiliter sectanda sequeremur, filium Dei (*supple*, esse) Dominum Jesum Christum, quod maxime ab iis negabatur, per hæc docentes, dum de eo testatur Pater, dum de se

(1) Ms. Veron. *tenet;* ut paulo ante, *Quartus liber auspicatur*, etc.

(2) *Corruptis*, ibid.

(*a*) Hoc ad imitationem Plinii videtur dictum, qui D lib. VI, Epist. V : *Ita*, inquit, *leviter et sensim clivo fallente consurgit ut cum adscendere te non putes, sentias adscendisse.*

(*b*) Editi, excepto Par. cum unico ms., *fides tamen rationabili scientia consequatur.* Ratio hic subjicitur, cur fides dicatur *rationabilis scientia.* Rationabilis quidem est, quia ratio suadet credendum Deo : scientiam etiam habet, quia opinioni non relinquitur locus, cum per effectus intelligimus plus Deum posse, quam capiat humana ratio. Hinc male in vulgatis legebatur, *intelligentiæ potestatem*, pro *intelligentiam potestatis*, quod et magis perspicuum sit ex his l. III, num. 5 : *Sunt istiusmodi in Deo potestates, quarum cum ratio intelligentiæ nostræ incomprehensibilis est, fides tamen per veritatem efficientiæ in absoluto est.*

(*c*) In vulgatis, *infirmatur*, male : neque melius deinde apud Bad., Er. et Lips. *expugnans.*

(*d*) Pro *non olim*, substitutum est apud Lips. et Par. *jam olim.* renitentibus mss. necnon quod lib. VI, n. 3, dicitur, Arianam luem *proxime* emersisse. De hac perfida expositione dicemus libro IV.

(*e*) Solus ms. bas. Vat., *ut per professionem Dei.* Usum ac vim verbi *exceptio* cernere est infra n. 29, 33 et 34, ubi non solam professionem sonat, sed eam a cujus consortio quivis alius arceatur.

(*f*) Hoc est, ibi intelligitur possessio veræ naturæ ejus ex quo nativitas est. Nam vox *veritas* Hilario pro vera natura, ut jam sæpe vidimus, solemnis est.

(*g*) Editi, *aut nati veritatem* : male et renitentibus mss.

(*h*) Reponimus ex Telleriano codice et Pratel. *correptis* ; quod et in Remig. ac Theod. pridem secundis curis positum fuit ; cum aliis in libris legamus *corruptis.*

ipse profitetur, dum Apostoli prædicant, dum religiosi credunt, dum dæmones clamant, dum Judæi negantes fatentur, dum ignorantes intelligunt gentes ; ne jam (*id est*, ut non) ambigendum permitteretur, quod ignorandum non relinquebatur.

26. *Liber septimus. Sabellius, Hebion et Arius sese vincendo Ecclesiæ vincunt.*—Septimus deinceps liber, secundum perfectæ fidei gradum, susceptæ disputationis sermonem temperavit. Namque primum, per inviolabilis fidei sanam et incorruptam demonstrationem, inter Sabellium et Hebionem et hos non veri Dei prædicatores lite certavit, cur Sabellius subsistere ante sæcula negaret, quem creatum alii confitentur. Ignorabat enim Sabellius subsistentem Filium dum Deum verum operatum in corpore esse non ambigit. Hi autem negabant nativitatem, et affirmabant creaturam, dum opera ejus Dei veri esse opera non intelligunt. Lis eorum, fides nostra est. Nam dum filium negat (ideoque errat), in eo vincit Sabellius, **17** quod Deus verus (ut recte probat) operatus est : et Ecclesia eos, qui verum in Christo Deum negaverint, vincit. At vero cum subsistentem Christum ante sæcula hi adversus eum demonstrant semper operatum, de condemnato secum Sabellio nobis triumphant, Deum quidem verum (1) (*a*) sciente, sed Dei filium nesciente. Hebion autem ab utroque ita vincitur, ut hic (Arius) ante sæcula subsistentem, hic (Sabellius) verum Deum convincat operatum. Omnesque se invicem vincendo vincuntur : quia Ecclesia et contra Sabellium, et contra creaturæ prædicatores, et contra Hebionem, Deum verum ex Deo vero Dominum Jesum Christum, et ante sæcula natum, et postea hominem genitum esse testatur.

27. *Argumentum septimi libri.* — Nemini autem dubium est, congruum id maxime (2) pietati doctrinæ fuisse, ut quia ex lege et prophetis primum Dei filium, post etiam Deum verum cum sacramento unitatis prædicassemus ; rursum legem ac prophetas per Evangelia firmantes, primum ex his Dei filium, post etiam Deum (*b*) verum doceremus. Competentissimum itaque fuit, post nomen filii, veritatem ejus ostendere : quamquam, secundum communem sensum, (*c*) veritatis absolutionem nuncupatio filii obtineret. Sed ne quid, adversantibus unigeniti Dei veritati, occasionis ad fallendum et illudendum relinqueretur ; ipsam illam (*seu*, qua proprius Dei filius creditur) proprietatis fidem per divinitatis veritatem adstruximus : Deum esse eum, qui Dei filius non negaretur, his modis docentes, nomine, nativitate, natura, potestate, professione ; ne (ut non) aliud esset quam nuncuparetur, neque nuncupatio non nativitatis esset, neque nativitas naturam amisisset, neque natura non retinuisset potestatem, neque potestas non etiam conscia sibi veritatis professione notesceret. Causas ergo omnes singulorum generum ita ex Evangeliis excerptas subjecimus, ut nec professio tacuerit potestatem, nec potestas non exseruerit naturam, nec natura non suæ nativitatis sit, nec nativitas non sui nominis : ut per id non relinqueretur impietatis calumnia, cum Dei veri ex Deo vero divinitatem, secundum et nomen et nativitatem et naturam et potestatem, ipsa quoque Dominus Jesus Christus nativæ veritatis suæ protestatione docuisset.

28. *Octavus liber.* — Octavus jam vero liber, duobus superioribus **18** libris de Dei filio et Deo vero multum ad credentium fidem proficientibus, totus in unius Dei demonstratione detentus est ; non auferens filio Dei nativitatem, sed neque per eam duum deorum divinitatem introducens. Ac primum quibus modis hæretici veritatem Dei patris et Dei filii, quia negare non possent, tamen eludere niterentur, edocuit ; dissolvens ineptas eorum et ridiculas occasiones, quibus per id quod dictum est : *Multitudinis autem credentium erat* (*d*) *anima et cor unum* (*Act.* IV, 32) ; et rursum : *Qui plantat autem, et qui rigat, unum sunt* (I *Cor.* III, 8) ; et iterum : *Non pro his autem tantum rogo, sed et pro iis qui credituri sunt per verbum eorum in me : ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi sint in nobis* (*Joan.* XVII, 20, 21) : voluntatis potius et unanimitatis quam divinitatis asserunt veritatem. Sed nos hæc ipsa suis virtutibus pertractantes (*hoc est*, secundum vim verborum), fidem in se divinæ nativitatis continere ostendimus : et omnes dictorum dominicorum professiones revolventes, totum atque perfectum, ex apostolicis præconiis ac sancti Spiritus (*Vocis* sancti Spiritus, *quæ hic vis sit*, *videsis lib.* VIII, *n.* 23) proprietatibus, et paternæ et unigenitæ majestatis sacramentum docuimus : cum et in Patre Filius intellectus, et Pater in Filio cognitus, unigeniti Dei nativitatem, et perfecti in eo Dei (3) ostenderent veritatem.

29. *Liber nonus. Argumenta contra Christi divinitatem.* — Parum est autem, in rebus ad salutem maxime necessariis, sola ea ad satisfactionem fidei afferre, quæ propria sunt : quia plerumque (4) blan-

(1) *Scientes*, deinde *nescientes*.
(2) *Piæ doctrinæ* : fortasse melius.

(3) In superiore editione : *ostenderet*.
(4) *Blandiente sensu*.

(*a*) Editi et plerique mss. *scientes* ; et mox, *nescientes* : castigantur ex perantiquo ms. Colb. necnon Germ. ac vetustiore Remig. Quippe hæc de Sabellio dicuntur, non de Arianis. Tum duplex in Hebione error notatur : primus quo negat Christum ante Mariam, alter quo vult eum merum esse hominem.

(*b*) Vat. Bas. ms. *vivum verum* : et supra, *Deus vivus verus operatus est*.

(*c*) Hoc est, veram patris naturam vera filii nuncupatio manifeste obtineret : quibus declarat Hilarius se quasi ex abundanti ostensurum Filio naturam Patris esse, postquam ostendit ei filii nomen competere. Notanda vox *absolutio*, quæ illi valde familiaris est pro re certa et evidenti.

(*d*) Ita hunc locum exhibent constanter mss. Editi vero, *cor unum et anima una*.

dientes sensum (*a*) fallant dictorum nostrorum inexploratæ assertiones, nisi etiam propositionum adversarum demonstratæ inanitates, fidem nostram in eo ipso, quod ipsæ ridiculæ esse arguantur, affirment. Nonus itaque liber totus in (1) repellendis iis, quæ ad infirmandam unigeniti Dei (2) nativitatem ab impiis usurpantur, intentus est : qui dispensationis occulti a sæculis mysterii immemores, evangelica fide Deum atque hominem prædicari non recordentur. Namque cum Deum esse Dominum nostrum Jesum Christum, et similem Deo esse et æqualem ut Deum filium Deo patri, natum (3) ex Deo, et secundum nativitatis proprietatem in veritate Spiritus (*hoc est*, divinitatis) subsistere negant; his niti dictorum dominicorum professionibus solent : *Quid me dicis bonum? Nemo est bonus nisi unus Deus* (*Luc.* XVIII, 19); ut cum dici se bonum coarguat, et non nisi **19** bonum Deum unum esse testetur; et (*b*) extra bonitatem Dei sit, qui bonus est, et in Dei non sit veritate, qui unus est. Quibus dictis etiam hæc ad impietatis suæ argumenta connectunt : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3) : ut solum verum Deum confessus Patrem, nec verus ipse, nec Deus sit; quia solius Dei veri exceptio, significatæ proprietatis (*c*) non excedat auctorem. Non ambigue autem hoc ab eo dictum esse intelligendum, quia idem dixerit : *Non potest Filius facere ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* V, 19) : ut cum nihil nisi de exemplo operis possit operari, naturæ in eo intelligatur infirmitas; quia nequaquam sit omnipotentiæ comparandum, quod alienæ operationis subjectum est necessitati; et ratio intelligentiæ hoc suadeat, in omnibus a se posse et non posse, differre. Differre autem eo usque, ut de patre Deo hæc ita professus sit : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28) et (4) cesset in professione absoluta adversandi calumnia; quia impiæ vesaniæ sit honorem ac naturam Dei tribuere abnuenti. Omni autem modo in tantum eum a proprietate veri Dei abesse, ut etiam testatus hæc fuerit : *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli in cœlis,* (*d*) *neque Filius, nisi Pater solus* (*Marci* XIII, 32) : ut cum Filius nesciat quod Pater solus sciat, longe alienus sit nesciens a sciente; quia natura ignorationi obnoxia, non sit ejus virtutis et potestatis, quæ a dominatu ignorationis (5) excepta sit.

30. *Argumentis respondetur.* — Hæc itaque, corrupto depravatoque sensu, impiissime ita intellecta esse monstrantes, omnes dictorum causas ex his ipsis vel interrogationum vel temporum vel dispensationum generibus attulimus, causis potius verba subdentes, non causas verbis deputantes : ut cum a se dissideat, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); et, (6) *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); neque idem sit, *Nemo bonus est, nisi unus Deus* (*Luc.* XVIII, 19); et, (*e*) *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); vel certe tanta a se diversitate contraria sint : *Pater, omnia tua mea sunt, et mea tua* (*Joan.* XVII, 10); et (*f*), *Ut cognoscant te solum verum Deum* (*Ibidem*, 3); vel illud, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 11); et, *De die autem* (*g*) *et hora nemo scit, neque angeli in cœlis, neque Filius, nisi Pater solus* (*Marc.* XIII, 31). Intelligantur in singulis et dispensationum prædicationes, **20** et consciæ potestatis naturalis professiones : et cum idem sit dicti auctor utriusque, demonstratis tamen virtutibus generum singulorum (naturarum singularum quæ sunt in Christo), non pertineat ad contumeliam veræ divinitatis, quod ad sacramentum fidei evangelicæ sub dispensatione et causæ et temporis et nativitatis et nominis prædicatur.

31. *Liber decimus. Quædam Scripturæ verba hæreticis specie tenus faventia.* — Decimi vero libri eadem est ratio, quæ fidei. Nam quia ex passionis genere et professione quædam per stultæ intelligentiæ sensum ad contumeliam divinæ in Domino Jesu Christo naturæ virtutisque rapuerunt; ea ipsa demonstranda fuerunt, et ab his impiissime intellecta esse, et a Domino ad protestationem veræ et perfectæ in se majestatis esse memorata. Namque his sibi dictis, ut religiose impii sint, blandiuntur : *Tristis est anima mea*

(1) *Refellendis.*

(2) Potior videtur nostri codicis lectio : *divinitatem.* Nam profecto in nono libro contra adversariorum conatus veram Filii *divinitatem* potissimum tuetur : quæ tamen nonnisi ex *nativitatis* suæ natura sibi est. Atque hæreticorum objecta omnia, quæ diluit Hilarius, ad infirmandam Filii divinitatem collimant.

(3) In anteriore editione : *natum et Deo.*

(4) Ms. noster : *necesse est in professione absoluta adversandi calumnia videatur.* Rectius quam in Erasmiana, cæterisque : *et cesset in*, etc.

(5) *Excerpta sit.*

(6) Hic a codice Veron. interponitur *iterum;* sicut et mox ante verba : *Qui me vidit*, etc., atque inferius ante verba : *De die.*

(*a*) Aliquot mss. *blandiente sensu :* et mox *in refellendis*, pro *in repellendis.* Nemo porro non videt vocabulum *sensum* ad *fallant*, non ad *blandientes*, esse referendum.

(*b*) Id est, et non sit consors bonitatis illius, qua Deus singulariter bonus est, etc.

(*c*) Hoc est, intra Patrem prorsus contineatur atque concludatur quod illius proprium esse significatum est, nec ab eo exeat, ut ulli alteri communicetur.

(*d*) In cod. Vat. bas. hic et infra, *neque filius hominis.* Abest vox *hominis* a cæteris, non hoc solum libro, sed et nono, eaque sublata locus allatus prima fronte plus Arianis favet.

(*e*) Hic et deinceps editi juxta Vulgatam, *qui me videt.* At meliores mss. constanter juxta græcum textum cæterosque Patres Hilario æquales, *Qui me vidit, vidit.*

(*f*) In vulgatis hic, *et iterum;* ac paulo post, *et iterum de die.* Utroque in loco abest vox *iterum* castigatioribus mss. et abesse debet : non enim hic congeries est testimoniorum in unam rem collectorum, sed quatuor loci quatuor aliis oppositi.

(*g*) Ex meliorum mss. consensu expuncta est hic vox *illa*, quamvis exstet superiori numero. Sic lib. IX, n. 2, eadem exprimitur, reticetur vero n. 57, ut et in ps. CXLII, n. 2.

usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38); ut longe a beatitudine atque incorruptione Dei sit, in cujus animam dominans metus tristitiæ imminentis inciderit : qui etiam usque ad hanc precem consternatus fuerit passionis necessitate : *Pater, si possibile est, transeat calix iste a me* (*Ibidem*, 39) : et sine dubio timere (1) videretur (*a*) perpeti, quod ne pateretur oraverit ; quia patiendi trepidatio causam attulerit deprecandi : in tantum vero infirmitatem ejus obtinuerit vis doloris, ut in ipso crucis tempore diceret : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? qui etiam usque ad querelam desolationis suæ, passionis acerbitate commotus, auxilii inops paterni, spiritum in hac voce emiserit cum dixit : *Pater, commendo in manus tuas spiritum meum* (*Luc.* XXIII, 46) ; et exhalandi spiritus trepidatione turbatus (2) tuendum hunc (*b*) Deo patri commendaverit; quia commendationis necessitatem desperatio securitatis exegerit.

32. *Alia iis opponuntur.* — Sed stultissimi atque impiissimi homines, non intelligentes nihil contrarium in rebus iisdem ab eodem dictum fuisse, verbis tantum inhærentes, causas ipsas dictorum reliquerunt. Nam cum longe multumque diversum sit, *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38); et, *Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis* (*c*) (*Ibidem*, 64) ; neque idipsum sit, *Pater, si possibile est, transeat calix iste a me* (*Ibidem*, 39) ; et illud, *Calicem quem dedit mihi Pater meus, non bibam eum* (*Joan.* XVIII, 11)? longeque diversum sit : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Matt.* XXVII, 46)? **21** (3) ab eo : *Amen dico tibi, hodie meum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43) : (4) multum quoque dissentiat : *Pater, commendo in manus tuas spiritum meum* (*Ibid.* 46) ; et illud, *Pater, remitte illis, quia quod faciunt nesciunt* (*Ibidem*, 34) : ad impietatem (*d*) reciderunt divinorum dictorum incapaces. Et cum non conveniat trepidationi et libertati, festinationi et excusationi, querelæ et adhortationi, diffidentiæ et intercessioni, divinæ professionis naturæque immemores, ad argumentum impietatis suæ, dispensationis gesta et dicta tenuerunt. Itaque nos demonstratis omnibus, quæ in sacramento et animæ et corporis Domini Jesu Christi sunt, (*e*) nihil inexploratum, nihil tacitum (5) dereliquimus : sed dictorum omnium pacificam intelligentiam singulis quibusque causarum generibus coaptantes, nec trepidare fiduciam, nec evitare voluntatem, nec conqueri securitatem, nec commendationem sui orantem, aliis veniam desiderasse monstravimus : fidem dictorum universorum absoluta evangelici mysterii prædicatione firmantes.

33. *Liber* XI *alia hæreticorum argumenta refellit.* — Igitur quia desperatissimos homines ne ipsa quidem resurrectionis gloria intra religionis intelligentiam edoctos cohibuit, sed aut per dignationis professionem, impietatis suæ arma sumpserunt, aut (*f*) sacramenti revelationem ad Dei contumeliam transtulerunt : ut per id quod dictum est, *Adscendo ad patrem meum et ad patrem vestrum* (6), *ad Deum meum et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17), dum communis nobis atque ipsi et Pater pater est, et Deus Deus est, extra exceptionem veri Dei sit in professione communi, eumque sicuti nos et creationis necessitas creatori Deo subdat, et adoptio assumat in filium ; jam vero nulla in eo divinæ naturæ proprietas existimanda sit, secundum Apostoli dictum, *Cum autem dixerit, Omnia* (*g*) *subjecta sunt, præter eum qui subjecit ei omnia ;* (7) (*h*) *cum enim fuerint subjecta ei omnia, tunc et ipse subjicietur ei qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 27, 28). Quia subjectio et infirmitatem subjecti protestetur, et dominantis significet potestatem : in his quoque cum summa religionis demonstratione tractandis liber undecimus occupatur, **22** etiam ex his ipsis dictis apostolicis demonstrans, non modo non ad divinitatis infirmitatem subjectionem proficere, sed per eam ipsam (*supple*, subjectionem) veritatem Dei, (8) quia (*i*) ex Deo sit natus, ostendi : et per id, quod sibi ac nobis et Pater pater est et Deus Deus est, nobis multum acquiri, et ei nihil detrahi ; cum scilicet homo natus, et universis carnis nostræ passionibus functus, ad Deum et Patrem nostrum, (*j*) ut homo noster in Deum glorificandus adscenderet.

(1) *Videtur.*
(2) *Tum eumdem.*
(3) In superiore editione pro *ab eo*, ut legit Erasmus quoque, habebatur, *aut illud :* mendose.
(4) *Multumque.*
(5) *Derelinquimus.*
(6) *Et ad Deum.*
(7) Verba, quæ P. Custantius hic adnotat prætermitti a pluribus optimæ notæ codicibus, et a nostro prætermittuntur.
(8) *Qui ex Deo.*

(*a*) In vulgatis, *videtur*. Melius *videretur* in plerisque mss. Hæc enim, ut superiora atque subsequentia, uno tenore proferuntur ex sententia adversariorum.

(*b*) Remigianus codex vetustior, *tum eumdem hunc.*

(*c*) Additur *Dei* in vulgatis ; quæ vox neque in ms. exstat, nec in græco textu.

(*d*) In uno e mss. Colb. *recesserunt.*

(*e*) Removimus hinc verba, *ad sacramenti religionem*, quæ non reperimus nisi in uno ms. recentiore Colb. et supervacanea videntur : cum declaret Hilarius simpliciter se singula adversariorum objecta diluisse, nullum dissimulasse.

(*f*) Bad. et Er. cum uno ms. Colb. *sacramentum revelationis*. Lips. et Par. *sacramenti revelationes*. Vat. bas. ms. *sacramenti religionem*. Verius alii, *sacramenti revelationem*, scil. Verbi in carne manifestationem, quod juxta Apostolum sacramentum est a sæculis absconditum.

(*g*) Editi hic adjiciunt pronomen *ei*, quod lib. XI omittunt. Utroque in loco sibi constant mss.

(*h*) Verba, *cum enim fuerint subjecta ei omnia*, hic plures probæ notæ mss.; libro autem XI, n. 8 et 22, omnes omittunt.

(*i*) In mss. Vat. bas. aliisque potioribus, *qui ex Deo sit natus :* non alio sensu. Contendit porro Hilarius Filium ideo subjectum, quia natus sit ; inde vero quod natus ex Deo sit, veram Dei naturam obtinere.

(*j*) Aut hic supplendum verbum *adscenderit*, quo

34. *Liber* XII *Arianam hæresim apertius expugnat. Filium Dei ita natum esse ut semper fuerit.* — Quod autem in omni genere doctrinarum observari semper meminimus, ut si qui diu tenui primum exercitatione (1) longoque usu humilioris studii fuerint eruditi, tum jam ad rerum ipsarum, quibus imbuti sunt, experimenta (2) mittantur; ut cum jam bene luserint bella militaturi, in militiam protrahantur; aut cum forenses lites (*a*) scholaris materiæ tentaverint, tunc mittantur ad tribunalium pugnas; aut cum in stagnis domesticis navim nauta intrepidus instruxerit, tunc magni et peregrini maris committatur procellis : id ipsum nos in hac maxima et gravissima totius fidei intelligentia facere curavimus. Namque cum antea a levibus initiis de nativitate, de nomine, de divinitate, de veritate fidem teneram imbuissemus, ac leni profectu etiam usque ad evellendas omnes hæreticorum occasiones, legentium studia extulissemus; tum eos jam ad ipsam palæstram gloriosi certaminis magnique produximus : ut in quantum ad æternæ (*b*) nativitatis complectendam intelligentiam humana mens communis sensus opinione deficitur, in tantum studiis divinis ad sentienda ea, quæ ultra naturæ nostræ opinionem sunt, niterentur; quæstionem hanc maxime dissolventes, quæ sæcularis sapientiæ (*c*) hebetudine invalescens, de Domino Jesu ratione se putet dicere : *Erat quando non erat*, et, *Non fuit ante quam nasceretur*, et, *De non exstantibus factus est :* ut quia nativitas eam videatur afferre causam, ut esset qui non erat, et cum non exsisteret nasceretur; per id quoque unigenitum Deum sensui temporum subdant : (quasi vero non fuisse eum aliquando, fides ipsa et **23** ratio nativitatis ostendat) atque ideo ex eo quod non fuit, natum esse dicant, quia nativitas præstet esse quod non fuit. Sed nos apostolicis atque evangelicis testimoniis semper Patrem, semper Filium prædicantes, non post aliqua Deum omnium, sed ante omnia esse docebimus : neque incidere in eum irreligiosæ hujus intelligentiæ temeritatem, ut de non exstantibus nasceretur, et non fuerit ante quam natus sit; sed ita semper fuisse, ut et natum prædicemus; ita vero natum esse, ut semper fuisse manifestemus : sitque in eo non innascibilitatis exceptio, sed nativitatis æternitas; quia et nativitas auctorem habeat, neque careat æternitate divinitas.

35. *Exponuntur verba :* Dominus creavit me, *etc.*— probet Hilarius nobis multum acquiri; cum Christus adscenderit, *ut homo noster glorificandus in Deum adscenderet* : quo modo superius, n. 11, dixit, *Verbum Deus caro factum est, ut per Deum Verbum carnem factum caro proficeret in Deum Verbum.* Aut sequens particula *ut* non est causativa, sed illud *ut homo noster*, perinde est ac, *tamquam homo nostræ naturæ :* quod qui malet, mox pro *adscenderet*, legendum ei *adscenderit;* aut certe cum Carnutensi codice *adscendit.*

(*a*) Ita plures mss. Alii vero cum vulgatis, *scholares.*

Et quia dicti prophetici inscii, et cœlestis doctrinæ imperiti (3) sunt; corrupto sensu ac proprietate sententiæ creatum esse per id Deum potius quam natum affirmare nituntur, quia dictum est, *Dominus creavit me* (4) *in initium* (*d*) *viarum suarum in opera sua* (*Prov.* VIII, 22); ut sit ex communi creationum natura, licet sit præstantior in genere creationis; neque in eo sit gloria divinæ nativitatis, sed virtus potentis creaturæ. Verum nos nihil novum, nihil extrinsecus præsumptum afferentes, ipso illo Sapientiæ testimonio veritatem dicti rationemque præstabimus, neque ad nativitatis divinæ et æternæ intelligentiam trahi posse, quod in initium viarum Dei et in opera sit creatus, quia non idem sit in hæc creatum esse, et ante omnia natum esse : cum ubi nativitatis significatio est, sola nativitatis professio est; ubi vero creationis est nomen, ibi causa ejusdem creationis anterior est : et cum ante omnia sit nata Sapientia, tamen quia etiam in res aliquas sit creata, non idipsum sit id quod ante omnia est, et quod cœpit esse post aliqua.

36. *Liber* XII *quæ de Spiritu sancto confitenda sunt aperit.* — Dehinc consequens visum est, creationis nomine a fide, quæ nobis de unigenito Deo est, repudiato, ea quoque quæ confessioni sancti Spiritus congrua ac religiosa essent, docere : ut jam confirmatis longo anteriorum libellorum diligentique tractatu, nihil de totius fidei absolutione deesset, cum amotis vitiosarum prædicationum etiam de opinione Sancti Spiritus irreligiositatibus, illæsum atque incontaminatum regenerantis Trinitatis sacramentum intra definitionem salutarem apostolica atque evangelica auctoritas contineret : neque jam per sensus humani sententiam Spiritum Dei inter creaturas quisquam auderet referre, quem ad immortalitatis pignus, et ad divinæ incorruptæque naturæ consortium sumeremus.

24 37. *Gratia ad recte scribendum necessaria imploratur.* — Ego quidem hoc vel præcipuum vitæ meæ officium debere me tibi, Pater omnipotens Deus, conscius sum, ut te omnis sermo meus et sensus loquatur. Neque enim ullum aliud majus præmium hic ipse usus mihi a te concessus loquendi potest referre, quam ut prædicando te tibi serviat, teque quod es, patrem, (5) patrem scilicet unigeniti Dei, aut ignoranti sæculo, aut neganti hæretico demonstret. Et in

(1) *Longo quoque.*
(2) *Mittuntur*, mox *protrahuntur.*
(3) *Sunt* abest a Veronensi exemplari.
(4) *Me initium.*
(5) Veronensis *patrem* non geminat.

(*b*) In ms. Vat. bas. *divinitatis :* corrupte. Mox in aliquot aliis, *deficit*, pro *deficitur :* ex scioli temeritate. Ita enim apud Ciceronem, *Mulier abundat audacia, consilio et ratione deficitur.*

(*c*) Veteres libri *hebitudine* : ex quo in uno Remig. prave confectum est *habitudine.*

(*d*) Bad., Er. et Lips. *initium*, sine *in*, consentientibus aliquot antiquis libris cum LXX. At particulam *in* addendam esse liquet tum ex subnexis, tum ex lib. XII, n. 35. Unde in ms. bas. Vat. et aliis legitur, *in initio.*

hoc quidem tantum voluntatis meæ professio est : A cæterum auxilii et misericordiæ tuæ munus orandum est, ut extensa tibi fidei nostræ confessionisque vela flatu Spiritus tui impleas, nosque in cursum prædicationis initæ propellas. Non enim nobis infidelis sponsionis istius auctor est, dicens : *Petite, et dabitur vobis ; quærite, et invenietis ; pulsate, et aperietur vobis* (*Luc.* XI, 9). Nos quidem inopes ea quibus egemus precabimur, et in scrutandis prophetarum tuorum apostolorumque dictis studium pervicax afferemus, et omnes obseratæ intelligentiæ aditus pulsabimus : sed tuum est, et oratum tribuere, et quæsitum adesse, et patere pulsatum. Torpemus enim quodam naturæ nostræ pigro stupore, et ad res tuas intelligendas intra ignorantiæ necessitatem ingenii nostri imbecillitate cohibemur : sed doctrinæ tuæ studia ad B sensum nos divinæ cognitionis (1) instituunt, et ultra naturalem opinionem fidei (*a*) obedientia provehit.

58. Exspectamus ergo ut trepidi hujus cœpti exordia incites, et profectu accrescente confirmes, et ad consortium vel prophetalis vel apostolici spiritus voces : ut dicta eorum non alio quam ipsi locuti sunt sensu apprehendamus, verborumque proprietates iisdem rerum significationibus exsequamur. Locuturi enim sumus, quæ ab iis in sacramento prædicata sunt, te æternum Deum, æterni unigeniti Dei patrem : et unum te sine nativitate, et unum Dominum Jesum Christum ex te nativitatis æternæ, non in (*b*) deorum numerum veritatis diversitate referendum : neque non ex te genitum, (*c*) qui Deus unus C es, prædicandum ; neque aliud quam Deum verum, qui ex te (2) Deo vero patre natus est, confitendum. Tribue ergo nobis verborum significationem, intelligentiæ lumen, dictorum honorem, veritatis fidem : et præsta, ut quod credimus, et loquamur ; scilicet, ut contingat nobis, unum te Deum patrem et unum Dominum Jesum Christum de Prophetis atque Apostolis cognoscentibus, nunc adversum negantes hæreticos, ita (*d*) Deum et te celebrare, ne solum ; et cum prædicare, ne falsum.

25-26 LIBER SECUNDUS.

De veritate Trinitatis generatim, et de singularum personarum dignitate et officio nominatim disserit. Ac primo quidem declarat Hilarius tanti mysterii D *notitiam in baptismo traditam sufficere. Tum de hæresum origine, deque hæreticis Trinitatis fidem infestantibus pauca prælocutus, ad scribendum de tam reconditis rebus invitum se ac trementem adduci pluribus protestatur. Hinc ubi aperuit de Patre quid sentiat, verbis rem ut est non satis explicari ostendit. Deinde quid sit quidve non sit Filius exponit ; et arguit eos, qui inique ferunt se generationis illius sacramentum capere non posse ; cum tot aliis in rebus, etiam suis, æquanimiter imperiti sint. Hanc vero inenarrabilem Filii Dei generationem sapientibus sæculi, scribis legis, et hæreticis ignoratam, divina illius natura prius paucis demonstrata, verbis Piscatoris explicat.*

Postea fidem Scripturis fundatam commendans, eam medicamento comparat medendis omnibus morbis idoneo, idque confirmat allatis Scripturæ testimoniis, quibus Sabellii simul et Hebionis Arianorumque commenta debellantur. Non tacet quædam de Christo in Scripturis memorari, quæ Deo indigna videantur ; sed in iis ipsis, quæ humani generis causa pertulisse narratur, ostendit non deesse potestatis ac dignitatis signa, quibus eum vere Deum esse doceamur.

Tandem Spiritum sanctum existere a Patre et Filio distinctum probat, et eorum scrupulum levat, qui hoc aut ignorant aut ambigunt, quia Spiritus *voce Patrem aut Filium frequenter intelligi videant. Præterea demonstratur Spiritus sancti divina natura, officium, quam necessarium nobis sit illius donum, quove studio promerendum.*

1. *Quod sufficiat Trinitatis notitia in baptismo tradita.* — Sufficiebat credentibus Dei sermo, qui in aures nostras Evangelistæ testimonio cum ipsa veritatis suæ virtute transfusus est, cum dicit Dominus : *Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia quæcumque* (*e*) *mando vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 19, 20). Quid enim (3) in eo de sacramento (*f*) salutis humanæ non continetur ? aut quid est, quod sit reliquum aut obscurum ? Plena sunt omnia ut a pleno ,(4) et a perfecto perfecta (*g*). Nam et verborum significationem, et efficientiam rerum, et negotiorum ordinem, et naturæ intelligentiam comprehendunt. Baptizare jussit *in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, id est, in confessione et auctoris, et (*h*) unigeniti, et doni. Auctor unus est omnium. Unus est enim Deus Pater, ex quo omnia ; et unus Unigenitus Dominus noster

(1) *Instruunt.*
(2) In nostro ms. supprimitur vox *Deo.*

(3) *In eodem Sacramento.*
(4) *Et perfecto profecta.*

(*a*) In cod. Vat. bas. *obedientiam protrahunt*, male. Quomodo autem fides nos provehat ad id, quod naturalis sensus non attingit, superius jam observatum.

(*b*) Vetustus codex Colb. cum Germ. uti præmonuimus, num. 11, *non in duorum numerum.*

(*c*) Ms. Vat. bas., *quia Deus.* Mox Carn. et nonnulli alii, *neque in aliud* ; postea, ubi *ex te Deo vero patre*, abest *Deo* a plerisque mss.

(*d*) In vetusto codice Colb. *ita et Deum te.* Melius alii ita *Deum* collocant, ut hæc vox et ad *te* et ad *eum* æque referatur. Mox in Carnut. et aliis, *nec solum, nec falsum :* minus sincere. Hoc enim sibi vult : ita et te celebrare Deum, ut non solitarium credamus, et eum prædicare Deum, ut non falsum cogitemus. Tum in Corb. adjicitur clausula *Amen.*

(*e*) Editi, *mandavi :* reluctantibus mss.

(*f*) Ita mss. antiquiores Colb., Carn., Germ., etc. Alii cum vulgatis, *in eodem sacramento.*

(*g*) Mss. bas. Vat., Carnut. cum paucis aliis, *et perfecto profecta.*

(*h*) Duo mss. Colb. et Germ. *unigeniti Dei.*

Jesus Christus, per quem omnia; (1) et unus Spiritus, donum in omnibus. Omnia ergo sunt suis virtutibus ac meritis ordinata : (*a*) una potestas (2) ex qua omnia, una progenies per quam omnia, perfectæ spei munus unum. Nec deesse quidquam consummationi tantæ reperietur, intra quam (*b*) sit, in Patre et Filio et Spiritu sancto, infinitas in æterno , species in imagine, usus in munere.

2. *Plura de ea disserere cogit hæreticorum vitium.* —Sed compellimur hæreticorum et blasphemantium **27** vitiis, illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere. Et cum sola fide expleri quæ præcepta sunt oporteret, (3) (*c*) adorare videlicet Patrem, et venerari cum eo Filium, sancto Spiritu abundare ; cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea quæ inenarrabilia sunt extendere, et invitium vitio coartamur alieno : ut quæ (*d*) contineri religione mentium (4) oportuissent, nunc in periculum humani eloquii proferantur.

3. *Hæresis e Scriptura perperam intellecta nascitur.* —Exstiterunt enim plures, qui cœlestium verborum simplicitatem pro voluntatis suæ sensu, non pro veritatis ipsius absolutione susciperent, aliter interpretantes quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de Scriptura est : et (*e*) sensus, non sermo fit crimen. Numquid corrumpi veritas potest? Cum patris nomen auditur, numquid natura filii non continetur in nomine ? Numquid Spiritus Sanctus non erit, qui nuncupatur ? Neque enim in Patre potest non esse quod pater est, neque in Filio deesse quod filius est, neque in Spiritu sancto non exstare quod sumitur. Sed homines (*f*) mente perversi omnia confundunt et implicant, et usque ad naturæ demutationem sensus sui perversitate contendunt ; ut quod Pater est Patri adimant, dum volunt Filio auferre quod filius est. Adimunt autem, (*g*) quando cum his non de natura (5) sit filius. Non ex natura autem est, quando non eadem in se habet ortus (6), et generans. Neque enim filius est, cui alia ac dissimilis erit a patre substantia. Pater autem quomodo erit, si non quod in se substantiæ atque naturæ est (7), genuerit in filio (*h*)?

4. *Hæreticorum doctrinæ novæ, Sabellii, Hebionis, Arianorum, Pneumatomachorum.* — Hæc igitur licet mutare de eo quod sint nullo modo possint, afferunt tamen doctrinas **28** novas et humana commenta : ut Sabellius Patrem extendat in Filium, idque nominibus potius confitendum putet esse quam rebus, cum ipsum sibi Filium, ipsum proponat et Patrem ; ut Hebion omne initium (8) (*i*) filio Dei ex Maria

(1) *Et unum Spiritus donum.*
(2) *Ex quo.* Subinde *per quem.*
(3) In nostro intrusa sunt verba, *personis ac rebus.*
(4) *Oportuisset.*
(5) *Sit* reposuimus ex ms. nostro pro *fit* : sequitur enim velut id ipsum resumens, *Non ex natura autem est.*
(6) *Natus et generans.*
(7) Ita in libro nostro ; in anteriore editione, *agnoscat.*
(8) Absunt verba, *filio Dei.*

(*a*) Apud Bad., Er. et Lips. et in recentiore ms. Colb. *una potestas innascibilis :* glossema.

(*b*) Er. *intra quam non sit :* perperam addita particula negante et renitentibus mss. Mox pro *infinitas in æterno*, Aug., lib. VI de Trinit. c. 10, legit, *æternitas in Patre.* Quam ille hujus loci explicationem ibidem cum Hilarii laude subjicit, potest quisque commode consulere, et longum esset huc adsciscere. Nec dubium est referri *intra quam* ad consummationem, idque dictum esse vel de consummata ac perfecta Patris et Filii et Spiritus sancti prædicatione, vel etiam de hominis spe, ad cujus beatitudinem nihil desiderandum sit, utpote cui in Patre æterno promittatur beatitudinis infinitas ; in Filio, qui pulcherrima ac numeris omnibus absoluta Patris imago est, id præstandum sit quo præclarius atque jucundius nihil sub adspectum cadere possit ; in Spiritu sancto, qui Patris et Filii donum ac munus est, utriusque sit impertienda fruitio. Quamvis enim Theologi post Augustinum verba *uti* ac *frui* distinxerint, et usum retulerint ad res creatas, fruitionem ad Creatorem ; hanc tamen distinctionem ignoravit Hilarius, qui etiam respectu Dei verbum *uti* indifferenter adhibet ; v. g. in Psal. II, n. 15 : *In sensum nos atque usum beatæ suæ bonitatis assumit ;* et n. 16 : *Qui nos per benevolentiam utendæ beatitudinis suæ creasset... per spem promerendæ et utendæ bonitatis suæ*, etc. Denique cum. lib I, n. 36, docet Spiritum sanctum inter creaturas referre nefas esse, *quem ad immortalitatis pignus et ad divinæ incorruptæque naturæ consortium sumeremus*, satis declarat quid hic sibi velit *usus in munere*, nimirum Spiritum sanctum esse Patris et Filii munus, cujus beneficio immortalitatis pignus et divinæ incorruptæque naturæ consortium sumimus. Ex hac explicatione ruere putamus opinionem Erasmi, cui lapsus videbatur Hilarius, quod cum græce forsitan legisset τὴν χρηστότητα sive τὸ χρηστόν, verterit *usus in munere*, quamvis ea vocabula *bonitatem, comitatem et suavitatem* magis sonent. Sed divinat Hilarium e Græcis sua verba esse mutuatum : et perperam vult antiquos nostris verbis de Spiritus sancti proprietate locutos esse.

(*c*) Apud Bad., Er. et in mss. Remig., Corb., Pratel. et aliis ante, *adorare* præfixum est *personis et rebus*, quod rectius abest ab antiquioribus libris.

(*d*) In duobus vetustis mss. Colb. ac Germ. *confiteri.*

(*e*) In ms. Vat. bas., *sensui, non sermoni :* corrupte. Hilarium imitatur Ambrosius lib. II de Fide c. 1, ubi habet : *Apices sine crimine sunt, sensus in crimine.* Similis est alter locus lib. II ad Const. n. 9, ubi de hæreticis primo ponitur, *Omnes Scripturas sine sensu Scripturæ loquuntur ;* ac deinde subjicitur : *Scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo, neque in prævaricatione sunt, sed in charitate.* Hinc autem, ut lib. VII, n. 4, explicatur, maxime oritur prava illa intelligentia, *dum quod legitur, sensui potius* (præconcepto) *coaptatur, quam lectioni sensus obtemperat.*

(*f*) Abest *mente* ab antiquioribus libris. Tum. Vat. bas. codex habet, *perverse :* Carnut., *per se.*

(*g*) Particulam *quando* a Lipsio præter fidem veterum librorum expunctam restituimus. Mox apud Bad., Er. et Par. *sit filius.* At in potioribus mss. fit *filius :* non male. Hoc enim loquitur Hilarius ex sententia Arianorum, qui Filium factum volebant. Quippe particula *cum*, pro *secundum*, ipsi valde familiaris est.

(*h*) Ms. Carnut. a secunda manu antiqua, *genuerit in Filio :* quæ deinde lectio in recentioribus mss. necnon apud Bad., Er. et Lips. obtinuit.

(*i*) Hæc verba *filio Dei* non exstant in vetustis

concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine Deum proferat; neque subsistens antea quod in principio apud Deum erat Deus Verbum virgo (*a*) susceperit, sed carnem genuerit per verbum; quia in Verbo antea (*b*), non existentis unigeniti Dei naturam dicat, sed sonum vocis elatum : ut aliqui hujus nunc temporis prædicatores, qui ex nihilo atque a tempore formam et sapientiam et virtutem Dei provehunt; ne si ex Patre sit Filius, Deus sit imminutus in Filium; solliciti nimium, ne Patrem Filius ab eo natus evacuet : atque idcirco Deo in filii creatione subveniant, eum ex non exstantibus comparando, ut intra naturæ suæ perfectionem Pater, quia nihil ex eo sit genitum, perseveret. Jam vero quid mirum, ut de Spiritu sancto diversa (*c*) sentiant, qui in largitore ejus creando, et demutando, et abolendo tam temerarii sint auctores? atque ita dissolvant perfecti hujus sacramenti veritatem, dum (*d*) substantias diversitatum in rebus tam communibus moliuntur : Patrem negando, dum Filio quod est filius adimunt; Spiritum sanctum (1) negando (*e*), dum et usum et auctorem ejus ignorant. Ita et imperitos perdunt, dum rationem prædicationis hujus affirmant; et audientes fallunt, dum naturam nominibus adimunt, quia nomina non possunt auferre naturæ. Prætermitto reliqua humani periculi nomina, Valentinos, Marcionitas, Manichæos pestesque cæteras, quæ interdum imperitorum mentes occupant, et ipso contagio conversationis **29** inficiunt : fitque omnium lues una, dum in audientium sensum prædicantium morbus infunditur.

5. *De divinis sermonem quam ægre ac tremens instituat Hilarius.* — Horum igitur infidelitas in anceps nos (*f*) ac periculum protrahit, ut necesse sit de tantis ac tam reconditis rebus aliquid ultra præscriptum cœleste proferre. Dixerat Dominus baptizandas gentes, *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Forma fidei certa est : sed quantum ad hæreticos omnis (2) sensus incertus est. Ergo non præceptis aliquid addendum est, sed modus est constituendus audaciæ : ut quia malignitas instinctu diabolicæ fraudulentiæ excitata veritatem rerum per naturæ nomina eludit, nos (3) naturam nominum proferamus; et editis, prout in verbis habebimus, dignitate atque officio Patris, Filii, Spiritus sancti, non frustrentur naturæ proprietatibus nomina, sed intra naturæ significationem nominibus coartentur. Et nescio quid de his rebus aliter sentientibus animi sit, veritatem corrumpentibus, tenebras (4) luci inferentibus, insecabilia desecantibus, incorrupta scindentibus, indivisa partientibus. (*g*) Quibus si (5) tantum factu facile est perfecta concerpere, jus ponere potestati, modum circumscribere infinito : mihi certe his respondenti in curis æstus est, in sensu labes (*f.* tabes) est, in intelligentia stupor est; in sermone autem non jam infirmitatem, sed silentium confitebor. Et certe mihi extorquetur hoc velle, dum et audaciæ resistitur, et errori consulitur, et ignorantiæ providetur. Immensum est autem quod exigitur, incomprehensibile est quod audetur; ut ultra præfinitionem Dei, sermo de Deo sit. Posuit naturæ nomina, Patrem, Filium, Spiritum sanctum. Extra significantiam sermonis est, extra sensus intentionem, extra intelligentiæ conceptionem, quidquid ultra (6) quæritur, non enuntiatur, non attingitur, non tenetur. Verborum significantiam rei ipsius natura consumit, sensus contemplationem imperspicabile lumen obcæcat, intelligentiæ **30** capacitatem quidquid fine nullo continetur excedit. Sed nos necessitatis hujus ab eo, qui hæc omnia est, veniam deprecantes, audebimus, quæremus, loquemur : et, quod solum in tanta rerum quæstione promittimus, ea quæ erunt significata credemus.

6. *Patris notio.* — Pater est, ex quo omne quod est (7) constitit (*h*). Ipse in Christo et per Christum

(1) *Nesciendo.*
(2) *Omnes.*
(3) *Naturas nominum.*
(4) *Lumini.*
(5) Abest *tantum.*
(6) *Quæretur.*
(7) *Consistit.*

mss. Vat. bas. Colb., Carn., etc. Deinde illud, *non ex Deo hominem*, etc., id est, nolit Christum, cum prius Deus esset, factum esse hominem, sed postea quam factus est homo, evasisse Deum. Ad plurium locorum intelligentiam juverit hanc particulæ *ex* vim annotare.

(*a*) Edit. *in carne susceperit.* Expunctum est *in carne* auctoritate mss.

(*b*) Supple, *quam Maria genuerit carnem.* Hoc porro sibi vult, Hebionem *verbi* nomine, ante quam Maria genuerit, intelligere externum vocis sonum, non existentis seu subsistentis unigeniti Dei naturam. Hinc rectius cum mss. *antea non*, quam cum vulgatis *non antea* hic legere est.

(*c*) Editi ex unico recentiore ms. Colb., *diversa nunc sentiant.* Mox Bad., Er. et Lips. ex eodem ms. *qui in largitore ejus et auctore creando*, etc. Filium Spiritus sancti *auctorem* ab Hilario vocari certius mox ex consensu omnium sive scriptorum sive editorum codicum habebimus. Hæc de Arianis, non de Macedonianis dici ostendimus in Admonitione.

(*d*) Mallet quis *substantiarum diversitates* : sed plura hujusmodi troporum exempla jam advertimus. Unus ille locus idoneus est evincere quam indubitata Hilario fuerit Patris et Filii et Spiritus sancti consubstantialitas, cum aperte respuat substantiarum diversitates in tribus rebus substantia tam communibus. Unde et infra num. 5, aliter sentientes sic habet, ut qui tenebras luci inferant, insecabilia desecent, incorrupta scindant, indivisa partiantur.

(*e*) Sic vetustiores mss. bas. Vat., Colb., Carnut., etc. At Corb. et recentiores cum vulgatis hic, pro *negando*, exhibent *nesciendo.* Non obscurum est Filium Spiritus sancti auctorem hic vocari, eosque Spiritus sancti usum, id est, consortium ignorare, qui Filium ignorant, a quo ille est ac nobis datur.

(*f*) Particula *ac* restituitur ex mss.

(*g*) Recentior ms. Colb. glossematis fœdatus, et ex eo Bad. et Er.: *Quibus si factu facile esset, cuperent perfecta concerpere.* Lips. et Par.: *Quibus facile est perfecta concerpere :* castigantur ex cæteris mss. Deinde pro *jus ponere*, habet. Vat. bas. codex *finem ponere.*

(*h*) Sic mss., at editi, *consistit.* Tum in vetusto codice Remig., *Ipse in Christo et per Spiritum.* Patri autem proprium est esse originem omnium, *quod*, in-

origo omnium. Cæterum (*a*) ejus (1) esse in sese est, non aliunde quod est sumens, sed id quod est, ex se atque in se obtinens. Infinitus, quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia; semper extra locum, quia non continetur (*b*); semper ante ævum, quia tempus ab eo est. Curre sensu si quid ei putas ultimum esse, eum semper invenies : quia cum semper intendas, semper est quod intendas. Semper autem locum ejus intendere ita tibi est, ut ei esse sine fine est. Sermo in eo deficiet, non natura claudetur. Iterum revolve tempora, esse semper invenies : et cum calculi numerus in sermone defecerit, Deo tamen semper esse non deficit. Intelligentiam commove, et totum mente complectere; nihil tenes. Totum hoc habet reliquum, reliquum autem hoc semper in toto est. Ergo neque (*c*) totum, cui reliquum est; neque reliquum est (2) (*d*) omne, quod totum est. Reliquum enim, portio est; omne vero, quod totum est. Deus autem et ubique est, et totus ubicumque est. Ita (*e*) regionem intelligentiæ excedit, extra quem nihil est, et cui est semper ut semper sit. Hæc veritas est sacramenti Dei, hoc (3) imperspicabilis naturæ nomen in Patre. Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus : ad quem et eloquendum sermo sileat, et investigandum sensus hebetetur, et complectendum intelligentia coartetur. Habet tamen, ut diximus, naturæ suæ nomen in patre : sed pater tantum est. Non enim humano modo habet aliunde quod pater est (*f*). Ipse ingenitus, æternus, habens in se semper (*g*) ut semper sit. Soli Filio notus : quia Patrem nemo novit nisi Filius, et 31 cui voluerit Filius revelare; neque Filium nisi Pater : illis scientia mutua est, illis vicissim cognitio perfecta. Et quia Patrem nemo novit nisi Filius, de Patre (4) (*h*) una cum revelante Filio, qui solus testis fidelis est, sentiamus.

7. *Pater ineffabilis est. Dei scientia perfecta.* — Atque hæc senserim potius de Patre, quam dixerim : nam me non (5) fugit, quod ad ea quæ ejus sunt eloquenda, sermo omnis infirmus sit. (*i*) Sentiendus est invisibilis, incomprehensibilis, æternus. Cæterum ipsum quod (6) (*j*) in semetipso et a semetipso sit, et ipse per se sit; quod invisibilis, (7) et incomprehensibilis, et (*k*) immortalis : in his quidem honoris confessio est, et sensus significatio, et quædam circumscriptio opinandi, sed naturæ sermo succumbit, et rem ut est verba non explicant. Namque quod in semetipso sit cum audias, (8) (*l*) rationi humanæ absolutio non occurrit; habere enim haberique discernitur, et erit alterum quod est, alterum in quo est. Si rursum quod a semetipso sit accipias; (*m*) nemo sibi ipse et munerator et munus est. Si quod immortalis est; ergo est aliquid non ab eo, (*n*) cui alter non fiat obnoxius : nec solum id est, quod per enuntiationem verbi hujus vindicatur ab altero. Si quod incomprehensibilis est : nusquam ergo erit, quod negatur attingi. Si quod invisibilis est, caret se ipso

(1) Excidit *esse*.

(2) Ms. Veron.: *cui et omne quod totum est*. Rectius pro *et* suppleas *est*. In Erasmiana sic legitur : *Ergo neque totum ei est, cui reliquum est; neque reliquum est, cui omne quod est, totum est*.

(3) *Imperspicabile*.

(4) *Una cum Filio, revelante Filio*.

quit Augustinus ser. LXXI, num. 26 : *Ab illo sit origo operum, a quo est existentia cooperantium personarum*.

(*a*) Ita duo mss. Colb. totidemque Vaticani, necnon in excerpto quod ex hoc loco ad calcem libri in Constantium translatum est. At in vulgatis desideratur *ejus* : quæ vox sola, sine *esse*, exstat in vetustioribus mss. Colb., Remig., Corb., Faur., Prat., Carnut. Et in hoc quidem, pro *ejus*, ab antiqua manu secunda repositum est *is* : quod et inde in posterioribus mss. expressum est. Mox in vulgatis *continens*, pro *obtinens*.

(*b*) Additum est hic in vulgatis ex recentioribus mss. *in loco*, majoris perspicuitatis gratia. Tum ms. bas. Vat.: *Semper extra ævum*.

(*c*) Editi, *totum ei est, cui*. Expunximus *ei est* meliorum mss. auctoritate.

(*d*) Bad. : *Cui est omne quod est totum est*. Er. Lips. et Par.: *Cui omne quod est totum est*. Recentiores mss. *cui est omne quod totum est*. Veram lectionem exhibent castigatiores libri.

(*e*) Ita plerique mss. cum Bad., Er. et Lips. At Par. cum duobus mss. Colb. et uno Sorbon. *religionem intelligentiæ*. Alius vero Colb. et Vat. bas. *rationem intelligentiæ*.

(*f*) Removimus hinc, *sed potens in semetipso habere quod pater est* : quod non exstat nisi in perpaucis, iisque infimæ ætatis mss. Porro, si bene sapimus, Pater æternus hic prædicatur non habere aliunde quo sit, et aliunde quo pater sit, sed eo ipso quo pater est in natura sua constitui; proindeque abesse ab hominum more, qui non fiunt patres statim atque constituuntur homines.

(5) Sic ope nostri codicis restituimus. Nam antea legebatur : *Fugerit*.

(6) In nostro libro non exstat : *In semetipso et*.

(7) Additur *est*. Mox legesis *æternus* cum aliis mss., non *immortalis*.

(8) *Ratio humanæ absolutionis occurrit*.

(*g*) Editi, *ut pater semper sit* : refragantibus mss. Neque jam Pater ut pater spectatur, sed ut æternus.

(*h*) Bad., Er. ac deterioris notæ mss., *una cum Filio revelante Filio* ; quod et in postrema edit. Par. male restitutum erat. Hoc enim sibi vult : non alia de Patre sentiamus, quam quæ Filius de eo revelavit.

(*i*) Pro *sentiendus est*, habet ms. Vat. bas., *de quo dictum est*.

(*j*) Omnes mss. uno excepto omittunt *in semetipso*.

(*k*) In mss., *æternus*.

(*l*) Par. cum antiquis libris, *rationi humanæ absolutionis occurrit*. In mss. tamen Carnut. et Corb. pro *rationi* superscripsit secunda manus, *ratio* : quam lectionem in posterioribus mss. exscriptam secuti sunt Bad., Er. et Lips. Emendantur ex pervetusto codice Vat. bas. Porro *absolutio* hic idem est quod enuntiatio omni ambiguitate absoluta, quæ rei naturam clare ac distincte exprimat.

(*m*) Id est, videtur repugnare, ut idipsum sibi det esse, simul et accipiat.

(*n*) In ms. bas. Vat., *ante* pro *alter*. In vetustiore Colb. et Germ. *a te*. Mallemus *a se* : quia scil. verbo *immortalis* significatur mors tanquam aliquid cui Pater ex natura sua non sit obnoxius : proindeque si solum vocis sonum spectas, præter Patrem videtur esse ipsa mors a qua ille *vindicatur* ; pro quo verbo in ms. bas. Vat. est, *vincatur*, et in vetustiore Remig. *indicatur de altero*. Retinenda lectio vulgata.

quidquid non exstat ad visum. Deficit ergo in nuncupatione confessio, et quidquid illud sermonum aptabitur, Deum ut est, quantusque est, non (1) eloquetur. Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus est, adorandus est; et his officiis eloquendus.

8. *Filius quid sit, quid non sit.*— Evecti de importuosis locis in altum turbato mari sumus, et nec regredi, nec progredi sine periculo licet : plus tamen difficultatis in emetiendis est, quam emensis. Est Pater ut est, et ut est esse credendus est. **32** Filium mens consternatur attingere, et trepidat omnis sermo se prodere. Est enim progenies ingeniti, unus ex uno, verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, sapientiæ sapientia, gloria gloriæ, imago invisibilis Dei, forma patris ingeniti. Quam autem progeniem opinabimur unigeniti ab ingenito? Clamat enim sæpe numero Pater de cœlis : *Hic est filius meus dilectus*, (*a*) *in quo bene complacui* (*Matth.* III, 17). Non est abscissio, aut divisio : impassibilis est enim ille qui genuit, et imago invisibilis Dei est ille qui natus est; et testatur : *Quia Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* X, 38). Non est assumptio : verus enim filius Dei est, et clamat : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Sed neque esse ut cætera jussus est : namque Unigenitus ex uno est, et in se habet vitam, ut habet in se vitam ille qui genuit; ait enim : *Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio habere vitam in semetipso* (*Joan.* V, 26). Sed neque pars Patris (*b*) in Filio est; testatur enim Filius : *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15) : et rursum : *Et mea omnia tua sunt, et tua mea* (*Joan.* XVII, 10); et : (2) (*c*) *Quæcumque habet Pater, dedit Filio;* testatur et Apostolus : *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9). Neque natura habet omnia esse, (*d*) quod portio est. Perfectus autem a perfecto est : quia qui habet omnia, dedit omnia. Neque existimandus est non dedisse, quia habeat; vel non habere, quia dederit.

9. *Filii Dei generatio captum humanum superat.* — Habent (*e*) igitur nativitatis hujus uterque secretum. Et si quis forte intelligentiæ suæ imputabit, generationis hujus sacramentum non posse se consequi, cum (*f*) tamen et Pater sit absolute (3) intellectus et Filius; majore istud dolore a me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro; et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, angeli non audierunt, sæcula non tenent, propheta non sensit, apostolus non interrogavit, filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Non te, quisquis es qui hæc (4) requires, revoco in excelsum, **33** non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum : nonne æquanimiter ignorabis Creatoris nativitatem, ignorans originem creaturæ? Hoc saltem requiro, sentisne te genitum, et quæ ex te generentur intelligis? Non quæro sensum unde hauseris, vitam unde sortitus sis, intelligentiam unde adeptus sis, quale est quod in te sit odor, sensus visus, auditus; certe nemo quod facit nescit : quæro unde ista iis quos generes indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos accendas, cor affigas. Hæc, si potes, enarra. Habes ergo (5) quæ nescis, et tribuis quæ non intelligis : æquanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus.

10. *Generatio Dei qui pie et quo fructu investigetur.* — Audi igitur Patrem ingenitum, audi unigenitum Filium; audi : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28); audi : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); audi : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); audi : *Pater in me est, et ego in Patre* (*Joan.* X, 38); audi : *Ego de Patre exivi* (*Joan.* XVI, 28); (*g*) et, *Qui est in sinu Patris;* et, *Omnia quæ habet* (*h*) *Pater*, (6) *tradidit Filio;* et, *Vitam Filius in semetipso habet, sicut et Pater habet in semetipso* (*Joan.* V, 26); audi Filium imaginem, sapientiam, virtutem, gloriam Dei : et intellige (7) (*i*) proclamantem Spiritum sanctum : *Generationem ejus quis enarrabit* (*Esa.* LIII, 8)? et objurga Dominum testantem : *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27 : et insere te in hoc secretum, et inter unum ingenitum Deum, et unum unigenitum Deum, arcano te inopinabilis nativitatis immerge. Incipe, procurre, persiste : etsi non perventurum sciam, tamen gra-

(1) *Loquetur.*
(2) *Quæcumque habet Pater dedit Filio :* exhibentur verba hæc in editis, sed in ms. nostro non apparent; nec aliunde eruta videntur, quam ex Joan. III, 35, ubi hodie sic legimus : *Pater dedit omnia in manu ejus* (id est *Filii*). Concinit græcus textus.
(3) *Intelligendus.*
(4) *Requiris.*
(5) *Quod nescis.*
(6) *Dedit.*
(7) *Per prophetam clamantem Spiritum sanctum.*

(*a*) Editi, *in quo mihi bene*, etc., renitentibus veteribus libris.

(*b*) Ms. bas. Vat. cum Carn., *pars Patris Filius est :* non male.

(*c*) Non extant hæc, *Quæcumque habet Pater, dedit Filio*, nisi in vulgatis et duobus mss.

(*d*) Sola editio Par., *proportio est :* male.

(*e*) Reposuerat Lipsius, *habet*, reluctantibus aliis libris. Hic respicitur illud Christi, *Patrem nemo novit nisi Filius, neque Filium quis novit nisi Pater*, etc.

(*f*) Unus codex Colb., *cum tunc tamen.* Mox editi cum recentioribus mss. *intelligendus.* Rect. in tribus Colb. necnon Carnut., Vat. bas., Germ., Sorbon., Remig., *intellectus.* Luculenter enim Patrem et Filium prædicat Evangelium, quamvis generationis modum silentio tegat. Itaque tenemus rem, nescimus modum.

(*g*) Mss. uno excepto non habent, *et, Qui est in sinu Patris.* Hic locus aliter affertur num. 23.

(*h*) Vocem *Pater* omittunt plerique mss. Deinde pro *Filio*, mss. Vat. bas. et Carn. exhibent *mihi.* Hunc locum non semel laudat Hilarius : at unde laudet, incertum. Videri posset illud Matth. XI, 25 : *Omnia mihi tradita sunt a Patre*, vel ex sensu tantum vel ex singulari versione memorare, nisi infra lib. VI, n. 22, et alibi nobiscum consentiret.

(*i*) Ita mss. At editi, *per prophetam clamantem.*

tulabor profecturum. Qui enim pie infinita persequitur, etsi non contingat aliquando, tamen proficiet prodeundo. Stat in hoc (*a*) intelligentia fine verborum.

11. *Filii natura. Fidei officium.*— Est Filius (*b*) ab eo patre qui est, unigenitus ab ingenito, progenies a parente, vivus a vivo. Ut Patri vita in semetipso, ita et Filio data est vita in semetipso. Perfectus a perfecto, quia totus a toto ; non divisio aut discissio, quia (*c*) alter in altero, et plenitudo divinitatis in Filio est. Incomprehensibilis ab incomprehensibili ; novit enim nemo, nisi invicem. Invisibilis ab invisibili : **34** quia imago Dei invisibilis est ; et quia qui vidit Filium, vidit et Patrem. Alius ab alio ; quia pater et filius : non natura divinitatis alia et alia ; quia ambo unum. Deus a Deo, ab uno ingenito Deo unus unigenitus Deus ; non dii duo, sed unus ab uno ; non ingeniti duo, quia natus est ab innato ; alter ab altero nihil differens, quia vita viventis in vivo est. Hæc de natura divinitatis (1) attigimus, non summam intelligentiæ comprehendentes, sed intelligentes esse incomprehensibilia quæ loquamur. Nullum ergo, (2) dicis, officium est fidei, si nihil poterit comprehendi. Immo hoc officium fides profiteatur, id unde quæritur incomprehensibile sibi esse se scire.

12. *Generatio Filii Dei, ignota sapientibus mundi, scribis legis, miraculis non satis probata.* — Superest de inenarrabili generatione Filii adhuc aliquid, immo aliquid illud adhuc totum est. Æstuo, differor, (*d*) hebesco, et unde incipiam nescio. Nescio enim quando natus sit Filius ; et nefas est mihi nescire quod natus sit. Quem imprecer ? quem implorem ? ex quibus libris ad tantarum difficultatum enarrationem verba præsumam ? Evolvam omnem Græciæ scholam ? Sed legi : *Ubi sapiens ?* (*e*) *ubi conquisitor sæculi* (I *Cor.* I, 20) ? In hoc ergo sophistæ mundi et sapientes sæculi muti sunt ; sapientiam enim Dei reprobaverunt. Scribam ergo legis consulam ? Sed ignorat ; quia ei crux Christi scandalum est. Hortabor forte vos connivere et tacere, quia ad venerationem satis sit ejus qui prædicatur, leprosos emundatos fuisse, surdos audisse, claudos cucurrisse, paralyticos constitisse, cæcos (3) lumen recepisse, cæcum ab utero oculos consecutum, dæmonas fugatos, ægrotos revaluisse, mortuos vixisse ? Sed hæc hæretici confitentur, et pereunt.

13. *Eadem piscatori revelata. Verbum est a tempore liberum.* — Exspectate itaque nihil minus claudorum cursu, cæcorum visu, fuga dæmonum, vita mortuorum. (4) Consistit enim mecum, in patrocinium editarum superius difficultatum, piscator egens, (5) ignarus, indoctus, manibus lino (6) occupatus, veste uvida, pedibus limo oblitus, totus e navi. Quærite et intelligite, (*f*) utrum mirabilius fuerit (7) mortuos excitasse, an imperito scientiam doctrinæ istius intimasse. Ait enim : **35** *In principio erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Quid est istud, *in principio erat ?* Transeuntur tempora, (8) (*g*) transmittuntur sæcula, tolluntur ætates. Pone aliquod quod voles tua opinione principium : non tenes tempore, *erat* enim unde tractatur. Respice ad mundum, intellige quid de eo scriptum sit : *In principio fecit Deus cælum et terram* (*Gen.* I, 1). Fit ergo in principio quod creatur, et (9) (*h*) ætate continens quod in principio continetur ut fieret. Meus autem piscator illitteratus, indoctus, liber a tempore, solutus a sæculis est, vicit omne principium : *erat* enim quod est, neque in tempore aliquo concluditur ut cœperit, quod erat potius *in principio*, quam fiebat.

14. *Non est tamen solitarium.* — Sed excidisse forte ab ordine propositæ distributionis piscatorem nostrum deprehendemus : Verbum enim tempore liberavit, (10) (*i*) et suum est sibique, quod liberum est, et solitarium et obtemperans nemini. Aures

(1) *Attingimus.*
(2) *Dices*, mox *quæretur incomprehensibile esse se scire.*
(3) *Lumen vidisse.*
(4) *Constitit.*
(5) Sic ex ms. Veron. legimus, non *ignotus*, ut antea. Nam paulo post sequitur : *piscator illitteratus, indoctus.*
(6) *Manibus lino occupatis.* Deinde, *pedibus limo oblitis.*
(7) *Mortuum.*
(8) *Trascenduntur.*
(9) *Ætate continens.*
(10) Veronensis liber, *et sumet sibimet quod liberum est :* quod in idem recidit. Nam si Verbum a tempore liberum est, consequens videtur, *quod sumet sibimet quod liberum est*, id est sui juris esse sibi vindicabit, et solitarium esse atque a nemine dependens. Quam quidem objectionem diluit ex subnexis Apostoli verbis, *et Verbum erat apud Deum. Aures erigamus*, inquit, etc. Tametsi enim Verbum *erat* ante tempus, *erat* tamen *apud Deum ; et qui abest a tempore, non abest ab auctore.* Ita namque in eodem legimus. Habetur hic in eodem codice *erans*, loco τοῦ *qui erat.*

(*a*) Par. cum mss. Colb. et Germ., *intelligentiæ.* Hic pius Præsul rationem videtur reddere, cur ad cognitionem arcani neminem perventurum esse dicat, quia videlicet investigationis illius finis erit intelligentia verborum, puta quod in Deo sit verus Pater et verus Filius ejusdem cum Patre naturæ : sed ultra progredi ad generationis modum non dabitur.

(*b*) Er., Lips. et Par. *ab eo qui Pater est ;* obuitentibus aliis libris. Idem loquendi modus deinceps sæpius recurret, et aliud quid sonat. V. lib. III, n. 22.

(*c*) Mss. Vat. bas. et Carnut. *alter ab altero :* minus bene.

(*d*) Alii mss. habent *erubesco*, alii *tabesco*, ex quibus confirmatur conjectura nostra legendum esse num. 5, *in sensu tabes est*, non *labes est.*

(*e*) In vulgatis adduntur hic *ubi scriba ?* quod melius abest a mss. si quidem scribæ nomine non gentilis, sed legis doctor significatur.

(*f*) Hic vulg. adjiciunt *circumspicite :* quod abest a mss.

(*g*) Complures mss. cum Bad., Er. et Lips. *transcenduntur.* Mox in vulgatis *pone aliquid.* Concinnius in mss. *aliquod*, scil. principium. Deinde in Vat. bas. ms., *opinatione*, non *opinione.*

(*h*) Bad. *ætatem continens.* Editiones aliæ, *ætatem continet :* e mss. alii habent, *ætates continet*, alii *ætates continent*, alii *ætate continens.* Verius tres antiquiores *ætate contines :* quod opponitur proxime dictis de Verbo : *non tenes tempore.*

(*i*) Apud Lips. et Par., *et sumit sibi quod liberum et solitarium et obtemperans nemini est :* in ms. Colb.

erigamus in cætera. Ait : *Et Verbum erat apud Deum* (*Joan.* I, 1). Jam sine principio est apud Deum, quod erat ante principium. Est ergo (*a*) qui erat, *apud Deum :* et qui abest a cognitionis tempore, non abest ab auctore. Piscator noster evasit : sed forte hærebit in cæteris.

15. *An sit sonus vocis juxta Hebionem. Vocis sono non congruit* erat. *Verbum Deus est.* — (1) Dices enim : Verbum sonus vocis est, et enuntiatio negotiorum, et elocutio cogitationum. Hoc apud Deum erat, et in principio erat : quia sermo cogitationis æternus est, cum qui cogitat sit æternus. (2) Respondeo tibi interim pro piscatore meo paucis, dum videbimus quomodo rusticitatem suam ipse defendat. Sermo in natura habet ut esse possit, sequens autem ei est ut fuerit ; est vero tantum cum auditur. Et quomodo *in principio erat*, quod neque ante tempus, neque post tempus est ? Et nescio an vel ipso esse possit in tempore : loquentium enim sermo neque est ante quam loquantur, et cum locuti erunt non erit ; in eo autem ipso **36** quod loquuntur, dum finiunt, jam non erit id unde cœperunt. Hæc a me, ut ab uno ex cæteris. Sed piscator aliter pro se : et objurgabit te prius, cur negligenter audieris. Nam etsi sententiam primam rudis auditor amiseras : *In principio erat Verbum*, de sequenti quid quereris, *Et Verbum erat apud Deum ?* Numquid audieras, in Deo (et non *apud Deum*), ut sermonem reconditæ cogitationis acciperes ? aut fefellerat rusticum, quid esset (3) (*b*) inter inesse et adesse momenti? Id enim, quod in principio erat, non in altero esse, sed cum altero prædicatur. Sed de superioribus nihil sumo, (*c*) consequentia sibi adsint ; statum Verbi et nomen exspecta. Dicit namque : *Et Deus erat Verbum.* Cessat sonus vocis, et cogitationis eloquium. Verbum hoc res est, non sonus ; natura, non sermo ; Deus, non inanitas est.

16. *Nec lædit unitatem Dei.* — Sed trepido in dicto, et me insolens sermo commovet. Audio : *Et Deus erat Verbum*, (*d*) cui unum Deum prophetæ nuntiaverunt. Sed ne quo ultra trepidatio mea progredi possit, redde sacramenti tanti piscator meus dispensationem, et refer ad unum omnia sine contumelia, sine abolitione, sine tempore. Ait : *Hoc erat in principio apud Deum.* Cum *hoc erat in principio*, non tenetur in tempore ; cum *Deus* est, non refertur ad vocem ; cum est *apud Deum* (*e*) nihil nec offenditur, nec aufertur : nam nec aboletur in alterum et apud unum ingenitum Deum, ex quo ipse unus unigenitus Deus est, prædicatur.

17. *Tempus ab eo est, tempus quid.*—Expectamus adhuc a te, piscator, plenitudinem Verbi. Erat quidem in principio, sed potuit non esse ante principium. Etiam hic tibi aliquid pro piscatore meo profero : Quod erat, non potuit non fuisse ; *erat* enim non habet in tempore non fuisse. Sed quid pro se ille ? *Omnia per eum facta sunt* (*Ibid.*, 3). Ergo (4) (*f*) si nihil sine illo est ; per quem universa **37** cœperunt ; et in infinitum est, per quem quod est omne sit factum. (*g*) Tempus enim est spatii, non in loco, sed in ætate manentis significata moderatio. Et cum ab eo omnia, res nulla non ab eo : et idcirco tempus ab eo est.

18. *Verbum non est solitarium.*—Sed dicitur tibi ab aliquo, piscator meus : Nimium facilis et promiscuus hic fuisti ; *omnia per eum facta sunt* non habet modum. Est ingenitus, qui factus a nemine est : est et ipse genitus ab innato. Sine exceptione sunt *omnia*, et nihil quod extra sit derelinquunt. Sed dum nihil ultra dicere audemus, aut forte dum dicere molimur, (5) (*h*) occurre : *Et sine eo factum est nihil.* Reddidisti auctorem, cum socium professus es. Cum enim *nihil sine eo*, intelligo non solum ; quia alius est per quem, alius (6) est sine quo : utroque discernitur significatio et intervenientis et agentis.

(1) *Dicis.*
(2) *Respondebo.* Exinde, *dum videmus.*
(3) *Inter esse, et inter inesse et adesse momenti.*
(4) *Si* non exstat in Veron.

(5) Librarius noster prius scripserat *occurret*, magis apte et connexe quam *occurre :* emendavit secunda sed antiqua manus, *occurrit plane.*
(6) *Est* omittitur.

et sumet sibimet quod liberum, etc. Rectius in aliis libris, ut in textu. Proponitur enim objectum : Si a tempore liberum est, sui juris est, in se est et solitarium, nec ab alio pendet : ad quod mox responsio est, *non abest ab auctore.*

(*a*) Pro *qui erat*, in vetustis codicibus Colb., Rem. ac Germ. legitur *erans.* Abest etiam relativum *qui* a Carnut. Deinde apud Bad. et Er. *et quia abest a conditione temporis :* pessime *quia* pro *qui.* Apud Lips. et Par. nec non in aliquot mss. *et qui abest a tempore.* In Carnut. ms. *a cognitione temporis.* Legimus cum duobus Colb., Germ. ac Sorbon. *a cognitionis tempore*, hoc est, a quolibet tempore quod excogitari valeat : quia est ante quod voles tua opinione ponere principium. Aliquando etiam placuerat *a tempore conditionis*, quasi a tempore quod rebus conditis congruit.

(*b*) In vulgatis, *inter esse et inter inesse et inter adesse momenti :* abundat *interesse*, nec habent potiores mss. Hilarius autem observat Verbum non solum inesse in Patre, velut in principio ; sed et adesse, apud quem semper fuit.

(*c*) Vat. bas. codex, *cum sequentia*, duobus verbis. Aliis favet illud lib. VII, n. 22 : *Adsit sibi divinæ de se sententiæ testimonium.*

(*d*) Editi, *cum... nuntiaverint.* Elegantius mss. *cui*, etc., quod de se dicit Hilarius.

(*e*) In vulgatis, *nihil nec confunditur*, *nec confertur.* Verbum *confunditur* exstat tantum in uno ms. Colb. At in cæteris, *nihil nec offenditur*, *nec aufertur :* quæ duo verba ad alia duo superiora, *sine contumelia*, *sine abolitione* apposite referuntur. Porro in vocibus *nihil nec*, non duplex negatio est, sed pleonasmus Græcis ipsique Hilario familiaris. Hunc cavere mss. Remig. et Theod. qui pro *nihil nec*, exhibent *nihil in eo.* Si quis malit *nihil nec confunditur nec aufertur*, propter illud lib. VII, n. 21 : *Non confunditur itaque aut aboletur natura ;* per nos liceat.

(*f*) Particulam *si* addimus auctoritate potiorum mss. Mox vocula *et* pro *etiam* ponitur.

(*g*) Solus Vat. bas. codex, *Tempus enim spatii non in loco sed in ætate manet moderata significatio.* Cui consentit Carnut. in duobus postremis verbis.

(*h*) Editi, *occurrit*, *occurrit plane ;* et mox, *Piscator reddidisti :* refragantibus veteribus libris.

19. *Non tantum adfuit facienti omnia, sed et fecit.*— Sed (1) (*a*) sollicito de auctore, qui unus ingenitus est, ne in eo quod *omnia* diceres, nihil esset exceptum, solvisti metum dicendo: *Et sine eo factum est nihil.* Verum confundor et turbor in eo, quod *sine eo factum est nihil.* Est ergo aliquid per alterum factum, quod tamen non sit sine eo factum : et si aliquid per alterum, (2) licet non sine eo ; jam non per eum omnia; quia aliud est fecisse, aliud est intervenisse facienti. Non habeo hic, piscator meus, ut in cæteris, quod ex meo proferam ; a tuo statim respondendum est, *Omnia per eum facta sunt.* Sentio. Apostolus enim (3) docuit : *Visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum, et in ipso* (*Coloss.* I, 16).

20. *Qui omnia in Verbo creata. Verbum non successive, sed nascendo perfectum existit.*—Cum ergo *omnia per ipsum*, subveni et enarra, quid non sine eo (4) factum sit. (*b*) *Quod factum est in eo, vita* (*c*) *est* (*Joan.* I, 4). Hoc igitur non sine eo, quod in eo factum est : nam id quod in eo factum est, etiam per eum factum est. Omnia enim per ipsum et in ipso creata sunt (*Coloss.* I, 16). In ipso autem creata, quia nascebatur creator Deus. Sed etiam ex hoc sine eo nihil factum est, quod in eo factum est, quia nascens Deus vita erat: et (*d*) qui vita erat, non postea quam est natus, **38** effectus est vita ; non enim in eo aliud est (*e*) quod natum est, et aliud est quod natus accepit. Non habent inter se tempus et nativitas et profectus. Sed nihil (5) sine se fiebat ex iis quæ in eo fiebant, quia vita est (*supple* is) in quo fiebant, et Deus qui a Deo natus est, non postea quam natus est, (*f*) sed nascendo Deus exstitit. Nascens enim a vivente vivus, a vero verus, a perfecto perfectus, non sine potestate nativitatis suæ natus est, nativitatem videlicet suam non postea sentiens, sed se Deum in eo ipso quod Deus ex Deo nascebatur intelligens. Hoc unigenitus ab ingenito : hoc, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30) : hoc in confessione Patris et Filii Deus unus : hoc Pater in Filio, et Filius in Patre. Hinc, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Hinc, *Omnia quæ habet Pater, dedit Filio* (*Joan.* XVI, 15). Hinc, *Sicut habet Pater vitam in semetipso, ita dedit Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* V, 26). Hinc, *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem* (6) *nisi Filius* (*Matth.* XI, 27). Hinc, *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9).

21. *Verbi generatio humana ratione non capitur ; tenenda igitur fide.* — Hæc vita lux hominum est, hæc lux tenebras illuminans. Et ut impossibilitatem generationis ejus enarrandæ secundum prophetam piscator consolaretur (*Esa.* LIII, 8); adjecit, *Et tenebræ eam non comprehenderunt* (*Joan.* I, 4). Cessit sermo naturæ, et nou habet quo excurrat; et tamen hoc piscator iste recubans in Domini pectus accepit. Non est iste sæculi sermo; quia de qua agitur, non sæculi res est. Edatur aliquid, si in significatione verborum reperiri potest ultra quam dictum sit : et si qua sunt alia expositæ a nobis naturæ nomina, proferantur. Quæ si non sunt, immo quia non sunt; miremur hanc in piscatore doctrinam, et in eo (*g*) eloquia Dei sentiamus : confessionemque Patris et Filii, ingeniti et unigeniti inenarrabilem, et excedentem complexum omnem et sermonis et sensus, teneamus atque adoremus : et in Domino Jesu, exemplo Joannis, ut hæc possimus sentire et colloqui, accubemus (*Joan.* XIII, 25).

22. *Hæreticorum artes contra fidem vanæ. Fides una vincit omnes hæreses.* — Commendat autem fidei hujus integritatem, et evangelica auctoritas, et apostolica **39** doctrina, et circumstrepentium undique hæreticorum (7) (*h*) otiosa fraudulentia. Stat enim hoc fundamentum validum et immotum adversus omnes ventos, pluvias, torrentes, non flatibus pellendum, non stillicidiis penetrandum, non inundationibus (*i*) subluendum (*Matth.* VII, 25) : et optimum est, quidquid a plurimis incursatum, a nullo tamen poterit impelli. Ut autem quædam medicamentorum genera sunt ita comparata, ut non singulis tantum ægritudinibus utilia sint, sed omnibus in commune medeantur, habeantque in se virtutem generalis auxilii : ita et fides catholica non adversum singulas pestes, sed contra omnes morbos opem medelæ communis impertit, non infirmanda genere, non vincenda numero, non diversitate fallenda ; sed una atque eadem adversum singula omniaque consistit. Magnum est enim; (8) tot in ea una remedia esse, cunda recensione. Concordat Vulgata nostra atque Græcus textus.

(1) *Solliciti*, æque bene.

(2) Heic interponitur *factum*. Postea supprimitur *est* ante *intervenisse*.

(3) Additur *Paulus*.

(4) *Factum est.*

(5) *Sine eo.*

(6) In codice nostro adjungitur : *quis novit*, sed se-

(7) Ita legimus in nostro libro; secundis curis appositum est, *odiosa*.

(8) In anterioribus editionibus, *tot in una ea remedia esse.*

(*a*) Ita eleganter optimæ notæ mss. tacita voce *mihi*, scil. *solvisti metum*. At in vulgatis *sollicitor*.

(*b*) Lips. et Par. post Er. hic addunt, *quod factum sit*, præter fidem veterum librorum.

(*c*) Rursum hic editi præferebant *vita erat :* repugnantibus mss. ut et lib. I, n. 10. Quamquam ex sequentibus suspicari licet hanc lectionem Hilario non fuisse inauditam. Ambrosius quoque lib. III de Fide c. 6, legit, *vita est.*

(*d*) Ita meliores mss. At editi, *et quia vita erat.*

(*e*) Editi, *quod natus est* : dissidentibus mss.

(*f*) In ms. Vat. bas. hic adjicitur, *effectus est Deus :* glossema.

(*g*) Vat. bas. codex cum altero Vatic. et Carnut., *eloquentiam Dei.*

(*h*) In vulgatis *odiosa*. Aptius in mss. *otiosa*. Qui autem otiosa et inanis sit, continuo declaratur.

(*i*) Quatuor mss. *solvendum*. Corb., Prat., Faur., *subruendum*. Retinendum est *subluendum*, ut constat ex cap. 6 in Matth. n. 6, et ex tract. in psal. LXVIII, n. 3.

quot morbi sunt ; et totidem veritatis esse doctrinas, quotidem erunt studia falsitatis. Contrahantur in unum nomina hæreticorum, et omnes scholæ prodeant : audiant unum ingenitum Deum patrem , et unum unigenitum Dei filium perfecti patris progeniem perfectam; non per diminutionem genitum, non ex solido parte aliqua decisum, sed omnia habentem, genuisse (*a*) omnia consecutum;non ex derivatione fluxuve deductum, sed ex omnibus atque in omnibus natum ab eo, qui in omnibus in quibus est esse non desinat; liberum a tempore, solutum a sæculis, per quem omnia facta (1) sunt : neque enim esse in his (sæculis) potuit, quæ ab ipso sunt instituta. Hæc de Evangeliis catholica et apostolica confessio est.

25. *Testimonia contra Sabellium, contra Hebionem, contra Arianos. Petra Petri confessio.*—Patrem et Filium, si audet, Sabellius eumdem prædicet, et (*b*) ipsum illum esse qui utrumque sit nuncupatus ; ut cum eo unus sit ambo; non unum. Audiet statim de Evangeliis non semel neque iterum, sed frequenter, *Hic est filius meus dilectus , in quo bene complacui* (*Mat.* XVII, 5). Audiet, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Audiet , *Ego vado ad Patrem* (*Ibidem*, 12) ; et, *Pater gratias tibi ago* (*Joan.* XI, 41) ; et, (2) *Clarifica me, Pater* (*Joan.* XVII, 5) ; et, *Tu es Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 17). Subrepat Hebion , (*c*) initium filio Dei ex Maria concedens, et Verbum a diebus carnis intelligens. (3) Relegat, *Pater , clarifica me apud temetipsum ea claritate, quam habui apud te prius quam mundus esset* (*Joan.* XVII, 5) ; et, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum , et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1) ; et, *Omnia per eum facta sunt* (*Ibid.* 3) ; et, *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit* (*Ibid.*, 10). Existant (*d*) novelli apostolatus, sed ab antichristo, prædicatores, omni contumelia Dei filium illudentes : et (4) audiant, *Ego de Patre exivi* (*Joan.* XVI, 28) ; et, *Filius in Patris sinu* (*Joan.* I, 18) ; et, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30) ; et, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 11). Et postremo una cum Judæis irascantur, A quod Christus proprium sibi patrem Deum confitens, æqualem se Deo fecerit : et una cum iis audiant, *Vel operibus meis credite, quia Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* XIV , 28). Unum igitur hoc est immobile fundamentum , una hæc felix fidei petra Petri ore confessa, *Tu es Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 17), tanta in se sustinens argumenta veritatis, quantæ perversitatum quæstiones et infidelitatis calumniæ movebuntur.

24. *Quæ nostræ salutis causa Christus susceperit.* — Jam in cæteris dispensatio voluntatis paternæ est. Virgo, et partus, et corpus; postque crux , mors, inferi, salus nostra est. Humani (*Hæc citat cod. can. Eccl. Rom. c.* 41) enim generis causa Dei filius natus ex virgine est et (*e*) Spiritu sancto, ipso sibi in hac operatione famulante; et sua , Dei videlicet inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit, et exordia carnis instituit; ut homo factus ex virgine naturam in se carnis acciperet, perque hujus admixtionis societatem sanctificatum in eo universi generis humani (*f*) corpus exsisteret : ut quemadmodum omnes in se per id quod corporeum se esse voluit conderentur , ita rursum in omnes ipse per id quod ejus est invisibile referretur. Dei igitur imago invisibilis pudorem humani exordii non recusavit, et per conceptionem, partum, vagitum, cunas, omnes naturæ nostræ contumelias transcucurrit. B

41 25. *Quod nihil dignum rependere valeamus.* — Quid tandem dignum a nobis tantæ dignationis affectui rependetur? Inenarrabilis a Deo originis unus unigenitus Deus, in corpusculi humani formam sanctæ Virginis utero insertus accrescit. Qui omnia continet, et intra quem et per quem cuncta sunt , humani partus lege profertur, et ad cujus vocem Archangeli atque Angeli tremunt , cœlum et terra et omnia mundi hujus (5) (*g*) resolvuntur elementa, vagitu infantiæ auditur. Qui invisibilis et incomprehensibilis est, non visu, sensu , tactuque moderandus , cunis est obvolutus. Hæc si quis indigna Deo recolet, tanto se majoris beneficii obnoxium C

(1) *Sint.*
(2) *Glorifica.* Ita et in Græco textu : δόξασόν με (*Joan.* XVII, 5).

(3) *Relegat mecum.*
(4) *Audient.*
(5) *Resolventur*, noster cum aliis mss.

(*a*) Post *genuisse* additur in uno ms. Colb. *genitum.*
(*b*) Vat. bas. codex , *ipsum sibi esse :* non placet.
(*c*) In edit. *omne initium.* Abest *omne* a mss. quamvis exstet num. 4.

(*d*) Excusi, *sed sub antichristo.* Carnut. codex cum uno Colb., *novelli apostoli sub antichristo.* Rectius alii, *novelli apostolatus, sed ab antichristo*, id est, novellum apostolatum non a Christo, sed ab antichristo obtinentes. Quod confirmatur his lib. VI, n. 37 : *Mihi tu hodie, novi apostolatus mendax sacerdotium, ingeris Christum ex nihilo creaturam.*

(*e*) Spiritum sanctum hic Verbum ipsum intelligi manifestum est ex subsequentibus. Hinc cap. 2 in Matth. n. 5, diserte legitur Christus *ex muliere natus, per Verbum caro factus.*

(*f*) Hic et alibi sentire videtur Hilarius Christum non singularem, sed universam generis humani naturam assumpsisse. At, ut ex subnexis liquet, hoc potius sensit, eum naturæ unius ac singularis susceptione universam in ea tenuisse. Haud absimili ratione D Leo papa Serm. I de Epiphania ait Christum *naturam universæ humanitatis* assumpsisse : et vulgatus Titus Bostrensis in Luc. cap. 12 : *Per massæ nostræ primitias universam naturam humanam induisse.* Hinc Gregorius Nyss. Or. catech. c. 32, a Theodoreto relatus dial. III, docet ideo nos cum Christo resurrexisse , *quia non aliunde, quam ex massa nostra , erat homo qui Deum suscepit , qui per resurrectionem exaltatus est. Perinde,* inquit ibid., *ac si universa natura unum quoddam esset animal, unius partis resurrectio in totum penetrat.* Ita Ambrosius, lib. IV de Fide, cap. 10, nos in Christo ad dexteram Patris sedere enarrat *per corporis unitatem.* Hinc illustratur quatenus Hilarius cum Patribus aliis asserat Christum naturæ , sanctitatis, resurrectionis ac gloriæ suæ nos jam participes effecisse. Vide in Admot. ad Comm. in Matth. c. 2, num. 5.

(*g*) In pluribus mss. *resolventur.*

confitebitur, quanto minus hæc Dei convenerint majestati. Non ille eguit homo effici, per quem homo factus est: sed nos eguimus ut Deus caro fieret, et habitaret in nobis, id est, assumptione carnis unius interna universæ carnis incoleret. Humilitas ejus nostra nobilitas est, contumelia ejus honor noster est: quod ille Deus in carne (*a*) consistens, hoc nos vicissim in Deum ex carne renovati.

26. *Humilitatem conceptionis et partus dignitas commendat.* — Sed ne forte detineant scrupulosas mentium cogitationes cunæ, vagitus, partus atque conceptio; reddenda est singulis (*b*) Dei dignitas: ut voluntatis humilitatem potestatis ambitio præcedat, nec dignationem dignitas derelinquat. Videamus igitur quæ (1) sunt ministeria conceptus. Angelus Zachariæ loquitur, sterili partus affertur, de incensi loco sacerdos mutus egreditur, Joannes in vocem adhuc utero matris detentus erumpit, Mariam angelus benedicit, matrem filii Dei virginem pollicetur. Illa virginitatis suæ conscia difficultate facti commovetur, angelus efficientiam divinæ operationis exponit; ait enim, *Spiritus sanctus* (*c*) *de super veniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35). Spiritus sanctus de super veniens virginis interiora sanctificavit, et in **42** his spirans [quia ubi vult, Spiritus spirat (*Joan.* III, 8)] (*d*) naturæ se humanæ carnis (*e*) immiscuit; et id, quod alienum a se erat, vi sua ac potestate (*f*) præsumpsit: atque ut ne quid per imbecillitatem humani (*g*) corporis dissideret, virtus Altissimi virginem obumbravit, infirmitatem ejus veluti per umbram (*h*) circumfusa confirmans, ut ad sementivam ineuntis Spiritus efficaciam substantiam corporalem divinæ virtutis inumbratio temperaret. Hæc conceptionis est dignitas.

27. *Partus dignitas.* — Videamus partum, vagitum et cunas dignitas quæ sequatur. Loquitur ad Joseph angelus parituram Virginem, et eum qui natus fuerit vocandum Emmanuel, id est, nobiscum Deum. Proclamat Spiritus per prophetam (*Es.* VII, 14), angelus testis est, Deus nobiscum est ille qui nascitur. Novum Magis de cœlo stellæ lumen (*i*) effertur, et cœli Dominum signum cœleste prosequitur. Angelus pastoribus nuntiat natum Christum Dominum, salutem universorum. Multitudo exercitus cœlestis in laudem puerperii concurrit, et tanti operis præconia divini cœtus gaudia eloquuntur. Gloria deinde in cœlis Deo, et pax in terra bonæ voluntatis hominibus nuntiatur. Adsunt deinde Magi, involutum pannis adorant: et post illam inanis scientiæ suæ operationem arcanam, posito in cunis genu flectunt. Sic per Magos cunarum sordes adorantur, sic vagitus per angelorum divina gaudia (2) honoratur, sic partui proclamans per prophetam Spiritus, et (3) (*j*) angelus nuntians, et novæ lucis stella famulatur. Sic initia nascendi Spiritus sanctus superveniens et inumbrans virtus Altissimi moliuntur. Aliud intelligitur, aliud videtur; aliud oculis, aliud animo (4) conspicitur. Parit virgo: partus a Deo est. Infans vagit: laudantes angeli audiuntur. Panni sordent: Deus adoratur. Ita potestatis dignitas **43** non amittitur, dum carnis (5) (*k*) humilitas adoptatur.

28. *Christus gestis Deum egit.* — Par etiam reli-

(1) *Sint.*
(2) *Honorantur.*
(3) *Et idipsum angelus nuntians.*

(4) *Concipitur.*
(5) *Humilitas adoptatur.* Sic legi debet. De hujus loci controversia quæ vide præmissa sunt.

(*a*) Vetustior codex Remig. *subsistens.* Mox mss. Carnut. et Vat. bas. *ex carne renati.* Ubi apud Leonem, a quo hæc Hilarii verba laudantur ep. al. XCVII, nunc CXXXIV, in novissima editione ex Rom. ms. restitutum est, *in Deo ex carne renati.* Præstat tamen *renovati.* Sermo enim est de nostra per Christum ex susceptione carnis reparatione, et veluti quadam in Deum commigratione, non de regeneratione per baptismum. Porro in codice can. Eccl. Rom. apud eumdem Leonem T. II, p. 142, hæc rursum exhibentur, sed cum lectione quam retinemus.

(*b*) Id est, declarandum est quomodo in Christi conceptu, ortu, aliisque quæ infirma in eo videntur, Dei dignitas commendetur. Deinde *voluntatis infirmitatem* dicit Hilarius, quæ ex delectu voluntatis suscepta est. Tum *potestatis ambitio* idem est quod magnifica et gloriosa potestatis ostentatio.

(*c*) Mss. *superveniet*, sine *de*.

(*d*) Bad. et Er. *nec se humanæ carni immiscuit*: depravate. Nimirum non advertere Spiritum sanctum non hic dici tertiam, sed secundam Trinitatis personam, quæ proprium sibi corpus condiderit: ad quod opus significandum non male utitur Hilarius *spirandi* verbo, utpote quo usus est Moyses Gen. II, 7, ad enarrandam primi hominis institutionem. Spiritus sancti in Virginem descensum eadam ratione interpretatos esse plurimos Patres ostendimus præfationis nostræ generalis § 1. Ibi monuimus hanc Cypriani lib. de Idol. Vanit. lectionem, *Carnem spiritu sancto cooperante induitur*, corruptionis valde esse suspectam; cum ejus loco in sincerioribus mss. habeatur, *Carne Spiritus sanctus induitur.*

(*e*) *Immiscendi* verbum hic non confusionem utriusque naturæ significat, sed intimam conjunctionem. *Novit enim*, inquit Leporius in libello emend. *sine corruptione misceri, et tamen in veritate misceri.* Eodem verbo ad exprimendam Verbi cum carne conjunctionem utuntur Irenæus lib. III, c. 21; Novatianus de Trin. c. 11; Cyprianus de Idol. vanit.; Augustinus epist. CXXXVII, n. 11; Leo Papa, Ser. 3, de Nat. Chr.; Vigilius l. I cont. Eutych., etc.

(*f*) Verbis *præsumo* et *assumo* Hilarium promiscue uti observatum est alibi.

(*g*) In ms. Vat. bas. *humani generis.* Tum post *dissideret*, supple *a Dei dignitate.*

(*h*) Apud Lips. et Par. *circumfusam.* In ms. Vat. bas., *circumfulsa.* Bad. et Er. cum omnibus fere mss. *circumfusa.*

(*i*) Scribunt constanter vet. lib., *ecfertur*, vel *hæcfertur.*

(*j*) Sic mss. In vulgatis autem hic adjicitur *idipsum*; et mox habetur *desuper veniens.*

(*k*) Apud Par. *admittitur*: male. Nec melius deinde Victorinus codex, *dum carnis humanitas.* Tum Bad. et Er. cum nonnullis mss., *adoratur*: qui locus magnæ olim querelæ occasionem dedit, cum Felix Urgellitanus illum in hæresis patrocinium adduceret. Hincmarus quippe initio præfat. in lib. de Prædest. tradit: *Felicem infelicem Orgellitanæ civitatis episcopum* in concilio *revictum*, quia *corrupto muneribus juniore bibliothecario Aquensis palatii, librum B. Hilarii rasit, et ubi scriptum erat* ADORATUR, *immisit, carnis humilitas* ADOPTATUR. Sic et Alcuinus contra eumdem lib. VI: *Tu omnino perversissime dicis*, ADOPTATUR, *ubi B. Hilarius ait,* ADORATUR: *Carnis equidem*

quæ est cursus ætatis. Nam omne tempus, quod in homine egit, in (1) Dei operibus explevit. De singulis non est tempus dicere: tantum illud in universis virtutum et curationum generibus contuendum est, in carnis assumptione hominem, Deum vero in gestis rebus exsistere.

29. *Spiritum sanctum esse.* — De Spiritu autem sancto nec tacere oportet, nec loqui necesse est: sed sileri a nobis, eorum causa qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo non necesse est, (2) (*a*) qui Patre et Filio auctoribus, confitendus est. Et quidem puto, an sit, non esse tractandum. Est enim; quando quidem donatur, accipitur, obtinetur; et qui confessioni Patris et Filii connexus est, non potest a confessione Patris et Filii separari. Imperfectum enim est nobis totum, si aliquid desit a toto. De quo si quis intelligentiæ nostræ sensum requiret, in Apostolo legimus ambo, *Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum filii sui in corda* (*b*) *nostra clamantem, Abba pater* (*Galat.* IV, 6). Et rursum: *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis* (*c*) (*Ephes.* IV, 30). Et iterum: *Nos autem non spiritum* (*d*) *hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I *Cor.* II, 12). Et rursum: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu;* (3) (*e*) *si tamen Spiritus Dei in vobis est. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus* (*Rom.* VIII, 9). Et rursum: *Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis, qui suscitavit* (*f*) *Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter Spiritum suum qui habitat in vobis* (*Ibid.* 11). Unde quia est, et donatur, et habetur, et Dei est; cesset hinc sermo calumniantium. Cum dicunt per quem sit, et ob quid sit, vel qualis sit: (*g*) si responsio nostra displicebit dicentium, Per quem omnia, (*h*) et ex quo omnia sunt, et quia Spiritus est Dei, donum fidelium; displiceant et Apostoli et Prophetæ, hoc tantum de eo quod esset loquentes; et post hæc Pater et Filius (*i*) displicebit.

30. *Et Pater et Filius est sanctus Spiritus.* — Manere autem hinc quosdam in ignorantia atque ambiguitate existimo, quod hoc tertium, id est, quod (*j*) nominatur Spiritus sanctus, videant pro Patre et

(1) Forte rectius in nostro codice prætermittitur præpositio *in*.

(2) *Qui a Patre:* non male.

(3) *Si quidem.*

humilitas a Magis adorata est, et mysticis munerum speciebus honorata, non adoptata. Penes nos est liber Corbeiensis ante annos 800 scriptus postremas hasce syllabas *ptatur* loco abraso exhibens; etsi mala forsitan fide, non tamen male adscriptum est *adoptatur:* quam lectionem codices Colb. et Carnut. ante Felicis ævum exarati, aliique sano prorsus et integro loco exhibent. Neque *adoptatur* aliud hic sonat quam assumitur. Ex eo enim quod ostendit Hilarius Christo, etiam postquam carnis humilitatem assumpsit, divinos honores delatos ab angelis, a Magis, Spiritus sancti testimonio, etc., apprime concludit dignitatem deitatis non amitti, dum carnis humilitas assumitur, seu Deum potentia sua non cadere, cum homo infirmus esse incipit, *cui*, ut ait in psal. LV, n, 5: *exinanienti se ex forma servi virtutem Dei atque naturam forma servilis non abstulit.* At si prætuleris *adoratur*, non ex omnibus superius assumptis erit conclusio, sed tantum ex proximis verbis, *Panni sordent: Deus adoratur.* Immo ex hac assumptione, in qua non continetur nisi Deum adorari, nulla erit conclusio, quæ carnis humilitatem adorari prædicaret. Itaque non ait Hilarius carnis humilitatem a Magis adoratam, sed ex Magorum adoratione aliisque argumentis deitatem sub carnis humilitate latentem demonstrat. Huc spectat quod in psal. CXXVII, num. 8, corporis assumendi propositum vocat *adoptionem corporis quod ex virgine præsumpturus esset.* At si hinc quodam modo excusatur Felix; quis æquo animo ferre valeat, eum hæresis suæ patronum quæsisse ac citasse Hilarium, qui ubique adoptionis in Christo nomen exhorrescit, ac nominatim toto lib. VI, non adoptivum sed verum ac proprium filium eum esse acerrime propugnat. Denique hunc locum imitatus videtur Ambrosius lib. I de fide c. 4, ubi ex Magorum adoratione, humilitate cunarum, angelorum obsequio, etc., concludit: *Ita nec dignitas naturalis majestatis amittitur, et assumptæ carnis veritas comprobatur.*

(*a*) Editi ex unico ms. Colb. nullius fere auctoritatis, *quia de Patre.* Mss. Corb., duo Remig., Theod., Pratel., Vind., Silv., etc., *qui a Patre.* Mallemus *qui cum Patre.* Sed ex veterrimis omnium codicibus Vat. bas., Colb. et Carn., a quibus dissidere consentientibus non est tutum, necnon ex Germ. uno Sorbon. alio Colb. restituimus *qui Patre,* id est, si nostra nos non fallit opinio, qui cum Patrem et Filium auctores habeat, confitendus est. Certe Filium Spiritus sancti auctorem vocari jam audivimus num. 4 et infra ut per Patrem ita et per Filium esse Spiritum sanctum declaratur, quod paulo post nota *h* ostendemus.

(*b*) Editi, *vestra;* renitentibus mss.

(*c*) Subjungitur in mss. Vat. bas. et Carnut., *in diem redemptionis.*

(*d*) Pronomen *hujus* hic et infra, n. 35, abest a vetusto ms. Colb. et German. favente græco textu.

(*e*) Corb. ms. cum duobus Remig. et aliis, *si quidem Spiritus Dei.*

(*f*) Ita juxta græcum mss. meliores, ubi in vulgatis, *qui suscitavit Jesum.* Mox in uno ms. Colb., *propter inhabitantem spiritum ejus in vobis.*

(*g*) Sola editio Par., *sic responsio.* Deinde *dicentium* refertur ad *nostra,* quod instar est *nostrum.*

(*h*) Editi, *in quo.* Melius mss. *ex quo omnia:* quibus verbis Hilarius Filium, sicut et superioribus *per quem omnia* Patrem solet indicare. Sic supra n. 1: *Unus est enim Deus Pater ex quo omnia, et unus Unigenitus D. N. J. C. per quem omnia;* et paulo post: *Una potestas per quam omnia, una progenies ex qua omnia.* In his igitur, *Per quem omnia et ex quo omnia,* responsio habetur ad institutam quæstionem *per quem sit* Spiritus sanctus, quasi diceret: *Per eum est per quem omnia, sicut et per eum ex quo omnia.* Ita et ad duas alias quæstiones subsequentes: *ob quid sit, vel qualis sit,* sobrie respondetur, *Spiritus est Dei, donum fidelium;* ne quid asseratur, quod a prophetis et apostolis non sit acceptum.

(*i*) Carnut. ms., *displicebunt.*

(*j*) Sola editio Par. *dominatur:* lapsu librariorum. Apud quos autem pro Patre et Filio Spiritus sancti nomen intelligi soleat, supervacaneum est annotare. Sic enim promiscue hoc vocabulum usurpant Hermas, Justinus, Irenæus, Tatianus, Tertullianus, Lactantius, Cyprianus, Phœbadius, Epiphanius, apud quos *Spiritus* divinam naturam tribus personis communem passim significat.

lio frequenter intelligi. In quo nihil scrupuli est: sive enim Pater, sive Filius, (1) (*a*) et Spiritus et sanctus est.

45 31. *Qua ratione dictum sit, Deus Spiritus est. Error Samaritanæ Deum templo vel monte claudentis.*— Sed id quod in Evangeliis legitur, *Quia Deus spiritus est* (*Joan.* IV, 24), diligenter est contuendum quomodo et qua ratione sit dictum. Omne enim dictum ut dicatur ex causa est, et dicti ratio ex sensu erit intelligenda (*b*) dicendi; ne quia responsum a Domino est, *Spiritus Deus est*, idcirco cum sancti Spiritus nomine et usus negetur et donum. Cum Samaritana Domino erat sermo: venerat enim redemptio universorum. Cui post multum sermonem (*c*) aquæ vivæ, et quinque virorum, et nunc ejus qui esset alienus (*Ibid.*,20), mulier respondit: *Domine, animadverto quod propheta es. Patres nostri in monte hoc adoraverunt; et vos dicitis quoniam in Jerosolymis est locus ubi adorare oportet.* Dominus respondit: *Crede mihi, mulier, quoniam venit hora, quando neque in isto monte, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quoniam salus ex Judæis est. Sed venit hora, et nunc est, cum veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate: etenim Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus enim Deus est, et adorantes eum, in Spiritu et veritate oportet adorare, quia Deus spiritus est* (*Ibid.*, 21 *et seqq.*). Mulier igitur traditionum memor paternarum, vel tamquam Samaria in monte, vel tamquam Jerusalem in templo adorandum Deum existimabat: quod Samaria ad adorandum Deum per transgressionem legis locum montis elegerat, Judæi vero templum a Salomone conditum religionis sedem existimabant: quorum utrorumque præsumptio, aut collis edito, aut exstructæ domus concavo, Deum intra quem omnia et extra quem nihil ejus capax est, continebat. Ergo quia Deus invisibilis, incomprehensibilis, immensus **46** est; ait Dominus venisse tempus, ut non in monte vel templo Deus sit adorandus: *quia spiritus Deus est*, et spiritus nec circumscribitur, nec tenetur, (*d*) qui per naturæ suæ virtutem ubique est, neque usquam abest, in omnibus omnis exuberans: hos igitur veros esse adoratores, qui in Spiritu et veritate sint adoraturi. Adoraturis autem in Spiritu Deum Spiritum, (*e*) alter in officio, alter in honore est; quia discretum est in quo quisque sit adorandus. Non enim tollit sancti Spiritus et nomen et donum, quia dictum est, *Deus Spiritus est.* Responsum autem est mulieri Deum templo et monte claudenti, esse omnia in Deo, Deum in semetipso, et invisibilem atque incomprehensibilem in iis quæ invisibilia et incomprehensibilia sunt adorandum. Atque ita natura et muneris et honoris (*f*) significata est, cum in Spiritu Deum Spiritum docuit adorandum, et libertatem ac scientiam adorantium, et adorandi (*g*) infinitatem, dum in Spiritu Deus Spiritus adoratur, (*h*) ostendens.

32. Simile huic etiam illud Apostoli est: *Quia Dominus Spiritus est, ubi autem Spiritus Domini est, ibi libertas est* (II *Cor.* III, 17). Discrevit ad intelligentiæ

(1) *Et Spiritus sanctus est.*

(*a*) Plures mss. cum vulgatis, *et Spiritus sanctus est.* Præferimus cum uno codice Vatic., *et Spiritus et sanctus est*, nisi malis cum vetere Colb. ac Germ.: *sive Filius est sanctus Spiritus.*

(*b*) Editi, *dicentis.* Legendum esse *dicendi* passive tum potiorum mss. auctoritas, tum hæc suadent lib. IV, n. 14: *Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.*

(*c*) In mss. optimæ notæ, *aquæ vitæ*, et mox *qui esset alieni.*

(*d*) Nonnulli mss. cum editis, *quia.* Sequimur potiores. Deinde in ms. Vat. bas. et Vict. *omnes exuperans.* Habent etiam plerique alii *omnes*, unus Sorbon. *omne*, alii tres *omnia.* Nihil mutandum videtur. Verbum *exubero*, ubi de Spiritu sermo est, Hilario est familiare. De illo habet cap. 10 in Matth., num. 2: *Quantumlibet assumatur a cunctis, ad largiendum se tamen semper exuberat.* Et cap. 15, n. 10: *Spiritus copia indicatur, cui quod largiatur exuberet.*

(*e*) In ms. Vat. bas., *alter in obsequio*, quod de Spiritu sancto dictum, ut ab eo Spiritu qui adorandus est alium eum esse conficiatur, videri posset Arianis favere, Spiritum sanctum Patris et Filii ministrum effutientibus. At illo loquendi modo tantum habet Hilarius rationem processionis, seu subordinationis qua Spiritus sanctus subjicitur principio a quo procedit. Sic de Filio, testante se non posse quidquam a se facere nisi viderit Patrem facientem, in Psal. CXXXVIII, num. 28, loquitur: *Contestatam de se potestatem per reverentiæ honorem ei cui omnia meminerat confitenda subjecit, non sibi adimens quod similia Patri posset, sed eum per quem similia posset ostendens.* Sic, lib. de Synod., n. 51, diversas enumerat rationes, quibus Filius, etiam qua Deus, subjicitur Patri: *Vel in eo quidem maxime non comparatur nec coæquatur Filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est, dum ad dexteram Dei tum consedit, cum sibi ut consideret dictum sit, dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus qui se misit obsequitur. Sed pietatis subjectio non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem efficit naturam.* Et post pauca, *Habens nomen, sed ejus cujus et filius est, fit Patri et obsequio subjectus et nomine.* Demum lib. IV, solemnis est distinctio Dei dicentis seu jubentis, et Dei efficientis, quorum tamen una natura prædicatur. Ita etiam hic ubi Spiritum sanctum a Deo, id est, a Patre, et a Domino, hoc est, a Filio, subsistendi ratione alium esse ostensum est, natura non aliud esse multis demonstratur. Quid enim aliud sibi vult, Deum infinitum, invisibilem, incomprehensibilem, immensum, cum in Spiritu adoratur, jam infinita ratione, ubique, in iis quæ invisibilia et incomprehensibilia sunt, immo in *semetipso* adorari; quid, inquam, hoc sibi vult, nisi honorantis et honorandi Spiritus omnimodam esse proportionem, æqualitatem et unitatem perfectam?

(*f*) Ita mss. nisi quod in Carnut., *amplissima significantia est.* At in vulgatis, *expressa est.* Spiritus sanctus, qui supra, n. 2, dictus est munus quod a Deo accipimus, nunc videtur dici munus quod Deo deferimus. Reipsa quem a Deo accepimus Spiritum ei reddimus, cum non nostro, sed illius Spiritu viventes ei famulamur.

(*g*) Hæc adorandi infinitas cum repetatur ex eo in quo adoratur, Spiritum infinitum esse necesse est.

(*h*) In editis, *ostendit.* At in scriptis, *ostendens*, quod refertur ad *docuit.*

significationem (*a*) eum qui est, ab eo cujus est. Non enim habere haberique unum est, neque eadem significatio continet eum atque ejus. (1) Ita cum dicit, *Dominus Spiritus est*, naturam infinitatis ejus ostendit; cum vero adjecit, *Ubi Spiritus Domini* (*b*) *ibi libertas est*, eum qui ejus est significat; quia et Spiritus Dominus est, et ubi Spiritus est Domini, ibi libertas est. Hæc non quod causa postulet dicta sunt, sed ne quid in his obscuritatis (*c*) hæreret. Est enim **47** Spiritus sanctus unus ubique, omnes patriarchas, prophetas, et omnem chorum legis illuminans, Joannem etiam in utero matris inspirans: datus deinde apostolis cæterisque credentibus, ad (2) agnitionem ejus quæ indulta est veritatis.

Lib. 3

33. *Spiritus sancti quod officium in nobis.* — Quod autem sit officium ejus in nobis, verbis ipsius Domini audiamus. Ait enim: *Adhuc multa habeo quæ dicam vobis, sed non potestis illa modo portare* (*Joan.* XVI, 12). Expedit enim vobis ut ego eam; si iero, mittam vobis (3) Advocatum (*Ibid.* 7). Et rursum: *Ego rogabo Patrem, et alium Advocatum mittet vobis* (*d*) *ut vobiscum sit in æternum, Spiritum veritatis* (*Joan.* XIV, 16 *et* 17). *Ille vos diriget in omnem veritatem: non enim loquetur a se, sed quæcumque audierit, loquetur, et ventura annuntiabit vobis. Ille me honorificabit, quia de* (4) *meo sumet* (*Joan.* XVI, 13 *et* 14). Hæc de pluribus ad intelligentiæ viam dicta sunt, quibus et voluntas (*e*) munerantis, et ratio et conditio muneris continetur: ut quia infirmitas nostra neque Patris neque Filii capax esset, fidem nostram de Dei incarnatione difficilem, sancti Spiritus donum quodam intercessionis suæ fœdere luminaret.

34. Est autem nunc consequens, ut et apostolum explicantem doni hujus virtutem atque officium audiamus; ait enim: *Quotquot enim Spiritu Dei agun-*

(1) *Ita cum ait, Deus*, etc.
(2) *Cognitionem.*
(3) Codex Veronensis interserit, *Spiritum Paraclytum; ipse me clarificabit. Et rursum, Rogabo, inquit, Patrem meum, et alium advocatum mittet vobis.*
(4) *De meo accipiet.*

tur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum (*f*) *in timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus: Abba pater* (*Rom.* VIII, 14). (*g*) Et rursum: *Quia nemo in Spiritu* (*h*) *Dei dicit anathema* (5) *Jesu, et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3). Et rursum: *Divisiones autem* (6) *donorum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministeriorum sunt,* (*i*) *idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, sed idem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem donatur illuminatio* **48** *Spiritus ad utilitatem. Alii autem datur* (7) *per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alii fides in eodem Spiritu, alii dona sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii* (*j*) *separatio spirituum: alii genera* (8) *linguarum, alii* (*k*) *interpretatio linguarum. Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus* (*Ibid.* 4 *et seqq.*). Habemus igitur doni istius causam, habemus effectus, et nescio quid de eo ambiguitatis sit, cujus in absoluto sit et causa, et ratio, et potestas.

35. *Spiritus sancti donum maxime necessarium. Absque eo habetur natura Deum intelligendi, non usus.* — Utamur ergo tam liberalibus donis et usum maxime necessarii muneris expetamus. Ait enim, ut jam superius ostendimus, Apostolus: *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (I *Cor.* II, 12). Accipitur ergo ob scientiam. Ut enim natura humani corporis cessantibus officii sui causis erit otiosa; nam oculis, (9) (*l*) nisi lumen aut dies sit, nullus ministerii erit usus; ut aures, nisi vox sonusve reddatur, munus suum non recognoscent; ut nares, nisi odor fragraverit, in quo officio erunt nescient; non quod his deficiet natura per causam, sed usus habetur ex causa: ita et animus humanus nisi per fidem donum

(5) In anterioribus, *Jesum.*
(6) Ita ex libro nostro. In præcedente, *donationum.*
(7) *Donatur.*
(8) *Genera sermonum.*
(9) *Nisi lumen ac dies sit.*

(*a*) Hujus distinctionis usus rursum recurrit lib. IV, n. 21: *Duplex autem in angelo Dei significatio est: ipse qui est, et ille cujus est.* Ejusdem vestigium deprehendimus apud Tertullianum contra Praxeam, n. 26, ubi ait: *Nulla res alicujus, ipsa est cujus est.* Clarius mox enuntiatur distinctionis membrum, cum pro *cujus est*, legitur *qui ejus est.*

(*b*) Editi, *ibi libertas, et eum cujus est significat:* refragantibus mss.

(*c*) In mss. probæ notæ Colb., Remig., Germ. et alio Colb., *haberet:* quod licet præferre tacita voce *causa.* In Vict., *lateret.* Legendum olim conjectavit Erasmus, *ne quis in his difficultatibus hæreret.*

(*d*) Subjungunt hic plerique mss. cum excusis, *Spiritum paracletum; ipse me clarificabit: et rursum, Rogabo, inquit, patrem meum, et alium advocatum mittet vobis.* Quæ verba ut perperam et confuse repetita removimus auctoritate cod. Colb. nec non German. et Vict.

(*e*) Munus est Spiritus sanctus; munerans autem, qui illum largitur ac mittit, quod in locis proxime allatis Filio non minus attribuitur quam Patri.

(*f*) Editi, *in timore.* Malumus cum uno ms. Colb. *in timorem*, quod infra lib. VI, n. 44, magno consensu habent veteres libri, juxta græc. εἰς φόβον. Deinde post verbum *adoptionis*, addunt editi *filiorum*: nullo fere suffragante ms.

(*g*) Plerorumque mss. auctoritate removimus hinc: *Et rursum, Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* Hæc porro Apostoli verba infra, n. 35, relaturus Hilarius, cum præmittit, *ut jam superius ostendimus*, indicat eadem num. 29 jam relata.

(*h*) Abest *Dei* a vetere ms. Colb.; secus autem lib. VIII, n. 27. Mox in Carnut., Colb., Vict., *anathema Jesu*, non *Jesum.*

(*i*) Unus codex Colb. ac Sorbon. cum Carnut., *idem autem spiritus*, quod et infra repetunt, pro, *sed idem Deus.*

(*j*) In vetusto ms. Colb., *separatio spiritus.*

(*k*) Bad., Er. et Lips. cum aliquot mss., *interpretatio sermonum;* dissentientibus melioribus et græco textu.

(*l*) Lips. et Par., *nisi lumen accedat, nullus*, etc., renitentibus cæteris libris.

Spiritus (*a*) hauserit, habebit quidem naturam Deum intelligendi, sed lumen scientiæ non habebit. Munus autem quod in Christo est, omne omnibus patet unum : et quod ubique non deest, in tantum datur in quantum quis (1) volet sumere ; in tantum residet, in quantum quis volet promereri. Hoc usque in consummationem sæculi nobiscum, hoc exspectationis nostræ solatium, hoc, in donorum operationibus futuræ spei pignus est hoc mentium lumen, hic splendor animorum est. Hic ergo Spiritus sanctus expetendus est, promerendus est, (*b*) et deinceps præceptorum fide atque observatione retinendus.

49 LIBER TERTIUS.

Æternam Verbi generationem adstruit, eosque retundit qui humana adversus illam ratione nituntur.

Ac primo quidem hæc Filii verba, Ego in Patre, et Pater in me, *ubi sensus humani captum superare demonstravit, ex ipsa Scripturarum de Patre et Filio doctrina luculenter explicat. Deinde ex mira aquæ in vinum conversione, et ex quinque panum incrementis, evincit multa Deum posse, in quibus deficiat humanæ mentis acies. Tum affertur humana ratio, qua nullam ex Deo nativitatem esse posse contendunt, multisque exploditur : 1° quia ortum habet ex humana sapientia, quam se perditurum Deus propheticis et apostolicis oraculis declaraverit. 2° Quia præstat audire Christum, ad hoc hominem factum ; ut rerum divinarum nobis testis esset (Hic expenduntur verba, quibus dispensationis suæ opus et officium exposuit, ac veram ex Deo nativitatem suam multis argumentis testatam fecit). 3° Quia ne conspicabilium quidem Christi gestorum, illius v. g. ad discipulos januis clausis ingressu, intelligentiam assequimur. 4° Denique quia ea est mentis humanæ natura, ut cum creata et imperfecta sit, concipere non valeat perfectum et Creatorem suum. Postremo laudatur sapiens stultitia fidelium, qui sibi diffidunt ut Deo credant, nec divina ex propriæ rationis infirmitate moderantur, sed secundum omnipotentis virtutis infinitatem expendunt.*

1. *Filium in Patre, et vicissim, sensus humanus non capit.* — Affert plerisque obscuritatem sermo Domini, cum dicit : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 11), et non immerito ; natura enim intelligentiæ humanæ rationem dicti istius non capit. Videtur namque non posse effici, ut quod in altero sit, æque id ipsum extra alterum sit ; et cum necesse sit ea, de quibus agitur, non solitaria sibi esse, numerum (*c*) ac statum tamen suum, in quo sint, conservantia, non posse se invicem continere, ut qui aliquid aliud intra se habeat, atque (*d*) ita maneat manensque semper exterior, ei vicissim, quem intra se habeat, maneat æque semper interior. Hæc quidem sensus hominum non consequetur, nec exemplum aliquod rebus divinis comparatio humana præstabit : sed quod inintelligibile est homini, Deo esse possibile est. Hoc non a me ita dictum sit, ut ad rationem dicti (*e*) ea tantum sufficiat auctoritas, quod a Deo dictum sit. Cognoscendum itaque atque intelligendum est quid **50** sit illud : *Ego in Patre, et Pater in me ;* si tamen comprehendere hoc ita ut est valebimus : ut quod natura rerum pati non posse existimatur, id divinæ veritatis ratio consequatur.

2. *Cognito Patre et Filio juxta Scripturas, facilius illud percipitur. Quid Pater.* — Atque ut facilius intelligentiam difficillimæ istius quæstionis consequi possimus, prius Patrem et Filium secundum divinarum Scripturarum doctrinam cognosci a nobis oportet, ut de cognitis ac familiaribus absolutior sermo sit. Æternitas Patris, ut libro anteriore tractavimus, (2) (*f*) locos, tempora, speciem, et quidquid illud humano sensu concipi poterit, excedit. Ipse extra omnia et in omnibus, capiens universa et capiendus a nemine, non accessu decessuve mutabilis ; sed invisibilis est, incomprehensibilis, plenus, perfectus, æternus, (*g*) non aliunde quid sumens, sed ad id quod ita manet sibi ipse sufficiens.

(1) In ms. *volet*, sed eadem, ut videtur, manus addidit *voluerit*.

(*a*) In duobus mss. Colb., Germ., Corb., Prat., etc., *auxerit*.

(*b*) In ms. Silvæ-majoris additur hic, *adorandus est*.

(*c*) Addimus hic *ac statum* auctoritate mss. Tell., Colb. ac Sorbon. *Status* nomine substantiam intelligit Tertullianus contra Praxeam n. 2. ubi de Trinitate ait : *Tres autem non statu, sed gradu :* et paulo post, *unius autem substantiæ, unius status, unius potestatis.* At hic potius existendi rationem ac situm sonat. Mox verbum *continere*, regitur a superiore *videtur*.

(*d*) Tres mss. recentiores, *atque extra manent* : male. Hoc enim sibi vult : videtur non posse effici, ut qui aliud intra se habet, quod semper sic maneat intra se, nec statum mutet, ita sit exterior ei rei, quam intra se habet ut ei vicissim sit interior.

(*e*) In duobus mss. *ea tamen*. In aliis libris, *ea tantum* : quod subsequentibus magis consentaneum est. Hæc ab Hilario pressius dicta, fusius edisserit Augustinus epist. CXX. ubi Consentium, fidei totum, rationi nihil concedentem non probans, ait num. 4 : *Monet apostolus Petrus paratos nos esse debere ad responsionem omni poscenti nos rationem de fide et spe nostra.* Et num. 3 : *Absit namque, ut hoc in nobis Deus oderit, in quo nos reliquis animantibus excellentiores creavit.* Quibus aliisque Consentii errorem depellit, fideique intelligentiam, *ad quam ratio vera perducit, fides animum præparat*, præponendam docet, n. 6 et 8, quamvis tamen rationabile præceptum sit, *ut ad magna quædam, quæ capi nondum possunt, fides præcedat rationem.* Imo, inquit, n. 5 : *Si* hoc præceptum *rationabile est, procul dubio quantulacumque ratio, quæ hoc persuadet, etiam ipsa antecedit fidem.* Fidem enim ea præcedit ratio, Deo scil. qui nec falli nec fallere potest, credendum esse. Hanc regulam in omnibus secutus est Hilarius, primo Dei dictis firmissime credens, ac tum fidei suæ rationem reddere non contemnens. Videsis lib. VIII, num. 1, etc.

(*f*) Editi, *locum* : repugnantibus mss. Sic et in psal. CXXXVIII, n. 18, Patris natura dicitur *ultra omnes locos* esse.

(*g*) Ita mss. At editi, *non aliunde quod est sumens.*

3, *Filius quid nascendo a Patre accepit. Quid nascendo in carne pro nobis assumpserit.*—Hic ergo ingenitus ante omne tempus ex se filium genuit, non ex aliqua subjacente **51** materia, quia per Filium omnia ; non ex nihilo, quia ex se filium (*a*) : non ut partum , quia nihil in Deo demutabile aut vacuum est ; non partem sui vel divisam vel discissam vel extensam ; quia impassibilis et incorporeus Deus est, hæc autem passionis et carnis sunt, et, secundum Apostolum, *in Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 9). Sed incomprehensibiliter, inenarrabiliter, ante omne tempus et sæcula, Unigenitum ex his quæ ingenita in se erant procreavit, omne quod Deus est per charitatem atque virtutem nativitati ejus impertiens : ac sic ab ingenito, perfecto, æternoque Patre, unigenitus et perfectus et æternus est Filius. Ea autem, (1) (*b*) quæ ei sunt secundum corpus quod assumpsit, bonitatis ejus ad salutem nostram voluntas est. Invisibilis enim et incorporeus et incomprehensibilis, utpote a Deo genitus, tantum in se et materiæ et humilitatis recepit, quantum in nobis erat virtutis ad intelligendum se et sentiendum et contuendum; imbecillitati nostræ potius obtemperans, quam de his in quibus erat ipse deficiens.

4. *Qua ratione sit in Patre.*— Igitur perfecti patris perfectus filius, et ingeniti Dei unigenita progenies, qui ab eo qui habet omnia accepit omnia, Deus a Deo, spiritus a spiritu, lumen a lumine, confidenter ait : *Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* x, 38) : quia ut spiritus Pater, ita et Filius Spiritus ; ut Deus Pater, ita et Filius Deus ; ut lumen Pater, ita et Filius lumen. Ex iis ergo , quæ in Patre, sunt ea in quibus est Filius, id est, ex toto Patre totus Filius natus est ; non aliunde, quia nihil ante quam Filius ; non ex nihilo, quia ex Deo Filius ; non in parte, quia plenitudo deitatis in filio ; neque in aliquibus, quia in omnibus : sed ut voluit qui potuit, (*c*) ut scit qui genuit. Quod in Patre est, hoc et in Filio est ; quod in ingenito, hoc et in unigenito ; alter ab altero, et uterque unum ; non duo unus, sed alius in alio, quia non aliud in **52** utroque ; Pater in Filio, quia ex eo Filius ; Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius ; unigenitus in ingenito, quia ab ingenito unigenitus. Ita in se invicem ; quia ut omnia in ingenito patre perfecta sunt, ita omnia in filio unigenito perfecta sunt. Hæc in Filio et Patre unitas, hæc virtus, hæc charitas, (*d*) hæc spes, hæc fides, hæc veritas, via, vita, non calumniari de virtutibus suis Deo, nec (*e*) per secretum ac potestatem nativitatis obtrectare Filio ; Patri ingenito nihil comparare, Unigenitum ab eo nec tempore nec virtute discernere, Deum filium quia ex Deo est confiteri.

5. *Dei potentia se gestis ostendit : quorum ratio lateat. Homo non capit qui aqua in vinum sit conversa.*— Sunt istiusmodi in Deo potestates, quarum cum ratio intelligentiæ nostræ incomprehensibilis est, fides tamen per veritatem efficientiæ (*f*) in absoluto est. Nec hoc in spiritalibus tantum, sed etiam in corporalibus deprehendemus ; non ad nativitatis exemplum, sed ad admirationem facti intelligibilis ostensum (*g*). Nuptiarum die vinum in Galilæa ex aqua factum est (*Joan.* II, 9) : numquid consequetur aut sermo noster aut sensus, quibus modis natura demutata sit, ut aquæ simplicitas defecerit, vini sapor natus sit? Non permixtio fuit, sed creatio ; et creatio non a se cœpta, sed ex alio in aliud existens : non per transfusionem potioris obtinetur quod infirmius est, sed aboletur quod erat, et quod non erat cœpit. Sponsus tristis est, familia turbatur, solemnitas nuptialis convivii periclitatur. Jesus rogatur : non exsurgit, aut instat, sed quiescentis ejus hoc opus est. Aqua hydriis infunditur, vinum calicibus hauritur ; infundentis scientiæ sensus non convenit haurientis. Qui infuderunt, hauriri aquam existimant ; qui hauriunt,

(1) *Quæ ejus sunt* ; et mox, *ut pote ab eo genitus*, non *a Deo genitus*.

(*a*) Addunt hic duo mss. *genuit :* quod in aliis libris probe reticetur.

(*b*) In vulgatis, *quæ ejus sunt* ; et mox, *utpote ab eo genitus*. Magis placet *ei*, et *Deo*, cum ms. Vat. bas. et altero Colb.

(*c*) Editio Par. ad Nivellianam expressa, *ut sit qui genuit*, mendose. Hic respicitur illud, *Nemo novit Filium, nisi Pater*, etc. Cum proxime ait Hilarius, *ut voluit qui potuit*, et alia hujusmodi lib. VI, n. 21 et cap. 16, in Matth. n. 4, Patris voluntati Filium videtur subjicere, tum ut sit, tum ut æqualis ipsi sit. Contra Athanasius Or. II, cont. Ar. p. 335, hoc inter creatam rem et Filium discrimen statuit, quod hic sit proprium paternæ substantiæ germen, illa vero quid extraneum, quod ex Patris voluntate, cui ille non subjacet, pendeat : Τὸ μὲν ποίημα οὐκ ἀνάγκη ἀεὶ εἶναι· ὅτε γὰρ βούλεται δημίουργος ἐργάζεται· τὸ δὲ γέννημα οὐ βουλήσει ὑπόκειται, ἀλλὰ τῆς οὐσίας ἐστὶν ἰδιότης. Sic et Cyrillus lib. VII Thesauri : *In naturalibus nulla præcedit voluntas, quæ locum in iis solum habet, quæ sunt extra deliberantis substantiam.* At sententiam suam ipse explicat Hilarius l. de Synod. n. 58, ubi primum cum Athanasio et Cyrillo consentiens ponit, *Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit : sed naturam Filio dedit... perfecta nativitas*, etc. Tum indicat se Filium volente Patre natum ad hoc tantum prædicare, ne invitus Pater et non sine passione eum genuisse existimetur. Qua ratione Cyrillus, lib. VII Thesauri : *Licet non ex voluntate genuerit Filium, non tamen invitus habet eum ; vult enim Filium et amat : sicut quod bonus et misericors sit, licet non habeat præcedente voluntate et electione, non tamen invitus hæc habet , vult enim id esse quod est.* Eadem fere repetit dial. 2 de Trinit.

(*d*) Apud Par. omittitur *hæc spes*. Mox verbum *calumniari* positum videtur pro imminuere et detrahere Deo aliquid de potentia sua. Jam legimus in psal. CXXXVII, n. 16 : *in calumnia vestis*, pro, quando quis vult auferre vestem : et lib. X de Trin. n. 28, legere est *in ipsa trunci corporis calumnia*, pro, in ipsa auris amputatione.

(*e*) Id est, propter secretum ac potestatem nativitatis, quo non penetrat mens humana.

(*f*) Hoc est, ratio nostra certo percipit effectum esse e Deo, quamvis non comprehendat quomodo factum sit, aut etiam qua ratione fieri potuerit.

(*g*) Ms. Colb. cum Germ., *est ostensum*. Mox, restituimus ex mss. *in Galilæa*, ubi vulgatum erat *in Cana Galilææ*.

vinum infusum arbitrantur ; tempus, quod in medio est, (1) (*a*) non proficit ut liquoris natura et nascatur et pereat. Ratio facti et visum frustratur et sensum ; virtus tamen Dei in his quæ sunt gesta sentitur.

53 6. *Aut quomodo quinque panes excreverint.* — Sed et de quinque panibus non dissimilis facti admiratio est (*Matth.* XIV, 17). Incrementis eorum, quinque millium virorum et innumerabilium mulierum ac puerorum fames vincitur : fugit oculos sensus nostri, operis intelligentia. Quinque panes offeruntur et franguntur, subrepunt præfringentium manibus quædam fragmentorum procreationes. Non imminuitur unde præfringitur ; et tamen semper præfringentis manum fragmenta occupant. Fallunt momenta visum ; dum plenam fragmentis manum sequeris, alteram sine damno portionis suæ contueris ; inter hæc fragmentorum cumulus augetur. Præfringentes in ministerio sunt, edentes in negotio sunt, esurientes saturi sunt, duodecim cophinos replent reliquiæ. Non sensus, non visus profectum (*b*) tam conspicabilis operationis assequitur. Est quod non erat, videtur quod non intelligitur : solum superest ut Deus omnia posse credatur.

7. *Hæc non sui causa egit Christus, sed ut humanum de Dei rebus judicandi pruritum retunderet.* — Non habent itaque divina adulationem, nec subest Deo ad placendum fallendumque simulatio. Hæc filii Dei opera non de jactantiæ studio sunt profecta : neque enim ille, cui innumerabilia millia millium angelorum serviunt, adulatus est homini. Quid enim eorum quæ nostra sunt indigebat, per quem sunt universa quæ nostra sunt ? An honorem a nobis expostulabat, nunc a somno stupidis, nunc de luxu (*c*) noctium fessis, nunc post rixas et cædes dierum male conscIis, nunc post convivia ebriis, quem Archangeli, et Dominatus, et Principatus, et Potestates sine somno, sine occupatione, sine crimine æternis et indefessis in cœlo vocibus laudant : et laudant, quia ipse invisibilis Dei imago omnes (*d*) in se creaverit, sæcula fecerit, cœlum firmaverit, astra distinxerit, terram fundaverit, abyssos demerserit ; ipse deinceps homo natus sit, mortem vicerit, portas inferi fregerit, cohæredem sibi plebem acquisiverit, carnem in æternitatis gloriam ex corruptione transtulerit. Nihil ergo iste egerit a nobis, ut hæc eum apud nos inenarrabilia et inintelligibilia opera tamquam egentem laudis ornarent. Sed providens Deus nequitiæ et stultitiæ humanæ errorem, et sciens eo usque infidelitatem prorupturam esse, ut sibi de Dei rebus judicium præsumeret, audaciam nostram earum, de quibus ambigeretur, rerum vicit exemplis.

8. *Humana ratio contra generationem Dei reprobatur.* — Sunt enim plures sæculi prudentes, quorum prudentia Deo stultitia est, qui cum audiunt Deum ex Deo, verum a vero, perfectum **54** a perfecto, unum ab uno natum esse, tamquam impossibilia nobis prædicantibus contradicant, quibusdam sententiarum collectionibus inhærentes, cum dicunt : « Nasci nihil potuit ab uno, quia omnis ex duobus nativitas est. Jam si ab uno natus hic filius est, partem ejus qui genuit accepit : et si pars, neuter ergo perfectus est ; deest enim ei unde decessit : nec plenitudo in eo erit, qui ex portione constiterit : neuter ergo perfectus est, cum plenitudinem suam et qui genuerit amittat, nec qui natus est consequatur. » Hanc mundi sapientiam etiam per prophetam providens Deus, ita damnat, dicens : *Perdam sapientiam sapientium, et* (*e*) *intellectum prudentium reprobabo* (*Esa.* XXIX, 14). Item in Apostolo : *Ubi est sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus sæculi ? Nonne stultam fecit Deus prudentiam hujus mundi ? Nam quia in sapientia Dei non cognovit mundus per prudentiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes : quoniam Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, iis autem qui sunt vocati, Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam : quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus ; et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (I *Cor.* I, 20 *et seqq.*).

9. *Christi officium apud nos.* — Curam ergo humani generis habens Dei filius, primum, ut sibi crederetur, homo factus est : ut testis divinarum rerum nobis esset ex nostris, perque infirmitatem carnis Deum patrem nobis infirmibus et carnalibus prædicaret, voluntatem in eo Dei patris efficiens, ut dicit : *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38), (*f*) non quod nolit et ille quod faciat ; sed obedientiam suam sub effectu paternæ voluntatis ostendit, volens ipse voluntatem Patris explere. Erat autem hæc efficiendæ voluntatis voluntas, cujus ipse testis est dicens : *Pater, venit hora, clarifica filium tuum,* (2) *ut filius clarificet te : sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod*

(1) *Non sufficit*, secunda manu.
(2) Legimus, *ut filius tuus*, ut in Vulgata ac plerisque Græcis codicibus. Sic et idem Hilarius infra n. 10.

(*a*) Editi excepto Par. et plures mss. *non sufficit.* Retinemus lectionem Par. quæ est vetustiorum mss. Tum apud Er., Lips. et Par. *ut in liquoris natura.* Melius abest *in* ab aliis libris : hic enim *liquoris* vocabulum et vinum nascens, et aquam pereuntem pariter enuntiat.

(*b*) Bad., Er. et Lips. *tam inconspicabilis.* Malumus cum Par. et nostris mss. *tam conspicabilis*, vel cum codice Vat. bas., *tamen conspicabilis.* Sermo enim hic est, ut supra promissum erat, de exemplo corporali. Unde et in Matth. c. 14, n. 12, de eodem miraculo habes : *Agitur enim in opere visibili invisibilis molitio.*

(*c*) Er., Lips. et Par. *noctium vigilatarum.* Expunximus verbum *vigilatarum* auctoritate Bad. et mss. quod Erasmus videtur addidisse de suo.

(*d*) Par. post Lipsium ex Erasmi margine, *per se creaverit.* Mox mss. Colb. et Carn., *astra distrinxerit, non distinxerit.*

(*e*) Carnut. ms. *prudentiam prudentium.*

(*f*) In duobus mss. Remig. et uno Theod., *non quod nollet :* minus vere. Confer tract. psal. CXXXIX, n. 12.

dedisti illi, det ei vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opere consummato quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me Pater apud temetipsum claritate quam habui, prius quam mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi (*Joan.* XVII, 1 *et seqq.*). Verbis brevibus et paucis omne opus officii sui et dispensationis exposuit, nihilo minus fidei (*a*) veritatem **55** adversum omnem inspirationem diabolicæ fraudulentiæ communiens. Curramus ergo per singulas sermonis sui virtutes.

10. *Quid postulet dicens*, CLARIFICA FILIUM. — Ait : *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* Non diem, non tempus, sed horam venisse dicit. In hora diei portio est. Et quæ hæc erit hora? Nempe illa, de qua in tempore passionis discipulos confirmans locutus est : *Ecce venit hora, ut filius hominis clarificetur* (*Joan.* XII, 23) : Hæc ergo hora est, in qua se a Patre clarificari orat, ut Patrem ipse clarificet. Sed quid est istud ? Clarificari se clarificaturus exspectat, et honorem redditurus expostulat, et eget hoc quod rursum impertiet? Et hic occurrant sophistæ mundi et sapientes Græciæ, et syllogismis suis veritatem irretiant. Quomodo et unde et quid causæ sit quærant : et cum hæserint, audiant, Quia stulta mundi elegit Deus (*b*) (I *Cor.* I, 27). Ergo per stultitiam nostram intelligamus inintelligibilia sapientibus mundi. Dixerat Dominus, *Pater, venit hora* : horam passionis ostenderat ; nam hæc sub momento eo loquebatur : deinde adjecit, *Clarifica filium tuum*. Sed quomodo clarificandus erat Filius? Namque natus ex virgine, a cunis et infantia usque ad consummatum virum venerat : per somnum, famem, sitim, lassitudinem, lacrymas hominem egerat, etiam nunc conspuendus, flagellandus, crucifigendus. Quid ergo ? Nobis solum hominem in Christo hæc erant contestatura. Sed non confundimur cruce, non flagellis prædamnamur, non sputis sordidamur. Clarificat Pater Filium. Quo modo? Tandem suffigitur cruci. Deinde quid sequitur ? Sol non occidit, sed refugit. Quid refugisse dico? Non receptus in nubem est, sed de cursu operis defecit : et interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt : et ne huic facinori (*c*) ullæ cœlestes operationes interessent, intercessionis hujus necessitate quadam sui abolitione caruerunt. Sed terra quid fecit? Ad onus Domini in ligno pendentis intremuit, eum qui moriturus erat intra se contestata non capere. Numquid et portionem suam rupes et saxa concedunt ? Sed rupta dissiliunt, et naturam suam perdunt, cæsamque ex se arcam incontinentem condendi corporis confitentur.

11. *Christus proprius est Dei filius.* — Quid ad hæc? Proclamat quoque centurio cohortis, et crucis custos, *vere Dei* **56** *Filius erat iste* (*Matth.* XXVII, 54). Creatura intercessione hujus piaculi liberatur ; firmitatem et virtutem saxa non retinent. Qui cruci affixerant, vere Dei Filium confitentur : prædicationi consentit effectus. Dominus dixerat : *Clarifica Filium tuum*. Non solum nomine contestatus est esse se filium, sed et proprietate, qua dicitur *tuum*. Multi enim nos filii Dei, sed non talis hic filius. Hic enim et verus et proprius est filius, origine, non adoptione ; veritate, non nuncupatione ; nativitate, non creatione. Ergo post clarificationem ejus, veritatem confessio consecuta est. Nam verum Dei filium centurio confitetur ; ne quis credentium ambigeret, (*d*) quod homo persequentium non negasset.

12. *Claritas Filio danda et Patri ab eo reddenda virtutis in utroque unitatem significat.* — Sed forte ea clarificatione (1) creditur eguisse Filius quam orabat : et infirmus reperietur, dum clarificationem potioris exspectat. Et quis non Patrem (*e*) potiorem confitebitur, ut ingenitum a genito, ut patrem a filio, ut eum qui miserit ab eo qui missus sit, ut volentem ab eo qui obediat ? Et ipse nobis erit testis : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Hæc ita ut sunt, intelligenda sunt : sed cavendum est, ne apud imperitos gloriam Filii honor Patris infirmet. Nec (*f*) infirmari (2) patitur hæc ipsa clarificatio postulata : ad id enim quod dictum est, *Pater, clarifica Filium tuum* ; sequitur et illud, *ut Filius clarificet te*. Non ergo infirmus est Filius, vicem clarificationis ipse, cum clarificandus sit, redditurus. Sed si non infirmus, quid postulabat? nemo enim nisi hoc quod (*al.* quo) eget postulat. Aut numquid infirmus est et Pater? Aut eorum quæ habet ita profusus est, ut ei clarificatio sit reddenda per Filium ? Sed neque hic eguit, neque ille desiderat : et tamen alteri alter (*g*) impertiet. Ergo expostulatio clarificationis dandæ, vicissimque reddendæ, nec Patri quidquam adimit, nec infirmat Filium ; sed eamdem divinitatis ostendit in utroque virtutem cum et clarificari se Filius a Patre oret, et clarificationem Pater non dedignetur a Filio : sed hæc in Patre et Filio virtutis unitatem, per vicissitu-

(1) *Crederetur.*

(2) *Se patitur.*

(*a*) Sola editio Par. *fidei voluntatem.*

(*b*) Carnutensis codex hic addit, *ut confundat sapientes.*

(*c*) Vulgati, *illæ cœlestes* : castigantur ex mss.

(*d*) Lips. et Par. post Er., *quod unus persequentium* : nullius veteris libri auctoritate.

(*e*) Sicut illæsa fide Hilarius hic Patrem affirmat Filio potiorem, qua de re mentem suam explicans in psal. CXXXVIII, n. 17, ait : *Est enim Pater major Filio, sed ut pater filio, generatione non genere*, et sicut ei consentiens Athanasius Or. II cont. Ar., p. 363, habet : *Pater major est Filio, non magnitudine aliqua vel tempore, sed propter generationem ex ipso Patre* : ita et excusari potest illud Origenis, t. III, in Joan. edit. Huetii, p. 70 : *Tertio dicitur hæc lux lux vera : qua ratione Pater veritatis Deus amplior et major est, quam veritas ; et pater cum sit sapientia, præstantior est ipsa sapientia : hac etiam ratione excellit eum qui est lux vera*, scilicet Christum. Idem esto judicium de similibus aliorum Patrum sententiis.

(*f*) In vulgatis, *infirmari se patitur*. Abest se a mss. cujus loco intelligere est *gloriam Filii.*

(*g*) Ita mss. At editi, *impertit.*

dinem dandæ et (1) (*a*) rependendæ clarificationis ostendunt.

13. *Claritas quam sibi Pater et Filius exhibent, quæ sit.* — Sed clarificatio hæc quæ sit, et ex quibus sit, noscendum est (*Tres mss.* docendum). Non, opinor, demutabilis Deus est, neque in æternitatem cadit aut vitium aut emendatio, aut profectus aut damnum ; sed quod est, semper est, **57** hoc enim Deo est peculiare. Quod semper est, habere aliquando in natura non poterit ut non sit : quo modo ergo clarificabitur, quod suo non eget, neque a se deficit ; (*supple*, ita ut) neque quidquam sit quod in se recipiat, neque amiserit ut resumat? Hæremus, moramur. Sed intelligentiæ nostræ infirmitatem Evangelista non deserit, qui quam clarificationem Patri Filius esset redditurus ostendit, dicens : *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti illi, det ei vitam æternam. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 2 *et* 3). Clarificatur ergo per Filium Pater, in eo quod sit a nobis (*b*) intelligendus. Claritas autem hæc erat, quod ab eo Filius potestatem omnis carnis acceperat (*c*) caro factus ipse, quod vitæ æternitatem erat caducis et corporeis et mortalibus redditurus. Vitæ autem nostræ æternitas non operationis erat, sed virtutis effectus . cum æternitatis gloriam non jam molitio nova, sed sola Dei esset cognitio sumptura. Ergo non claritas Deo additur ; neque enim decesserat ut adderetur : sed per Filium clarificatur apud nos imperitos, refugas, sordidos, (*d*) sine spe mortuos, sine lege tenebrosos ; et clarificatur per id, quod ab eo Filius potestatem omnis carnis acceperit, vitam ei æternam daturus. Per hæc igitur Filii opera clarificatur Pater. Itaque cum omnia Filius accepit, clarificatus a Patre est ; et contra clarificatur Pater, cum fiunt universa per Filium. Et claritas accepta sic (2) redditur, ut quod claritatis in Filio est, id totum claritas Patris sit : quia a Patre accepit omnia ; quia honor famulantis (*e*) in honorem mittentis est, ut honor gignentis in honorem nascentis est.

14. *Spes vitæ non in solo Patre, sed et in Filio. Missio non naturam, sed personas discriminat.* — Sed in quo tandem æternitas vitæ est? Ait ipse : *Ut cognoscant te solum verum Deum ; et quem misisti Jesum Christum.* Quæ hic difficultatum quæstiones sunt, et quæ A pugna verborum est? Vita est verum Deum nosse : sed nudum hoc non facit vitam. Quid ergo connectitur? *Et quem misisti Jesum Christum.* Debitus Patri a Filio honor redditur, cum dicit *te solum verum Deum.* Non tamen se Filius a Dei veritate secernit, cum adjungit : *et quem misisti Jesum Christum.* Non habet intervallum confessio credentium, qui in utroque spes vitæ est : nec Deus verus ab eo deficit, qui in conjunctione succedit. Cum ergo dicitur : *Ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum;* sub **58** hac significatione, id est, mittentis et missi, non Patris et Filii veritas et divinitas sub aliqua aut significationis aut dilationis diversitate discernitur, sed ad gignentis et geniti confessionem fides religionis instruitur.

B 15. *Laus Filii laus est Patris.* — Ergo absolute Patrem Filius clarificat in eo quod sequitur : *Ego te clarificavi super terram opere consummato, quod dedisti mihi ut faciam.* Laus Patris omnis a Filio est : quia in quibus laudabitur Filius, laus erit Patris. Consummat enim omnia, quæ Pater voluit. Dei Filius homo nascitur ; sed Dei in partu virginis virtus est. Dei Filius homo cernitur ; sed Deus in operibus hominis existit. Dei Filius cruci figitur ; sed in cruce hominis mortem Deus vincit. Christus Dei Filius moritur ; sed omnis caro vivificatur in Christo. Dei Filius in inferis est ; sed homo refertur ad cœlum. In quantum hæc laudabuntur in Christo, tanto plus laudis a quo Christus Deus est consequetur. His igitur modis Pater Filium clarificat super terram : rursumque Filius ignorationi gentium et stultitiæ sæculi, per C (*f*) virtutum suarum opera, eum ex quo est ipse clarificat. Et hæc quidem clarificationis vicissitudo non pertinet ad divinitatis profectum, sed ad honorem eum qui ex cognitione ignorantium suscipiebatur. Quo enim Pater non abundabat, ex quo sunt omnia? Vel quid Filio decrat, in quo complacuerat omnem plenitudinem divinitatis habitare? Ergo clarificatur Pater in terra, quia opus ejus quod mandavit efficitur.

16. *Quam claritatem a Patre exspectet Filius.* — Videamus quid Filius a Patre clarificationis exspectet : et absolutum est. Nam (3) in continentibus est : *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem : et nunc clarifica me,* (4) *Pater,* D *apud temetipsum ea claritate quam habui, priusquam*

(1) In mss. prius *repetendæ*, deinde ex emendatione, *referendæ.*

(2) In nostro codice ex antiquæ manus emendatione, *sic creditur.*

(3) *In consequentibus.*

(4) *Tu Pater*, ut in Græco textu atque Vulgata.

(*a*) In vulgatis, *dandæ et referendæ.* In uno ms. Sorbon. *dandæ et recipiendæ.* In nonnullis aliis, *dandæ et repetendæ.* Sincerior nobis visa est lectio vetusti codicis Colbertini.

(*b*) In excusis hic additur *per filium*, quod abest a mss. Neque vero in evangelicis verbis, *ut cognoscant te*, etc. ; quæ hic explicantur, exstat *per filium :* quod neque ad scopum Hilarii pertinet. Vult enim, tantum claritatem Dei nihil ei addere quod prius careret : quia tunc clarificandus est, cum a nobis est intelligendus, nec quidquam ei adjicit hæc cognitio nostra.

(*c*) Ita vetus codex Colb. cui favent cæteri, in quibus, *caro autem factus ipse quod* (In Viet. *qui*) *vitæ æternitatem.* At in editis, *caro enim factus ipse vitæ æternitatem.*

(*d*) Bad. et Er. *sine spiritu emortuos.* In uno ms. Colb. *sine spe morituros.*

(*e*) Ita unus codex Colb. Alii vero libri hic et mox, *in honore.*

(*f*) Vaticanæ basilicæ codex, *per virtutem suarum operationum.* Carnut. *per virtutum suarum operationem.*

mundus esset, apud te. Manifestavi nomen tuum hominibus (*Joh.* XVII, 4). Operibus ergo Filii clarificatus est Pater: dum Deus esse intelligitur, dum Dei unigeniti pater manifestatur, dum ad salutem nostram filium suum etiam ex virgine natum esse hominem voluit, in quo explentur ea omnia in passione, quæ de partu virginis cœpta sunt. Itaque quia Dei filius ex omni (*a*) qua est parte perfectus, et ante omne tempus in divinitatis plenitudine natus, nunc a carnis suæ origine homo, consummabatur ad mortem; clarificari se apud Deum postulat, sicut Patrem ipse clarificabat in terris: quia tum Dei virtutes ignoranti sæculo clarificabantur in carne. **59** Nunc autem quid est quod apud Patrem (*b*) clarificationis exspectet? Nempe hoc quod habuit apud eum, prius quam mundus esset. Habuit (*c*) plenitudinem divinitatis; atque habet, namque Dei filius. Sed qui erat Dei filius, et (*ceu* etiam) hominis cœperat esse filius; erat enim Verbum caro factum. Non amiserat quod erat, sed cœperat esse quod non erat; non de suo destiterat, sed quod nostrum est acceperat: profectum (*puta*, humanæ naturæ) ei quod accepit, ejus claritatis expostulat unde non destitit. Ergo quia Filius Verbum, et Verbum caro factum, et Deus Verbum, et hoc in principio apud Deum, et Verbum ante constitutionem mundi Filius: Filius nunc caro factus orabat, ut hoc Patri caro (*d*) inciperet esse quod Verbum; ut id, quod de tempore erat, gloriam ejus quæ sine tempore est claritatis acciperet; ut in Dei virtutem et spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur. Hæc itaque oratio ad Deum est, ad Patrem hæc confessio Filii est, hæc carnis deprecatio est: in qua eum judicii die compunctum et de cruce recognitum universi videbunt, in qua præfiguratus in monte est, in qua elevatus ad cœlos est, in qua Deo assedit a dextris, (1) in qua visus a Paulo est, in qua honorificatus ab Stephano est.

17. *Dei nomen ante Christum hominibus ignotum.*— Manifestato itaque hominibus nomine Patris, hæc postulat: sed quo nomine? Numquid nomen Dei ignorabatur? Hoc Moyses de rubo audivit, hoc Genesis in exordio creati orbis nuntiavit, hoc lex exposuit, prophetæ prætulerunt, homines in his mundi operibus senserunt, gentes etiam mentiendo veneratæ sunt; non ergo ignorabatur Dei nomen. (*e*) Sed plane ignorabatur. Nam Deum nemo noscit, nisi confitetur et Patrem patrem unigeniti filii, et Filium non de portione, (*f*) aut dilatatione, aut emissione; sed ex eo natum inenarrabiliter, incomprehensibiliter, ut filium a patre, plenitudinem divinitatis ex qua et in qua natus **60** est obtinentem, verum et infinitum et perfectum Deum; hæc enim Dei est plenitudo. Nam si horum aliquid deerit, jam non erit plenitudo, quam in eo habitare complacuit (*Coloss.* I, 19). Hoc a Filio prædicatur, hoc ignorantibus manifestatur; sic clarificatur per Filium Pater, cum pater filii talis agnoscitur.

18. *Nativitatis suæ fidem Christus fecit gestis. Divina quia non capiunt negantes objurgantur.*— Volens itaque Filius hujus nativitatis suæ fidem facere, factorum suorum nobis (*g*) posuit exemplum ut per inenarrabilium gestorum suorum inenarrabilem efficientiam de virtute nativitatis inenarrabilis doceremur: cum aqua fit vinum, cum quinque panes saturatis quinque millibus virorum, excepto sexu et ætate reliqua, replent fragmentis cophinos duodecim. Res cernitur, et nescitur; fit et non intelligitur; ratio non apprehenditur, et effectus ingeritur. Stultum est autem, calumniam in eo inquisitionis intendere, quod comprehendi id unde quæritur, per naturam suam non potest. Ut enim inenarrabilis est Pater in eo quod ingenitus est; ita enarrari Filius in eo quod unigenitus est non potest; quia ingeniti est imago qui genitus est. Cum enim sensu atque verbis imaginem apprehendimus, necesse est etiam eum cujus imago est consequamur. Sed invisibilia persequimur, et incomprehensibilia tentamus, quibus intelligentia ad conspicabiles res et corporeas coarctatur. Non erubescimus stultitiæ, non nosmetipsos irreligiositatis arguimus, Dei arcanis, Dei virtutibus calumniantes. Quomodo Filius, et unde Filius,

(1) Hæc verba, *in qua visus a Paulo est*, quæ Erasmiana atque Parisiensis habebant editiones, et in ea quæ huic antecessit editione suppressa, nostri mss. auctoritate reposuimus. De hac sua visione idemmet Paulus I Cor. XV, 8, sic ait: *Novissime autem omnium tamquam abortivo visus est et mihi.*

(*a*) Unus e mss. Colb. *quæ est Pater*. Carnut., *qua est Pater*. Retinenda lectio vulgata, non quod in Dei Filio ante carnis assumptionem fuerint partes, sed quod nihil ei fuerit unde non perfectus dici possit.

(*b*) Editi, *clarificationis profectum*, ac deinde Lips. et Par. *expetat:* refragantibus mss. quorum lectio sic ordinanda: *quid clarificationis est, quod apud Patrem exspectet?*

(*c*) Scil. prius quam mundus esset; *atque etiam habet*, post quam ipse factus est homo.

(*d*) Sic lib. de Synod. n. 48: *Verbum caro factum est, ut caro potius hoc inciperet esse quod Verbum:* quod non sentit Hilarius fieri mutatione substantiæ, sed qualitatis, non ut caro esse desinat quod est, sed ut absorpta corruptione in incorruptionem aliasve dotes, quæ divinæ Verbi naturæ propriæ sunt, transformetur, uti mox exponitur, et copiose ostensum est in præfatione generali § 5. Quod diligenter attendendum, ne ubi Patres antiqui carnem nostram a Christo post resurrectionem *deificatam* prædicant, carnis abolitionem sensisse temere judicentur. A quo errore sese alienum hic ostendit Hilarius, cum Christum judicii die in ea ipsa carne videndum docet, in qua transfiguratus in monte est.

(*e*) In vulgatis, *sed Deus plane*. Expuncta est vox *Deus* auctoritate mss. Hilarii sententia liquidius patet ex his lib. V, num. 27: *Et quæro an Deus verus non sit, qui tum secundum opinionem Judæorum et benedicebatur et jurabatur. Judæi namque sacramentum mysterii Dei nescientes, et per hoc Dei filium ignorantes, Deum tantum, non et Patrem venerabantur. Nam utique venerantes Patrem, venerarentur et Filium.*

(*f*) In vulgatis, *aut dilatione:* male. Nec melius deinde apud Er. et Lips. *aut remissione*. Verbis *aut dilatatione aut emissione* cavetur hæresis Sabellii, quam lib. I, num. 16, explicuimus.

(*g*) Vat. bas. ms. cum uno Colb. et Remig. *exposuit*. Mox vocem *inenarrabilium* antea omissam restituimus e mss.

et quo damno Patris, vel ex qua portione sit natus, inquirimus. (*a*) Habueras in exemplo operationum, ut crederes Deum efficere posse, quorum intelligere efficientiam non possis.

19. *Provocantur ut explicent Christi januis clausis ingressum.*— Quæris quomodo secundum Spiritum natus sit Filius : ego te de corporeis rebus interrogo. Non (*b*) quæro quomodo natus ex virgine sit; an detrimentum sui caro perfectam ex se carnem generans perpessa sit. Et **61** certe non suscepit (*c*) quod edidit, sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit, et perfectum ipsa de suis (*d*) non imminuta generavit. Et quidem fas esset, non impossibile in Deo opinari, quod per virtutem ejus possibile fuisse in homine cognoscimus.

164 20. Sed te, quisquis es, investigabilia sectantem, et divinorum secretorum atque virtutum gravem arbitrum consulo, ut mihi imperito, et tantum de omnibus Deo ut sunt ab eo dicta credenti, rationem saltem facti istius afferas. Dominum audio, et quia his credo quæ scripta sunt, scio jam post resurrectionem frequenter videndum se in corpore præbuisse multis non credentibus ; certe Thomæ, non nisi contrectatis ejus vulneribus credituro, sicut ait : *Nisi videro* (*e*) *in manibus ejus* (1) *fixuram clavorum, et misero digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (*Joan.*, XX, 25). Dominus ad omnem se intelligentiæ nostræ imbecillitatem accommodat, et dubitationi infidelium satisfacturus, arcanum invisibilis virtutis operatur : facti rationem, quisquis eris cœlestium rerum scrutator, expone. Erant discipuli (*f*) in clauso, et secreto post passionem Domini congregati consederant. Dominus **62** Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus assistit, palpandi corporis et contrectandi vulneris obtulit facultatem : et utique (2) qui compunctus recognoscendus sit, necesse est corpus in quo est compunctus attulerit. Quæro ergo per quas clausæ domus partes sese corporeus intulerit. Diligenter enim Evangelista expressit dicens : *Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio* (*g*) (*Ib.*, 26). An constructa parietum penetrans (*h*) et solida lignorum, naturam eorum impenetrabilem transcucurrit? Stetit namque corporeus, non simulatus aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, et cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia et obserata : sed esse assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia. Invisibilibus calumniaris : ego a te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tamquam lapsu insensibili ligna et lapides admittunt. Corpus Domini a sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo : et unde qui assistit in medio est ? Cedit ad hæc et sensus et sermo, et extra rationem humanam est veritas facti. Idcirco ergo ut de nativitate (*i*) fallimus, ita et de ingressus Do-

(1) Anteriores editiones, *figuram*.

(2) *Quia compunctus*.

(*a*) Bad. et Er., *hæreas*. Lips. et Par., *hærebas*. Vidit quidem Erasmus in mss. *hebueras*. Unde ad oram libri adscripsit, *Ego legendum arbitror hebueras, hoc est cæcutieras :* atque opinioni illius Ludovicus Myræus perperam subscripsit; cum non ambigua sit lectio mss. *habueras ut*, seu unde, *crederes*. Sic lib. VII, n. 51 : *Habueras in confessione eorum, quibus desæviente vento.... erat restituta tranquillitas, ut et tu verum Dei filium confitereris*, etc.

(*b*) Particulam negantem, quam frustra sustulerat Lipsius, hic restituimus.

(*c*) Scilicet ex viro : *sed caro carnem* perfectam, seu hominem verum et perfectum *sine elementorum nostrorum pudore provexit :* quia nimirum omnes ex viro et femina carnis initia trahimus. Vid. lib. X, n. 35, et lib. XII, n. 49. Hunc autem locum cum altero tract. psal. LXVII, conciliavimus in notis ad eumdem tractatum.

(*d*) Illud *de suis* ita Hilariano more positum est, ut ad proximum verbum *non imminuta*, et ad subsequens *generavit* æque referendum sit, quasi haberetur, *ipsa de suis generavit*, *quamvis non imminuta de suis*. Sic autem potest intelligi de suis non imminuta, quia scil. integra et illibata virginitate generavit. At quod ex hac B. Virginis generatione deducitur, ut credibilis fiat Patris æterni generatio absque ullo ipsius damno, perperam quidam rapiunt ad infamandam Hilarii de Christi conceptione sententiam, jactantque eum sensisse Christum ex Maria nihil suscepisse. Quasi vero non in hoc maxime instituta sit ipsius comparatio, quod sicut Christus ex Mariæ substantia illæsa ipsius integritate natus est, ita absque Patris damno ex ipsius substantia generari potuit ; Christum ex Mariæ substantia generatum si negaret, nulla prorsus esset ipsius ratio. Hoc porro eum nullatenus negare evidentissimis argumentis ostensum est in præfatione generali § 1.

(*e*) Plures mss. *in manus ejus*. Tum cum Par. retinemus *figuram clavorum* consentiente vetusto codice Colb. ac Germ. juxta græc. τὸν τύπον τῶν ἥλων. In aliis autem libris, *fixuram*. Mox in ms. Carn. *per loca clavorum*, pro *in locum*.

(*f*) Editi, *inclusi*. At mss. hic, *in clauso*, et ad calcem libri in Constantium, in quem hæc translata sunt, unus Colb. *inclausi*. Jam in cap. 4, in Matth. n. 13, ex mss. restitutum est, *Qui fructus est clauso impensam luminis continere ?*

(*g*) Excusi hic subjiciunt *discipulorum suorum :* quod neque in sacro textu exstat, neque in mss.

(*h*) Ita mss. Editi vero, *et solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit*.

(*i*) Editi, *fallimur*. Rectius potiores mss. *fallimus :* Carn. *fefellimus*. Hæc enim hæreticorum nomine insinuantur, veritatem quam non comprehendunt detrectantium. Arianorum infirmæ rationi suæ nimis credentium imitator Calvinus, iis hac parte audacior fuit, quod in Joan., XX, 19, negare non dubitarit Christum per januas clausas ad discipulos transisse : concedit tamen januis eum eo sensu clausis ingressum esse ; quod cum clausæ essent, aditus illi patefactus non fuerit *manu hominis*, quemadmodum Petrus e carcere obserato, sed angeli ministerio aperto, egressus est. Tum papistarum nomine calumniatur catholicis, ideo, inquit, aliter sentientibus, *ut corpus gloriosum non modo reddant simile spiritui, sed immensum esse, nulloque loco contineri obtineant :* cum ideo tantum aliter sentiant, quia luculenta sunt Scripturæ verba, et uno Patrum consensu prout sonant intellecta. Sane frustra est Scultetus, cum animum inducere conatur, Hilarium a Calvino suo non dissidere. Quis enim non videat, ita illum verba evangelica intellexisse, ut Christum januis clausis, iisque non manu angeli aut aliqua omnipotentiæ divinæ virtute reseratis, sed cum clausæ permanerent, ad discipulos transisse crediderit. Non aliter ea intellexit Augustinus, ser. CCXLVII, n. 2, ubi Calvinum cum

mini **63** mentiamur. Dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus : et cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mendacium nostrum facti fides vincit. Adstitit Dominus clausa domo in medio discipulorum : et Filius est natus ex Patre. Noli negare quod steterit, quia per intelligentiæ infirmitatem, consistentis non consequaris introitum : noli nescire quod ab ingenito et perfecto Deo patre unigenitus et perfectus (*a*) filius Deus natus sit, quia sensum et sermonem humanæ naturæ virtus generationis excedat.

21. *Si possent, Dei opera omnia turbarent.*—Et omnia quidem insuper mundi opera adesse nobis in testimonium possent, ne ambigere de Dei rebus atque virtutibus fas crederemus. Sed in ipsam veritatem infidelitas nostra procurrit, et violenti in excidium Dei potestatis irrumpimus. Si liceret, corpora et manus ad cœlum elevaremus, solem astraque cætera annuis (*b*) cursus sui limitibus proturbaremus, permisceremus decessus Oceani et accessus, fluenta etiam fontium inhiberemus, et (*c*) naturas fluminum referremus, concuteremus fundamenta terræ, et toto in hæc opera Dei parricidio desæviremus. Sed bene, quod nos intra hanc modestiæ necessitatem natura corporum detinet. Certe non fallimus, quid, si liceret, essemus (1) facturi. Namque (*d*) quia possumus, profanæ voluntatis audacia naturam veritatis convellimus, et bellum dictis Dei comparamus.

22. *Christus Patrem nobis manifestavit ut patrem, non ut creatorem.*—Filius dixit: *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus* (*Joan.* XVII, 6). Quid ad hæc calumniamur ? quid æstuamus ? Patrem tu negas ? (*e*) Atquin hoc maximum opus Filii fuit, ut Patrem cognosceremus. Negas plane, quando secundum te Filius non ex eo natus est. (*f*) Et cur filius dicetur, factus pro voluntate quasi cætera ? Admirari Deum possum conditorem **64** mundi Christum creantem : et digna Deo virtus est, ut effectorem archangelorum et angelorum, visibilium et invisibilium, cœli atque terræ, et universæ hujus creationis effecerit. Sed non hic la-

(1) *Acturi :* mox *profane* pro *profanæ.*

suis velut in antecessum refutaturus, nativitatis exemplo factum idem confirmat. *Virgo*, inquit, *peperit, et virgo permansit : jam tunc Dominus per ostia clausa natus est.* At quomodo verum Christi corpus impenetrabilem parietum ac lignorum naturam transcurrit ? Respondet tibi Hilarius, facti veritas ex verbis evangelicis constat, quamvis modus rationem humanam omnino fugiat : sed non minus constat plus Deum posse, quam valeat humana ratio capere. Neque alia est responsio Augustini, serm. CCXLVII, n. 2, et epist. CXXXVII, n. 8, et Cyrilli Alex. lib. XII, in Joan. Ita possent absolvi multæ difficultates, quas circa sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum Calvini sectarii excogitant. Quomodo unum et idem Christi corpus in cœlo et in terra, et alia hujusmodi ? Noli sollicitus esse de modo ; cum tantum te certum voluerit Christus de facto. Erunt forte, qui etiam modos explicabunt : ut modo non desunt philosophi, qui hunc Domini ad discipulos januis clausis et nullo pacto apertis ingressum explicare se putant. Cum enim, inquiunt, conservatio sit continuata creatio, tam facile fuit Deo corporis Christi creationem immotis corporibus intermediis continuare in distanti loco, quam in proximo ; licet secundum communes naturæ leges, non continuet ullius corporis creationem, nisi aut in eodem aut in proximo loco, et eo quidem corpore, quod in illo continebatur, prius e suo situ depulso. Deo quippe facillimum fuit, ut corpus, quod uno temporis articulo volebat esse extra cubiculum, qua voluntate extra cubiculum creabatur, subsequenti voluerit esse intra cubiculum, quo actu necesse est, illæsis etiam et immotis parietibus ac foribus, sit intra cubiculum. Ea quidem ratione vidit Hilarius Christi factum explicari posse. Sed hic illudere solent phantasmata, quibus corporis intra parietes illæsos ingressum excogitare non sinitur, nisi corpus illud prius extra prorsus aboleri, ac deinde intra de novo creari ponatur. Unde noster Hilarius hic, *Corpus Domini a sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo.* Attamen corpus nunc extra, ac proxime post per creantem, aut potius conservantem, Dei voluntatem intra cubiculum a sese non deficit, cum nullo temporis momento exsistere desinat ; aut eatenus deficere dici queat, quatenus ex natura sua indiget ut quolibet temporis momento creetur : sicut per motum dici possit deficere in loco in quo non amplius creatur, et creari in eo in quo conservatur. Sive hoc, sive alio modo factus fuerit hic Christi januis clausis ingressus : quod infirmæ rationi suæ plus æquo credentibus antea videbatur, jam non videtur repugnare. Ita etiam erit fortasse, qui ratiunculas, aut potius tenebras, quibus iidem Calvini discipuli corporis et sanguinis Christi in Eucharistiæ sacramento veritatem obscurare se putant, depellet. Tutius interim erit cum tota Ecclesia facti veritatem tenere, quamvis ratio qua id fiat ignoretur.

(*a*) Ita Bad., Er. et mss. nec erat cur Lipsius reponeret, *filius Deus natus sit.*

(*b*) Editi, *annui cursus sui limitibus.* Vetus codex Colb. *annos cursus suis limitibus.* Alius Colb. cum Sorbon., *et annuos eorum cursus suis limitibus.* Lectio, quam exhibemus, est plerorumque mss. Confer. tract. psal. CXXXIV, n. 11, ubi Hilarius repræsentat *indemutabilem cœli firmitatem, solem annuis cursibus indefessisque moderatum, vicesque anni definitis limitibus temperantem,* etc.

(*c*) Duo mss. Colb. cum Germ., *naturas hominum.* Tum editi cum duobus mss. recentioribus, *refrenaremus*, et in uno mendose *reffernaremus.* Præferimus cum cæteris, *referremus :* quod verbum magis Hilarianum est, ut observatum est in Admot. in ps. CXIX, not. 3.

(*d*) Editi, *quia non possumus*, addita particula negante contra fidem mss. et mentem Hilarii, ex iis quæ contra veritatem faciunt hæretici, quia id pro ingenii sui libertate possunt, quid facerent contra rerum naturas, si pariter posse datum eis esset, colligentis.

(*e*) Ita scribimus hanc vocem ad imitationem veterum librorum : quod et apud Tertullianum præstitum est.

(*f*) In vulgatis, *et cum filius dicitur.* Subinde apud Lips. *quia sic cætera ;* et apud Par., *quia sit cætera :* lectio depravata, quam excipiebat vitiosa interpunctio, adeo ut argumenti vis jam nulla prorsus appareret. Restauratur ope mss. Hoc enim sibi vult, ut qui Filium cæterorum instar pro voluntate factum asserit, neget re ipsa filium ; qui negat Filium, neget et Patrem ; qui vero negat Patrem, neget id quod Christus hic docere maxime studuit. Non enim admodum ei curæ fuit, ut eum nobis Deum et Christi omnium conditoris creatorem inculcaret, cum tamen hinc multum apud nos eum commendare et admirationem ei nostram excitare valuisset : sed ut manifestaret eum verum esse patrem, qui verum haberet filium. Hoc Christi opus, hic labor erat.

bor Domini est, ut omnia in creandis rebus Deum posse tu sentias ; sed ut scias Deum patrem ejus esse filii qui loquitur. Virtutes in cœlo plures sunt, et efficientes, et (*a*) æternæ : sed unus unigenitus est filius, non a cæteris sola differens potestate, quia per eum cuncta sunt. Sed quia verus unus est filius, non (*b*) fiat degener, ut natus ex nihilo sit. Audis Filium : crede quia filius est. Audis Patrem : memento quia pater est. Quid istis nominibus suspicionem, malitiam, audaciam interseris ? Secundum naturæ intelligentiam nomina divinis rebus aptata sunt (*c*). Quid affers vim verborum veritati ? Audis patrem et filium : ne ambigas esse quod nuncupantur. Summa dispensationis est Filio, ut noveris Patrem : quid irritum facis opus prophetarum, Verbi incarnationem, virginis partum, virtutem operationum, crucem Christi ? Tibi hæc omnia impensa, tibi præstita sunt : ut per hæc manifestus tibi et Pater esset et Filius. Supponis nunc (*d*) voluntatem, creationem, adoptionem : inspice et militiam et stipendium Christi. Nempe proclamat : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus ;* non audis, creatorem cœlestium creasti ; non audis, effectorem terrestrium effecisti ; sed audis : *Pater, manifestavi nomen tuum hominibus.* Utere (1) Salvatoris tui munere : scito patrem esse qui genuit, filium esse qui natus est ; natum ex eo patre, (*e*) qui est, (2) veritate naturæ. Memento non tibi patrem manifestatum esse quod Deus est, sed Deum manifestatum esse quod pater est.

23. *Filius a Patre subsistentia non natura discernitur. Ut imago, omnia habet quæ Pater.* — Audis : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Quid discindis et distrahis Filium a Patre ? **65** Unum sunt : scilicet (*f*) is qui est, nihil habens quod non sit etiam in eo a quo est. Cum audis Filium dicentem : *Ego et Pater unum sumus ;* personis rem accommoda, gignenti et genito professionis suæ permitte sententiam. Sint unum, ut A sunt qui genuit et qui genitus est. Cur naturam excludis ? cur veritatem interimis ? Audis : *Pater in me, et ego in Patre* (*Ibid.*, 38) : et hoc de Patre et Filio Filii opera testantur. Non corpus (*al.* ut corpus) per intelligentiam nostram corpori immittimus, neque ut aquam vino infundimus : sed eamdem in utroque et virtutis similitudinem et deitatis plenitudinem confitemur. Omnia enim Filius accepit a Patre, et est Dei forma, et imago substantiæ ejus. (3) (*g*) Eum enim ab eo qui est : *imago substantiæ* tantum ad subsistendi fidem, non etiam ad aliquam naturæ dissimilitudinem intelligendam discernit. Patrem autem in Filio, et Filium in Patre esse, plenitudo in utroque divinitatis perfecta est. Non enim diminutio Patris est Filius, nec Filius imperfectus a Patre est. Imago sola (*hoc est* B solitaria) non est, et similitudo non sibi est. Deo autem simile aliquid esse, nisi quod ex se erit, non potest. Non enim aliunde est, quod in omnibus simile est : neque diversitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit. Ne similia permutes, neque sibi ex veritate indiscreta disjungas : quia qui dixit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* i, 26), invicem esse sui similes, in eo quod *similitudinem nostram* dicat, ostendit. Ne contigeris, ne contrectaveris, ne corruperis. Tene naturæ nomina, tene Filii professionem. Nolo adulteris, ut Filium de tuo laudes : bene habet, ut iis quæ sunt scripta contentus sis.

24. *Prudentia humana in Dei rebus deficit. Desipit dum se putat perfectum sapere.* — Non est autem in C tantum confidendum prudentia humana, ut perfectum se quis putet sapere quod sapiat : et in eo arbitretur absolutæ rationis summam contineri, quod ipsa mente pertractans, æquabili undique apud se existimet veritatis opinione constare. Non enim concipiunt imperfecta perfectum, neque quod ex (*h*) alio subsistit, absolute vel auctoris sui potest intelligentiam obtinere, vel propriam : se quidem in eo tan-

(1) *Salutaris.*
(2) *Ex veritate.*

(3) *Eum enim qui est ab eo qui est imago.*

(*a*) Virtutum cœlestium nomine angelos ab Hilario intelligi solere sæpius observavimus. Has virtutes æternas nuncupat, non quod eas ab æterno, sed quod non interituras credat. Qua ratione in psal. CXXIX, num. 6, homo secundum animam *æternus* prædicatur. Hic Arianorum sententiam notat, volentium Christum hoc tantum ab illis virtutibus differre, quod hæ aliqua D dumtaxat efficiant, cum per illum cuncta sint. Ex quo patet, male in prius vulgatis obtinuisse *per eum creata sunt*, ubi ex mss. restituimus *per eum cuncta sunt.*

(*b*) Lips. et Par. *non quia degener ;* absque auctoritate.

(*c*) Ita mss. At editi, *apta sunt.*

(*d*) In ms. Carnut. *voluntate :* cui lectioni favet quod initio hujus numeri filius ex sententia hæreticorum *factus pro voluntate dicatur.*

(*e*) In vulgatis, *qui est ex veritate naturæ.* Abest *ex* a mss. Horum verborum nativus ordo ac sensus est : *natum veritate naturæ*, seu vera nativitate cum natura ejus ex quo nascitur, *ab eo patre qui est*, hoc est, cujus proprium est a se esse, et non ab alio, vel qui est principium universorum. Sic lib. II, n. 11, habes : *Est Filius ab eo Patre qui est ;* hic vero, ut mox videbimus : *Unum sunt, scilicet is qui est, nihil habens quod non sit etiam in eo a quo est ;* ubi *is qui est*, Patrem, *is a quo est*, Filium significat. Quamquam lib. II, n. 32, Filius respectu Spiritus sancti dicitur *is qui est*, et ejus respectu Spiritus sanctus, *is cujus est*, quasi is qui ejus est.

(*f*) In uno codice Remig. nec non Theod., *is qui est, et de quo est, nihil habens*, etc., glossema. Quippe cur unum sint Pater et Filius, hic ratio redditur ; quia nimirum *is qui est* principium generationis, nihil habeat quod non sit *in eo a quo est*, hoc est, qui ab eo est, seu qui ab eo originem ducit.

(*g*) In vulgatis et aliquot mss. : *Eum enim qui est ab eo qui est imago substantiæ :* aliud glossema, quod castigatur ope mss. Carnut., Colb., Vindocin., Vatic. et Vict. Quippe *eum enim* refertur ad Filium : tum *ab eo qui est* dicitur de Patre. Subinde *imago substantiæ* (ubi in uno ms. Colb. *imago consubstantiæ*) materialiter accipitur. Hinc præstat mox *intelligendam discernit* juxta plerosque ac potiores mss. quam quod apud Lips. et Par., *intelligentia discernit.*

(*h*) Hoc est, ex alia substantia : cui locutioni opponitur *ex se* in his numeri superioris : *Deo autem simile aliquid esse, nisi quod ex se erit, non potest.* Tum duo mss. Colb. cum Carnut. *substitit :* et paulo post *si quidem*, non *se quidem.*

tum quod est sentiens, cæterum ulterius **66** sensum suum quam sibi constituta sit natura non tendens. Motum enim suum non sibi debet, sed auctori : et idcirco id, quod (*a*) in aliud ex auctore subsistit, imperfectum sibi est, dum constat aliunde; et necesse est, ut in quo se perfectum putet sapere, desipiat : quia naturæ suæ non moderans necessitatem, et omnia infirmitatum suarum existimans terminis contineri, falso jam sapientiæ nomine gloriatur : quia sapere, sibi ultra sensus sui non liceat potestatem, et quam infirmum subsistendi est virtute, tam sensus sit. Atque ob id imperfectæ naturæ substitutio, perfecti sensus sapientiam obtinere se glorians, stultæ sapientiæ irridetur opprobrio, Apostolo dicente : *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare, non in sermone sapientiæ, ne inanis fiat crux Christi : verbum enim crucis stultitia est his qui pereunt, iis autem qui salvantur, virtus Dei est. Scriptum est enim : Perdam sapientiam sapientium, et intellectum intelligentium reprobabo. Ubi sapiens? ubi scriba? ubi conquisitor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Quoniam quidem in sapientia Dei non cognovit* (*b*) *mundus per sapientiam Deum, decrevit Deus per stultitiam prædicationis salvare credentes : quoniam Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : nos autem prædicamus Christum Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis et Græcis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam : quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus; et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* (1 *Cor.* I, 17 *et seqq.*). Omnis itaque infidelitas (1) stultitia est : quia imperfecti sensus sui usa sapientia, dum omnia infirmitatis suæ opinione moderatur, putat effici non posse quod non sapit. Causa enim infidelitatis (*c*) de sententia est infirmitatis, dum gestum esse quis non putat, quod geri non posse definiat.

25. *Stultitia sapiens fidelium.* — Et idcirco Apostolus sciens naturæ humanæ imperfectam cogitationem hoc solum putare in veri ratione esse quod saperet, ait non in sermone se sapientiæ prædicare, ne prædicationis suæ inanis esset assertio. Ac ne stultitiæ esse prædicator existimaretur, adjecit, verbum crucis stultitiam **67** esse pereuntibus : quia eam solam infideles prudentiam crederent esse, quam saperent; et cum nihil nisi intra infirmitatis suæ saperent naturam, eam, quæ sola Dei perfecta sapientia est, putarent esse stultitiam; per quod in (*d*) ea ipsa infirmis sapientiæ suæ opinione desiperent. Ergo quidquid pereuntibus stultitia est, hoc iis qui salvantur Dei virtus est : quia nihil naturalis sensus (*e*) sui infirmitate moderantur, sed divinæ potestatis efficientiam secundum infinitatem cœlestis virtutis expendunt. Et idcirco sapientiam sapientium, et intelligentiam intelligentium Deus improbat, quia per opinionem stultitiæ humanæ credentibus salus tribuitur : dum et infideles, quæ extra sensum suum sunt, stulta esse decernunt, et fideles potestati ac virtuti Dei omnia (*f*) largiendæ sibi salutis suæ sacramenta permittunt. Non ergo sunt stulta quæ Dei sunt; sed humanæ naturæ insipiens prudentia est, quæ a Deo suo aut signa aut sapientiam ad fidem postulet. Et Judæorum quidem est postulare signa; quia in Dei nomine per legis familiaritatem non admodum rudes, crucis scandalo commoventur. Græcorum autem est sapientiam poscere, quia gentili ineptia humanaque prudentia rationem sublati in crucem Dei quærant. Quæ quia secundum sensum naturæ infirmis occulta in sacramento sit; fit stultitia (*g*) infidelis : cum quod naturaliter mens imperfecta non concipit, id extra prudentiæ causam esse decernat. Sed ob hanc imprudentem mundi sapientiam, quæ **68** per Dei sapientiam Deum ante nescivit, id est, per hanc magnificentiam mundi ac tam sapienter instituti opificii ornatum, creatoris sui non est venerata sapientiam; placuit Deo prædicatione stultitiæ salvos facere credentes, id est, crucis fide æternitatem mortalibus provenire : ut confusa humanæ (*h*) sententiæ opinione, ibi salus reperiretur, ubi creditur esse stultitia. Christus enim qui stultitia gentibus et Judæis scandalum est, Dei virtus Deique sapientia est : quia quæ sensu humano infirma in Dei rebus et stulta existimantur, hæc prudentiæ virtutique terrenæ, et sapientiæ et potestatis veritate præcellant.

26. *De Dei rebus non suo sensu, sed fide decernendum.* — Nihil igitur in divinis effectibus humanæ mentis opinione tractandum est, neque de creatore suo opificii ipsius materia decernat. Assumenda autem nobis est stultitia, ut sapientiam sumamus, non

(1) *Stulta est.*

(*a*) Abest *in aliud* a vetustioribus mss. Colb. et Remig. quod in Corb. additum est a secunda manu. Lips. et Par. particula *in* expuncta, tantum retinuere *aliud*. Ex hoc loco intelligendum est illud tract. ps. CXXXIV, n. 10 : *Qui non se sibi debet, non omnia potest, dum a potiore subsistit.*

(*b*) Carnutensis codex, *hic mundus*, addito pronomine *hic*, quod et superius num. 6, addebat vetus Colb. Mox in dicto Carnut. aliisque *salvos facere*, pro *salvare :* et paulo post, sicut et in vetusto Colb. *quod infirmius est.... quod stultius est.* Jam admonuimus eosdem Scripturæ locos ab Hilario repetitos non eadem ratione referri.

(*c*) In ms. Carnut., *de sententia est impossibilitatis :* minus bene. Quid sibi velit *de sententia infirmitatis*, declarant proxime dicta, *dum omnia infirmitatis suæ opinione moderatur* ac metitur.

(*d*) Præpositionem *in* omittunt editi. Tum Er., Lips. et Par. subjiciunt, *ea ipsa infirmi :* reluctantibus Bad. et mss.

(*e*) Addimus *sui* ex mss. Haud procul ab Hilarii mente. Gregorius l. IX, Moral. c. 8 : *Qui ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam considerans, cur non videat rationem videt.*

(*f*) Vat. bas. ms. necnon alii tres, *largienda*. Er. et Lips. *largiendo*. Retinendum omnino cum aliis libris *largiendæ*.

(*g*) Excusi, *infidelibus :* emendantur ex mss. optimæ notæ Vat. bas., Colb., etc.

(*h*) Editi, *sapientiæ opinione* refragantibus mss.

imprudentiæ sensu, sed naturæ nostræ conscientia : A ut quod cogitationis terrenæ ratio non concipit, id nobis rursum ratio divinæ virtutis insinuet. Cum enim recognita stultitiæ nostræ intelligentia, imperitiam naturalis in nobis imprudentiæ senserimus, tum per divinæ sapientiæ prudentiam ad Dei sapientiam imbuemur : cum sine modo virtutes Dei ac potestatem metiamur, cum naturæ Dominum non intra naturales leges cohibeamus, cum hoc solum de Deo bene credi intelligamus, ad quod de se credendum ipse sibi nobiscum et testis et auctor exsistat.

69-70 LIBER QUARTUS.

Catholicorum simplicitatem adversus Arianorum astus munire aggreditur. Eam ob rem quæ illorum de B *Christo sit sententia exponit. Tum defendit Filium Patri* homousion *ac* semper fuisse, *et a pravis sensibus, quibus necessarias illas voces supprimere tentant, Ecclesiam abhorrere declarat. Allatis deinde variis Scripturæ testimoniis, quibus Filium a naturæ divinæ possessione exclusum esse veteratorie insinuant, integram exhibet fidei professionem, quam Arius Alexandria pulsus aliique ipsius partibus addicti ad Alexandrum antistitem miserunt. Hujus deinceps primam partem, his maxime nixam verbis,* Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est, *quasi nimirum iis Moyses Deum non modo natura, sed et persona unum prædicarit, multis refutat : ostenditque tum ex creatione mundi, tum ex pluribus visis factis Agar, Abrahæ, Jacob et Moysi, tum etiam ex Prophetarum* C *testimoniis, ac nominatim Moysi, Psalmographi, Oseæ, Esaiæ ac Baruch, sive ut vocat, Jeremiæ, Deum etsi natura unum, non tamen esse solitarium, sed filium habere, qui cum ipso divinitatis et nomen obtineat et naturam.*

De visis in eo expositis quædam observanda. — *Quia vero hujus ac subsequentis libri argumenta pleraque nituntur visis patriarcharum; operæ pretium est nonnulla de iis præfari. Constans apud veteres videtur opinio, Filium ab initio mundi variis se modis hominibus spectabilem præbuisse. Hoc diserte docent Justinus martyr, Irenæus, Origenes, Theophilus Antioch., Clemens Alexandr., Tertullianus, Cyprianus, Patres Antiocheni concilii contra Paulum Samosat., ut mittamus Faustinum Presbyterum, Am-* D *brosium, Leonem, aliosque plurimos. Sed ne ab iis quidem hoc negatum est, qui Ario favebant. Idipsum passim prædicat Eusebius in lib. Dem. Ev., et Sirmiense concilium contra Photinum eos anathemate damnat qui aliter senserint.*

Sed cum in hac doctrina fraudem moliti sint Ariani, ut Filium, qui visibilis ac visus sit, a Patre invisibili natura dissimilem prædicarent; alte retinendum, sanctos Patres ita Deum visum asseruisse, ut cum Augustino lib. II *contra Maximinum, cap.* 26, *n.* 12, *senserint*, divinitatem non per substantiam suam, in qua invisibilis et immutabilis est, sed per creaturam sibi subjectam mortalium oculis apparuisse cum voluit. *Ac ne peregrina huc adsciscamus, locuples hujus rei testis est Hilarius, lib.* XII, *n.* 45 *et* 46. Certe, *inquit*, qui ante angelus, nunc etiam homo est : ne naturalem hanc esse Dei speciem diversitas hujus ipsius assumptæ creationis pateretur intelligi. Adest autem Jacob etiam usque ad luctæ complexum in habitu humano... Sed idem postea et Moysi esse ignis ostenditur : ut naturæ creatæ tum potius ad speciem, quam ad substantiam naturæ, fidem disceres. *Acute Augustinus epist. alias* CXII, *nunc* CXLVII, *num.* 20, *in illa Moysi verba*, Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum. Quid ergo, *inquit ?* Ille non erat ipse ? Si non esset ipse, non ei diceret, ostende mihi temetipsum, sed, ostende Deum : et tamen si ejus naturam substantiamque conspiceret, multo minus diceret, ostende mihi temetipsum. Ipse ergo erat in ea specie, qua apparere voluerat : non autem ipse apparebat in natura propria, quam Moyses videre cupiebat.

Si ex proximis Scripturæ verbis ipsum Deum a Moyse visum Augustinus recte asseruit; pari ratione concedendum est ipsum Deum eidem Moysi in rubo dixisse : Ego sum Deus Abraham, *etc., verumque Deum Agar allocutam esse, cui clamavit :* Tu Deus, qui adspexisti me. *Neque hoc etiam negant ii Patres, qui in visis illis veros Angelos adstitisse arbitrantur. Non enim existimant angelos illos Dei ac Domini nomen sibi attribuisse, quia ut legati Dei ac Domini nomine loquebantur; quis enim legatus regis, imperatoris, aut principis sibi arroget nomen, cujus personam repræsentat? sed ideo potius, quod Deus ipse in illis loquebatur.* **71** *Hoc diserte docet Athanasius Or.* IV *cont. Arian., pag.* 467 : Is quidem, qui sentiebatur oculis, angelus erat, sed Deus in angelo loquebatur. Nam quemadmodum in columna nubis verba ad Moysen in tabernaculo faciebat, ita quoque in angelis apparebat loquens Deus. *Ita et Hieronymus, cap.* III, *ad Gal.* : Quod autem, *ait*, Lex ordinata per Angelos, hoc vult intelligi, quod in omni veteri Testamento, ubi angelus primum visus refertur, et postea quasi Deus loquens inducitur, angelus quidem vere ex ministris pluribus quicumque sit visus, sed in illo mediator loquatur, qui dicat : «Ego sum Deus Abraham.» *His accedit Augustinus, l.* II *contra Maximin., cap.* 26, *n.* 11. Quæro, *inquit*, quis apparuerit Moysi in igne quando rubus inflammabatur, et non urebatur. Quamquam et illic angelum apparuisse Scriptura ipsa declarat.... In angelo autem Deum fuisse quis dubitet ? *Juxta hos Gregorius papa, præf. in Job, c.* 2 : Angelus, qui Moysi apparuisse dicitur, modo angelus, modo Deus memoratur. Angelus videlicet propter hoc quod exterius loquendo serviebat ; Dominus autem dicitur, quia interius præsidens, loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens exterius ab interiori regitur, et per obsequium angelus, et per inspirationem Dominus nominatur.

Concedit præterea Augustinus, lib. II *contra Maximinum, c.* 26, *n.* 9, *angelis illis licuisse Dei ac Domini se nomine commendare* propter prophetiam futura nuntiantem, *quia nimirum Christus, qui Deus ac Dominus est, in illis figuratus sit. Sic et Irenæus, lib.* V, *c.* 1 : Prædiximus quoniam Abraham et reliqui prophetæ prophetice videbant eum, id quod futurum erat per visionem prophetantes. *Sed quovis modo intelligantur illa visa, stat prope eadem vis argumentorum, quæ ex illis Hilarius conficit.*

1. *Tria in hæreticos præmittenda veritatis assertioni.* — Quamquam anterioribus libellis, quos jam pridem conscripsimus, absolute cognitum existimemus, fidem nos et confessionem Patris et Filii et Spiritus sancti ex evangelicis atque apostolicis institutis obtinere, neque quidquam nobis cum hæreticis posse esse commune, quippe illis divinitatem Domini nostri Jesu Christi sine modo et ratione et metu abnegantibus : tamen etiam his libellis quædam necessario fuerunt comprehendenda, ut omnibus fallaciis eorum et impietatibus editis, absolutior fieret cognitio veritatis. Et primum cognoscendum est, quæ doctrinæ eorum temeritas sit, quodve irreligiositas periculum : dehinc quid adversum fidem apostolicam, cui nos congruimus, habeant sententiæ, quidve dicere soleant e contrario, quave verborum ambiguitate simplicitati audientium illudant : postremo qua interpretationum suarum arte veritatem divinorum dictorum virtutemque corrumpant.

2. *Verbis humanis res divinas non bene explicari.* — Non ignoramus autem, ad res divinas explicandas, neque hominum elocutionem, neque naturæ humanæ comparationem posse sufficere. Quod enim inenarrabile est, significantiæ alicujus finem et modum non habet : et quod spiritale est, id a specie corporalium exemploque diversum est. Tamen **72** cum de naturis cœlestibus sermo est, illa ipsa, quæ sensu mentium continentur, usu (*a*) communis et naturæ et sermonis sunt eloquenda, non utique dignitati Dei congrua, sed ingenii nostri imbecillitati necessaria ; rebus scilicet verbisque nostris ea quæ et sentimus et intelligimus locuturi. Atque hæc sicut primo libello (*num.* 19) testati sumus, nunc quoque idcirco a nobis commemorata sunt, ut cum aliquid ex humanis comparationibus (1) proferimus, non secundum naturas corporales de Deo sentire credamur, nec passionibus nostris spiritalia comparare, sed potius rerum visibilium speciem ad intelligentiam invisibilium protulisse.

3. *Hæreticorum opiniones de Dei filio.* — Aiunt namque hæretici, non ex Deo esse Christum, id est, Filium non ex Patre natum, neque Deum ex natura, sed ex constitutione esse ; adoptionem scilicet ejus in (*b*) nomine, quia sicut plures Deo filii, ita et hic filius sit ; dehinc liberalitatem in dignitate, quia sicut dii plures sunt, ita et hic Deus sit : indulgentiore tamen in eo et adoptionis et nuncupationis affectu, ut et præ cæteris sit adoptatus, et adoptivis aliis major ipse sit filiis, et excellentius cunctis naturis creatus, creaturis ipse cæteris præstet. Aiunt etiam quidam eorum Dei omnipotentiam confitentes, in similitudinem cum Dei creatum, et ex nihilo **73** ut cætera in æterni illius Creatoris sui imaginem constitisse : verbo videlicet de non exstantibus jussum esse subsistere, Deo potente similitudinem sui ex nihilo coaptare.

4. *Homousion ob sensus pravos respuere se confingunt. Qui illi sensus.* — Quin etiam id adjiciunt, cum unius substantiæ Patrem et Filium esse audiunt ab anterioribus (*c*) episcopis prædicatum, ut id subtiliter per speciem hæreticæ opinionis infirment : dicentes eos verbi hujus significationem, id est, unius substantiæ, quod græce ὁμοούσιον dicitur, hoc sensu usurpare atque eloqui, tamquam ipse sit pater qui et filius, ex infinitate videlicet sua protensus in Virginem, ex qua corpus assumens, sibi in eo corpore, quod assumpsit, filii nomen addiderit. Et hæc quidem (*d*) de homousio eorum falsitas prima est. Sequens illa est, quod affirment id enuntiationem homousii significare, quod rei anterioris atque alterius communio sit duobus, et tamquam prior substantia vel usia materiæ alicujus exstiterit, quæ participata duobus, et in utroque consumpta, utrumque illum et naturæ anterioris, et rei esse testetur unius. Atque idcirco improbare se homousii aiunt confessionem, quod enuntiatio ejus neque Filium a Patre distinguat, et (*e*) posteriorem Patrem materia, (*f*) quæ sibi cum non sibi constat, illud quandoque per casus inflectentes, sæpius non. Hoc vocabulum priore illo sensu a Paulo Samosatensi prædicatum, et ab Antiochenis Patribus rejectum indicabat epistola Orientalium Sirmium delata, cujus argumentum refertur lib. de Synod. n. 81.

(1) *Proferemus.*

(*a*) Ita in mss. At in vulgatis, *communi*.

(*b*) Editi, *esse in nomine*. Abest *esse* a mss. quorum aliqui subjiciunt, *quia sicut plures Dei filii, ita et hic filius Dei sit*.

(*c*) In excusis, *ab anterioribus esse episcopis*, redundat *esse*, nec habent mss. Vocabulum homousion ab anterioribus episcopis prædicatum testatur epistola ad Paulum Samosat., tom. I, concil. Dionysio Alexandrino adscripta, ipse fatetur Eusebius Cæsar. apud Socrat. l. I, c. 5 : *Nonnullos*, inquit, *veteres episcopos et scriptores, viros sane disertos atque illustres, in divinitate explicanda hoc verbo* CONSUBSTANTIALI *usos fuisse cognovimus*. Inter eos, qui usi sint, duos Dionysios recenset Athanasius lib. de Synod., pag. 918, Tertullianus quoque adversus Praxeam num. 2, Patrem et Filium *unius substantiæ* prædicat.

(*d*) Mss. *de homousion*. In hoc nomine scribendo

(*e*) Unus codex Colb. cum. Vict. et Sorbon. *potiorem :* non malo sensu, si deinde subjiceretur, *Patre materiam*. Verius tamen alii habent *posteriorem*, uti constat ex lib. de Synodis num. 68. Hunc alterum sensum, cum a Paulo tantum per cavillationem ingestus esset, statim ab Antiochenis Patribus explosum fuisse tradit Athanasius lib. de Synod. pag. 920, quod cum Orientalium sententia proxime a nobis memorata num stare possit, suo loco ad librum de Synodis expendemus.

(*f*) Par. cum vetere ms. Colb. *quæ sibi de filio*. Forte, *quæ sibi et filio*.

filio sit communis, ostendat. Tertio quoque hanc improbandi homousii causam comminiscuntur, quod secundum verbi hujus significationem, ex divisione paternæ substantiæ esse Filius (*a*) existimetur; tamquam desectus ex eo fuerit, ita ut (1) in duos sit res una divisa; et ideo substantiæ dicantur unius, quia portio desecta de toto, in natura ea sit unde desecta est : nec posse in Deum cadere divisionis passionem, quia et demutabilis erit, si imminutioni per divisionem fiat obnoxius : et imperfectus efficietur, perfectionis suæ in portionem alteram (2) decedente substantia.

5. *Filium semper esse cur negent.*—Nec non in eo se eleganter doctrinæ propheticæ, sed et evangelicæ atque apostolicæ **74** posse (3) existimant contraire, ut Filii nativitatem intra tempora prædicent. Cum enim vitiose a nobis asserant dici, Filium semper fuisse; necesse est, excludendo quod semper fuerit, nativitatem ejus confiteantur ex tempore. Si enim non semper fuit, erit tempus quo non fuit. Et si est tempus quo non fuit, erit ante eum tempus : quia qui non semper est, esse cœpit ex tempore. Qui autem caret tempore, non potest eo carere quod semper est. Respuere se autem id, quod semper filius fuerit, ob eam causam affirmant, ne per id quod semper fuit, sine nativitate esse credatur : tamquam per id, quod semper fuisse dicitur, innascibilis prædicetur.

6. *Nec homousion nec semper esse Filium sensibus relatis admittit Ecclesia.* — O stultos atque impios metus, et irreligiosam de Deo sollicitudinem! Hæc, quæ in homousii significatione et in eo quod semper Filius esse dicitur arguuntur, Ecclesia abominatur, respuit, damnat. Novit enim unum Deum ex quo omnia : novit et unum Dominum nostrum Jesum Christum per quem omnia, unum ex quo, et unum per quem; ab uno universorum originem, per unum cunctorum (*b*) creationem. In uno ex quo, auctoritatem innascibilitatis intelligit; in uno per quem, potestatem nihil differentem ab auctore veneratur : cum ex quo et per quem, ad id quod creatur, (*c*) in his quæ creata sunt (4) communis auctoritas sit. Novit in Spiritu Deum Spiritum impassibilem et indesecabilem; didicit enim a Domino, spiritui carnem et ossa non esse (*Luc.* XXIV, 39) : ne forte cadere in eum corporalium passionum detrimenta credantur. Novit unum innascibilem Deum : novit et unum unigenitum Dei filium. Confitetur Patrem æternum et ab origine liberum : confitetur et Filii originem ab æterno : non ipsum ab initio, sed ab ininitiabili : non per se ipsum, sed ab eo, qui a nemine semper est, natum ab æterno, nativitatem videlicet ex paterna æternitate sumentem. Caret ergo fides nostra hæreticæ pravitatis opinione. Edita **75** namque est sensus nostri professio, licet nondum sit ratio professionis exposita. Tamen ne quid, in homousii a Patribus nuncupati enuntiatione, et in ea quod semper fuerit confessione, suspicionis relinqueretur; ista memorata sunt, quibus et subsistere Filium in substantia qua genitus ex Patre est cognosceretur, et Patri de substantia qua manebat per Filii nativitatem nihil esse decerptum, et homousion Patri Filium non de commemoratis superius vitiis causisque a sanctis et (*d*) doctrina Dei calentibus viris esse memoratum; ne quis forte existimaret adimi per usiam nativitatem unigeniti Filii, quod Patri homousios diceretur.

7. *Vox* HOMOUSION *qua necessitate suscepta.* — Sed ut suscepti hujus utriusque (*e*) verbi necessitatem, et contra debacchantes tum hæreticos ad maximam fidei securitatem usurpati, (*f*) rationem intelligamus : respondendum esse existimo hæreticorum perversitati, et omnes eorum stultas ac mortiferas institutiones evangelicis atque apostolicis testimoniis coarguendas. Videntur enim sibi de singulis, quæ asserunt, præstare rationem : quia singulis assertionibus suis quædam ex divinis voluminibus testimonia subdiderunt, quæ corrupto intelligentiæ sensu solis tantum ignorantibus blandiantur, speciem veritatis secundum pravitatem interpretantium præstatura.

8. *Scripturæ quibus simplices decipiunt Ariani.* — Conantur enim, sola Dei Patris divinitate celebrata, Filio auferre quod Deus est; quia scriptum sit : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus* (*g*) *unus est* (*Deut.* VI, 4). Et id ipsum ad legis doctorem, interrogantem quod præceptum maximum esset in lege, Domino dicente : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Marci* XII, 29). Et rursum Paulo ita prædicante : *Unus enim Deus, et unus Mediator Dei et hominum* (I *Tim.* II, 5). (*h*) Tum quod solus sapiens sit, ne quid sapientiæ Filio relinquatur, secundum Apostoli dictum : *Ei*

(1) *In duobus.*
(2) *Decidente.*
(3) In anteriori, *se existimant.*
(4) *Communionis.*

(*a*) Tertium hunc sensum, quem Manichæi fuisse liquet ex n. 12, testatur Eusebius apud Socrat. lib. I, cap. 5, Constantinum ipsum respuisse, *et consubstantiale de corporeis affectionibus non posse intelligi, neque Filium Dei vel divisione vel desectione, ut ita dicam, constare,* etc. Huc usque ac deinceps Hilarius Filium consubstantialem Patri ita caute prædicat, ut omnem horum pravorum sensuum suspicionem procul amoveat.

(*b*) Vetus codex Colb. cum Par. *cunctis creationem.* Universorum, ut pote ipsius etiam Filii, a Patre est origo.

(*c*) Vat. bas. ms. *ei in his;* alii recentiores, *et in his.* Hoc sibi vult, Patri ex quo et Filio per quem omnia, quantum ad virtutem creandi et respectu rerum creatarum, communem esse auctoritatem.

(*d*) Er., Lips. et Par. *doctrinam Dei callentibus :* non male, si quis vetus liber suffragaretur.

(*e*) Scilicet Filium et semper esse, et ejusdem cum Patre esse substantiæ. Quam autem necessario ad fidei securitatem vox homousion inventa sit, vide apud Athanasium lib de Synod. p. 921, et Gregor. Naz. Or. XXI, n. 25.

(*f*) Perantiqui mss. Vat. bas. et Colb. *ratione :* quæ vox Hilario familiaris pro *jure ac merito.*

(*g*) Ita meliores mss. constanter, nonnumquam etiam consentientibus excusis, in quibus hic, mox, et sæpius alibi repetitur vox *Deus.*

(*h*) Verba sequentia in excusis suo loco mota, restituimus ad normam mss.

autem, qui potens est confirmare vos secundum Evangelium meum et prædicationem Jesu Christi, secundum revelationem sacramenti temporibus sæcularibus taciti, manifestati autem nunc per Scripturas propheticas secundum præceptum æterni Dei, in obedientiam fidei in omnes gentes cogniti, soli sapienti Deo per Jesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum (*Rom.* XVI, 25 *et seqq.*). Tum quod solus innascibilis, et quod solus verus **76** sit, quia Esaias dixerit (LXV, 16) : *Benedicent* (*a*) *te Deum verum.* Quodque id ipsum contestatus sit Dominus in Evangeliis dicens : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Tum quia solus bonus, ne quid sit bonitatis in Filio, quia per eum dictum sit : *Nemo est bonus nisi unus Deus* (*Marci* X, 18). Tum quod solus potens sit ; quia Paulus dixerit : *Quem temporibus suis ostendet nobis beatus et solus potens : Rex regum, et Dominus dominantium* (I *Tim.* VI, 15). Tum quod hunc noverint inconvertibilem et indemutabilem ; quia per prophetam dixerit : *Ego sum Dominus Deus vester, et non demutor* (*Malach.* III, 6) ; et Jacobus apostolus dixerit (I, 17) : *Apud quem non est demutatio.* Hunc justum judicem (*supple hic et infra*, noverint), quia scriptum est : *Deus judex justus, fortis et patiens* (*Psal.* VII, 12). Hunc cunctis procurantem, quia Dominus dixerit, cum ei de avibus sermo esset : *Et Pater vester cœlestis pascit* (1) (*b*) *illas* (*Matth.* VI, 26) ; et rursum : *Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis* (2) *non cadit super terram sine voluntate Patris vestri? Sed et capilli capitis vestri numerati sunt* (*Matth.* X, 29). Hunc omnia providentem, sicut beata Susanna dicit : *Deus æternus, absconditorum cognitor, sciens omnia ante generationem eorum* (*Dan.* XIII, 42). Hunc etiam (*c*) inconceptibilem, secundum quod dictum est : *Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum* (3) *pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, aut quis locus requietionis meæ? Hæc enim fecit manus mea, et sunt omnia hæc mea* (*Esa.* LXVI, 1). Hunc quoque capientem omnia, Paulo testante : *Quoniam in ipso vivimus, et movemur, et sumus* (*Act.* XVII, 28) ; et Psalmographo dicente : (*d*) *Quo abibo ab spiritu tuo, et a facie tua quo fugiam? Si adscendero in cœlum, tu illic es ; si descendero* (4) *ad infernum, ades ; si sumpsero pennas meas ante lucem, et habitavero in postremis maris : etenim* (5) *illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua* (*Psal.* CXXXVIII, 7 *et seqq*). Hunc quoque incorporeum, quia dictum sit : *Spiritus enim Deus est, et adorantes eum, in Spiritu et veritate adorare oportet* (*Joan.* IV, 24). Hunc immortalitatem habentem et invisibilem, Paulo dicente : *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, quem nemo hominum vidit, nec videre potest* (I *Tim.* VI, 16) ; et secundum Evangelium : *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus Filius, qui est in sinu Patris* (*Joan.* I, 18). Hunc quoque solum manentem **77** (*e*) innascibilem, quia dictum sit : *Ego sum qui sum* (*Exod.* III, 14) ; et rursum : *Sic dices filiis Israel : Misit me ad vos is qui est* (*Ibid.*) ; et per Jeremiam : (*f*) *Qui es Dominus, Domine* (*Jerem.* I, 6).

9. *Fraus in prædictis latens retegitur.* — Atque hæc quis non intelligat plena fraudis esse et plena fallaciæ? quæ quamquam sint subtiliter confusa atque permixta, tamen absolute artificiosam malitiæ et stultitiæ calliditatem et ineptiam testantur. Inter cætera enim addiderunt, solum se Patrem innascibilem cognovisse : tamquam hinc quisquam possit ambigere, eum, ex quo ille genitus sit per quem omnia sunt, id quod ipse est a nemine consecutum. In ipso enim, quod pater dicitur, ejus quem genuit auctor ostenditur ; id habens nomen quod neque profectum ex alio intelligatur, et ex quo is qui genitus est substitisse doceatur. Igitur id, quod Deo patri proprium est, proprium ei ac secretum relinquamus, confitentes in eo æternæ virtutis innascibilem potestatem. Nemini autem dubium esse existimo, ob eam causam in confessione Dei patris quædam ejus tamquam peculiaria et privata memorari, ne præter ipsum eorum quisquam particeps relinquatur. Cum enim dicunt, solum (*g*) verum, solum justum, solum sapientem, solum invisibilem, solum bonum, solum potentem, solum immortalitatem habentem ; in eo quod solus hæc sit, a communione eorum secundum hos Filius separatur. (*h*) Soli enim, ut aiunt, propria non participantur ab altero. Quæ si in Patre solo, non etiam in Filio esse existimabuntur ; necesse est ut Filius Deus et falsus, et insipiens, et secundum conspicabiles materias corporeus, et malevolus, et infirmus, et extra immortalitatem esse credatur, qui ab his omnibus, cum in his Pater sit solus, excipitur.

10. *Filii honor nil detrahit Patri.* — Dicturi autem

(1) Ita codex Ver. In anteriore, *illa.*
(2) *Non cadet.* In Græco, οὐ πεσεῖται.
(3) *Scamillum.* Vitruviana vox.
(4) *In infernum.*
(5) In anteriore, *illic.*

(*a*) In edit. *te solum Deum.* Abest hic *solum* a mss. sicut et l. V, n. 25 et 26. Ubi hunc locum ab hæreticis corruptum esse demonstratur.

(*b*) Edit. *illas.* At mss. *illa*, supple *volatilia*, ut legitur cap. 5 in Matth. num. 9.

(*c*) Mss. Vat. bas., et Carnut., *inconspicabilem.* Rectius alii libri, *inconceptibilem*, hoc est, qui nullo capi loco potest.

(*d*) In compluribus mss. *quo ibo.* In antiquioribus est, *quo abibo.*

(*e*) Vox *innascibilem* in prius vulgatis perperam omissa est : cum vel ex ea maxime Hilarius in cæteris Arianorum sententiis fraudem latere mox evincat. Restituitur ope mss.

(*f*) Bad., Er. et Lips. quos et postrema editio Par. secuta est, *qui es Domine*, omissa voce *Dominus* præter fidem mss. et Septuaginta, ὁ ὢν δέσποτα Κύριε.

(*g*) Editi, *verum Deum :* renitentibus mss.

(*h*) Hoc in modum effati philosophici enuntiatur. At si cum vetusto codice Colb. necnon Germ. præferas, *Soli enim sunt, aiunt ;* referendum erit *soli* ad Patrem, *aiunt* ad Arianos.

de absolutissima majestate et de plenissima divinitate unigeniti (*a*) Dei filii, non existimamus quemquam arbitraturum, omnem hunc sermonem, quo usuri erimus, ad Dei patris contumeliam pertinere, quasi ex ejus **78** dignitate (1) decedat, si quid eorum referatur ad filium : cum potius honor filii dignitas sit paterna ; et gloriosus auctor sit, ex quo is, qui tali gloria sit dignus, exstiterit. Nihil enim nisi natum habet filius, et geniti honoris admiratio in honore generantis est. Cessat ergo opinio contumeliæ : cum quidquid inesse Filio majestatis docebitur, id ad amplificandam potestatem ejus, qui istiusmodi genuerit, redundabit.

11. *Arianorum de Filio doctrina.* — Consequens autem est, ut cognitis jam iis, quæ ad deformationem Filii de Patre confessi sunt, ipsum illud quod de Filio professi sunt audiatur. Responsuri enim singulis eorum propositionibus, et divinorum dictorum testimoniis irreligiosam eorum doctrinam prodituri, debemus ad illa, quæ de Patre dicta sunt, ea quæ deinceps de Filio sint commemorata subjungere : (2) (*b*) ut confessione ea, quæ de Patre et Filio est, inter se comparata, unus atque idem a nobis in absolvendis singulis propositionibus ordo teneatur. Memorant namque filium Dei neque ex aliqua subjacente materia genitum esse, quia per eum creata omnia sint ; neque ex Deo esse, quia decedere ex Deo nihil possit : sed esse ex iis, quæ non erant : id est, creaturam Dei perfectam, verumtamen non similem cæteris creaturis. Esse autem creaturam ; quia scriptum sit, *Dominus* (3) *creavit me in initium viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22). Esse etiam facturam perfectam, sed non similem cæteris facturis : facturam autem per id quod Paulus ad Hebræos (4) dixit : *Tanto melior factus angelis, quanto excellentius ab his possidet nomen* (*Hebr.* I, 4). Et rursum : *Unde fratres sancti, vocationis cœlestis participes, cognoscite apostolum et principem sacerdotum confessionis nostræ Jesum Christum, qui fidelis est ei qui fecit eum* (*Hebr.* III, 1). Ad infirmandum vero Filii et virtutem et potestatem et divinitatem, eo maxime utuntur, quod dixerit : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Idcirco autem non esse eum unum ex omnibus creaturis concedunt (5), quia scriptum sit : *Omnia* **79** *per eum facta sunt* (*Joan.* I, 3). (*c*) Concludunt ergo omnem irreligiositatis suæ doctrinam istiusmodi verbis suis, dicentes :

Exemplum blasphemiæ eorum, qui creaturam esse Dei filium dicunt.

12. «Novimus unum Deum, solum infectum, solum sempiternum, solum sine initio, solum verum, (6) (*d*) solum immensum, solum immortalitatem, etc.

(1) *Decidat* ; inferius quoque num. seq. *decidere* pro *decedere*.

(2) *Ut de confessione*.

(3) *Creavit me initium viarum suarum*. Idem præfertur a ms. nostro lib. I de Trin. n. 35. Idem lib. XII, n. 35.

(4) *Dixerit*.

(5) *Contendunt*.

(6) Secunda manu additum est *solum immensum*. Sequitur : *solum immortalitatem*, etc.

(*a*) Addimus *Dei* ex mss. Hoc loco prudenter antevertit Hilarius argumentum Arianis solemne, de quo Augustinus Ser. 139, n. 5 : *Certe enim ideo dicis non esse ejusdem substantiæ Filium, ne injuriam facias Patri ipsius. Ego tibi cito ostendo, quia injuriam facis ambobus* : quod familiaribus verbis quomodo ostendat, vide si lubet. Item lib. II contra Maximinum c. 25 : *Non se*, inquit, *vult Deus ita laudari patrem, ut filium dicatur de se ipso genuisse degenerem* : et Serm. 140, n. 5 : *Non nobis displiceat honorificentia Filii in Patre : honorificentia enim Filii Patri tribuit honorem, non suam minuit divinitatem.* Simili ratione eisdem hæreticis respondet Ambrosius lib. I de Fide c. 6.

(*b*) Carnut. ms. et alii quinque, *ut de confessione*.

(*c*) Titulum epistolæ subsequentis apud Bad. omissum, apud Er. et Lips. in marginem rejectum, et apud Par. hic male insertum, suo loco restituimus ex fide mss. Formulas fidei hæreticas ab Hilario ipso ita inscribi solere palam est ex lib. de Synodis num. 11, et ex lib. contra Auxentium num. 12. Subjectam epistolam Athanasius Orat. I, contra Arianos, p. 313, haud dubie indicat his verbis : *Ario persuasit* (diabolus) *ut quasi sub specie adversarii contra hæreses loqueretur, quo melius falleret suam ipsius hæresim subjiciens.* Ea ipsa est, cujus tam frequentem mentionem facit Aquileiense concilium tum in gestis apud Ambrosium t. II editionis novæ pag. 786, tum in epistola ad imperatores apud eumdem Ambrosium X. Cui epistolæ illam se subdidisse, et in gestis legisse ac recitasse testantur prædictæ Synodi Patres : at modo non exstat nisi illius initium per varias interrogatiunculas concisum, quoad scilicet Palladius ad quæsita respondere renuit. Ambrosius ipse lib. III de Fide c. 10, num. 132, in eamdem respicit, cum ait : *Arius hujus impietatis magister Dei filium creaturam dixit esse perfectam, sed non sicut cæteras creaturas.* Hanc Athanasius integram exhibet lib. de Synod. p. 885, sicut et Epiphanius hær. 69, n. 7, a quo quidem cum *epistola Arii ad Alexandrum*, faventibus proxime relatis Athanasii et Ambrosii verbis, inscribitur ; cum etiam simpliciter *Arii epistola* ab Aquileiensi concilio constanter nuncupatur ; Arius illius auctor præcipuus, sed non solus est existimandus. Hanc enim Hilarius noster non tantum hic, sed et lib. I, n. 23, *a multis editam* scribit. Neque aliud sonat epistolæ ipsius præfatiuncula hic omissa, sed apud Athanasium et Epiphanium plurium nomine expressa in hunc modum : *Fides illa, quam a majoribus accepimus, et a te didicimus, beatissime Papa, ejusmodi est : Novimus*, etc. Longe certius id probat, quæ apud eosdem legitur inscriptio : *Beato papæ et episcopo nostro Alexandro presbyteri et diaconi in Domino salutem.* Vel certe hæc epistola et Arii est, ut auctoris ; et multorum, quorum nomine missa et suscripta est. Varias illas suscriptiones infra ex Epiphanio subjiciemus. Scripta est ante Nicænum concilium, et, ut testis est Athanasius lib. de Synod. p. 883, cum Arius ab Alexandro submotus apud Eusebium commoraretur. Nicomedia quoque ad Alexandrum scriptam dicit Epiphanius, ut Arius apud illum quasi se excusaret. Quod autem ad calcem hujus epistolæ subjicit Athanasius : *Ista sunt ex aliqua parte, quæ Ariani ex hæretico suo corde evomuerunt*, indicio est eos alia plura tum evomuisse. Estque valde probabile eos testimoniorum superius memoratorum congerie conatos esse confirmare quod in hac epistola sua simpliciter asseruerunt.

(*d*) In Vulgatis hic adjicitur, *solum immensum* : quod tamen omittunt lib. VI, neque in græcis exemplaribus usquam exstat, neque in mss.

lum (*a*) immortalitatem habentem, (*b*) solum optimum, solum potentem, (*c*) omnium creatorem, ordinatorem et dispositorem inconvertibilem, immutabilem, justum et optimum legis et prophetarum et novi Testamenti : hunc Deum genuisse filium unigenitum ante omnia sæcula, per quem et sæculum et omnia fecit : natum autem non putative, sed vere, (*d*) obsecutum voluntati suæ, immutabilem et inconvertibilem, creaturam Dei perfectam, sed non sicuti unum creaturarum; facturam, sed non sicuti cæteræ facturæ; nec ut Valentinus **80** (*e*) prolationem Natum Patris commentatus est; nec sicut Manichæus (*f*) partem unius substantiæ Patris Natum exposuit; nec sicut Sabellius, qui unionem (*g*) dividit, ipsum dixit Filium quem et Patrem; nec sicut Hieracas, lucernam (*h*) de lucerna, vel lampadem in duas partes; nec qui fuit ante, postmodum natum vel supercreatum in filium, sicuti et tu ipse, beatissime papa, media in ecclesia et in consessu (1) fratrum, frequenter eos qui talia introducunt remuisti : sed, sicut diximus, voluntate Dei ante tempora et sæcula creatum, et vere et esse (*i*) accipiens a Patre, et (2) glorias (*j*) ei consubsistente Patre. Neque enim Pater dans ei omnium hæreditatem, fraudavit semetipsum ab his quæ (*k*) non facta habentur ab ipso; fons est autem omnium.

13. « Quapropter tres substantiæ (ὑποστάσεις) sunt Pater, Filius, Spiritus sanctus. Et quidem (*l*) **81** Deus causa est omnium, omnino sine initio solitarius: Filius autem sine tempore editus a Patre, et ante sæcula creatus et fundatus, non erat antequam nasceretur : sed sine tempore ante omnia natus, solus a solo Patre (3) substitit. Nec enim est æternus, aut coæternus, aut simul non factus cum Patre, nec simul cum Patre habet esse, sicuti quidam dicunt, (*m*) aut aliqui duo non nata principia introducentes : sed sicut (*n*) unio et principium omnium, sic et Deus ante omnia est. Propter quod et ante Filium est, sicut et a te didicimus (*o*) media in ecclesia prædicante. Secundum quod itaque a Deo esse habet, et (*p*) glorias, et vivere, et omnia ei sunt tradita; secundum hoc, principium ejus est Deus. Principatur autem ei, ut-

(1) *Fratrum* desideratur in nostro codice; sicut desideratur etiam in editione ad lib. VI, n. 5.

(2) *Glorians.*
(3) *Subsistit.*

(*a*) Hoc vafre dictum patet, quo Filius passibilis ac mortalis credatur. Hinc in gestis Aquileiensis synodi, n. 24, Ambrosio asserenti, *Non divinitas mortua est, sed caro mortua*, non assentitur Palladius; sed tergiversatur ac dicit : *Ante vos mihi respondete.* Planius autem ejusdem synodi Patres epist. apud Ambros. 10, n. 7, ad imperatores rescribunt : *Mortem denique ejus* (Christi) *non ad sacramentum nostræ salutis, sed ad infirmitatem quamdam divinitatis referunt.* Hoc prænotasse juverit, quo interim discat lector, adversus quos Hilarius, l. x, Filii impassibilitatem tueatur.

(*b*) Apud Athanasium et Epiphanium adjicitur hic, *solum sapientem.* Sic etiam in gestis Aquileiensis Synodi, post quam recitatum est, n. 17 : *solum æternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem*, proxime recitatur, n. 27, *solum sapientem :* quæ duo verba Erasmus superius adjecit post *solum infectum*, renitentibus Bad. et omnibus nostris mss. Immo nec ipse Erasmus sibi constat. lib. VI.

(*c*) In Vulgatis Athanasii et Epiphanii, *omnium judicem.* Major apud Hilarium videtur rerum connexio, cum *creatorem* recte sequatur *ordinatorem et dispositorem.* Et facile quidem pro græca voce κτιστήν, subrepere potuit κριτήν. Attamen etiam in gestis Aquileiensis synodi, n. 33, exstat *omnium judicem*, non *omnium creatorem.*

(*d*) Apud Epiphanium, ὑποστήσαντα δὲ ἰδίῳ θελήματι, consentientibus Athanasii exemplaribus, nisi quod in iis non est particula δέ.

(*e*) Editi hoc et sexto libro *prolatione.* Tum apud Par. *natam.* At in mss. *prolationem Natum*, ut in græco προβολὴν γέννημα; ex quo vocabulum *natum* substantive intelligendum esse liquet, quasi *filium.*

(*f*) Græce τὸ μέρος ὁμοούσιον : quo nomine ac sensu, vocabuli homousion respuendi causam Ariani obtendunt supra, n. 4.

(*g*) Erasmus ad marginem, *inducit :* cujus conjecturam Lips. et Par. perperam arripuere. Sabellius quidem in Trinitate, de qua non est hic sermo, unionem inducit; sed in incarnatione, uti declaratur lib. VI, n. 7 unionem dividit, hoc est, in Christo personarum dualitatem invehit.

(*h*) Apud Bad. et Er. hic adjicitur verbum *dicit :* cujus loco Lips. et Par. ex Erasmi conjectura substituere *inducit.* Neutrum exstat in mss. aut græcis exemplis. Mox Bad., Er. et mss. habent *lampadam*, non *lampadem.*

(*i*) Græce εἰληφότα, etc. quod planius verti potuisset, *qui et vivere et esse acceperit a Patre.*

(*j*) Perpauci mss. *gloriam* Cæteri cum excusis, *glorians.* Legendum esse *glorias*, tum ex græco τὰς δόξας, tum ex subjectis, ubi verbum idem repetitur, palam est. Deinde editi subjiciunt, *cum subsistente Patre* : ubi ex mss. fide restituimus *consubsistente ei Patre*, quod ad lectionem græcam συνυποστήσαντος αὐτῷ τοῦ Πατρός propius accedit. Ubi vocabulum τὰς δόξας non ad superius verbum εἰληφότα, sed ad subsequens συνυποστήσαντος, quod hic activam vim obtinet, referendum. Quippe his significatur Patrem largitum esse Filio, ut gloriæ, seu gloriosæ dotes, quæ in se subsistunt, pariter in ipso subsistant. Unde et Hilarianum illud *consubsistente* pariter active intelligendum est, quasi *consubsistere faciente.*

(*k*) Pro *non facta*, apud Athanasium et Epiphanium græce habetur ἀγεννήτως, cujus loco ἀγενήτως Hilarium legisse necesse est.

(*l*) In vulgatis, *Deus pater.* Rectius abest *pater* a mss. et græco. Nam cum de Deo sermo sit, quando in Arianorum sententia nondum ei erat filius, unde et *solitarius* subinde prædicatur; non debet pater cognominari. Ut enim apud Athanasium lib. de Synod. pag. 884, Arius ratiocinatur; *Filio nondum existente, statim relinquitur Patrem tantummodo Deum fuisse.*

(*m*) In codice Vat. bas. *aut alii qui.... introducunt.* Græce pro *aut aliqui*, legitur τὰ πρός τι : quod commode verti potest, *ea quæ sunt ad aliquid*, aut *ea quæ sunt relata.*

(*n*) Er., Lips. et Par., *unio est principium :* contra veritatem græci textus, Bad. et mss. Vocabuli *unio* vis ad calcem libri hujus commodius explicabitur.

(*o*) Vocem *papa* hic expunximus, cum non exstet in mss., nec in græco.

(*p*) Rursum hic plerique ac potiores mss. *glorians*, ex quibus ut supra conficimus *glorias*, id manifeste postulante orationis nexu et græco vocabulo τὰς δόξας, cujus potestas non satis exprimitur verbo latino *gloriam*, quod habent pauci alii mss. Pessime autem Erasmus reposuit *gloriari*, quod nunc primum mutamus.

pote Deus ejus, cum sit ante ipsum. Si enim quod *ex ipso*, et quod *ex utero*, et quod *ex patre exivi et veni*, (*a*) velut partem ejus unius substantiæ et quasi prolationem extendens intelligitur; compositus erit Pater, et divisibilis, (1) et convertibilis, et corpus secundum illos, et, quantum in ipsis est, consequentia corporis sustinens sine corpore Deus. (*b*)

14. *Quia divina non percipit homo nisi ex Dei de se dictis, ex his refellendæ sunt hæreticæ assertiones. Dei dicta non nude, sed ex suis causis expendenda.* — Hic eorum error est, hæc mortifera institutio : ad cujus confirmationem corrupto intelligentiæ sensu, divinorum dictorum testimonia usurpant, et de his sub occasione humanæ ignorantiæ mentiuntur. Nemini autem dubium esse oportet, ad divinarum rerum cognitionem divinis utendum esse doctrinis. Neque enim scientiam cœlestium per semet humana imbecillitas consequetur, neque invisibilium intelligentiam ipse sibi corporalium sensus assumet. Non enim vel id quod creatum in nobis atque carnale est, vel id quod in usum vitæ nostræ ex Deo (2) datum est, suomet judicio naturam Creatoris sui opusque discernit. Non subeunt ingenia nostra in cœlestem scientiam, neque incomprehensibilem virtutem sensu aliquo infirmitas nostra concipiet. Ipsi de se Deo credendum est : et iis, quæ cognitioni nostræ de se tribuit, obsequendum. Aut enim more gentilium denegandus est, si testimonia ejus improbabuntur : **82** aut si ut est Deus creditur, non potest aliter de eo, quam ut ipse est de se testatus, intelligi. Cessent itaque priæ hominum opiniones, neque se ultra divinam constitutionem (3) humana consilia extendant. Sequimur ergo, adversus irreligiosas et impias de Deo institutiones, ipsas illas divinorum dictorum auctoritates : et unumquodque eo ipso, de quo quæritur, auctore tractabimus, non ad fallendam et male imbuendam audientium imperitiam quasdam verborum enuntiationes subtractis eorum causis coaptantes. Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi (*Vide supra l.* II, *n.* 30) : quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus. Verum omnia editis simul et dicendi causis et dictorum virtutibus prosequemur. Igitur singula secundum propositionis ordinem (*c*) retractentur.

15. *Moyses dicens*, Deus unus est, *non negavit Filii deitatem.* — Nam hoc eorum principale est : *Novimus* inquiunt, *unum solum Deum, Moyse dicente, Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 4). Sed numquid hinc quisquam fuit ausus ambigere? aut umquam aliter a quoquam eorum prædicatum esse, qui Deum crederent, cognitum est, nisi unum Deum esse ex quo omnia, unam virtutem innascibilem, et unam hanc esse sine initio potestatem? Sed non per id, quod Deus unus est, Dei filio accidit negari posse quod Deus est. Moyses namque, vel potius Deus per Moysen, populo et in Ægypto et in deserto idolis et deorum, ut putabant, religionibus occupato, hoc constituit principale mandatum, ut unum Deum crederet : et vere ac merito constituit. Unus est enim Deus ex quo omnia. Sed videamus, an idem Moyses eum quoque, per quem omnia sunt, Deum esse confessus sit. Non enim Patri adimitur quod Deus unus est, quia et Filius Deus sit. Est enim Deus ex Deo, unus ex uno : ob id unus Deus, quia ex se Deus. Contra vero non minus per id Filius Deus, quia Pater Deus unus sit; est enim unigenitus filius Dei : non innascibilis, ut Patri adimat quod Deus unus sit; neque aliud ipse quam Deus, quia ex Deo natus est. De quo quamvis ambigi non oporteat, quin nascendo ex Deo Deus **83** sit, per quod fidei nostræ Deus unus est; tamen videamus an Moyses, qui ad Israel dixerit, *Dominus Deus tuus unus est*, Dei filium Deum prædicaverit. Uti enim nos ad confitendam Domini nostri Jesu Christi divinitatem testimonio illius oportebit, cujus auctoritate hæretici unum tantum Deum confitentes Filio putent negandum esse quod Deus sit.

16. *In historia creationis Deum non solitarium docet. Alius dicens, alius faciens; uterque Deus. Filius est Deus faciens.* — Igitur cum absoluta hæc de Deo et perfecta confessio sit, secundum Apostolum ita loqui, (*d*) *Unus Deus pater ex quo omnia, et unus Dominus noster Jesus Christus per quem omnia* (I *Cor.* VIII, 6), videamus originem mundi, quid de ea Moyses loquatur. Ait namque : *Et dixit Deus, Fiat firmamentum in medio aquæ, et sit dividens inter aquam et aquam : et factum est sic, et fecit Deus firmamentum, et divisit Deus per medium aquæ* (*Gen.* I, 6, 7). Habes ergo Deum ex quo, habes Deum per quem. Aut si id negabis, necesse est id quod factum est per quem factum sit doceas : aut certe naturam ipsam

(1) Secunda recensione interpositum est, *et mutabilis.*

(2) *Natum est*, mox, *discernet.*

(3) *Consuetudinem*, mox, *sequamur ergo.*

(*a*) Græce, ὡς μέρος τοῦ ὁμοουσίου καὶ ὡς προβολὴ ὑπό τινων νοεῖται, id est, *velut a quibusdam intelligitur, pars est alicujus qui unius substantiæ sit, et quasi prolatio.* Patet autem Hilarium ex mendoso codice legisse ὡς προβολὴν ἀποτεινων, non ὡς προβολὴ ὑπό τινων.

(*b*) Apud Epiphanium hæ subnectuntur subscriptiones : *Bene valere te optamus in Domino, beatissime papa, Arius, Ethales, Achilles, Carpones, Sarmatas, Arius presbyteri : diaconi Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius, Gaius : episcopi Secundus Pentapolis, Theonas Africanus* (gr. Λίβυς), *Pistus qui Alexandriæ ab Arianis collocatus est.*

(*c*) In ms. Carn. et uno Colb. hic insertum est, *de uno Deo :* quod sane ex margine in textum irrepsit, cum ad subsequentia indicanda in limbo non male locum haberet.

(*d*) Ex hoc Apostoli loco Patrem a Filio discernere solebant hæretici, ut liquet ex his num. 19, Hilarii ad Arianum dictis, *Dixisti enim, Ex Patre omnia, sed per Filium omnia.* Nec repugnabant Catholici; adeo ut Hilario nihil familiarius, quam ut Pater *Deus ex quo, is ex quo, ex quo omnia*, Filius vero *Deus per quem, is per quem, per quem omnia* cognominetur. Quod observandum fuit, tum ad intelligentiam vocabulorum, tum ne ignoraretur institutum Hilarii Arianos ex suis ipsorum armis confodientis.

creandorum Deo obedientem esse (*a*) demonstres, quæ ad id quod dictum est: *Fiat firmamentum*, se ipsam Dei verbo jussa firmaverit. Sed hæc divinæ Scripturæ ratio non recipit. Omnia enim, secundum prophetam, facta ex nihilo sunt (II *Mach.* VII, 28): nec natura aliqua manens demutata in aliud est, sed id quod non erat creatum est, et absolutum est. Per quem? Audi evangelistam: *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 3). Si quæris per quem, audies eumdem Evangelistam dicentem, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt* (*Ibid.* 1-3). Quod si negare voles a Patre dictum videri, *Fiat firmamentum* (*Gen.* I, 6), audies rursum prophetam dicentem, *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* (*Psal.* CXLVIII, 5.) Quod ergo dictum est, *Fiat firmamentum;* in eo quod Pater sit locutus ostenditur. Quod autem adjicitur: *Et factum est sic*, et quod fecisse **84** Deus dicitur; in eo persona efficientis est intelligenda qui faciat. *Dixit* enim, *et facta sunt*, non utique solum voluit, et fecit: *mandavit, et creata sunt*, non utique quia complacitum ei est, exstiterunt; ut (ita) Mediatoris officium inter se et ea quæ essent creanda cessaret. Dicit ergo fieri Deus ex quo omnia sunt, et facit Deus per quem omnia (1), eodem parique nomine et in dicentis significatione et in efficientis operatione (*b*) confesso. Si autem loqui audebis, non de Filio dici, *Et fecit Deus;* et ubi erit quod dictum est, *Omnia per ipsum facta sunt* et illud apostolicum: *Et unus Dominus noster Jesus Christus per quem omnia* (I *Cor.* VIII, 6); et illud, *Ipse dixit, et facta sunt* (*Ps.* CXLVIII, 5)? Quod si impudentiam tuam hæc divinitus dicta (2) convincent; non adimitur Dei filio quod Deus sit, per id quod dictum est: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est:* cum ab eo ipso, qui hæc est locutus, in ipsa constitutione mundi Deus fuerit prædicatus et Filius. Sed videamus, in quem profectum hæc distinctio jubentis Dei, et facientis Dei (3) augeatur (*c*). Nam tametsi sensus communis intelligentiæ non recipiat, ut in eo quod dictum est: *Jussit, et facta sunt*, solitarius atque idem significatus esse credatur; tamen ne quid ambigi possit, oportet ea, quæ mundi creationem consecuta sunt, explicari. (*V. Tract. Ps.* XCI, *n.* 6.)

17. *Neque in condendo homine solitarius Deus.* — Cum igitur perfecto mundo ejus incola formandus esset, (*d*) talis de eo sermo est: *Et dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). [Et rursum, *Et fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit eum* (*Ibid.* 27)]. Quæro nunc, solumne sibi Deum locutum existimes, an vero sermonem hunc ejus intelligas non sibi, sed ad alterum exstitisse? Si solum fuisse dicis; ejus ipsius voce argueris dicentis, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Deus enim per legislatorem (Moysen) secundum intelligentiam nostram locutus est, verbis **85** videlicet, quibus uti ipse nos voluit, cognitionem eorum nobis quæ gessit impertiens. Significatio namque Dei filio per quem facta sunt omnia, in eo quod (*e*) dictum (4) esset, *Et dixit Deus, Fiat firmamentum;* et (in eo quod) rursum ita dictum est, *Et fecit Deus firmamentum:* ne tamen (*f*) hic idem inanis ac superfluus sermo existimaretur, si sibi ipse dixisset ut fieret, et rursum ipse fecisset (quid enim tam alienum ab eo qui solus esset, ut sibi faciendum diceret, cum voluntate tantum opus esset ut fieret?); absolutius voluit intelligi significationem hanc non ad se tantum esse referendam. Dicendo, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, sus-

(1) Adjungitur *sunt*.
(2) *Non convincent.*
(3) *Arguatur.*
(4) *Dictum est.*

(*a*) Ut *obedientiæ vi talis exsisteret*, quemadmodum habes in Psal. CXLVIII, n. 4, cujus loci lectionem recte a nobis emendatam liquet ex præsenti, sicut et ex subnexis, *nec natura aliqua manens* (id est, jam exsistens) *demutata in aliud est*, etc., patet eamdem non male a nobis intellectam.

(*b*) Editi, *confessio est:* emendantur ex mss. Hæc autem conclusio non ad proximum ex psalmis locum pertinet, sed ad memorata Genesis verba, in quibus habetur, *Et dixit Deus... Et fecit Deus.*

(*c*) In Corb. ms. *arguebatur*. In quibusdam ut et in vulgatis, *agatur*. Rectius in vetustioribus Colb., Carn., etc., *augeatur*: hoc est, an hac distinctione significetur auctus personarum numerus, quod sine cunctatione affirmat Tertullianus adversus Praxeam. n. 12: *Etsi ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus: tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus eum qui jubet, et eum qui facit.* Verbi *augeri* vim repetere licet ex lib. I, n. 11, ubi Christum *recipientes in filios Dei aucti* prædicantur. Hæc distinctio *jubentis Dei* et *facientis Dei* aliis etiam Patribus solemnis fuit, Irenæo, lib. III, c. 8. et l. IV, c. 75; Tertulliano, uti proxime vidimus; Origeni, tom. II; in Joh. edit. Huet. p. 61; Antiochēno concilio epist. ad Paulum Samosat.; Hippolyto, lib. cont. Noetum; Athanasio, de decretis Nic. syn.; Basilio, l. de Spiritu sancto; Cyrillo, l. XXIX Thesauri p. 255. Augustinus autem Serm. CXL, n. 6, probat Filium ipsum esse Patris mandatum, *non a tempore datum, sed mandatum natum. Quomodo enim*, inquit, *non est mandatum Patris, quod est Verbum Patris?* Et lib. contra Serm. Arian. c. 3, reprehendit eos, qui *formant sibi in phantasmate cordis sui quasi duos aliquos, etsi juxta invicem, in suis tamen locis constitutos, unum jubentem, et alterum obtemperantem: nec intelligunt ipsam jussionem Patris ut fierent omnia, non esse nisi Verbum Patris per quod facta sunt omnia.*

(*d*) Aliquot mss. *talis Deo sermo est*. Mox quæ uncinis inclusa sunt, nec habet vetus Colb. nec videntur multum ad rem facere. Simile est argumentum concilii Antioch. epist. ad Paulum: *Qui autem mandat, alteri mandat, quem non alium esse persuasum habemus, quam unigenitum filium Deum, cui dixit, Faciamus hominem*, etc.

(*e*) Particulam *cum* hic omissam aliquando putavimus; ut ex posteriore tantum loco Filii significatio ostenderetur. Sed Filii exsistentia ex utroque conficitur, et cum ei nimirum mandatur ut faciat; et cum fecisse significatur quod mandatum erat. Ille enim, cui dicitur *Fiat*, quique fecisse prædicatur quod jussum est, alius est ab eo qui jussit ac dixit *Fiat*. Ut autem habet concilium Antioc. epist. ad Paulum Samosat.: *Filium, qui semper cum Patre est, credimus implevisse voluntatem paternam in creatione universi.*

(*f*) Editi, *hic quidam inanis:* castigantur ex mss.

tulit singularis intelligentiam professione consortii. Consortium autem esse aliquod solitario (1) ipse sibi non potest. Neque rursum recipit solitarii solitudo *faciamus*; neque quisquam alieno a se *nostram* loquitur. Uterque sermo, et *faciamus* et *nostram*, ut solitarium eumdemque non patitur; ita neque diversum a se alienumque significat. Aut quæro, si cum audias solitarium, utrum non ipsum eumdemque esse existimes? aut cum audias non ipsum neque eumdem, anne quod solitarius tantum sit intelligas? In solitario ergo solitarius, in non eodem vero neque ipso, non solitarius reperietur. Solitario ergo convenit, faciam, et meam: non solitario vero, *faciamus*, et *nostram*.

18. *Nec solitudo est nec divinitatis diversitas.* — Cum itaque legimus, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram;* quia sermo uterque, ut non solitarium tantum, ita neque differentem esse significat; nobis quoque nec solitarius tantum, nec diversus est confitendus : cognita per id, quod *nostram imaginem* dicit, non etiam imagines nostras, unius in utroque proprietate naturæ. Non sufficit autem solam verborum attulisse rationem, nisi dictorum intelligentiam etiam rerum operatio consequatur : scriptum enim ita est : *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum* (*Gen.* I, 27). Quæro, si solitario atque ipsi ad se eumdem fuit sermo, quid hic sentiendum existimes? Video enim nunc tripertitam significationem, et facientis, et facti, et exempli. Qui factus est, homo est; Deus autem fecit; et quem fecit, ad imaginem Dei fecit. Si de solitario Genesis esset locuta, dixisset utique, **86** Et fecit ad imaginem suam. Sed sacramentum evangelicum annuntians, non duos deos, sed Deum et Deum elocuta est, cum hominem per Deum effectum *ad imaginem Dei* dicit. Atque ita Deus ad communem sibi cum Deo imaginem atque eamdem similitudinem hominem reperitur operari : ut nec solitudinis intelligentiam significatio efficientis admittat, nec divinitatis diversitatem ad eamdem imaginem ac similitudinem constituta patiatur operatio.

19. *Alio loco idipsum confirmatur.* — Et quamquam superfluum post hæc existimetur ultra aliquid afferre, quia in divinis rebus non frequentius dicta, sed tantum dicta sufficiunt : tamen quid de hoc eodem dictum sit, cognosci oportet. Non enim divinorum dictorum, sed intelligentiæ nostræ a nobis ratio præstanda est. Deus ad Noe inter multa mandata ita loquitur : *Qui effuderit sanguinem hominis, pro sanguine ejus effundetur anima ejus; quia ad imaginem Dei* (*a*) *feci hominem* (*Gen.* IX, 6). Etiam hic distinguitur exemplum, opus, operans. Deus testatur se ad imaginem Dei hominem fecisse. Cum faciendus homo est, quia (*b*) de se, neque ad se loquebatur, dixit *ad imaginem nostram* : cum autem factus homo est, *Fecit Deum hominem ad imaginem Dei.* Non ignoravit utique verbi proprietatem, si sibi ipse loqueretur, ut diceret, Feci ad imaginem meam. Dixerat enim ad demonstrandam naturæ unitatem, *Faciamus ad nostram.* Neque rursum confudit de solitario ac non solitario intelligentiam : cum hominem Deus faciens, *ad imaginem Dei* fecerit.

20. *Patrem non sibi ut solitario* FACIAMUS *locutum esse.* — Quod si Deum patrem solitarium sibi hæc locutum fuisse affirmare voles, tamquam concedi tibi possit, ut unus secum velut cum altero sit locutus, credaturque in eo, quod *ad imaginem Dei feci hominem*, ita voluisse intelligi, tamquam, Ad imaginem meam feci hominem; primum ipse testimonio tuo redargueris. Dixisti enim, Ex Patre omnia, sed per Filium omnia. Namque per id quod dictum est, *Faciamus hominem*, ex eo origo est ex quo (*c*) cœpit et sermo : in eo vero quod *Deus ad imaginem Dei fecit*, significatur etiam is per quem consummatur operatio.

21. *Sed Sapientiam, quæ hæreticis annuentibus Christus est, ei adfuisse.* — Tum deinde, ne quid tibi hinc liceat mentiri, Sapientia, quam tu ipse Christum confessus es, contraibit dicens, *Cum certos ponebat fontes sub cælo, cum fortia faciebat* **87** *fundamenta terræ, eram apud illum* (*d*) *componens. Ego eram, ad quam gaudebat. Quotidie autem lætabar in conspectu ejus in omni tempore cum lætaretur orbe perfecto* (2) *et lætaretur in filiis hominum* (*Prov.* VIII, 28 *et seqq.*). Conclusa est omnis occasio, et coartatur ad veri confessionem universus error. Adest Deo genita ante sæcula Sapientia. Neque solum adest, sed etiam componit. Est ergo componens apud ipsum. (*e*) Intellige compositionis vel dispositionis officium. Pater enim in eo quod loquitur, efficit; Filius in eo quod operatur quæ fieri sunt dicta, componit. Personarum autem ita facta distinctio est, ut opus referatur ad utrumque. Nam in eo quod dicitur, *Faciamus*, et jussio (*f*) exæquatur, et factum : in eo vero quod scribitur, *Eram apud illum componens* (*Ibid.* 30), non solitarium se sibi esse in operatione significat. Lætatur autem ante eum, quem sibi significabat adgaudere lætanti. *Quotidie autem lætabar in conspectu ejus in omni tempore, quando lætabatur orbe perfecto, et lætabatur in filiis hominum* (*Ibid.* 30,

(1) *Ipsi.*

(*a*) In vulgatis, *fecit hominem* : mendose.

(*b*) Particulam *neque* ab Erasmo hic absque ulla mss. auctoritate additam, male retinuerant editiones sequentes. *De se* quippe loquebatur Deus, quatenus in prima persona dixit, *Faciamus*, sed *non ad se*, quatenus non in singulari, *Faciam.*

(*c*) Ita mss. At excusi mendose, *capit et sermo.*

(*d*) In prius vulgatis *cuncta componens.* Constanter a mss. abest *cuncta* hic, l. XII, n. 37, in Ps. CXLVIII, n. 4, etc., consentientibus LXX.

(2) *Et lætabatur.*

(*e*) Vat. bas. ms., *intelligisne.* Tum in uno Colb., *compositionis vel dispensationis.* Rectius pro nostra sententia in altero, non in Carn. omittitur *vel dispositionis.* Non enim hic agitur de Sapientia quatenus Deo cœlos præparanti aderat, sed quatenus componebat.

(*f*) Id est, et jubens et faciens exæquantur. Quocirca ne legeris cum Bad. *exequitur*, aut cum Er. et Par. *exequatur*, multo minus cum mss. Colb. et Germ. *exsequatur.*

31). Causam lætitiæ suæ Sapientia docuit. (1) Lætatur ob lætitiam Patris, in perfectione mundi et in filiis hominum lætantis. Scriptum est enim : *Et vidit Deus quia bona sunt* (*Gen.* 1). Placere Patri opera sua gaudet, per se ex præcepto ejus effecta. Gaudium enim suum hinc esse profitetur, quod in consummato orbe et in filiis hominum Pater lætus existeret : *in filiis hominum* ob id, quia jam in uno Adam omne humani generis exordium constitisset. Non ergo in fabricatione mundi solitarius Pater sibi loquitur, Sapientia sua secum et cooperante, et consummata cooperatione gaudente.

22. *Conclusio eorum quæ a num.* 16 *probata sunt.* — Non ignoramus autem multa et maxima ad absolutionem horum dictorum esse reliqua (*a*) : sed dilata a nobis potiusquam dissimulata habentur ; plenior namque eorum tractatus propositionibus cæteris reservatur. Nunc enim tantum ad id respondetur, quod in expositione fidei suæ, vel potius perfidiæ, ab impiis dictum est, unum tantum Deum a Moyse prædicatum. Et vere ita prædicatum meminimus, quia unus **88** Deus est ex quo omnia : sed non propterea ignorandum esse, quia Filius Deus est ; cum idem Moyses Deum et Deum toto Operis sui corpore sit professus. Igitur videndum est, quomodo (*b*) et electio et (2) legislatio Deum et Deum pari confessionis ordine prædicet.

23. *Angelus Dei Agar allocutus, Deus est. Filius et angelus Dei et Deus.* — Post multas namque Dei ad Abraham allocutiones, cum adversum Agar Sara commoveretur, conceptui ancillæ domina sterilis invidens, cumque discessisset a conspectu ejus, ita de ea Scriptura loquitur : *Et dixit Angelus Domini ad Agar, Redi ad dominam tuam, et humilia te sub manibus ejus. Et dixit ei Angelus Domini, Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non dinumerabitur a multitudine* (*Gen.* XVI, 9, 10). Et rursum : *Et vocavit nomen Domini qui loquebatur secum, Tu Deus qui adspexisti me* (*Ibid.*, 13). Angelus (*c*) Dei loquitur (duplex autem in angelo Dei significatio est : ipse qui est, et ille cujus est) : et loquitur non res secundum nomen officii sui ; ait enim : *Multiplicans multiplicabo semen tuum, et non dinumerabitur a multitudine.* Ministerium angeli potestas multiplicandarum gentium excedit. Sed quid tandem de eo, qui Dei Angelus (3) quæ (*d*) soli Deo propria sunt loquebatur, Scriptura testata est? *Et vocavit nomen Domini qui loquebatur secum, Tu Deus qui adspexisti me.* Primum angelus Dei, secundo Dominus ; *vocavit* enim *nomen Domini qui loquebatur secum ;* dehinc tertio Deus, *Tu* enim *es Deus qui adspexisti me.* Qui angelus Dei dictus est ; idem Dominus et Deus est. Est autem secundum prophetam filius Dei *magni consilii angelus* (*Esai.* IX, 6, *sec.* LXX). Ut personarum distinctio absoluta esset, angelus Dei est nuncupatus ; qui enim est Deus ex Deo, ipse est et angelus Dei. Ut vero honor debitus redderetur, et Dominus et Deus est prædicatus.

24. *Cur idem loquens ad Agar angelus, ad Abraham Deus dicatur.* — Et hic quidem primum angelus, deinde idem postea et Dominus et Deus : ad Abraham vero tantum Deus. Tuto enim, jam personarum (4) discretione præmissa, ne solitarii error subesset, absolutum et verum **89** ejus nomen edicitur. Scriptum namque est : *Et dixit Deus ad Abraham, Ecce Sara uxor tua pariet filium tibi, et vocabis nomen ejus Isaac : et statuam testamentum meum ad illum in testamentum æternum, et semini ejus post illum. De Ismael autem, ecce exaudivi te, et benedixi ei, et amplificabo eum valde : duodecim gentes generabit, et dabo eum in gentem magnam* (*Gen.* XVII, 19, 20). Numquid ambigitur, quin qui angelus Dei dictus est, idem rursum dicatur et Deus? Pariterque de Ismael sermo est, et nunc et dudum multiplicandus ab eodem est. Et ne forte non idem, qui esset locutus ad Agar, non loqui crederetur : ejusdem personæ significationem divinus sermo testatur, dicens, *Et benedixi* (5) *ei et* (*e*) *multiplicabo eum.* Benedictio ex præterito est ; jam enim ad Agar sermo fuerat : (*f*) amplificatio vero in futurum ; nunc enim primum ad Abraham de Ismael Deus loquitur. (*g*) Et ad Abraham Deus loquitur ; ad Agar vero angelus Dei locutus est. Deus igitur est, qui (*h*) et angelus est : quia qui et angelus Dei est, Deus est ex Deo natus. Dei autem

(1) *Lætabatur.*
(2) *Legisdatio.*
(3) *Quæ sola.*
(4) *Distinctione.*
(5) *Eum, et amplificabo eum.*

(*a*) Puta quæ in eodem Prov. cap. habentur : *Dominus creavit me*, etc., in quibus illustrandis totus fere liber XII, occupatur.

(*b*) Apud. Lips. et Par., *et lectio et legislatio.* Rectius aliis in libris, *et electio et legislatio*, hoc est, novum ac vetus Testamentum, secundum illud Pauli Rom. XI, 7 : *Quod quærebat Israel, hoc non est consecutus, electio autem consecuta est.* Hinc planius jam lib. V, n. 2, ad huncce librum habita ratione : *Recte enim unum Deum a Moyse prædicatum Evangelia testantur : et rursum fideliter in Evangeliis Deum et Deum doceri, Moyses Deum unum prædicans auctor est.* Hinc facile diluitur objectum illud, quod per se occurrit : Si electionis et legislationis nomine Evangelium et legem intelligat Hilarius, cur deinceps ex sola lege et non ex Evangelio Deum et Deum ostendit. Quippe veluti rem constantem ponit, Deum et Deum in Evangelio claris verbis prædicari ; ita ut tum ex lege tum ex Evangelio hoc certum futurum sit, cum lex ostensa fuerit hac etiam parte cum Evangelio consentire. Unde Genesis Deum et Deum elocuta, n. 18, dicitur, *evangelicum sacramentum annuntians.*

(*c*) Sola editio Par., *Angelus Deus :* refellitur ex subnexis. De distinctione ejus *qui est* ab eo *cujus est* jam actum est ad lib. II, n. 32.

(*d*) In plerisque ac potioribus mss. *quæ sola.*

(*e*) Ms. Carnut. *ampliabo.* Alii nonnulli, *amplificabo.*

(*f*) Ms. Colb. cum Germ. *amplicabo.* Vat. bas. *amplificabo :* quod non displiceret, si prius *benedixi*, non *benedictio* legeretur.

(*g*) Verba, *et ad Abraham Deus loquitur*, in ante vulgatis omissa, restituuntur ex mss.

(*h*) In vulgatis, *et qui angelus Dei est, quia et*

angelus ob id dictus, quia magni consilii est angelus : Deus vero idem postea demonstratus est, ne qui Deus est, esse angelus crederetur. Sequatur sermo ordinem rerum. Angelus Domini ad Agar locutus est; idem ad Abraham Deus loquitur, ex eodem ad utrumque fit sermo. Benedicitur Ismael, et in gentem magnam amplificandus esse promittitur.

25. *Referuntur et alia visa, dicta, gesta.*— Scriptura et per Abraham, Deum esse qui loqueretur, ostendit. Abrahæ quoque Isaac filius promittitur. Deinde postea assistunt viri tres. Abraham conspectis tribus unum adorat, et Dominum confitetur. Scriptura adstitisse viros tres edidit : sed patriarcha non ignorat qui et adorandus sit et confitendus. Indiscreta assistentium species est; sed ille Dominum suum fidei oculis et visu mentis agnovit. Deinde sequitur : *Et* **90** *dixit ei, Revertens veniam ad te ad hoc tempus in futurum, et habebit filium Sara uxor tua* (*Gen.* XVIII, 10). Et post hæc dixit ei Dominus, *Non celabo ego Abraham* (1) *puerum meum quæ facturus sum* (*Ibid.*, 17). Et rursum : *Dixit autem Dominus, Clamor Sodomorum et Gomorrhæ impletus est, et peccata eorum magna valde* (*Ibid.*, 20). Et rursum post multum alium sermonem, quem brevitatis studio prætermittimus, cum de justis una cum injustis perdendis Abraham esset sollicitus, ait : *Nequaquam, qui judicas terram, facies hoc judicium.* (*a*) *Et dixit Dominus,* (2) *Si invenero in Sodomis quinquaginta justos in civitate, remittam omni loco propter* (*b*) *illos* (*Ib.*, 25, 26). Et rursum consummato sermone ad Lot fratrem Abrahæ, Scriptura dicit, *Et Dominus* (3) *pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur et ignem a Domino de cœlo* (*Gen.* XIX, 24). Et rursum : *Et Dominus visitavit Saram, sicut dixit, et fecit Deus Saræ sicut locutus est, et concepit et peperit Sara Abrahæ filium in senectute sua, et in tempore sicut locutus est illi Dominus* (*Gen.* XXI, 1, 2). Deinde expulsa de Abrahæ domo cum filio suo ancilla, et in deserto ob aquæ inopiam interitum pueri timente, eadem Scriptura ait, (*c*) *Et exaudivit Dominus Deus vocem pueri ubi erat, et vocavit angelus Dei Agar de cœlo, et dixit ei, Quid est Agar? noli timere; exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est. Surge, et accipe puerum, et tene manum ejus; in gentem enim magnam faciam eum* (*Ibid.*, 17, 18).

26. *Expenduntur singula. Filius et magni consilii angelus est, et Dominus, et Deus.* — Quæ perfidiæ cæcitas est, quæ increduli cordis (*d*) obtusio est, quæ irreligiositatis temeritas, aut ignorare hæc, aut non ignorata negligere? Certe ita commemorata et dicta sunt, ne intelligentiam veritatis error aliquis aut obscuritas impediret. Quæ si non posse ignorari doceamus; impietatis esse (*e*) crimen necesse est quod negatur. Angelus Dei loqui ad Agar cœpit, Ismaelem in gentem magnam adaucturus, eique (4) innumerabilem **91** gentis progeniem præstaturus. Confessio audientis et Dominum eum esse et Deum edocet. Sermonis enim exordium ab angelo Dei cœpit, sed in confessione Dei constitit. Ita qui (5) sub ministerio (*f*) magni consilii nuntiandi, Dei angelus est, ipse et natura et nomine Deus est. Nomen enim naturæ, non nomini natura componitur. Iisdem etiam de rebus ad Abraham Deus loquitur; (*g*) benedictum jam Ismaeli docetur, et multiplicandum eumdem esse in gentem : *Benedixi*, inquit, *ei* (*Gen.* XVII, 20). Non itaque demutavit personæ suæ significationem : se enim jam benedixisse demonstrat. Scriptura certe sacramenti ordinem et veræ prædicationis

(1) *Puero meo.*
(2) *Si invenero Sodomis.*
(3) *Pluvit super Sodoma et Gomorra.*

(4) *Inenumerabilem.*
(5) *Sub mysterio.*

qui, etc. Elegantius in mss. *qui et angelus est*, sine *Dei*. Hilarii expositionem confirmare juverit ex epist. concilii Anthioch. de Christo dicentis : *Qui implens voluntatem paternam patriarchis apparet, et cum eis loquitur, in eisdem clausulis et eisdem capitibus aliquando quidem tamquam Angelus, quandoque vero tamquam Dominus, quandoque autem Deus esse affirmatur. Deum enim universi impium est existimari angelum. Filius vero angelus Patris est, qui est ipse Dominus et Deus. Scriptum est enim, Angelus magni consilii.* Apposite Tertullianus, de Carne Christi, n. 14 : *Dictus est magni consilii angelus, id est nuntius, officii, non naturæ vocabulo. Magnum enim cogitatum Patris, super hominis scilicet restitutione, annuntiaturus sæculo erat. Non ideo tamen sic angelus intelligendus ut Gabriel aut Raphael. Nam et Filius a Domino vineæ mittitur ad cultores sicut et famuli*, etc. His consentiunt Justinus, dial. cum Tryph.; Epiphanius hær. LXIX, n. 35. Videsis Augustinum, lib. II de Trin. c. 13. Neque audiendus Origenes, qui ut humanam, ita angelicam naturam a Christo assumptam docuit, cujus hæc sunt tom. I in Johan., p. 32 : *Christus homo hominibus, angelis angelus factus est.* Quippe, inquit Tertullianus, de Carne Christi, n. 14, *ut hominem gestaret Christus, salus hominum fuit causa... ut angelum gestaret, nihil tale de causa est... Nam nullum mandatum de salute angelorum suscepit Christus a Patre.*

(*a*) Hic adjiciunt prius excusi, *ut perdas justum cum impiis :* renitentibus mss. Sed et hæc cum in fine num 27, aliis verbis et alio ordine, nempe ante proxime dicta, non post exhibeantur; patet hic interpolatoris opera.

(*b*) In vulgatis, *illos justos.* Abest *justos* a mss.

(*c*) Editi, *et ecce exaudivit.* Tres mss. *et audivit.* Alii, consentiente græco, *et exaudivit.*

(*d*) In mss. hic et alibi constanter, *obtunsio.*

(*e*) Criminis hujus qui rei sint, aperit lib. VI, n. 15, quos nimirum *impietatis voluntas*, et non ignorantia, in errore detinet. Quibus vero pœnis sint multandi, in eodem, lib. n. 3, sic declarat : *Nam judicaturus ipse de omnibus, et pro majestatis suæ misericordia pœnæ meritum ignoranti moderaturus errori, negantes se jam non judicabit utique, sed negabit.*

(*f*) Plures mss. cum vulgatis, *sub mysterio.* Magis placet cum mss. Carnut., Remig., etc., *sub ministerio.* Ut enim supra ex Tertulliano observabamus, Christus magni consilii angelus dictus est *officii, non naturæ vocabulo.* Et Hilarius ipse, lib. V, n. 11 : *In angelo officii potius quam naturæ intelligentiam esse* hinc probat, quod angeli *ministri* Dei vocentur.

(*g*) Ita præstantiores mss. Colb., Carn., Remig. cum Germ. a prima manu. At in vulgatis, *benedictum jam Ismaelem :* ac deinde Par. post Lips., *docet*, nec multo post cum aliis editis, *benedixit*, pro *benedixi.*

modum, ab angelo Dei incipiens, et postea iisdem de rebus eumdem loquentem Deum confessa, servavit.

27. *Vir quem ex tribus adorat Abraham, Dominus, Deus, et judex est.* — Procedit autem pleniore doctrinæ profectu sermo divinus, Deus isthic ad Abraham loquitur, parituram Saram pollicetur. Post hæc viri tres sedenti assistunt, unum adorat, et Dominum confitetur. Idemque et adoratus et confessus ab illo, tempore eodem in futurum rediturum se promittit, et Saræ filium futurum Deus ad Abraham locutus est. Idem postea de rebus ipsis eumdem vir ab eo visus alloquitur. Demutatio tantum fit nominum, nihil tamen de confessione decessit. Virum enim licet conspectum, Abraham tamen (*a*) Dominum adoravit (*Gen.* XVIII, 2, 3) : sacramentum scilicet futuræ corporationis agnoscens. Nec tamen tantæ fidei testimonio caruit; Domino in Evangeliis dicente, Abraham pater vester (*b*) lætabatur, ut videret diem meum : et vidit, et lætatus est (*Joan.* VIII, 56). Vir ergo conspectus rediturum se tempore eodem pollicetur. Contuere sponsionis effectum : memento tamen virum esse qui spondeat. Quid ergo Scriptura dicit, *Et Dominus visitavit Saram* (*Gen.* XXI, 1)? Vir ergo iste Dominus est, efficiens quod spopondit. Quid autem sequitur? *Et fecit Deus Saræ sicut locutus est* (*Ibid.*). Vir in loquendo nuncupatus, Dominus **92** in visitatione significatus, Deus prædicatur in facto. Locutum certe virum non ignoras, qui Abrahæ et visus est et locutus, Deum quomodo ignorabis, Scriptura eadem, quæ virum dixerat, Deum confitente? Ipsa enim dixit, *Et concepit et peperit Sara Abrahæ filium in senectute sua, et in tempore sicut locutus est illi Dominus* (*Ibidem*, 2). Sed vir venturum se locutus est. Virum crede tantum, nisi qui venit, et Deus et Dominus est. Causam compara. Vir certe ob id (*c*) veniet, ut Sara et concipiat et pariat, Fidem disce. Dominus et Deus ob hoc venit, ut Sara et conciperet et pareret. In potestate Dei vir locutus est : in effectu Dei Deus præstitit. Ita se Deum et loquendo et faciendo significat. (*d*) Viri deinde de conspectis tribus duo abeunt : sed qui residet, et Dominus et Deus est. Neque solum Dominus et Deus est, sed et judex est. Stans enim ante Dominum Abraham dixit, *Nullo modo tu facies hoc verbum, occidere justum cum impio, et erit justus sicut impius. Nequaquam, qui judicas omnem terram, facies hoc judicium* (*Gen.* XVIII, 25). Toto igitur sermone suo Abraham fidem, ob quam justificatus est, docet, Dominum suum ex tribus agnitum, et solum adoratum, et (1) Dominum (*e*) confessus et judicem.

28. *Unum ex tribus, non tres in uno Abraham adorat. Discrimen inter visum Lot, et visum Abrahæ.* — Ac ne forte existimes in unius confessione, trium omnium virorum, qui simul videbantur, honorem contineri; contuere quid conspectis duobus qui discesserant Lot dixerit : (*f*) *Et ut vidit Lot, exsurrexit obviam illis, et adoravit in faciem in terram : et dixit, Ecce, domini, divertite in domum pueri vestri* (*Gen.* XIX, 1, 2). Hic pluralem retinuit significationem simplex visio angelorum, illic singularem honorem patriarchæ fides confitetur. Hic divinæ Scripturæ historia duos de tribus tantum angelos fuisse significat, illic Dominum et Deum prædicat. Ait enim : *Et dixit Dominus Abraham, Quare risit Sara, dicens,* (2) *Ergo vere paritura sum? ego autem* (*g*) *senui. Numquid impossibile est* **93** (*h*) *a Deo verbum? In tempore hoc revertar ad te in futurum, et erit Saræ filius* (*Gen.* XVIII, 13 *et seqq.*). Tenet ergo Scriptura ordinem veritatis, nec pluralem significationem in eo qui et Deus et Dominus agnoscebatur admiscens, neque angelis duobus honorem, qui Deo tantum fuerat delatus, impertiens. Lot quidem dominos dicit, sed Scriptura angelos nuncupat. Illic hominis officium est, isthic confessio veritatis.

29. *Dominus a Domino, Filius.* — Dehinc adest in Sodomam et Gomorrham justi pœna judicii. Et quid tandem momenti in eo est? *Dominus sulphur et ignem*

(1) *Et Deum confessus.*

(*a*) Editi, *Deum adoravit*, repugnante sacro textu cum mss. Repugnat et hoc, quod Hilarius, cui vox *Deus* simpliciter posita Patrem, sicut *Dominus* Filium sonat, inde conficit Abraham Christi futuram corporationem agnovisse. De eadem visione Tertullianus, de Carne Christi, n. 6, non diversa loquitur : *Inter Angelos illos ipse Dominus apparuit Abrahæ sine nativitate cum carne... qui jam tunc et alloqui et liberare et judicare humanum genus ediscebat in carnis habitu, non natæ adhuc, quia nondum morituræ.*

(*b*) Carnut. aliique nonnulli mss. *exsultavit.*

(*c*) In excusis, *venit.* Melius in mss. *veniet.* Instituitur enim comparatio inter eum qui venturum se promiserat, Gen. XVIII, 10, tum vir conspectus, et eum qui venisse narratur. Gen. XXI, 1 et 6, non jam *vir*, sed *Dominus* et *Deus* nuncupatus.

(*d*) Editi, *viris deinde conspectis tribus :* emendantur ex mss.

(*e*) Editi, *et Deum confessus est et judicem :* renitentibus mss. Neque Abraham in Scriptura *Deum*, sed *Dominum* constanter profitetur.

(*f*) Ita castigatiores mss. At editi, *et vidit Lot, et*

(2) *Ego vere.*

surrexit... in terra : græce τῷ προσώπῳ ἐπὶ τὴν γῆν. Deinde legens Hilarius *ecce domini*, consentientia habet græca simul et latina exempla. Augustinus tamen, Serm. 7, præfert *ecce domine*, nec usquam vidisse videtur *ecce domini* : sic enim habet num. 6 : *Cum duo mitterentur ad Sodomam apparentes fratri Abrahæ Lot, et ipse agnoscit in eis divinitatem; et cum duos videat,* DOMINUM *appellat : et ille in tribus Dominum, et in duobus ille Dominum :* adeo ut ex hoc in eam abeat sententiam, quæ tuetur non Dominum ipsum, sed angelos in quibus insideret Dominus apparuisse patriarchis, qui *non portantibus, sed insidenti gloriam dabant.* Videsis ejusdem lib. II contra Maximinum, c. 26, num. 6.

(*g*) In vulgatis, *quæ jam senui.* Abest *quæ jam* a mss. et græco textu.

(*h*) Apud Par., *Deo*, omisso *a*. In editis aliis, *a Domino*. Verius in mss. *a Deo :* quo is, qui in habitu viri locutus erat ℣ 2 et 3, quique ℣ 1, 3 et 13, *Dominus* appellatus est, Deus quoque esse significetur : qui scopus est Hilarii, græcum textum παρὰ τῷ Θεῷ proprie *apud Deum*, quasi παρὰ τοῦ Θεοῦ interpretantis.

pluit a Domino (*Gen.* XIX, 24). Ut Dominus a Domino; ita non discrevit naturæ nomine, quos significatione (non unius personæ) distinxerat. Legimus namque in Evangelio, Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* V, 22). Dedit ergo Dominus, quod Dominus accepit a Domino.

30. *Eum ut Deum vidit Jacob nec solitarium.*— Sed qui accepisti in Domino et Domino judicis cognitionem, cognominis ejusdem in Deo et Deo cognosce consortium. Jacob discedens ob metum fratris sui, somnians viderat scalam fundatam in terra et contingentem cœlum, et per eam adscendentes et descendentes angelos Dei, et Dominum incumbentem super eam, sibique omnes benedictiones, quas Abrahæ et Isaac dederat, impertientem (*Gen.* XXVIII). Ad hunc postea talis Dei sermo est : *Dixit autem Deus ad Jacob, surgens adscende in locum Bethel, et habita ibi, et fac ibi altarium Deo, qui apparuit tibi cum fugeres a facie fratris tui* (*Gen.* XXXV, 1). Deus honorem Deo postulat, et postulat cum alterius significatione personæ : *Qui*, inquit, *apparuit tibi cum fugeres;* ne qua personæ ejusdem confusio nasceretur. Deus ergo est qui loquitur, Deus et de quo loquitur : honoris confessio a naturæ nomine non discernit, quos significatio subsistentes esse distinguit.

31. *Synopsis et scopus prædictorum a numero* 23.— Et huic quidem loco quædam memini ad pleniorem absolutionem necessaria : sed secundum propositionis ordinem, responsionis quoque ordo retinendus est. Itaque quæ ei reliqua sunt, in libro altero suo loco exsequemur. Tantum hoc nunc in Deo, qui honorem Deo postulat, demonstrandum fuit, angelum Dei, qui cum Agar locutus esset, et Deum esse et Dominum, cum iisdem de rebus ad Abraham locutus ipse sit : et virum, qui Abrahæ visus sit, et Deum esse et Dominum; angelos autem duos, et cum Domino visos, et **94** ab eo ad Lot missos, nihil aliud a propheta nisi angelos prædicatos. Non solum autem ad Abraham in viro Deus adfuit, sed etiam ad Jacob in homine Deus venit. Neque solum venit, sed luctatus ostenditur (*Gen.* XXXII, 24) : neque tantummodo luctatus, sed etiam adversus eum, cum quo luctabatur, infirmus. Nunc de luctæ sacramento (*a*) non est, neque in tempore, neque in materia, aliquid tractare. Deus certe est; quia Jacob adversus Deum invaluit, et Israel Deum vidit.

32. *Moysi in rubo visus, Dominus et Deus est.* — Videamus autem, an etiam alibi, præter quam ad Agar, hic angelus Dei Deus esse sit cognitus. Cognitus plane est. Neque solum Deus, sed etiam Deus A Abraham et Deu Isaac et Deus Jacob repertus. Angelus enim Domini Moysi de rubo apparuit, Dominus de rubo loquitur : vocem cujus intelligendam existimas, utrum ejus qui visus est, an alicujus alterius? Hic mendacii locus nullus est. Ait enim Scriptura, *Apparuit autem illi angelus Domini in flamma ignis de rubo* (*Exod.* III, 2). Et rursum, *Vocavit eum Dominus de rubo, Moyses, Moyses. Et respondit : Quid est? Et dixit Dominus : Ne accesseris huc, solve calciamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, terra sancta est. Et dixit ei : Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob* (*Ibid., 4 et seqq.*). Qui apparuit in rubo, de rubo loquitur : et visionis locus unus et vocis est; neque alius, quam qui est visus, auditur. Qui angelus Dei est cum videtur, idem rursum cum auditur est Dominus; ipse vero (*b*) Dominus qui auditur, Deus deinde Abrahæ, Isaac et Jacob esse cognoscitur. Cum angelus Dei dicitur, non proprius sibi ac solitarius esse monstratur; (*c*) est enim angelus Dei : cum Dominus et Deus nuncupatur, in honore naturæ suæ et nomine prædicatur. Habes ergo angelum, qui de rubo apparuit, et Dominum et Deum.

33. *Moyses non semel Deum et Dominum prædicat. Uterque tamen unus est Deus. Filio uti natura Deo honor postulatur. Filius et Angelus Dei et Deus.* — Percurre adhuc Moysi testimonia; et intellige an occasionem aliquam prædicandi Deum et Dominum negligat. Tenes nempe ex dictis ejus, *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 4). Tene nunc divinæ illius cantionis suæ dicta : ait namque, *Videte, videte quoniam ego sum Dominus, et non est Deus præter me* (*Deut.* XXXII, 39). Et cum omnis sermo ei ex persona Dei (*d*) usque ad finem cantionis fuisset, ait, *Lætamini cœli simul cum eo, et adorent eum omnes* (*e*) *filii Dei. Lætamini gentes cum populo ejus, et honorificent eum omnes angeli Dei* (*Ib.*, 43). **95** Honorificandus est a Dei angelis Deus, dicens : *Quoniam ego sum Dominus, et non est Deus præter me.* Est enim Unigenitus Deus : neque consortem unigeniti nomen admittit (sicuti non recipit innascibilis, in eo tantum quod est innascibilis, participem); est enim unus ab uno. Neque præter innascibilem Deum innascibilis Deus alius est, neque præter unigenitum Deum unigenitus Deus quisquam est. Uterque itaque unus et solus est, proprietate videlicet in unoquoque et innascibilitatis et originis. Ac sic uterque Deus unus est; cum inter unum et unum, id est, ex uno unum, divinitatis æternæ non sit secunda natura. Adorandus ergo est a filiis Dei, et honorificandus ab Angelis

(*a*) Editi, *neque est in tempore :* præter fidem mss. Est autem hic pleonasmus, cujus exempla jam vidimus.

(*b*) In vulgatis, *ipse vero qui auditur, Dominus Deus est. Deinde Abrahæ, Isaac et Jacob Deus esse cognoscitur.* Quæ lectio confusa restauratur ope mss.

(*c*) Editi, *Etenim Dei angelus cum*, etc., sensu perturbato, et sublata probatione qua Deus non solitarius demonstratur. Castigantur ex mss.

(*d*) Scilicet Unigeniti, ut apertius declaratur lib. v, n. 36.

(*e*) Hic Deuteron. locus in Ps. LXVII, n. 4, aliis verbis, alioque verborum ordine exprimitur. Ibi enim primo loco habetur *Angeli Dei*, non *filii Dei;* postea autem *filii Dei*, loco *Angeli Dei :* cui lectioni suffragatur Justinus sub finem Dial. cum Tryphone, favetque Paulus Heb. I, 6. Quem hic tenet Hilarius ordinem, tenet et Epiphanius hær. LXIX, n. 60, ubi habet : *Adorent ipsum omnes filii Dei, et confortent eum omnes angeli Dei.*

Dei. Ita et honor et veneratio Deo a Dei filiis et Angelis postulatur. Significationem honorandi, (1) et eorum (*a*) per quos est honorandus intellige, scilicet per angelos et filios Dei, Deus. Ac ne forte honorem Dei non naturalis existimes postulari, et arbitreris hoc in loco Moysen de honorando Deo patre sensisse, cum tamen Pater sit honorandus in Filio; tamen benedictionem, quam (*b*) sub eodem sermone ad Joseph disponit, adverte. Ait enim : *Et quæ accepta sunt ei qui apparuit in rubo, veniant super caput Joseph et verticem* (*Deut.* XXXIII, 16). Adorandus ergo a Dei filiis Deus est, sed Deus qui et Dei filius est. Honorandus autem a Dei angelis Deus est, sed Deus qui Dei (*c*) angelus Deus est : quia de rubo apparuit Dei angelus Deus, et quæ ei complacita sunt, Joseph cum benediceretur optantur. Non ideo non Deus, quia angelus Dei est; neque rursum angelus Dei non idcirco, quia Deus est : sed significata personarum intelligentia, et (*d*) distincto innascibilitatis nativitatisque sensu, ac manifestata sacramentorum cœlestium dispensatione, non solitarium Deum docuit opinandum, cum angelum et filium Dei Deum, Dei et angeli et filii adorabunt.

34. Et hæc quidem de Moysi libris responsa a nobis sint, vel potius Moyses ipse responderit : quia eo hæretici auctore usi, per unius Dei confessionem putent persuaderi posse, ne Deus esse Dei filius prædicetur; **96** contra auctoris sui testimonium impii, cum quando ille unum Deum confitens, non destiterit de Dei filio docere quod Deus est. Sed consequens est multiplices de eodem prophetarum sententias proferre.

35. *Qui propheta Filium et Deum doceat, et a Patre secernat. Filii cur pater Deus sit.* — Tenes dictum : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est :* atque utinam recte teneres. Sed secundum sensum tuum dicti prophetici quæro rationem. Ait enim in psalmis : *Unxit te, Deus, Deus tuus* (*Psal.* XLIV, 8). Discerne (*e*) ad legentis intelligentiam unctum et ungentem : distingue *te* et *tuus :* ad quem et de quo sit sermo, demonstra. Superioribus enim dictis hic confessionis ordo subjectus est. Dixerat namque : *Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, virga directionis tuæ, virga regni tui; dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem* (*Ibid.*, 7). Nunc quoque his adjecit : *Propterea unxit te, Deus, Deus tuus.* Deus ergo regni æterni, ob meritum dilectæ justitiæ et perosæ iniquitatis, a Deo suo unctus est. Numquid intelligentiam nostram aliqua saltem nominum intervalla confundunt? Nam discretio tantum personæ in *te* et *tuus* posita est, in nullo tamen naturæ distincta confessione. *Tuus* enim relatum est ad auctorem, *te* vero ad ejus qui ex auctore est significationem. Est enim Deus ex Deo, propheta eodem ordine confitente : *Unxit te, Deus, Deus tuus.* Non est autem ante innascibilem Deum Deus ullus, ipso dicente : *Estote mihi testes, et ego testis, dicit Dominus Deus, et puer meus quem elegi, ut sciatis et credatis et intelligatis quoniam ego sum, et ante me non est alius Deus, et post me non erit* (*Esa.* XLIII, 10). (2) Ejus igitur, (*f*) qui sine initio est, demonstrata est dignitas; et ejus qui ex innascibili est, honor conservatus est : *Unxit te,* enim *Deus, Deus tuus.* Id enim, quod ait *tuus,* ad nativitatem refertur, cæterum non perimit naturam (*Vide lib.* XI, *n.* 18, *etc.*). Et idcirco Deus ejus est, quia ex eo natus in Deum est. Non tamen per id, quod Pater Deus est, non et Filius Deus est : *Unxit* enim *te, Deus Deus tuus :* designata videlicet et auctoris, et ex eo geniti significatione, uno eodemque dicto utrumque illum in naturæ ejusdem (*g*) et dignitatis nuncupatione constituit.

97 36. *Filium Patris qualem Esaias prædicat.*—Verum ne forte ex eo arripi impiæ assertionis possit occasio, quod dictum est, *Quoniam ego sum, et ante me non est Deus alius, et post me non erit* (*Esai,* XLIII, 10) ; tamquam per id non et Filius Deus sit, quia post

(1) *Et ejus per cujus.*

(2) *Ejus igitur qui sine nativitate est, demonstrata persona est,* mox, pro *id enim quod ait,* est *id quod ait,* et paulo post, *quia ex Deo natus* legitur, pro *ex eo natus.*

(*a*) Ita Er., Lips. et Par. quæ lectio nobis valde suspecta est, cum nec satis congruat cum subnexis, nec habeatur nisi in recentioribus mss. Nam in potioribus tribus Colb., Carn., Corb., Germ., Remig., etc., legere est, *et ejus per cujus* (potest intelligi tacitum verbum *honorem*) *est honorandus.* In ms. Corb. secundis curis adscriptum est, *et ejus per quem est honorandus.* In Vindocinensi autem exstat, *et ejus per quos est honorandus.* Deinde in vetustiore Remig. mendose, *intelligere scilicetur Angelus et Filius Dei.* Ex quibus non incommode conficere liceret, *significationem honorandi ex eis per quos est honorandus intellige, scilicet ut Angelus et filius Dei Deus.*

(*b*) In uno codice Vatic. *sub eodem nomine.* Tum in recentiore Remig. ad Theod. *Jacob ad Joseph disponit.* Sincerior est lectio cæterorum. Subjecta enim verba Deuteronomii sunt; quamvis ad benedictionem Jacob Gen. XLIX, 26, alludant.

(*c*) Ita mss. At editi, *Angelus est qui de rubo.* Sic et Ambrosius in Psal. XLIII, n. 15, Filium in rubo visum fuisse declarat his verbis : *Quis est in rubo visus Moysi, nisi primogenitus Dei filius, qui ait : Ego sum Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob. Ideo se demonstravit humanis adspectibus, quia venturus erat ut ab omnibus videretur.*

(*d*) In editis, *distinctio :* mendum quod castigant mss.

(*e*) Lips. et Par., *discernat legentis intelligentia :* reluctantibus aliis libris. Ita Tertullianus adversus Praxeam n. 13, Ambrosius lib. I de Fide c. 3, et alii Patres in hoc Psalmistæ loco duos aperte discerni observant. Luculentum est præ cæteris illud Irenæi lib. III, c. 6 : *Utrosque Dei appellatione significavit Spiritus sanctus, et eum qui ungitur Filium, et eum qui ungit, id est, Patrem.*

(*f*) Editi excepto Par., *qui sine nativitate est :* qui tamen infra, n. 37, de Patre habent, *qui sine initio æternus est.*

(*g*) Vat. bas. codex, *in naturæ ejusdem dignitate et Domini nuncupatione :* minus sincere. Ex hoc maxime loco patet quam apud Hilarium vim habeat vocabulum *dignitatis,* quod *divinitatis* loco manifeste hic ponitur.

Deum, ante quem Deus nullus sit, nullus quoque postea Deus futurus sit : totius ob id dicti ratio tractanda est. Deus ipse sermonis sui testis est, sed et puer ejus electus una cum eo testis est, Deum ante se non esse, neque post se futurum. Sufficiens quidem sibi ipse testis est : sed testimonio de se suo, testimonium pueri quem elegit admiscuit. Unum ergo duum testimonium est, nullum ante se Deum esse; ex eo enim omnia sunt : neque post se Deum futurum; non utique ex se non fuisse. Erat enim jam puer in testimonio Patris hæc loquens, puer in tribu ex qua gigni habebat electus. Idipsum ita in Evangeliis demonstrat : Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo complacuit (1) anima mea (*Matth.* XII, 18). Non est ergo ante me alius Deus, et post me non erit : æternæ videlicet et indemutabilis virtutis infinitatem in eo, quod ante et postea Deus præter se sit nullus, ostendens : puero tamen suo, ut in testimonio suo, ita et in nomine, collocato.

37. *Oseæ locus pro Filii deitate. Patri nullus, Filio Pater, nobis Pater et Filius est Deus.*—Et hoc ipsum promptum est ex persona ipsius discere. Ait enim ad Osee prophetam, *Non apponam adhuc ut miserear domui Israel, sed enim adversans adversabor illis : filiorum autem Juda miserebor, et salvos eos faciam in Domino Deo ipsorum* (*Oseæ* I, 6, 7). Ergo (2) absolute (*a*) Pater Deum Filium nuncupat, in quo et elegit nos ante tempora sæcularia (*Ephes.* I, 4). *Ipsorum* idcirco ait, quia Deus innascibilis a nullo est, nosque Filio in hæreditatem a Deo patre donamur. Legimus namque, *Posce a me, et dabo tibi gentes* (3) *hæreditatem* (*b*) *tuam* (*Psal.* II, 8). Deo enim ex quo omnia sunt Deus nullus est, qui sine initio æternus est. Filio autem Deus Pater est; ex eo enim Deus natus est. Nobis autem et Pater Deus est, et Filius Deus est : Patre de Filio confitente quod Deus noster sit, Filio de Patre docente quod Deus nobis sit : *Deo* tamen Filio a Patre, id est, ipso innascibilis virtutis suæ nomine, nuncupato. Et hæc quidem ad Osee.

38. *Testimonium luculentum ex Esaia. Magorum adoratio prædicta. Qui fuerunt magi.* — Per Esaiam autem quam absoluta Dei patris de Domino nostro professio est. Ait namque : *Quoniam sic dicit Dominus Deus sanctus* **98** *Israel, qui fecit quæ ventura sunt : Interrogate me de filiis vestris et de filiabus, et de operibus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, et hominem super eam, ego omnibus sideribus præcepi, ego suscitavi regem cum justitia, et omnes viæ ejus rectæ. Hic ædificabit civitatem meam, et captivitatem plebis meæ convertet, non cum præmio, neque cum muneribus, dicit Dominus Sabaoth. Laborabit Ægyptus, et mercatus Æthiopum,* (*c*) *et Sabain. Viri excelsi ad te transibunt, et tui erunt servi, et post te sequentur alligati vinculis, et adorabunt te, et in te deprecabuntur; quoniam in te est Deus, et non est Deus præter te. Tu enim es Deus, et nesciebamus. Deus Israel salvator. Erubescent et pudebit omnes qui adversantur ei, et ibunt cum confusione* (*Esai*, XLV, 11 *et seq.*). Estne adhuc aliquis temeritatis locus? aut ulla relicta est ignorationis occasio : nisi id tantum reliquum sit, ut impietas professa se prodat? Deus ex quo omnia sunt, qui omnia (*d*) mandando fecit, facti opera sibi assumens, non utique efficienda, nisi dixisset ut fierent, testatur regem per se (4) excitatum justum, et ædificantem sibi Deo civitatem, et plebis captivitatem avertentem, non cum præmio neque cum muneribus; gratia enim omnes salvamur. Deinde ita loquitur, cum post laborem Ægypti, id est, sæculi (5) calamitatem (*e*), et mercatus Æthiopum et Sabain viri excelsi ad eum transibunt. Et qui tandem existimandus labor Ægypti, et mercatus Æthiopum et Sabain? Recordemur Orientis Magos adorantes Dominum et munerantes, et laborem veniendi usque in Bethlehem Judæ tanti itineris metiamur. (*f*) In principum enim labore totius Ægypti labor demonstratus est. Magis namque divinæ virtutis operationes falsa rerum specie mentientibus, potissimus impiæ religionis honor a sæculo omni deferebatur. Iisdem Magis et mercatu Æthiopum et Sabain, auri, et thuris, et myrrhæ munera deferentibus : quod quidem idipsum et alius propheta prænonuit, dicens : In conspectu ejus procident Æthiopes, et inimici ejus limum lingent. Reges Tharsis munera offerent, reges Arabum et Sabain munera adducent, et dabitur ei de auro Arabiæ(*Psal.* LXXI, 9,

(1) *Animæ meæ.*
(2) *Absolute* deest in ms. Veron.
(3) *In hæreditatem.*

(4) *Suscitatum.*
(5) *Captivitatem.*

(*a*) Apud Par. et in nonnullis mss. omittitur *absolute*, quod est, aperte et absque ulla ambiguitate.

(*b*) Editi, *in hæreditatem*, dissidentibus mss. et Tract. 2. Psal.

(*c*) Quamvis ex græco textu, καὶ οἱ Σαβαεὶμ ἄνδρες, planum sit vocem *Sabain* referri ad subsequentem, non ad præcedentem : eam tamen ab Hilario ad vocabulum *mercatus* relatam esse non dubium est ex subjectis. Tertullianus adversus Praxeam n. 13, cum Hilario consentiens, quod ex eodem Esaiæ loco probet duos esse qui unum Dei nomen obtineant, hoc ab eo dissentit, quod legat, *et Sabain viri*.

(*d*) Lips et Par. ex margine Er. *mandato*.

(*e*) Ita vetustiores libri. Alii vero, *sæculi captivitatem*.

(*f*) In ms. Vat. bas., *in principio labor totius Ægypti* : corrupte. Hic de Magis duo tradit Hilarius, eos scilicet et principes fuisse, et magicæ arti deditos; quod alterum plures ex antiquis cum eo docuisse jam observatum est in not. ad c. 1 comm. in Matth., n. 5. Reges quoque eos fuisse scribit Tertullianus, lib. III contra Marc. n. 13, ubi enarraturus illud psal., *Reges Arabum*, etc., subjicit, *Nam et Magos reges habuit fere Oriens*. Cui consentit Hieronymus, comm. in Dan. c. 2. Sic et Cæsarius Arelat., in appendice Sermonum Augustini, Serm. 139, n. 3 : *Illi Magi tres reges fuisse dicuntur*. Unde Paschasius Radbertus in Matth. II : *Magos reges extitisse, nemo qui historias legit gentilium ignorat*. Qua ratione explicatur, qui omnes de Sabain ad Christum venerint : quia nimirum, uti declarat Hilarius, in Matth. c. XIV, n. 7 : *Populi princeps subjectæ sibi universitatis nomen causamque complectitur*.

10). (*a*) In Magis itaque **99** et muneribus, labor Ægypti et mercatus Æthiopum et Sabain ostenditur, scilicet mundi error Magis adorantibus, et electa gentium munera adorato ab his Domino oblata.

39. *Apostoli viri excelsi.* — Excelsi autem viri, qui ad eum transituri sunt, atque eum vincti sequentur, qui tandem isti sunt, non in obscuro est. Respice ad Evangelia ; Petrus Dominum suum secuturus præcingitur (*Joan.* XXI, 7). Intuere Apostolos : servus Christi Paulus in vinculis gloriatur (*Philem.* 1). Et videamus an vinctus Christi Jesu ea, quæ Deus de filio suo Deo fuerat locutus, impleverit. *Precabuntur*, inquit, *quoniam in te est Deus* (*Esai.* XLV, 14). Dictum itaque ab Apostolo recognosce, et recognitum intelige : *Deus in Christo erat mundum reconcilians sibi* (II *Cor.* V, 19). Dehinc sequitur, *Et non est Deus* B *præter te.* Quibus continuo idem Apostolus ait, unus est enim Dominus noster Jesus Christus per quem omnia (I *Cor.* VIII, 6) : et nullus præter eum videtur alius esse, quia unus est. Tertio quoque ait, *Tu es Deus, et nesciebamus.* Sed ex persecutore (*b*) Ecclesiæ dixit : *Quorum patres, ex quibus Christus, qui est super omnia Deus* (*Rom.* IX, 5). Hi igitur vincti hæc prædicabunt : excelsi videlicet, et in duodecim thronis judicaturi (*c*) tribus Israel, et Dominum suum doctrinæ et passionis suæ martyrio secuturi.

40. *Pater de se dicit*, Non est Deus præter me, *et de Filio*, Non est Deus præter te. *Filius persona non genere a patre discretus.* — Deus ergo in Deo est : et in quo est Deus, Deus est. Et quomodo *non est Deus præter te;* cum in eodem Deus sit ? Usurpas, C o hæretice, ad confessionem solitarii Dei patris, *Non est Deus præter me :* quomodo ex prædicatione Dei patris dicentis, *Non est Deus præter te*, dictum interpretaberis, si per id quod dictum est, *Non est Deus præter me* (*Deut.* XXXII, 39), affirmare contendis, ne Dei filius Deus sit? Et cui ergo Deus (Pater) dixerit, *Non est Deus præter te ?* subjicere enim hic tibi personam solitarii (*d*) non licebit. Dominus enim dixit regi quem excitavit, ex persona virorum excelsorum adorantium et deprecantium, *Quoniam in te est Deus.* Solitarium res ista non recipit. *In te* enim præsentem, veluti ad quem sit sermo, significat. Quod autem sequitur, *In te est Deus*, non solum eum qui præsens est, sed etiam eum **100** qui (1) maneat in præsente demonstrat : habitantem ab eo in quo habitet discernens, personæ tamen tantum distinctione, non generis : Deus enim in eo est : et in quo est Deus, Deus est. Non enim Deus in diversæ atque alienæ a se naturæ habitaculo est, sed in suo (*e*) atque ex se genito manet. Deus in Deo, quia ex Deo Deus est. *Tu es enim Deus, et nesciebamus, Deus Israel salvator* (*Is.* XLV, 15).

41. *Filio adversantes erubescent. Filium qui negat, Patrem inhonorat.* — Negantem te Deum in Deo, sequens sermo confutat : ait enim, *Erubescent, et pudebit omnes qui adversantur ei, et ibunt cum confusione* (*Ibid.*, 16) : (*f*) Decretum hoc in impietatem tuam Dei est. Adversaris enim Christo, de quo te professio paternæ vocis objurgat, Deus est enim, quem esse tu Deum denegas. Denegas vero sub specie honoris Dei (Patris), dicentis, *Non est alius Deus præter me* (*Ibid.*, 18). Sed confundere et erubesce : non eget delato a te honore innascibilis Deus, gloriam hanc a te solitudinis suæ non postulat, non desiderat hanc opinionis tuæ intelligentiam ; ut ob hoc quod dixerit, *Non est Deus præter me*, cum quem ex se genuit Deum abneges. Ac ne sibi hoc, ad divinitatem Filii destruendam, peculiare (*g*) deferres ; Unigeniti sui gloriam honore perfectæ divinitatis implevit, dicens, *Et non est Deus præter te.* Quid exæquata discriminas? quid comparata discernis? Proprium Dei filio est, ne præter eum Deus sit ; proprium Deo patri est, ne absque eo Deus quisquam sit : verbis Dei de Deo utere. Confitere ita, et precare regem : *Quoniam in te est Deus, et non est Deus præter te. Tu enim es Deus, et nesciebamus, Deus Israel salvator.* Caret (*h*) contumelia honoris officium, neque offensionem habet confessionis exemplum ; maxime cum adversatio ejus plena confusionis sit et pudoris. Immorare Dei verbis, confitere Dei vocibus ; et fuge confusionis denuntiationem. Deum enim Dei filium abnegando, non tam Deum tamquam (2) solitarium (*i*) gloriæ honore venerabeRis, quam Patrem Filii inhonoratione contemnes. Honoris fidem innascibili Deo confitere, quod præter eum Deus nullus sit : unigenito Deo prædica, quod absque eo Deus non sit.

(1) *Manet.*

(2) *Solitario.*

(*a*) Solus codex Vat. bas., *in donis itaque.*

(*b*) Id est, *qui fuit persecutor.* Jam alias observavimus præpositionem *ex* ad significandum statum ac tempus præteritum Hilario esse usitatam. Sic de Christo in servi formam exinanito sæpe loquitur, *ex Deo homo*, pro, *cum esset Deus, factus est homo.* Hic autem in vulgatis et in uno solum recentiore ms. Colb. insertum est, *factus doctor.*

(*c*) Editi, *duodecim tribus :* refragantibus mss.

(*d*) *Hic enim*, uti Tertullianus, adversus Praxeam, n. 13, in eumdem locum ait, *dicendo, Deus in te, et, Tu Deus, duos proponit ; qui erat, et in quo erat ; Christum, et Spiritum* : ubi *Spiritum* Patrem intelligit.

(*e*) In ms. Carn. *atque in se genito :* male. Cur autem in eo maneat, sic exponitur in psal. CXXII, n. 2: *Deus enim ex Deo genitus, non abest per naturam ab eo ex quo genitus confitendus est :* cum cætera absint per naturæ discrepantiam. Filius itaque digna per se et D sufficiens est habitatio Patris : qui in cæteris etiam habitat, quatenus Filio conjuncti in ipso quodammodo continentur, ut eleganter ibidem explicatur.

(*f*) Vat. bas. ms. *dictum hoc :* minus bene.

(*g*) Idem codex, *defenderet :* neque hic audiendus.

(*h*) Neque hic videtur sincerior prædictus ms. cum pro *contumelia*, exhibet *calumnia ;* et mox *pœna confusionis*, pro *plena confusionis.*

(*i*) Editi cum aliquot mss. *solitario.* Malumus cum cæteris *solitarium*, prius restituta particula *tamquam*, quam Lipsius absque auctoritate expunxerat. Pater autem inhonoratur, dum filii degeneris pater prædicatur, ut sæpe insinuat noster Hilarius, ac probat Augustinus, Serm. 139, n. 5, necnon Ambrosius, lib. I de Fide c. 6, vel dum aliquando sine Verbo ac sapientia fuisse, adeoque aliunde rationem mutuatus esse asseritur, ut ostendit Athanasius, Orat. II cont. Ar., p. 331.

101 42. *Filii divinitati adstipulatur Jeremias. Qui Deus super terram visus. Filius et in legis latione et in carnis assumptione unus Mediator. Pater et Filius unum.* — Audi enim præter Moysen et Esaiam, tum tertio id ipsum quoque et (*a*) Jeremiam docentem, cum dicit : *Hic Deus noster est, et non deputabitur alter ad eum. Qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hoc super terram visus est, et inter homines conversatus est* (*Baruch.* III, 36 *et seqq.*). Dixerat enim jam superius, *Et homo est, et quis cognoscet eum ?* Habes ergo Deum in terris visum, et inter homines conversatum : et requiro quomodo intelligendum existimes, *Deum nemo vidit umquam, nisi unigenitus filius, qui est in sinu Patris* (*Joan.* I, 18) ; cum Jeremias Deum prædicet, qui et visus in terris est, et inter homines conversatus est ? Pater certe non nisi (*b*) soli Filio visibilis est. Quis ergo iste est qui est visus et conversatus inter homines ? Deus certe noster est, et visibilis in homine et contrectabilis Deus. Et prophetam loquentem intellige : *Non deputabitur alter ad eum.* Si quæris, quomodo ? audi quæ sequuntur : ne per id non et Patri proprium esse existimes quod dictum est : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 4). Hæc enim sibi cohærent : *Non deputabitur alter ad eum : qui invenit omnem viam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo : post hoc super terram visus est, et inter homines conversatus est.* Unus est enim Mediator Dei et hominum, Deus et **102** homo : et in legis latione, et in corporis assumptione mediator. Alius igitur ad eum non deputatur. Unus est enim hic in Deum ex Deo natus, per quem creata sunt omnia in cœlo et in terra, per quem tempora et sæcula facta sunt. Totum enim quidquid est, ex ejus operatione subsistit (*c*). Ilic ergo unus est disponens ad Abraham, loquens ad Moysen, testans ad Israel, manens in prophetis, per virginem natus (1) ex Spiritu (*d*) sancto, adversantes nobis inimicasque virtutes ligno passionis affigens, mortem in inferno perimens, spei nostræ fidem resurrectione confirmans, corruptionem carnis humanæ gloria corporis sui perimens. Ad hunc ergo non deputabitur alius. Soli enim hæc unigenito Deo propria sunt, et unus hic in hac peculiari virtutum suarum beatitudine natus ex Deo est. Non alter ad eum Deus deputatur : non enim ex alia substantia, sed ex Deo Deus est. Nihil in eo itaque novum, nihil extraneum, nihil recens est. Cum enim audit Israel, quod sibi Deus unus sit, et Filio Dei Deo non alter Deus deputetur, (*e*) ut Deus sit ; absolute pater Deus et filius Deus unum sunt, non unione (*f*) personæ, sed substantiæ unitate : quia filio *hæc* (*in terra visus est*) *aperte declarat : Hic enim est, qui corpoream nobiscum consuetudinem habuit.* Unde et a nostro Hilario mox dicitur *visibilis in homine* (assumpto) *et contrectabilis Deus.* Ubi editio Par. ex Nivelliana mendose præ se ferebat *invisibilis in homine.*

(1) *Ex spiritu* tantum in nostro ms.

(*a*) Qui postremam editionem Par. procuravit, hic *Baruch* loco vocis *Jeremiam* substituit : idem vero nomen mox repetitum immutare non meminit.

(*b*) Hic addimus *soli* auctoritate omnium mss. Hilarii sententiæ de Patris invisibilitate suffragatur Tertullianus, lib. II adv. Marcion. n. 27 : *Patrem nemini visum*, inquit, *etiam commune testabitur Evangelium, dicente Christo : Nemo cognovit Patrem nisi Filius : ipse enim et veteri Testamento pronuntiarat, Deum nemo videbit, et vivet, Patrem invisibilem determinans, in cujus auctoritate et nomine ipse erat Deus qui videbatur Dei filius.* Videsis eumdem, adv. Praxeam n. 14. Sic Ambrosius, in Lucam ; *Aut acquiescatur igitur necesse est, si Deum Patrem nemo vidit umquam, Filium visum esse in veteri Testamento.* Ita et Prudentius, Apoth. vers. 79, inter alia ait : *Cerni potis est qui nascitur : at non innatus cerni potis est.* Quibus consentit Justinus, Dial. cum Tryph., favetque Clemens, Strom. IV, p. 537. Horum sententia maxime nititur his Johannis verbis : *Deum nemo vidit umquam.* Nam vocem *Deus*, quoties simpliciter ponitur, de Deo Patre interpretari solent priorum sæculorum Patres. Hinc concludebant Filium qui visus sit, a Patre qui numquam visus, alium esse. Sed quod illi ad distinctionem personarum observarunt, detorserunt subinde Ariani, ut jam monuimus, ad diversitatem naturarum. *Filius*, inquiunt apud Augustinum, Serm. VII, n. 4 : *visus est Patribus, Pater non est visus : invisibilis et visibilis diversa natura est*, etc. Quasi vero Filius secundum divinam naturam non æque invisibilis sit ac Pater : ut merito Augustinus, lib. II de Trinit. c. 14, *delirantes* eos vocet, qui *Filium in sua substantia visum volunt.* Quibus deliriis ut omnem aditum præcluderet, visa patriarcharum paulo aliter explicare cœpit, quam solerent alii Patres, negans, quantum potuit, Filium iis potius apparuisse, quam personas alias. Quem tamen præ manibus habemus Scripturæ locum urgens adversus Maximinum, lib. II, c. 26, n. 13, eum de Filio interpretandum docet. *Nam*, ut notat Gregorius Nazianz. ; Or. XXXVI, *quod non de Patre, sed de Filio sermo habeatur, adjectio*

(*c*) Eadem fere habet rescriptum ad Liberium apud Athanas., p. 244.

(*d*) Plures probæ notæ mss. *ex Spiritu*, nec adjiciunt *sancto.*

(*e*) In nonnullis recentioribus mss. *ut redimens Deus sit* : glossema.

(*f*) Quia vox *unio* sæpius recurrit, omnino necesse est vim illius probe habere perspectam. Respondet autem verbo græco μονὰς, significatque solitudinem ac singularitatem. In hoc differt ab unitate, quod *unitas* ad naturam, *unio* autem ad personas semper ab Hilario referatur : atque ita propugnans in Deo unitatem, acriter explodit unionem. Hujus vocis auctor videtur Sabellius, eaque suam heresim expressisse. Unde lib. de Synod. n. 26, *hæresis unionis* simpliciter appellatur : et qui ei addicti erant, a Prudentio *unionitæ* inscripti leguntur, Apoth. ante v. 178. Ita Sulpicio teste p. 255, Orientales suspicabantur Gallos *trionymam solitarii Dei unionem secundum Sabellium credidisse.* Galli autem concilio Parisiensi Fragm. XI, n. 2, rescribunt se detestari *secundum Sabellii blasphemias ipsam unionem.* Rursum a Sulpicio, p. 242, scribitur Photinus *a Sabellio in unione dissentiens*, quia scil. non unicam in Trinitate personam prædicat. Eodem sensu a Maximo Taurin., hom. I, de S. Eusebio, usurpatur unionis vocabulum : quo pariter usi sunt Gelasius lib. de duabus naturis et Vigilius Tapsit. lib. II contra Eutych. ad exprimendam in Christo personæ singularitatem, quam quia respuebat Sabellius, ab Arianis epist. ad Alexandrum Alexandr. arguitur quod *unionem dividit*, hoc est, ut interpretatur Hilarius, lib. VI, n. 7, Christum *eumdem divisit in Virgine.* His accedit Hieronymus epist. XXII, ad Eustoch., a quo Christi mater prædicatur *ad similitudinem Dei unione fecunda* : quia nimirum sicut

Dei Deo deputari ad alterum Deum non sinit (*a*) propheta, quod Deus est.

103-104 LIBER QUINTUS.

Dicitur etiam secundus : *quia secundus est adversus Arianarum partium perfidiam, superiori libro primum cœptam impugnari. Hanc agnoscit Hilarius subdole adeo contextam, ut ei qui consenserit, Filium Deum negare; qui contradixerit, Patrem et Filium aut duos Deos, aut Sabellii more unum et eumdem prædicare videatur. Quocirca cum libro superiore adversus fraudem paratam in primis hæreticorum verbis,* Novimus unum Deum, *ex legis et prophetarum testimoniis fideles munierit; nunc in subsequentibus illis,* solum verum, *latens venenum propulsat, Filium esse Deum verum iisdem fere testimoniis defendens, quibus in quarto libro Deum et Deum, seu Deum non solitarium ac singularem esse ostendit. Tum sub libri finem probat Patrem et Filium unum esse in distinctis personis Deum. In his porro omnibus, nondum ad evangelica excedens testimonia, prorsus se continet intra fines legis, in qua Dei nomen, virtutem, rem ac naturam, proindeque veritatem, Filio attribui demonstrat. Legis autem nomine intelligit, quidquid sacris litteris ante Christum natum scriptis continetur.*

1. *Hæreticis Deum unum prædicantibus aut assentiri, aut adversari periculosum.* — Respondentes impiis et vesanis hæreticorum institutionibus superioribus libris, non ignoravimus in eam nos contradicendi necessitatem deductos fuisse, ut non minus periculi audientibus responsio nostra, quam silentium commoveret. Cum enim unum Deum (*b*) profane assertio infidelis ingereret, et rursum unum Deum religiose negare fides sana non posset; tractari de eo non sine ancipitis periculi conscientia potuit, quod non minus impie confirmaretur, quam negaretur. Et quidem humani sensus opinione ineptum et rationis alienum esse hoc forte existimabitur, ut quod irreligiosum est negare, idipsum irreligiosum sit confiteri : cum pietas confitendi, impietatem condemnet negandi; nec A rationi conveniat, ut utiliter affirmetur, quod utiliter destruatur. Sed ad divinæ sapientiæ intelligentiam humanus sensus imprudens, et secundum cœlestem prudentiam stultus, juxta infirmitates suas sentit, et juxta imbecillitatem naturæ suæ sapit; stultus sibi futurus, ut Deo sapiat, scilicet ut sensus sui inopiam intelligens, et Dei sapientiam consectans, non secundum humanam sapientiam prudens sit, sed secundum quod ad Deum proficit sapiat, in Dei sapientiam ex recognita mundi stultitia transiturus. Cujus stultæ sapientiæ sensum hæretica subtilitas ad fallendi occasionem coaptans, unum Deum professa est, auctoritate Legis Evangeliorumque usa, qua dictum est: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 4; *Marc.* XII, 29) : non ignorans quantum in eo esset B vel responsionis periculum, vel silentii; et ex utroque opportunitatem impietatis exspectans : ut si sanctitatem (*c*) dicti infideliter usurpati, (*d*) conniventis taciturnitas confirmaret, per id quod Deus unus est, filius tamen Dei Deus non esset, Deo tantum sicut est uno manente; at vero si contradictio præsumptæ impiæ hujus professionis exsisteret, veritatem fidei evangelicæ non conservaret Deum unum (*e*) non confessa responsio, cum fidei nostræ professio secundum Deum unum sit; recideretque in alterius hæreseos impietatem, Deum unum Patrem et Filium professa (*f*) confessio. Atque ita sapientia mundi, quæ stultitia apud Deum est, specie blandæ et pestiferæ (*g*) simplicitatis illuderet, cum hoc fidei suæ constitueret exordium, in quo sibi impie aut assentiremur, C aut adversaremur : et per hoc utriusque rei periculum, Dei filium Deum non esse obtineret, quia Deus unus est; aut extorqueret hæreseos necessitatem, si et Patrem Deum et Filium Deum confitentes, unum Deum prædicare secundum Sabellii opinionem impiam existimaremur : et ita hoc prædicationis suæ modo *unus Deus* aut alium excluderet, aut per alium non esset (*supple*, unus), aut tantum in nominibus unus esset : quia **105** et (*h*) unitas alium nesciret, et alius non permitteret unionem, et duo unus esse (*i*) non posset.

Pater solus sine matre Verbum, ita ipsa sola sine patre generavit Christum. At a Tertulliano adversus Prax. n. 13, et de resurrectione carnis n. 2, non ad personas, sed ad naturam ipsam refertur; ut ei sy- D nonyma sint *unio*, et *unitas*. Quod autem Hilarius unionem, hoc Ambrosius singularitatem dixit, lib. v de Fide c. 1 : *Evidens est igitur, quia quod unius est substantiæ, separari non potest, etiamsi non sit singularitatis, sed unitatis. Singularitatem hanc dico, quæ græce* μονότης *dicitur. Singularitas ad personas attinet, unitas ad naturam.*

(*a*) Ita Bad. cum mss. nisi quod in Carnut. *propheta quod inest.* At apud Er., Lips. et Par. *propheta dicens quod Deus unus est :* immutato sensu Hilarii, prophetæ nomine Jeremiam seu Baruch, non Moysen intelligentis : hoc est, quia propheta Baruch filio Dei Deo hoc, quod Deus est, ad alterum Deum deputari non sinit.

(*b*) Editi, *profanæ assertio infidelitatis.* Concinnius mss. potiores, *profane assertio infidelis.* Est enim antithesis, qua opponuntur *profane et religiose; assertio infidelis, et fides sana.*

(*c*) Vat. bas. ms. *securitatem dicti.* Proxime post *infideliter*, supple, *ab hæreticis.*

(*d*) Apud Par. *convenientis.* At in mss. *coniventis*, vel *conibentis*, mutato, ut sæpe fit, *u* in *b*. Hinc et in Carnut. et Vat. bas. depravate factum est *cohibentis.*

(*e*) Particula negans a Lipsio male expuncta restituitur auctoritate Bad., Er. et mss.

(*f*) Bad. et Er. ex recentiore ms. Colb. *non professa :* male et dissidentibus aliis libris. Totum Hilarii argumentum ita paucis perstringi potest : Sicut qui hæreticis unum Deum prædicantibus non contradicunt, in periculum incidunt ne Filium Deum negare putentur; ita iis, qui contradicunt, duplex imminet periculum, ne videlicet aut unum Deum videantur negare, aut saltem Patrem et Filium Deum unum Sabellii more prædicare. Et hoc revera nomine catholici ab hæreticis passim sunt infamati. Quocirca pro *recideretque*, longe mallemus *recideretve.*

(*g*) Ms. bas. Vat. cum Carn. aliisque nonnullis, *subtilitatis.*

(*h*) In ms. Vat. bas. *unio.*

(*i*) Lipsius de suo reposuerat, *non possent.* Sensus

2. *Quo temperamento periculum omne caverit Hilarius. Scopus libri superioris.* — Sed nos sapientiam Dei, qui mundo stultitiâ est, consecuti, et per fidei dominicæ salutarem et sinceram confessionem, viperææ doctrinæ fraudulentiam prodituri, hunc responsionis nostræ ordinem inchoavimus, qui et aditum sibi demonstrandæ veritatis acquireret, nec se periculo impiæ professionis insereret : temperato inter utrumque moderamine; non negantes Deum unum, sed eo ipso auctore Deum et Deum, (*a*) per quem Deus unus prædicatus est, prædicantes; et Deum unum non per unionem docentes, neque rursum ad diversitatis numerum desecantes, neque contra tantum in nominibus confitentes; sed Deum et Deum, reposita et dilata adhuc plenius unitatis quæstione, monstrantes. Recte enim unum Deum a Moyse prædicatum Evangelia testantur : et rursum fideliter in Evangeliis Deum et Deum doceri, Moyses Deum unum prædicans auctor est. Atque ita non auctoritati contraitum (*b*) est, sed ex auctoritate responsum est, ne per id Dei filium liceret Deum negari, (*c*) quia ad Israel Deus unus est : cum confitendi Dei filium Deum idem auctor esset, qui auctor est Dei unius prædicandi.

3. *Scopus hujus alterius libri. Veritas rei unde constet.* — Sequitur itaque ordinem quæstionis etiam ordo connexi sibi libelli. Nam quia hæc sequens impii blandimenti posita sententia est : *Novimus unum Deum verum :* hinc quoque (*d*) secundi hujus libri omnis sermo consistit, an filius Dei Deus verus sit. Nam sine dubio in hunc se ordinem hæretici ingenii subtilitas coaptavit, primum *unum Deum* dicens, deinde *unum verum Deum* confitens : ut per id filium Dei a natura Dei et veritate averteret, cum veritas in natura unius manens, naturalem unius non excederet veritatem. Igitur quia ambiguitatis locus nullus est, quin Moyses unum Deum prædicans, intelligatur de Dei filio significasse quod Deus sit, per ipsas illas significationis suæ auctoritates recurramus : et requiramus, an quem Deum significaverit, Deum quoque verum intelligendum docuerit. Nulli autem dubium est, veritatem ex **106** natura et ex virtute esse : ut exempli causa dictum sit, verum triticum est, quod spica structum, et aristis vallatum, et folliculis decussum, et (1) in farinam (*e*) comminutum, et in panem coactum, et in cibum sumptum, reddiderit ex se et naturam panis et munus. Itaque quia naturæ virtus præstat veritatem; videamus an verus Deus sit, quem Moyses Deum esse significat : de uno Deo, et eodem vero Deo postea loquturi; ne non interposita sponsione (*f*) de unius et veri Dei in Patre et Filio subsistentibus confirmatione, periculosa suspicio pendulæ exspectationis sollicitudinem defatiget.

4. *Filius ex creandi virtute probatur verus Deus.* — Creatio igitur mundi, postquam et Dei cognitio suscepta est, filium Dei Deum esse significans, rogo in quo tandem verum esse Deum deneget. Non enim ambigitur, quin per Filium omnia sint. *Omnia* namque, secundum Apostolum, *per ipsum, et in ipso* (*Coloss.* I, 16). Si omnia per eum, et omnia ex nihilo, et nihil non per eum; quæro in quo ei veritas Dei desit, cui non desit Dei nec natura, nec virtus. Naturæ enim suæ virtute usus est, ut et essent quæ non erant, et fierent quæ placerent. Vidit enim Deus quia bona sunt.

5. *Lex in dicente Deo et in faciente Deo solas personas distinguit. Dicentis et facientis una natura est. Filius Dei non est Deus falsus aut adoptivus.* — Neque enim (*g*) aliam, quam personæ, intulit lex significationem, cum ait : *Et dixit Deus, fiat firmamentum* (*Gen.* I, 6); et subjecit rursum : *Et fecit Deus firmamentum* (*Ibid.*, 7). Cæterum nec virtutem distinxit, nec naturam separavit, nec nomen demutavit in eo, in quo tantum dicentis intelligentiam præstitit, ut significationem efficientis afferret. Veritatem autem naturæ atque virtutis, (*h*) significatio sermocinantis non adimit; quin potius veritatem ipsam quanta proprietate commendat. Afferre enim dicto efficientiam, naturæ ejus est, quæ efficiens id possit præstare, quod dicens. In quo ergo tandem non erit verus ille qui efficit, cum verus sit ille qui dicit; quando quidem dicti veritatem, facti veritas consequatur? Deus est qui dixit, Deus est qui fecit. Si in dicto (in eo qui dixit) veritas est; quæro cur negetur in facto (in eo qui fecit). Nisi forte hic dicendo verus sit, et non sit verus iste faciendo. Habemus itaque in filio Dei Deo naturæ veritatem. Deus est, creator est, Dei filius est, potest omnia. **107** Parum est ut opus, cujus tres primos spectare licet velut quædam præludia, quæ etiam a cæteris divelli facile possint.

porro est : et unus non posset esse duo, nisi tantum in nominibus.

(*a*) Illud *per quem*, non ad Deum referendum est, sed ad Moysen, quo auctore Deum et Deum liber superior demonstravit, cum ejus auctoritate abuterentur hæretici, ut Deum unum et solitarium prædicarent.

(*b*) Ita mss. At editi, *contrarium est.*

(*c*) Quinque mss. recentiores, *quia audi Israel.* In uno e Colb. *quia ait, Audi, Israel.*

(*d*) Vat. bas. ms. *quinti hujus libri.* Retinemus tamen cum aliis *secundi*, sicque vocatur hic liber non respectu totius operis, sed vel quod in eo Hilarius, uti præmonuimus, hæreticorum perfidiam, superiore libro primum oppugnatam, denuo aggrediatur : vel etiam quia secundus est ex quo ad intermissum rediit

(1) *In far comminutum.*

(*e*) Plerique mss. *in far comminutum.*

(*f*) Editi, *de unius veri Dei in Patre et Filio subsistentis :* emendantur ex mss. Subsistentes autem vocat Patrem et Filium, hoc est, personis distinctos, quo Sabelliani erroris suspicionem a se avertat.

(*g*) Mss. Carn., *aliud.* Vetus Colb., *aliam personæ*, omisso *quam.* Pejus alter, *alium aliquam personæ.* Nil mutandum. Apposite Tertullianus cont. Prax. n. 12 : *Habes duos, unum dicentem ut fiat, alium facientem. Alium autem quomodo accipere debeas, jam professus sum; personæ, non substantiæ nomine; ad distinctionem, non ad divisionem.*

(*h*) In mss. Carn., *sermocinatio significantis.*

quod vult possit, quia semper voluntas virtutis est ; A quin etiam id quod sibi dicitur potest. Perfectæ enim potestatis est, hoc naturam posse facientis, quod possit significare sermo dicentis. Atque ita cum quidquid dici potest, id ipsum et (1) effici possit; tenet veritatis naturam ea quæ dictis exæquatur operatio. Non est itaque Dei filius Deus falsus, nec Deus adoptivus, nec Deus (*a*) connuncupatus, sed Deus verus. Et (*b*) non necesse est aliquid e diverso demonstrare, per quod non sit Deus verus : mihi enim sufficit in eo Dei nomen atque natura. Deus enim est, per quem facta sunt omnia. (*c*) Hoc mihi de eo creatio mundi locuta est. Exæquatur Deus Deo nomine, exæquatur veritati veritas opere. Ut significatio est Dei potentis in dicto, ita intelligentia est Dei potentis in facto. Et post hæc quæro, in Patris et Filii confessione qua auctoritate naturæ veritas (*d*) denegetur, quam et virtus nominis, et nomen virtutis implevit. B

6. *Objecta ex Evangeliis adducta alibi diluentur. Cur. Veritas non intelligitur, nisi objecta falsa esse evincantur.* — Meminisse autem legentem oportet, non me immemorem aut diffidentem earum quæ objici soleant quæstionum, de his nunc tacere. Neque enim hoc quod dici solet : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28), et cætera hujusmodi similia, aut ignorantur, aut non intelliguntur, ut non per hæc ipsa veri Dei in Filio natura doceatur : sed ordinem responsionis nostræ eum esse convenit, qui erat propositionis adversæ; ut vestigia impiæ institutionis gressus hic piæ prædicationis inculcans, ipsa illa prima evadentis in hoc profanum irreligiosumque iter fallacis doctrinæ signa C deleret. Dilatis igitur atque in postremum reservatis evangelicis atque apostolicis præconiis, omnis interim nobis de lege et prophetis adversus impios pugna sit, ementitam eorum ac fallacem perversitatem his ipsis interim, quibus fallere tentant, dictis (2) coarguentibus (*e*). Neque enim aliter veritas intelligi potest, quam si falsa ea esse, quæ veritati objecta sunt, detegantur; et hoc quidem mentientium absolutiore dedecore, si mendacia ipsa proficiant veritati. Et quidem sensu humanæ opinionis commune judicium est, nequaquam veris falsa sociari, neque hæc rerum genera mutuo sibi **108** assensu contineri : quia per generis differentiam adversante natura numquam dissidentia coeant, nec diversa consentiant, nec sibi invicem aliena communia sint.

7. *Pater dicens* Faciamus *æqualem sibi significat cui id dicit.*— Quæ cum ita sint, interrogo inter verum et falsum Deum quomodo hoc dictum intelligatur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26). Verba sensum enuntiant, sensus rationis (*f*) est motus, rationis motum veritas incitat. Ex verbis igitur sensum sequamur, ex sensu rationem intelligamus, et ex ratione veritatem apprehendamus. Cui enim dicitur : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*, quæro in quo non secundum (*g*) eum verus sit, qui sibi dicat : nam sine dubio dictum hoc ex affectu sensuque dicentis est. Ergo qui dicit *Faciamus*, significat secum ad faciendum non dissentientem, non alienum, non infirmum; sed qui potens sit ad id, unde est sermo, faciendum. Hoc ergo sine dubio sensisse qui loquitur, quia id locutus est, intelligendus est.

8. *Dicens* ad imaginem nostram *unam sibi cum Filio naturam indicat.* — Ut plenior autem naturæ atque operationis veritas doceretur; qui sensum suum per verba eloquebatur, sensus quoque rationem ex natura cum veritate subjecit, dicens *ad imaginem et similitudinem nostram.* Ubi est hic falsus Deus, cui verus Deus dicit *ad imaginem et similitudinem nostram? Nostram* non habet unionem, non habet diversitatem, non habet discretionem. Homo enim ad communem fit, secundum veritatem sermonis, imaginem. Communio autem falso veroque non competit. Deus, qui loquitur, ad Deum loquitur : ad Patris et Filii imaginem homo conditur. Nomen non discrepat, natura non differt. Una enim est (*h*) imaginis, ad quam homo creatus est, species. Et inter hæc veritas ubi deperit, manente (*i*) inter utrumque et facti communione, et communis imaginis veritate? Nondum absolvendæ hujus quæstionis mihi tempus est : posterius enim demonstrabimus, in quam imaginem Dei patris et Dei filii homo conditus sit. Nunc interim hoc tenemus, an verus Deus non sit, cui verus Deus dixerit : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Discerne, si quid potes, in hac imaginis communione verum atque **109** falsum : et hæretico furore hæc indissecabilia decide. Unum enim sunt, (*j*) quorum imaginis et similitudinis unum est homo factus exemplum.

9. *Homo faciendus ad imaginem Patris et filii fit*

(1) In anteriori, *effici potest.*

(*a*) Editi, *Deus nuncupativus* : reluctantibus mss. D

(*b*) Qui Carnutense exemplar ante annos 700 recognovit, hic expunxit particulam negantem : non malo sensu. Mox in eodem ms. necnon in vetustioribus Colb., Remig., etc., *demonstrandum*, non *demonstrare.* Quantum ex subsequentibus assequimur, sententiæ hujus hæc est intelligentia : Non nunc opus est exponere qui ab adversariis opponatur, unde in animum inducant olim non esse verum Deum.

(*c*) Solus cod. Vat. bas., *hoc mihi de Creatore mundi Genesis locuta est.*

(*d*) In recentiore ms. Colb. ab interpolatore hic additum est *vel divinitas :* quod deinde in edit. Bad. et Er. transiit. Postea a Lipsio substitutum est *vel divinitatis*, et apud Par. retentum.

(2) Ita Cod. Veron. In anteriori, *coarguentes.*

(*e*) Editi, excepto Par. *coarguentibus*, nullo adstipulante vetere libro, sed servatis scrupulosius grammaticæ legibus.

(*f*) Verbum *est* a Lipsio expunctum restituimus ex Bad., Er. et mss.

(*g*) Id est, in quo non verus sit ad instar illius qui sibi dicat. Præpositionis *secundum* similem potestatem jam observavimus in adnotationibus ad tract. in Ps. CXXXIX, n. 10.

(*h*) In cod. Vat. bas. *imaginis similitudo*, omisso deinde verbo *species.*

(*i*) Ms. Colb. cum Germ., *ad utrumque.* Mox Vat. bas., *mihi sermo est*, pro *mihi tempus est.*

(*j*) Editi, *ad quorum :* reluctantibus mss. Mox

ad imaginem Dei. — Sed sequamur ordinem lectionis, ut veritas semper sibi cohærens non demutetur offendiculo falsitatis. *Et fecit Deus hominem; ad imaginem Dei fecit eum* (*Gen.* I, 27). Imago communis est : Deus ad imaginem Dei hominem fecit. Qui verum Deum filium Dei denegat, quæro ad cujus Dei imaginem a Deo factum hominem intelligat. Meminerit tamen semper per Filium omnia ; ne forte hæretica intelligentia operationem sibi Dei patris coaptet. Si igitur ad imaginem Dei patris per filium Deum homo conditur, conditur quoque ad imaginem Filii : quia nemo Filio dictum denegat *ad imaginem et similitudinem nostram.* Tenuit ergo sermo divinus rationem veritatis in dictis, quam opus explebat in factis : ut hominem ad imaginem Dei Deus figuraret, ut Deum significaret, nec veritatem Deo adimeret : cum et in communione imaginis esset Deus verus, qui in opere efficiendo intelligebatur Deus filius.

10. *Hæretici perstringuntur ex dictis.* — O desperatæ mentis furor perdite! o stulta cæcæ impietatis temeritas! Audis Deum et Deum, audis imaginem nostram : quid tu subjicis verum et non verum? quid inseris naturalem atque falsum? quid sub religionis nomine religionem evertis? quid per unum Deum, et unum Deum verum, tentas ne Deus verus unus sit? Nondum vesanos spiritus tuos dictis evangelicis atque apostolicis suffoco, in quibus Pater et Filius non persona, sed natura unus et verus Deus uterque est : interim te lex sola enecat. Numquid ait Deum verum et non Deum verum? Numquid aliter in utroque præter quam naturæ nomine usa est? Deum et Deum dixit, quæ dixit Deum unum. Sed quid tantum dixisse dico? Deum verum et Deum verum per veritatem imaginis prædicavit. Usa est in nuncupatione primum naturæ nomine : utitur deinceps in genere veritate naturæ. Cum enim qui fit, secundum imaginem creatur utriusque, non potest (1) non ex vero (*a*) consistere, quod uterque Deus verus sit.

11. *Filius ut persona alius a Patre, angelus Dei dictus est; Deus vero ut idem natura. Cur dictus sit angelus Dei.* — Sed pergamus etiam nunc eo prædicationis nostræ itinere, quo lex sancta de Deo docuit. Angelus Dei ad Agar loquitur, et idem Angelus Deus est. Sed forte idcirco **110** non Deus verus est, quia angelus Dei est. Inferioris enim naturæ videtur hoc A nomen : et ubi nuncupatio est generis alieni, ibi existimatur veritas ejusdem generis non inesse. Et quidem jam superior liber inanitatem hujus quæstionis ostendit. In angelo enim officii potius quam naturæ intelligentia est. Et propheta mihi testis est, dicens : *Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos ignem urentem* (*Psal.* CIII, 4). Urens igitur ignis (2) ille ministri (*b*) ejus sunt : et veniens spiritus, angeli ejus sunt. Per hæc enim nuntiorum, qui angeli nuncupantur, ac ministrorum ostenditur vel natura, vel virtus. Fit ergo hic spiritus angelus, vel hic ignis urens minister Dei : et hæc natura eorum accipit nuntii et (3) ministri (*c*) officium. Volens igitur lex, immo per legem Deus, personam paterni nominis intimare, (*d*) Deum filium B angelum Dei locuta est, id est, nuntium Dei. Significationem enim officii testatur in nuntio : naturæ autem veritatem confirmavit in nomine, cum Deum dixit. Hic autem nunc dispensationis est ordo, non generis. Non enim aliud quam Patrem et Filium prædicamus : et ita naturam nominum coæquamus, ut veritatem Dei teneat ex innascibili Deo Dei unigeniti nativitas. Missi autem et mittentis significatio hic non aliud quam Patrem et Filium docet, cæterum veritatem non adimit naturæ, neque in Filio perimit nativæ divinitatis proprietatem : quia nemo ambigat naturam auctoris in filii nativitate connasci, (*e*) ut ex uno consistat in unum, quod per unum non discernatur ex uno : atque ita unum sint per quod unus ex uno est.

12. *Hilarius fidei ardore scopum excedit.* — O impatiens fidei calor, et desiderati sermonis incontinens silentium! Jam enim et in superiori libro modum constitutæ prædicationis excessimus, cum quando impie dictum unum Deum ab hæreticis arguentes, et Deum atque Deum a Moyse prædicatum docentes, ad unius Dei veram et religiosam confessionem pia, quamvis inconsiderata, festinatione descendimus : et nunc quoque alterius quæstionis negotio immorantes, non tenuimus ordinem constitutum; et dum de Deo vero Dei filio loquimur, usque ad confessionem Dei veri in Patre et Filio ferventis spiritus ardore prorupimus. Sed tractatui suo fidei nostræ veritas reservetur : quæ cum inchoata sit ad securitatem legentis, tractanda tamen atque absolvenda plenius C est ad desperationem contradicentis. D

(1) *Ex utroque.*
(2) *Illi ministri.*
(3) *Ministerii officium.*

Vat. bas. codex cum Carn., *unus est homo* : non placet.

(*a*) Er. Lips. et Par., *in utroque* : Bad. cum pluribus mss. *ex utroque.* Præferimus *ex vero* cum vetustioribus Colb., Rem., Germ., etc.

(*b*) In vulgatis, *illi ministri*, etc., tum, *sui autem spiritus* : ubi in mss. Corb., uno Vat. et Prat., *et faciens spiritus* : in aliis vero, *et veniens spiritus*, hoc est, spiritus qui venit missus ad aliquid nuntiandum.

(*c*) Duo mss. Colb., *ut nuntiet, ministerii officium*, hoc faventibus cæteris, quod prope omnes habeant *ministerii officium.* Proximum Psalmistæ locum ex Hilarii interpretatione ita intelligendum liquet : *Qui spiritus et ignem urentem facit angelos et ministros suos.* Unde sumit, eos spiritus non natura id esse, quod fiunt, seu quod eis jam constitutis adventitium est.

(*d*) Editi. *Dei filium.* Concinnius mss. *Deum filium.*

(*e*) Exemplar Carn. *quod ex uno.*

111 13. *Angelus Agar Deum se ostendit dictis et gestis.* — Non affert itaque demutationem naturæ nomen officii : qui enim angelus Dei est, Deus est. Non sit plane Deus verus, si non res Dei et locutus fuerit, et gesserit. In gentem enim magnam Ismael adauget, et nomini ejus multiplicationes gentium pollicetur : et quæro, si hoc Angeli opus est. Sin vero Dei potestas est ; quid naturæ aufers veritatem, cui veritatis non adimis potestatem? Tenet itaque naturæ virtus veritatis fidem : et inter dispensationis suæ salutaria mundo sacramenta (*a*) qui Deus verus est, nescit Deus verus aliquando non esse.

14. *Qui Deus est, Deus verus est.* — Et primum quæro, quid significationis habeat Deus (*b*) verus et non Deus verus? non enim verbi hujus apprehendo rationem, si dicatur mihi, Ignis est, sed non est verus ignis ; aut aqua est, sed non est vera aqua : et quæro, in quo ejusdem generis veritas a generis ejusdem veritate dissentiat? Quod enim ignis est, non potest esse ne verus sit : nec natura (*c*) manens eo (1) potest carere quod vera est. Perime aquæ, quod aqua est : et per id poteris abolere ne vera sit. Cæterum si aqua maneat, etiam in eo necesse est persistat ut vera sit. Potest ita demum natura perire, si non sit : verum non potest non vera esse, si maneat. Aut Deus verus est filius Dei, ut Deus sit ; aut si non est verus Deus, non potest etiam id esse quod Deus est : (*d*) quia si natura non sit, naturæ non competit nomen ; si autem naturæ in eo nomen est, non potest ab eo veritas abesse naturæ.

15. *Quem in specie angeli Agar Deum dixit, Abraham in forma hominis adoravit. Adorando justificatus est. Deum verum adoravit.* — Sed forte in eo, cum angelus Dei Deus dicitur, adoptionis nomen indulgeatur, et sit in eo nuncupatio Dei potius quam veritas. Si parum naturam in se Dei tum, cum angelus Dei dictus est, docuit ; (2) (*e*) in inferioris adhuc ab angelo naturæ nomine intellige, an ex se Dei præstiterit veritatem. Namque ad Abraham homo locutus est ; sed Abraham Deum adoravit. Sed o (*f*) pestifer hæretice, Deum Abraham confessus est, quem A tu Deum denegas. Quas promissas Abrahæ benedictiones impie exspectas? Non est tibi ille, ut est, gentium **112** pater : neque in familiam seminis sui per benedictiones fidei (*g*) suæ renatus evadis. Non de lapidibus Abrahæ filius excitaris ; sed natio viperarum confessionis suæ hostis exsistis. Non es Israel Dei, non es Abrahæ successio, non justificatus ex fide es : non enim Deo credidisti. Per eam namque fidem justificatus est, et constitutus est Abraham pater gentium, per quam Deum cui crediderat adoravit. Adoravit etenim beatus ille et fidelis patriarcha Deum (*Gen.* XVIII, 14) ; et accipe quam Deum verum, cui, ut ipse de se ait, non impossibile est omne verbum. Aut numquid non soli Deo possibile est omne verbum? Aut cui possibile est B omne verbum, quæro quid desit de Deo vero.

16. *Judicem justum agnovit. Deus solus est justus judex ex ipsis hæreticis.* — Et rogo, quis est Deus hic Sodomæ et Gomorrhæ eversor? Pluit enim Dominus a Domino : numquid non verus Dominus a vero Domino? (3) (*h*) aut quid aliud quam Dominus a Domino? vel quid præter significationem personæ in Domino ac Domino coaptabis? Et memento quod quem *solum verum* Deum nosti, hunc eumdem *solum justum judicem* (*i*) sis professus. Et intellige, quod Dominus, qui pluit a Domino, non occidens justum cum impio, omnem judicans terram, et Dominus et justus judex est, et pluit a Domino. Et inter hæc, quem solum justum judicem dixeris, quæro. A Domino enim Dominus pluit : et hunc justum judicem C non negabis, qui pluit a Domino. Abraham enim dixit, pater gentium, non utique infidelium : *Nullo modo* (*j*) *facies hoc verbum, ut occidas justum cum impio, et erit justus tamquam impius. Nullo modo, qui judicas terram, facies hoc judicium* (*Gen.* XVIII, 25). Hunc ergo Deum justum judicem, necesse est et verum Deum esse. Tuo te, impie, teneo mendacio. Nondum ex Evangeliis Deum judicem profero : lex mihi judicem Deum locuta est. Adime Filio quod judex est, ut auferas quod Deus verus est. Eum enim solum verum Deum, quem solum judicem

(1) *In eo.*
(2) *In inferioris adhuc formæ.*
(3) *Aut numquid aliud.*

(*a*) Id est, qui Deus verus est, cum salutis nostræ causa ad nostram infirmitatem se accommodans hominibus visibilem se præbuit ac dictus est *angelus*.

(*b*) In prius excusis omittitur vox *verus* : et videtur quidem redundare. Sed eam tamen summo consensu habent mss. Unde primum illud *Deus verus* ad Patrem referendum esse arbitramur. Diserte hic refellitur Arius, qui in Thalia, Athanasio teste, Orat. 2 cont. Ar., p. 311, dicere ausus est ; Ὅτι οὐδὲ Θεὸς ἀληθινός ἐστιν ὁ λόγος, εἰ δὲ καὶ λέγεται Θεὸς, ἀλλ' οὐκ ἀληθινός ἐστιν, ἀλλὰ μετοχῇ χάριτος, ὥσπερ καὶ οἱ ἄλλοι πάντες, οὕτως καὶ αὐτὸς λέγεται ὀνόματι Θεός.

(*c*) Unus cod. Vat. cum Corb. et Prat. *manens in eo* : minus bene.

(*d*) In ms. Vat. bas. *qui si natura*. Non displiceret, *cui si*. Verius tamen in aliis libris, *quia si*, supplendo *in eo*.

(*e*) In pluribus mss. *in inferioris adhuc formæ*, abundat vox *formæ*, ut pote synonyma *naturæ*, abestque ab antiquioribus Colb., Carn., Germ. Insistit Hilarius adversus mox memoratam Arii blasphemiam, qua vult Verbum dici Deum nomine tenus et gratiæ participatione, μετοχῇ χάριτος καὶ ὀνόματι.

(*f*) In veteribus libris, *pestifere*.

(*g*) Abest *suæ* a vetusto ms. Colb.

(*h*) Recentiores mss. cum vulgatis, *aut numquid aliud*. Alii vero, *aut quid aliud* : quo significatur natus non esse quid aliud a Patre, nec ab eo distingui nisi quatenus *a Domino*, hoc est, ratione originis.

(*i*) Arius in epist. ad Alexand. apud Athanasium, Epiphanium et in gestis Aquileiensis concilii, uti annotatum est (*col.* 106, *not.* I, *editionis nostræ*), profitetur Deum *omnium* judicem. At in eo loco non legit Hilarius *judicem*, sed *creatorem*. Imo nec apud Athanasium, etc., habemus *justum*, sed *omnium judicem*. Quocirca non hic indicantur prædictæ epistolæ verba, sed Arianæ sententiæ relatæ lib. IV, n. 8.

(*j*) Aliquot probæ notæ mss. *facias*.

justum, professus es : et quem justum judicem doces, hunc non potes secundum te verum Deum negare. Qui (*a*) judex est, **113** Dominus est, potens ad omne verbum est, benedictionum æternarum sponsor est, piorum impiorumque judex est, Abrahæ Deus est, ab eo adoratus est : ementire saltem aliquid per hanc impiam et stultam verbi tui impudentiam, unde non verus est.

17. *Filius hoc Patribus est visus quod natus est sine damno naturæ suæ.* — Non perimunt naturæ veritatem cœlestis misericordiæ sacramenta : sed nec sanctorum fidem species, quæ ad fidei visionem coaptantur, eludunt. Sacramenta enim legis mysterium dispensationis evangelicæ præfigurant : ut patriarcha videat et credat, quod Apostolus (1) (*b*) contemplatur et prædicat. Namque cum lex umbra sit futurorum, veritatem corporis umbræ species expressit. Et Deus in homine et videtur et creditur et adoratur, qui secundum plenitudinem temporis esset in homine gignendus. Namque ad visum species præfiguratæ veritatis assumitur. Visus est autem tum (sub lege) tantum Deus in homine, non natus est : mox etiam hoc, quod est visus, et natus est. Ad veritatem vero nascendi familiaritas proficit assumptæ ad contemplandum (2) (*c*) formam speciei. Illic homo per Deum secundum naturæ nostræ infirmitatem videndus assumitur : hic pro naturæ nostræ infirmitate nascitur quod erat visum. Accipit umbra corpus (evangelicis temporibus), et species veritatem, et visio naturam. Non tamen Deus a se demutatur, cum in homine nobis aut videtur, aut nascitur, familiari inter se proprietate et nativitatis et visus : ut quod natum est, visum sit; et quod visum est, nasceretur. Et quia nondum nobis collationis evangelicæ ac prophetiæ locus est, (*d*) institutum interim ex lege ordinem persequamur. Probaturi enim postea ex Evangeliis verum Dei filium natum in homine fuisse, nunc visum interim patriarchis in specie hominis Dei filium Deum verum (3) docemus ex lege. Namque cum Abrahæ homo visus, est et Deus adoratus, **114** et judex prædicatus : et cum pluit Dominus a Domino, non ambigitur quin quod pluit Dominus a Domino, ad significationem Patris et Filii lex loquatur : neque rursum existimandum est, quod patriarcha nescierit quin Deum verum adoraret,(*e*) quem Deum intelligens adorabat.

18. *Verbi incarnati fidem hæretici non capiunt. Cur. Evangelia ex Lege sunt.* — Habet autem non exiguam perfidiæ impietas ad intelligentiam veræ fidei difficultatem. Angustum enim (*f*) irreligiositate sensum religiosæ doctrinæ institutio non adit. Ex quo fit, ut quæ ad sacramentum salutis humanæ Deus (*g*) in homine nascendo gessit, mens irreligiosa non capiat : dum opus salutis (*h*) suæ non intelligit Dei esse virtutem. Et contemplando partum nativitatis, infantiæ infirmitatem, pueritiæ profectum, juventutis ætatem, corporis passiones, et passionum crucem, et crucis mortem, per hæc non sentiunt Deum verum; cum hæc in se (*i*) ad naturam genuerit, quæ sibi non erant antea in veritate naturæ; ita ut naturæ non amitteret veritatem, neque homo factus Deus esse desineret, cum qui Deus est, homo esse cœpisset : non intelligentes non nisi ex veri Dei virtute esse, ut quod non esset, esset; nec tamen quod esset, esse desineret : cum naturæ (*j*) infirmis assumptio non esset, nisi ex potentis virtute naturæ, quæ cum in eo quod esset maneret, posset tamen esse quod non erat. O hæretica imprudentia, et stulta

(1) *Contempletur et prædicet.*
(2) *Formæ species si.*
(3) *Doceamus.*

(*a*) Paucis hic perstringuntur momenta, quibus probatum est eum esse verum Deum, qui homo ab Abraham visus est. Is enim *judex* et *Dominus* est Gen. XVIII, 20; XIX, 24 *et* XXI, 1; *potens ad omne verbum*, Gen. XVIII, 14; *benedictionum æternarum sponsor*, Gen. XVII, 19; *piorum impiorumque judex*, Gen. XVIII, 25; *Abrahæ Deus*, Exodi III, 2; *ab eo adoratus*, Gen. XVIII, 2.

(*b*) Ita vetustus codex Colb. cum Germ. Alii vero, *contempletur et prædicet*. Cum hic conferatur tempus legis cum evangelico tempore; liquet superius *cœlestis misericordiæ sacramenta* vocari, quæ Filius Dei in carne pro nobis gessit; *species* autem illud omne, in quo antiquis ad excitandam eorum fidem se se visibilem præbuit, et in quo repræsentavit quod facturus erat.

(*c*) Apud Bad., Er. et Lips. *formæ*, omisso vocabulo *speciei*. In pluribus mss. *formæ speciei*. In Corb. et Carn., *formæ species*. In uno Sorbon. *formæ specie*. Retinendum cum Par. et quibusdam mss. *formam speciei*. Hoc enim sibi vult Hilarius, quod ait Tertullianus, Filium in carne non nata didicisse, quod postmodum futurus erat. *Ediscebat autem*, inquit contra Prax., n. 16, *ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus filium Dei descendisse in sæculum, si et retro tale quid gestum cognosceremus*. Itaque species sæpius assumpta, in qua velut in speculo repræsentaretur forma nascituri, ad hoc profuit, ut credibilis fieret veritas nascentis.

(*d*) Editi, *institutus* : mox, *probaturi postea*, sine *enim* : et post pauca, *doceamus ex lege.... Deus adoratur et judex prædicatur*. Sequimur mss.

(*e*) Vat. bas. codex *qui Deum* : minus bene.

(*f*) Editi cum recentioribus mss. *irreligiositatis sensum*. Concinnius alii, *irreligiositate*. Sicut enim sensus pietate atque charitate dilatatur, ita in angustum contrahitur irreligiositate.

(*g*) Ita mss. quomodo lib. IX, n. 4, et alibi. At editi, *in hominem*.

(*h*) Par. *salutis non suæ*, librariorum lapsu : tum cum Lips. *non intelligit esse veritatem*, consentientibus, Bad. et Er., nisi quod addunt *Dei* ante *veritatem*. Rectius mss. *Dei esse virtutem*. Manifeste enim respicitur illud Pauli I Cor. I, ubi ait, Jesum crucifixum iis qui salvantur esse Dei virtutem.

(*i*) Majoris claritatis ergo supplendum hic *quadam accessione*. Quod in Ps. II, n. 25, exprimitur in hunc modum : *Non enim cum divinitatis decessione fit humilitatis accessio. Homo quippe*, ait Augustinus, *Deo accessit, non Deus de se recessit*. Vide ejusdem serm. CLXXXVI, n. 1. Quod rursum Hilarius in psal. LXVII, n. 9, aliis verbis sic enuntiat : *Nostræ quæ in eo fuerunt infirmitates, non naturales sunt, sed assumptæ*.

(*j*) Editi, *infirmæ* : renitentibus mss. Ut argumenti hujus vis perspecta habeatur, in memoriam revocandum est, Spiritum sanctum in Mariæ conceptione super ipsam venientem, Hilario ipsum esse Verbum, quod propria virtute corpus sibi ex ea formarit.

mundi sapientia, opprobrium Christi non intelligens Dei esse virtutem, et stultitiam fidei non sentiens Dei esse sapientiam ! Deus ergo idcirco tibi Christus non est, quia qui erat nascitur, quia qui indemutabilis est crescit ætate, quia impassibilis patitur, quia vivens moritur, quia mortuus vivit, quia omnia in eo contra naturam sunt? Rogo hoc quid aliud est, quam omnipotentem esse, quod Deus est ? Nondum vos sacra et veneranda Evangelia contingo, ut ex vobis **115** Christus Jesus in his passionibus (*a*) Deus sit. Ex lege enim estis : et oportet eam docere, quod per assumptam infirmitatem non amittat Deus esse, qui Deus est. Sacramentum enim fidei vestræ, mysteriorum suorum virtute testata est.

19. *Jacob in lucta Deum vidit, non oculis corporis sed fidei.* — Adesto, adesto nunc mecum fidei tuæ spiritu adversus venenata infidelitatis sibila, sancte et beate patriarcha Jacob, et in lucta hominis invalescens, benedici te ab eo fortior deprecare (*Gen.* XXXII, 26). Quid istud est, quod imbecillum oras, quod ab infirmo exspectas ? Hunc cujus (*b*) benedictiones rogas, complexu tuo validior elidis. A gestis corporis tui, mentis tuæ opus dissidet : aliud enim quam agis sentis. Tenes in gestu luctæ tuæ hominem infirmum : sed hic tibi homo Deus verus est, non ex nuncupatione, sed ex natura. Non enim adoptivis benedictionibus benedici te postulas, patriarcha, sed veris. Cum homine luctaris : sed Deum facie ad faciem vides (*Ibid.*, 30). Non hoc oculis tui corporis cernis, quod visu fidei tuæ sentis. Infirmus secundum te homo est : sed anima tua secundum visum Deum salvata est. Jacob in lucta es : post fidem postulatæ benedictionis Israel es (*Ibid.*, 28 ; *vid. Tr. Psal.* LII, *n.* 21). Subditur tibi secundum carnem homo, ad mysterium passionis in carne : Deum in carnis infirmitate non nescis, ad sacramentum benedictionis (*c*) in Spiritu. Nec adspectus impedit quin fides maneat ; nec infirmitas avocat quin benedictio postuletur. Nec homo (*d*) efficit, quin qui homo est, Deus sit : nec qui Deus est, non Deus (*e*) verus est ; quia non potest non Deus verus esse, qui Deus est, (1) et (*f*) benedicendo et **116** transferendo et nuncupando.

20. *Filius ex alio viso Jacob Deus verus ostenditur. Deus non intelligitur nisi per Deum.* — Tenet adhuc sacramenti evangelici ordinem legis umbra, et apostolicæ doctrinæ veritatem mysteriis suis veri æmula præfigurat. (*g*) In visu somnii beatus Jacob Deum viderat (*Gen.* XXVIII, 13) : in somnio sacramenti revelatio est, non corporalis contemplatio. Nam et per scalam descensus et adscensus angelorum ad cœlum demonstratur, et super scalam incumbens Deus ostenditur, et interpretatio visionis, revelationem somnii prophetavit. Nam patriarchæ dictis, *et domus Dei et porta cœli* locus esse hic visionis ostenditur (*Ibid.*, 17). Et post multam gestorum ejus enarrationem sequitur : *Dixit autem Deus ad Jacob, surge* (2) (*h*) *et adscende in locum Bethel, et habita ibi, et* (*i*) *fac ibi sacrificium Deo, qui visus est tibi cum recederes a facie Esau* (*Gen.* XXXV, 1). Si evangelica fides per Deum filium ad Deum patrem (*j*) habet aditum, et non potest Deus nisi per Deum intelligi ; nunc Deus, qui honorem Deo incumbenti in scalam cœli postulat, doce unde non verus sit. Aut quæ in utroque naturæ di-

(1) *Et benedicit nuncupando.*

(*a*) In codice Vat. bas., *verus Deus sit.* Tum de Evangeliis cur subjiciatur, *Ex lege enim estis*, hæc in Matth. cap. 27, n. 10, repetenda est ratio : *Nam et adventus et passio ejus* (Christi) *ex lege est ;* ita *ut facile*, inquit S. Leo, serm. I, de Pentec., c. 1 : *Diligens christianus agnoscat, initia veteris Testamenti evangelicis ministrasse principiis.* Hoc est quod ait Augustinus de catechizandis rudibus, c. 4 : *In veteri Testamento est occultatio novi, in novo Testamento est manifestatio veteris ;* et quæst. 33, super Num. XI, n. 1 : *Eadem quippe sunt in veteri et novo, ibi obumbrata, hic revelata ; ibi præfigurata, hic manifestata.* Non alio sensu proxime habet Hilarius : *Sacramentum enim fidei vestræ mysteriorum suorum virtute testata est.* Quo spectat et initium num. 20. Lex autem docet Filium per assumptam infirmitatem non amittere quod erat, cum eum, etsi in aliena et infirma specie, Deum tamen et agnoscit. et profitetur.

(*b*) Ita mss. At editi, *benedictionem rogas ;* et mox, *tenes in gestis.*

(*c*) Ut supra nomine *carnis* humana natura, ita hic divina *in spiritu* significatur : adeo ut Jacob, benedictionem petendo, naturam illius divinam prodiderit, quem in homine cernebat infirmum. Juverit hunc locum cum altero tract. psal. LII, n. 21, conferre.

(*d*) Vat. bas. ms., *nec homo infirmus officit, quin qui homo est, Deus non sit.* Non displicet verbum *officit.*

(*e*) Mss. Vat. bas., unus Colb., Carn., *Deus verus sit.* Retinendum cum aliis, *Deus verus est.*

(*f*) Verba *et benedicendo et transferendo et nuncupando*, non habet optimus codex Colb., necnon Germ.

(2) *Descende.*

Plerique alii libri hic multum variant. Editio Bad. cum mss. Vind. ac Remig. habet, *et benedicit nuncupando.* Exemplar Silvæ Majoris, *et benedicit transferendo et nuncupando.* Corb., Prat., Faur., Colb. cum edit. Er. et Lips., *benedicit transferens nuncupando.* His consentiunt alter ms. Colb. et unus Sorb., nisi quod adduut *te* post *benedicit.* In Carnut. a prima manu legitur mendose, *et benediced transferen nuncupando :* a secunda autem correctum est ut in textu, quomodo legitur in Par. necnon in ms. Vat. bas., altero Colb. et aliquot aliis. Non displiceret, *et benedicit Israel nuncupando.* Sed quidquid sit, illa benedictio ponitur in translatione ac mutatione nominis, qua ex Jacob Israel nuncupatur : *Quia Israel Deum videns sit*, ut dicitur in psal. LII, n. 21.

(*g*) Sola editio Bad., *in usu somni :* aliæ, *in visu somni :* castigantur ex mss.

(*h*) Bad., Er. et Lips. necnon mss. Vat. bas., Carn., Corb., etc., *descende.* Retinemus cum Par. et optimo codice Colb., *adscende.* Sic lib. IV, n. 28, *Surgens ascende.*

(*i*) Ita mss. nisi quod in exemplari Vat. bas. et in uno Colb. legitur, *fac ibi sacrarium.* In vulgatis autem, *offer sacrificium.* Paulo aliter hic locus, lib. IV, n. 28, sic refertur : *fac ibi altarium Deo qui apparuit tibi :* quod indicio est Hilarium sæpe ex memoria Scripturas referre.

(*j*) Hic respicitur illud Joan. XIV, 6 : *Nemo venit ad Patrem nisi per me*, necnon istud Matth. XI, 27 : *Neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

versitas est, ubi ejusdem naturæ unum atque idem nomen est? Deus visus est, Deus de viso Deo loquitur. Non potest Deus nisi per Deum intelligi, sicuti nec honorem a nobis Deus nisi per Deum accipit. Namque honorandus esse non intelligetur, nisi iste docuerit honorandum : nec Deus scietur, nisi hic Deus scitus sit. (*a*) Habet dispensatio (*b*) sacramentorum suum ordinem. Ad Dei honorem per Deum docemur. Tenet natura suum nomen : non aliud uterque quam Deus est. Et inter Patris et Filii naturæ unius nomen **117** unum, quæro quomodo Deus (*c*) filius a se possit degenerare, ne verus sit.

21. *Ad hoc non sufficit sæcularis doctrina aut vitæ innocentia.* — Non est de Deo humanis judiciis sentiendum. Neque enim nobis ea natura est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat. A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit : quia non nisi se auctore cognoscitur. Adsit licet sæcularis doctrinæ elaborata institutio, adsit vitæ innocentia: hæc quidem proficient ad conscientiæ gratulationem, non tamen cognitionem Dei consequentur. Moyses in reginæ filium adoptatus, et (*d*) omnibus Ægyptiorum doctrinis eruditus (*Act.* VII, 22), cum utique ex naturæ affectu Hebræi injuriam morte Ægyptii ultus esset (*Exodi* II, 12), Deum tamen paternarum benedictionum nesciebat. Namque ob metum cædis proditæ Ægyptum derelinquens, cum in terra Madian pastor ovium esset, ignem in rubo sine concremationе rubi contuens, Deum audivit, et nomen interrogavit, et naturam cognovit (*Exodi* III, 1 *et seqq.*). Neque enim hæc de Deo, nisi per Deum, cognita esse potuissent. Loquendum ergo non aliter de Deo est, quam ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est.

22. *Filium de rubo locutum, eumque verum esse Deum.* — Angelus Dei est, qui in igne de rubo apparuit: et de rubo in igne Deus loquitur. Habes dispensationem in angelo, quia in angelo officium est, non natura : habes in naturæ nomine Deum, quia Angelus Dei Deus est. Sed forte non verus est. Numquid non verus est Deus Abrahæ, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Horum enim angelus de rubo loquens Deus in æternum est. Et ne adoptivi nominis fureris occasionem, loquitur ad Moysen Deus ille, qui est. Ita enim scriptum est: *Dixit autem Dominus ad Moysen : Ego sum qui sum. Et dixit: Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos* (*Exodi* III, 14). Cœptus ab angelo Dei sermo est; ut sacramentum intelligatur humanæ salutis in Filio: idem Deus Abrahæ, et Deus Isaac, et Deus Jacob est ; ut ei naturæ suæ nomen sit: mittit deinde ad Israel Deus, qui est; ut vere intelligeretur esse quod Deus est.

23. *Nec falsum esse qui legem dedit.* — Quid ad hæc (*e*) inefficax hæreticæ impietatis stultitia vesano spiritu mentiris, et contra tantorum patriarcharum scientiam **118** generosi seminis tritico urendam zizaniam sator nocturnus interseris? Sed si Moysi crederes, crederes et Deo Dei filio: nisi forte negabis quod de eo Moyses locutus sit. Quod cum negare voles, audies verbis Dei: *Si enim crederetis Moysi, crederetis* (*f*) *forsitan et mihi; de me enim ille scripsit* (*Joan.* V, 46). Arguet te plane, arguet ille toto legis volumine, quam manu Mediatoris per angelos dispositam suscepit. Et quære an qui legem dederit, Deus verus est (1), cum utique Mediator sit ille qui dederit. Aut numquid non obviam Deo Moyses populum eduxit ad montem (*Exodi* XIX, 17)? Aut numquid non Deus descendit in montem (*Ibid.* 20)? Aut forte falsum hoc et adoptivum potius (2) quam (*g*) naturæ suæ nomen est? Intellige personantes tubas, et lampadum flammas, et e monte æstuantem fornacium fumum, et ad adventum Dei consciam humanæ infirmitatis trepidationem, et a populo, orato ad loquendum (*h*) Moyse, confessam sub voce Dei mortem (*Exodi* XX, 19). Tibi, hæretice, non est Deus verus, quo Israel tantum loquente mori timuit, et vocem ejus humana infirmitas non tulit? Tibi idcirco Deus non est, quia ut audires (*i*) et videres, per infirmitatem hominis est locutus? Moyses mon-

(1) *Deus verus sit.*

(2) A ms. abest *quam.*

(*a*) Editi, *Habet ergo.* Melius abest *ergo* a mss. Ante *habet*, inseruit Erasmus : *Hic janua est : ut de se in Evangeliis testatus est*: *hinc David cœli portam profitetur in psalmo :* quæ verba in uno exemplari addita se reperisse ait, sibique videri assuta. Pertinent sane ad illustrandum locum, quem proxime ex verbis Joannis ac Matthæi illustravimus.

(*b*) Editi, *sacramentorum suorum ordinem* : Lips. hic expunxit particulam *ad*. Sola editio Par. deinde habet *ducimur*, pro *docemur*. At apud Er., *ad Dei honorem per Deum qui et vita est et porta docemur*, ex glossemate. Verbi *doceo* cum præpositione *ad* multa in psalmos sunt exempla. Nam psalmus CXXX, n. 1, dicitur *ad humilitatem nos et mansuetudinem docens.* Videsis alia in not. ad tract. psal. CXXXI, n. 1.

(*c*) Vat. bas. codex, *Filius a Deo posset.* Deinde in ms. Vind., uno Vatic. et apud Bad. *denegare.* Tum in ms. Corb. a secunda manu, *ne non verus sit*, in Vind. *quod verus sit.* Nihil mutandum, sed ita intelligendum *ne verus*, quasi *ut non verus:* quod Hilario familiarissimum. Post *ne verus sit*, subjungit Erasmus, *cum præsumptio divini honoris, naturæ in se divinæ protestata sit veritate. Hanc autem post sacramentum in initio cum Jacob juste locutus est, qui etiam ante assumptionem carnis et visus est, et via Dei Deus adorandus esset, et parta non est de Deo.* Hic non satis sibi cavit a verbis interpolatoris pessime omnino digestis.

(*d*) Veteres libri Colb. et Carn., *omnium Egyptiorum:* dissident a verbis Actuum, *omni sapientia*, græce *πάσῃ σοφίᾳ.*

(*e*) Vat. bas. codex, *infelix hæreticæ stultitiæ vesano spiritu.*

(*f*) Abest *forsitan* a vetustiore ms. Colb.

(*g*) Hic addimus *quam* auctoritate vetusti codicis S. Petri in Vaticano. Qui exemplar Carnutense ante annos 700 recognovit, eamdem particulam in eo superscripsit, unde obtinuit in uno mss. Colb. In aliis autem libris omittitur.

(*h*) In vulgatis, *Moysi.* Rectius in mss. *Moyse*, scilicet ab Israelitis orato ut ipse pro eis loqueretur Deo, ne territi Dei voce interirent.

(*i*) In ms. Corb. ac paucis aliis, *et viveres:* lectio non spernenda. Hoc sibi vult: An ille, quem in majestate loquentem audire timuit populus legis, ne moreretur, tibi Deus non est, quia jam ad infirmitatem tuam se accommodans in humilitate carnis tibi

tem adiit (*Ibid.* 24); divinorum et cœlestium sacramentorum cognitionem quadraginta dierum ac noctium tempore adeptus est, omnia secundum speciem ostensæ sibi in monte veritatis instituit, per familiaritatem loquentis ad se Dei, gloriam claritatis inconspicabilis sumpsit, et corruptivam vultus sui speciem lux intolerabilis vicinæ majestatis implevit, Deum testatur, de Deo loquitur, ad hunc adorandum cum lætitia gentium angelos Dei advocat, hujus placitas benedictiones Joseph vertici imprecatur (*Deut.* XXXIII, 16): et post hæc solo concesso ei nomine, audet quisquam negare quod verus est?

24. *Summa eorum quæ hocce libro hactenus probata sunt.* — Nunc quia omni hoc sermone nostro demonstratum existimamus, nullam interpositam intelligentiæ rationem fuisse, ut Deus verus et Deus falsus in sensum humanæ mentis incideret, cum Deum et Deum, et Dominum et Dominum lex locuta sit; neque in nominibus naturisque significatam diversitatem fuisse, ne non secundum **119** nomen naturæ et natura nominis posset intelligi; cum virtus Dei, potestas Dei, res Dei, nomen Dei in eo esset, quem Deum lex prædicabat: (*a*) quæ secundum sacramenti evangelici distributionem, ad personæ significationem, demonstraret et in creando mundo obedientem dictis Dei Deum, et in figurando homine communis sœcum et Dei imaginis (*b*) Deum creatorem, et in judicandis Sodomitis judicem Dominum a Domino, et in largiendis benedictionibus et in decernendis mysteriis legis angelum Dei Deum: ut ad salutarem confessionem in patre Deo et in filio Deo Deus semper ostensus, naturæ veritatem ipso naturæ nomine edoceret, cum lex Deum utrumque significans, ambiguitatem non relinqueret veritatis.

25. *Occurritur hæreticis Filium Deum verum negantibus. Filius hoc est vere quod natus est.*—Tempus jam nunc est, ut quod pie et religiose lex docuit, non impie furto hæreticæ stultitiæ prædicari sinamus, quæ Dei filium (*c*) negatura sic cœpit: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* VI, 4). Et quia impietas ejus periclitaretur in nomine, cum Deum et loquitur, ut audire eum et videre absque formidine jam possis, seu ut audiens eum vitæ tuæ non timeas?

(*a*) Lips. et Par., *quem.* Alii vero libri, *quæ*, puta lex.

(*b*) In excusis *Dominum.* Verius in aliquot mss. *Deum.* Ex hac una sententia cernitur quam in cæteris pressus sit Hilarii sermo. Dicit *Deum creatorem;* quia de Filio scriptum est Gen. I, 27: *Et fecit Deus hominem.* Addit *communis secum imaginis:* quia ei dixit Pater, *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Post *communis secum*, subjungit *et Dei:* quia quæ prius imago communis, postea Dei unius esse significatur his verbis, *Ad imaginem Dei fecit eum.* Hinc particulam *et*, ante *Dei imaginis*, ne expungas, quamvis in ms. bas. Vat. non occurrat.

(*c*) Er., Lips. et Par. *Deum negatura.* Abest *Deum* a Bad. et ms.

Deum lex esset locuta; ut naturam nominis per auctoritatem dicti prophetici negaret, adjecit, *Benedicent te Deum verum* (*Esai.* LXV, 16): ut per id unum Deum loquta lex esset, esseque in filio Dei Deo nomen potius quam veritas, uno (*d*) tantum vero Deo intelligendo. Et forte contradicere nos dictis tuis, o stulte, arbitraris, ut negemus unum Deum verum. Non plane negamus secundum te (*id est*, sicuti tu) confitendo. Hæc enim fides nostra, hæc conscientia, hic sermo est. Sed intelligimus Deum unum, et eumdem Deum verum. Nec confessio nostra periclitatur in nomine, quæ in natura (*e*) Filii unum et verum Deum prædicat. Disce confessionis tuæ intelligentiam, et unum ac verum Deum cognosce, ut unum ac verum Deum pie prædices. Rapis enim ad impietatem tuam religionis nostræ professionem: et quod est negas, dum quod est non negas. Sic (*f*) stultam sapientiam fallis, ut veritatem perimas specie veritatis. Unum **120** verum Deum confiteris, ut unum verum Deum deneges. Professio enim tua sic putatur pia, quod magis impia est; sic vera quod falsa est. Sic a te unus et verus Deus prædicatur, ut non sit. Negas enim Dei filium Deum verum, cum tamen Deum non neges; Deum tamen non natura confitendo, sed nomine. Si nativitas ejus, nominis potius est quam veritatis, potes auferre nomini veritatem: si autem vere Deus natus est, quæro quomodo possit non vere esse quod natus est? Aut nega esse, ne sit; aut si est, (1) quomodo quod est non erit, cum quod est non possit esse, ut non sit (*g*)? Ac de nativitate quidem mox erit sermo. Interim tamen de veritate naturæ Dei impietatem mendacii tui prophetica (2) confessione convincam; ita tamen, ut unum et verum Deum prædicari a nobis, neque (*h*) Sabellii hæresis ipsum Patrem sibi et Filium professa præsumat, neque tu veritatem de filio Dei unum tantum Deum verum prædicans mentiaris.

26. *Hæretici subdole Scripturam interpolatam citantes revincuntur.* — Nihil plane in se habet sapientiæ impietas: et Dei timor, qui sapientiæ initium est, ubi deest, aufert secum omne exordium prudentiæ. Ad infirmandam enim Dei veri in Filio fidem prophe-

(1) In anteriori, *quomodo quod est non possit esse ne non sit.* Consentit Erasmiana ed. cum libro nostro.

(2) *Professione.*

(*d*) Hoc est, quia unus tantum Deus verus intelligendus est.

(*e*) Carnut. ms. cum uno Colb. *Filium:* minus sincere. Illud *in natura Filii*, id est, in assertione Filii, qui non tantum ex nuncupatione et adoptione, sed ex natura sit Dei filius.

(*f*) Ita Par cum mss., id est, sic fallis eos, qui humanis ratiunculis plus credunt, quam Dei dictis. At Bad., Er. et Lips., *stulta mundi sapientia:* quod commode etiam in quinto ac sexto casu potest intelligi.

(*g*) Editi, *ut non.* Præferimus mss. lectionem, quam tamen non alia ratione sic intelligimus, quasi legere esset: cum non possit fieri, ut aliquid non sit id quod est.

(*h*) Aliquot probæ notæ mss. *Sabellia:* cui voci mss. Vat. bas. et Carnut. particulam *sicut* præfigunt, quæ melius abest ab aliis libris.

ticus sermo profertur, quo dictum est, *Et Benedicent te Deum verum.* Primum hæc impietatis stultitia fuit, ut quæ (*supple*, ab eodem propheta) superius dicta sunt, aut non intelligerentur; aut intellecta cum essent, tacerentur. Tum deinde ad quam se fraudem syllabæ (*a*) adjectione, quæ in libris non exstat, instruxit: stultitiæ suæ in eo usa mendacio, tamquam dictis suis eo usque adhibenda fides esset, ut requirendam esse ipsam dictorum propheticorum auctoritatem non putaret. Non enim ita scriptum est, *Benedicent te Deum verum* (*Esai.* LXV, 16): sed *Benedicent Deum verum.* Nam non exiguum ambiguitatis momentum est inter *te Deum verum*, et *Deum verum.* Personæ enim alterius videtur esse pronomen, ubi *te* est: cæterum ubi pronominis syllaba non erit, ibi (1) (*b*) ad auctorem dicti refertur et nomen.

121 27. *Inde Filius ostenditur Deus verus, unde innuebant falsum. Filium Scriptura hic prædicans* Deum *contra morem addit* verum, *quia futuri erant quibus id lateret.* — Et ut absoluta intelligendæ veritatis ratio sit, ipsa illa ex solido prophetæ dicta subdentur. *Propterea sic dicit Dominus: Ecce qui serviunt mihi, manducabunt; vos vero esurietis: ecce qui serviunt mihi, bibent; vos autem sitietis: ecce qui serviunt mihi, exultabunt in lætitia; vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri et* (2) (*c*) *a contribulatione spiritus ululabitis. Relinquetis enim vos nomen vestrum in lætitia electis meis, vos autem interficiet Dominus. Servientibus vero mihi vocabitur nomen novum quod benedicetur super terram: et benedicent Deum verum, et qui jurant super terram, jurabunt in Deum verum* (*Esai.* LXVII, 13 *et seqq.*). Numquam non ex causa est, cum consuetudo prædicationis excediturˊ: et rationem novitatis (3) ratio (*d*) falsitatis inducit. Cum enim antea tantæ de Deo prophetiæ exstitissent, et ad Dei dignitatem ac naturam demonstrandam simplex et solum Dei nomen commemoratum fuisset; quærendum est, qua ratione nunc per Esaiam benedicendum *Deum verum*, et jurandum super terram *in Deum verum* prophetiæ Spiritus præloquatur. Et primum noscendum est, sermonem hunc res futuri temporis nuntiare. Et quæro an Deus verus non sit, qui tum secundum opinionem Judæorum et benedicebatur et jurabatur. Judæi namque sacramentum mysterii Dei nescientes, et per hoc Dei filium ignorantes, Deum tantum, non et Patrem venerabantur (A) (*V. l.* III, *n.* 17). Nam utique venerantes Patrem, venerarentur et Filium. Hi ergo Deum benedicebant, et jurabant per eum. Sed propheta benedicendum *Deum verum* testatur: *verum Deum* idcirco pronuntians, quia per mysterium assumpti corporis non ab omnibus esset in eo Dei veritas intelligenda. Et opus fuit veri confirmatione, ubi falsi proruptura esset assertio. Et singulas dictorum eorumdem sententias recenseamus.

28. *Prophetia hæc aliquid præsens, et aliud futurum significat. Quod præsens, ad Israel carnalem; quod futurum, ad spiritalem attinet. — Propterea sic dicit Dominus: Ecce qui serviunt mihi, manducabunt; vos vero esurietis: ecce qui serviunt mihi, bibent; vos vero sitietis* (*Esai.* LXV, 13). Cognosce sub eodem dicto (B) utriusque temporis significationem, ut sacramentum assequaris ætatis. *Qui* enim *serviunt mihi, manducabunt.* Religionem scilicet præsentem **122** futuris præmiis muneratur: ita ut præsentium impietatem futuræ sitis ac famis pœna conficiat. Deinde adjecit, *Ecce qui serviunt mihi, exultabunt in lætitia; vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, et a contritione spiritus ululabitis* (*Ibid.*, 14). Secundum superiorem sensum etiam nunc futuri et præsentis temporis demonstratio est: ut qui serviunt, exultaturi sint in lætitia; qui vero non serviunt, in clamore atque in ululatu per dolorem cordis et contritionem spiritus mansuri sint. Dehinc subjecit, *Relinquetis enim vos nomen vestrum in lætitia electis meis, vos autem interficiet Dominus* (*Ibid.*, 15). Sermo (C) ad carnalem Israel est cum futuri temporis significatione, cui exprobratur quod nomen suum electis Dei relicturus sit. Quæro, quod hoc nomen sit? Nempe Israel, ad quem tum erat sermo. Dehinc interrogo, qui sit hodie Israel? Et quidem testatur Apostolus, Qui spiritu, non littera, qui in regula Christi procedentes, Israel Dei sunt (*Rom.* II, 29).

29. *Filius triplici titulo Deus verus ab Esaia ostenditur. Christianum nomen novum.* — Tum præterea, cum superius dictum sit, *Propterea sic dicit Dominus;* intelligendum est cur ita hoc consequatur, *Vos autem interficiet Dominus:* deinde post hæc quid sibi velit hic sermo, *Servientibus vero mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram* (*Ibid.* 16). Numquid ambigitur in eo quod dictum est, *Propterea sic dicit Dominus*, et in eo quod sequitur, *Vos autem* (D)

(1) *Ad auctoritatem dicti.*
(2) *A contritione.*
(3) *ratio veritatis.*

(*a*) In mss. *adjectio.* Hoc vitium Arianis usitatum fuisse discimus ex Ambrosio, qui, lib. II de fide, c. 15, n. 355, eos ut Scripturarum falsatores, et lib. V, cap. 16, n. 193, ut earumdem interpolatores traducit: quique in gestis Aquileiensis synodi T. II, p. 795, Palladio criminis hujus convicto dicit, *Falsari a vobis divinas Scripturas hodie comprobamus.* Unde synodi hujus Patres epist., Ambros. X, n. 6 et 7, apud imperatores expostulant, quod ita *redarguti de falsitate sunt, ut faterentur.*

(*b*) Omnes prope mss. *ad auctoritatem dicti.* Interdum Hilarius verbo abstracto, loco concreti, ac nominatim vocabulo *auctoritatis* loco *auctoris* lib. de Synod. num. 33, utitur. Quod hic *ad auctorem dicti*, infra, n. 31, dicitur *penes loquentem.*

(*c*) Carnut. ms. ac nonnulli alii, uti mox in omnibus, *a contritione.*

(*d*) Editi cum mss. non paucis, *ratio veritatis.* Magis arrisit cum pervetusto codice Colb. et Germ, necnon Corb. ab antiqua manu secunda, *ratio falsitatis*, hoc est, ubi fallendi et errandi subest aliqua ratio: ut, v. g., in Christo mysterium assumpti corporis potest esse ratio unde quis fallatur ne cum verum Deum credat. Hæc lectio postremis hujus numeri verbis confirmatur.

interficiet Dominus, id demonstratum fuisse, ut qui loqueretur, et qui interfecturus esset, (*a*) non aliud intelligeretur esse quam Dominus; qui et postea sibi servientes novo esset nomine muneraturus, et non ignoraretur et in prophetis locutus esse, et piorum atque impiorum judex futurus? Mysterium itaque sermo reliquus (*b*) evangelici sacramenti, ne quid in Domino dicente et in Domino interficiente ambigi possit, explicuit : *Servientibus vero mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram.* Omnis hic futuri temporis sermo est. Et quod est hoc novum nomen religionis, quod benedicetur super terram? Si a sæculis Christiani vocabuli (*c*) antea beatitudo umquam fuit, (1) nunc novum non est. Sin vero hoc (*d*) sanctificatum pietatis nostræ in Deum novum nomen est, **123** hæc profecto professionis novitas cœlestium benedictionum merces super terram est.

30. *Quod de Christo intelligendum*, et benedicent Deum verum. — Jam vero totius fidei nostræ conscientiam sequens sermo confirmat, dicens, *Et benedicent Deum verum, et qui jurant super terram, jurabunt in Deum verum.* Hi certe benedicent Deum verum, quorum in Dei servitute novum nomen est : tum deinde qui jurandus erit Deus, Deus verus est. Anne ambigitur quis juretur, quis benedicatur, per quem novum ipsi servientibus benedictumque nomen sit? Consistit mecum adversus impiam tuam, hæretice, prædicationem absoluta sermonis ecclesiastici fides, novi per te Christe nominis, et per servitutis (*e*) professionem benedictæ ex te super terram nuncupationis, te verum Deum jurans. Omne enim os credentium te, Christe, Deum loquitur. Omnis credentium fides te Deum jurat, Deum verum esse te confitens, Deum verum esse te prædicans, Deum verum esse te conscia.

31. *Idem ex superioribus prophetæ dictis, illustratur.* — Quamquam igitur omnis hic propheticus sermo nullam reliquerit difficultatem, quin Deum significasse intelligatur, et cui per novum nomen serviatur, et per quem ejusdem nominis in terris benedicta sit novitas, et qui benedicatur Deus verus, et qui juretur Deus verus; quæ omnia secundum temporum plenitudinem Ecclesiæ fides pia in Dominum Christum religione profitetur (et ita se in eo propheticus sermo coaptavit, ut significationem personæ alterius adjectione pronominis non novaret. Si enim addidisset, *te Deum verum*, referri ad alterum dicentis sermo potuisset : sed cum ait, *Deum verum*, significationis intelligentiam penes loquentem reliquit) : et quamquam quem præsens sermo significet, non ambigatur; tamen connexa superius dicta, cujus professio ista sit intelligenda, demonstrant. Ait enim : *Palam apparui non interrogantibus me, et inventus sum non quærentibus me. Dixi,* (*f*) *Ecce sum genti, qui non invocaverunt nomen meum. Extendi manus meas tota die ad populum diffidentem et contradicentem* (*Esai.* LXV, 1, 2). Anne impia furtivæ prædicationis falsitas in obscuro est, et Deus verus ignorabitur qui hæc loquitur? Rogo, quis apparuit non interrogantibus, et quis inventus non quærentibus? Et quis gentium est **124** quæ non invocaverunt antea nomen ejus? Et quis die tota manus ad diffidentem et contradicentem populum extendit? Confer cum his sacrum illud et divinum Deuteronomii Canticum (*Deut.* XXXII, 21), in quo super non deos Deus exacerbatus, super non gentem et gentem stultam in zelum (*g*) incitat infideles : et intellige quis (*h*) manifestus fit ignorantibus, et quis proprius usurpatur alienis, et quis manus suas ante diffidentem contradicentemque populum, configens cruci chirographum edicti anterioris expandit. Hic namque prophetæ Spiritus dixit per continentem sibi in ordine connexumque sermonem, *Servientibus vero mihi vocabitur nomen novum, quod benedicetur super terram, et benedicent Deum verum : et qui jurant super terram, jurabunt in Deum verum* (*Esa.* LXV, 16).

32. *Esaiæ verba de Filio dicta Paulus interpretatur.* — Hæc si stultitia atque impietas hæretica, ad fal-

(1) *Nunc novum nomen est.*

(*a*) Editi, *non alius*. Rectius mss. *non aliud* : de natura enim quæstio est, non de persona. Unde supra, num. 16 : *Pluit Dominus a Domino : numquid non verus Dominus a vero Domino? aut quid aliud quam Dominus?* Quod deinde, ut et alibi, ait Hilarius, Filium in prophetis locutum esse, non ita ei proprium arbitratur, quin hoc ipsum etiam attribuat Spiritui sancto: cujus divinitatem probare volens, lib. II, n. 32, ait : *Est enim Spiritus sanctus unus ubique, omnes patriarchas, prophetas et omnem chorum legis illuminans.*

(*b*) Potest hoc ita intelligi, ut *mysterium evangelici sacramenti*, reliquus prophetæ sermo explicuerit. Vel etiam propheticus sermo dicitur *evangelici sacramenti* ; quia in eo continetur, quod ad Evangelium attinet, seu in illo velatur, quod apertius in Evangelio revelatum est.

(*c*) Vat. bas. ms., *nomen benedictum unquam fuit, nunc novum nomen est.* Carnut. cum uno Colb., *antea benedictio umquam fuit, nunc novum nomen est.* Bad. et Er. *antea beatitudo nunquam fuit, nunc novum nomen est.* Melius alii libri, *nunc novum* (supple vocabulum) *non est.* Nam ex *non* facile factum est *nomen.*

(*d*) Editi, excepto Par., *sanctificatur;* tum Er. et Lips. *pietas nostra in Deum*, renitentibus mss.

(*e*) Vat. bas. ms. hic addit *tuæ.*

(*f*) Primus Erasmus de suo hic posuit, *ecce adsum;* quod retinens Lipsius propria auctoritate deinde vulgavit, *gentibus quæ non invocaverunt.* Neutrum in Par. correctum est : quamvis in omnibus mss. legatur, *ecce sum genti, qui*, etc., consentiente græco, ἰδοὺ εἰμὶ τῷ ἔθνει, οἳ : neque aliud permittente Hilarii interpretatione, qua illud *ecce sum genti*, perinde explicat atque, pertineo jam ad gentem.

(*g*) Exemplar Vat. bas. *incitatus, infidelis tu vide et intellige*, quod et habet Carnut. a secunda manu. Hujus potior erat lectio prima, quam habent quoque alii libri, confirmatque sacer textus.

(*h*) Editi, *manifestus sit.* Postea Erasmus, pro *quis proprius*, ad marginem apponit, *Forte quis proprius:* locum Isaiæ, *Ecce sum genti, qui non invocaverunt*, ab ipso ut supra monuimus nonnihil corruptum, non percipiens sic ab Hilario intelligi, quasi, Jam Deus sum iis proprius, quibus antea eram alienus, seu qui me non invocabant. Neque felicius paulo post *expungit*, pro *expandit*, legendum conjectat, quasi hoc verbum ad *chirographum* referretur, non ad *manus*, quas in cruce Christus extendit.

lendum ignorantes simplicioresque, dicta esse ex persona Dei patris mentietur, ne in Deum fillium dicti hujus intelligentia suscipi possit: audiat mendacii sui ab apostolo et doctore gentium reatum; omnia hæc ad sacramentum passionis dominicæ et evangelicæ fidei tempora prædicante, tum cum infidelitatem Israel adventum Domini in carnem non intelligentis exprobrat. Ait enim ita: *Omnis enim, quicumque invocaverit nomen Domini, salvabitur. Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt? Quomodo autem credent ei quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt nisi missi fuerint? siculi scriptum est:* (*a*) *Quam speciosi pedes eorum qui annuntiant pacem, eorum qui annuntiant bona* (*Esai.* LII, 7): *Sed non omnes obediunt Evangelio. Esaias enim dicit, Domine, quis credidit auditui nostro* (*Esai.* LIII, 1)? *Itaque fides ex auditu, auditus autem per verbum* (*b*). *Sed dico, numquid non audierunt? Imo in omnem terram exivit sonus eorum, et ad terminos orbis* (*c*) *verba eorum. Sed dico: Numquid Israel non scivit? Primus Moyses dicit, Ego incitabo vos in non gentem, in gentem insensatam exacerbabo vos. Esaias autem audet et dicit, Apparui autem his qui me non* (*d*) *quærunt, inventus sum iis qui me non interrogabant* (*Esaia.* LXV, 1). *Ad Israel autem quid dicit? Tota die* (1) *extendi manus meas ad* **125** *populum non audientem* (*Rom.* X, 13 *et seq.*). (*e*) Quis cœli circulos, incertum incorporeus an corporeus, egressus, fidelior Paulo dictorum propheticorum interpres exstitisti (II *Cor.* XII, 2)? Quis inenarranda cœlestium mysteriorum audiens sacramenta et tacens, majore hæc fiducia revelatæ tibi a Deo scientiæ prædicasti? Quis ad plenitudinem dominicæ passionis cruci reservandus, antea in paradisum raptus evadens, melius de divinis Scripturis electionis vase docuisti, hæc nesciens dicta gestaque esse a Deo vero, et ad intelligentiam Dei veri a vero ejus et electo apostolo prædicata?

(1) *Expandi*, juxta vim græci vocabuli ἐξεπέτασα.
(2) *Umquam* abest a ms. Veron.

(*a*) In ms. Carn. a prima manu, *quam veloces pedes.*
(*b*) Removimus hinc verbum *Dei*, veterum librorum auctoritate.
(*c*) In vulgatis hic additur *terræ:* quod abest a mss.
(*d*) Editi, *quærebant:* repugnantibus mss.
(*e*) Bad. et Er. cum unico ms. Colb. minimæ auctoritatis: *Quis in tertium cœlum incorporeus an corporeus ingressus.* In edit. aliis retentum est verbum *ingressus.* Quod et habuit ms. Carn. a prima manu. At a secunda consentiens aliis mss. habet, *egressus.* Palam est hic respici Pauli raptum usque in tertium cœlum (qui quidem in psal. CXXXV, n. 10, sic exprimitur: *Cum raptus ad cœlos est*): mox vero ubi subjicitur, *Quis ad plenitudinem*, etc., alludi ad hæc Colos. I, 24: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi.* Ita in his Hilarius adversarium cum Apostolo comparat, ut quæ Pauli sunt, in illum conferre videatur.
(*f*) Quidam mss. *ex prophetæ spiritu.*
(*g*) Editi, *quæ facis* reluctantibus mss. et græco ἃ ποιήσεις.
(*h*) Apud Bad. et Er., *pronuntiaverat:* male. In codice autem Vat. bas. *prænuntiabat.* In aliis vero libris, *prænuntiaverat:* verius. Tum excusi, *mysterium incorporationis.* Elegantius mss. *mysterium corporationis.* Ut autem Hilarii argumentum apertius pateat, sic uno syllogismo potest comprehendi: Esaias vidit Deum, VI, 1, *Vidi Dominum sedentem*, etc., atqui non aliam Dei personam præter quam Filii vidit LXIV, 4: *Nec oculi nostri viderunt Deum præter te:* Filius igitur est Deus.
(*i*) In vulgatis, *gloriam:* a qua voce non abhorret Hilarius. Reponimus tamen *honorem* ex fide mss.
(*j*) Ab omnibus fere mss. hic abest *umquam*, secus vero l. V, n. 42, et l. VI, n. 39. Quod (*col.* 127, *not.* b *hujus editionis*) observatum est, *Dei* nomine, ubi hæc vox simpliciter occurrit, Patrem ab antiquis intelligi solere, maxime in hisce Joannis verbis locum habet. Sic porro Hilarius ratiocinatur: Esaias ex Joannis testimonio Deum vidit: at Deum Patrem a nemine visum Johannes idem testatur: vidit igitur Esaias Deum Filium.
(*k*) Editi cum pluribus mss., *et palam factus est genti non invocanti se.* Exemplar Carn., *factus est in medio gentium*, etc. Verius vetustiores mss: Colb., Remig. et Germ., *factus est gentium non invocantium se*, supple, *Deus proprius.*
(*l*) Sic mss. At editi, *Propheta.* Nota hic non modo

33. *Esaiam ex Esaiæ dictis interpretatur Apostolus. Esaias vidit Deum, neque alium vidit præter Filium.* — Nisi forte Apostolus dictis propheticis non (*f*) ex prophetiæ spiritu usurpatis, temerarius alieni sermonis interpres est. Omnia quidem per revelationem Christi Apostolus dicit: sed Esaiæ dicta ex dictis Esaiæ ipsius novit. In exordio enim sermonis ejus, in quo Deus verus a servientibus sibi benedicendus atque jurandus est, hæc prophetæ oratio legitur: *A sæculo non audivimus, nec oculi nostri viderunt Deum præter te, et opera tua* (*g*) *quæ facies exspectantibus misericordiam tuam* (*Esa.* LXIV, 4). Loquitur Esaias, præter hunc se neminem Deum vidisse. Vidit enim gloriam Dei, cujus (*h*) prænuntiaverat mysterium corporationis ex virgine. Ac si tu hæretice ignoras, quod in ea gloria unigenitum Deum viderit; audi Joannem evangelistam dicentem (XII, 41): *Hæc autem dixit Esaias, quando vidit* (*i*) *honorem ejus, et locutus est de eo* (*Esa.* VI, 1). Hinc apostolicis, hinc evangelicis, hinc propheticis dictis, impie hæretice, concluderis. Esaias enim Deum vidit; et cum scriptum sit: *Deum nemo vidit* (2) (*j*) *umquam, nisi unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* (*Joan.* I, 18); Deum tamen propheta vidit, et gloriam ejus usque ad invidiam propheticæ dignitatis adspexit. Nam in judicium mortis ob hanc causam a Judæis actus est.

126 34. *Pressius ostenditur Filium ab Esaia Deum verum prædicatum esse. Hæreticorum id negantium dolus.* — Deum itaque nemini visum, unigenitus filius qui in sinu Patris est enarravit. Aut dissolve unigeniti enarrationem, (3) aut crede qui visus est, qui apparuit non intelligentibus se, (4) (*k*) et factus est gentium non invocantium se, et expandit manus ante populum contradicentem: ita tamen ut et servientibus sibi nomen novum vocetur, et in terris Deus verus benedicatur atque juretur. (*l*) Prophetia loquitur, Evangelium testatur, Apostolus interpretatur,

(3) *Aut Deum crede.*
(4) *Et palam factus est genti non invocanti se.*

Ecclesia confitetur, Deum verum esse qui visus sit; cum tamen Deum patrem visum nemo fateatur : et eo hæretici furoris prorupit insania, ut dum confiteri se simulat, denegaret. Negat enim novo confessionis (*a*) impioque consilio; et arte subdola fidem dum mentitur, eludit. Cum enim confesso uno Deo eodemque vero et solo justo, solo sapiente, solo indemutabili, solo immortali, solo potente, subjicitur et filius in diversitate substantiæ, non ex Deo natus in Deum, sed per creationem susceptus in filium, non naturæ habens nomen, sed adoptionis sortitus appellationem; necesse est ut his omnibus careat Filius, quæ ad privilegium solitariæ in Patre majestatis sunt prædicata.

35. *Ariani unum verum Deum nesciunt. Cur. Quid duobus superioribus libris præstitum, quid jam præstandum.* — Nescit hæretica perversitas unum Deum verum nosse et confiteri; et extra impietatis sensum, confessionis hujus est et fides et intelligentia. Prius confitendus est (*b*) Pater et Filius, ut unus verus Deus possit intelligi : et cognitis sacramentis salutis humanæ, quæ in nobis per regenerationis virtutem in Patre et Filio (*c*) consummantur ad vitam, legis et prophetarum sunt mysteria consequenda. Unum Deum verum non apprehendit ignara evangelicæ et apostolicæ prædicationis impietas. Cujus quamvis intelligentiam, usque ad absolutissimam veræ pietatis professionem, ex ipsis (*d*) eorum doctrinis **127** præstabimus; ut indivisus atque inseparabilis, non ex persona, sed ex natura, subsistens ex Patre unigenitus intelligatur; et per id unus Deus sit, quia ex natura Dei Deus sit : tamen ex propheticis dictis perfectæ hujus unitatis fides est (*e*) exstruenda, et hinc evangelicæ domus sunt ponenda fundamina; ut per eamdem naturam divinitatis unius unus Deus per id intelligatur, quod in Deum alterum Deus unigenitus non refertur. Tenuimus enim omni hoc sermonis nostri libello eum ordinem, ut in quibus superiore libro Deum filium docueramus, in ipsis nunc Deum ex propheticis, evangelicis, apostolicisque testimoniis fidem adstrui, sed etiam ex Ecclesiæ confessione.

(*a*) In codice Vat. bas. adjicitur *suæ*. Hic indicatur epistola Arianorum ad Alexandrum.

(*b*) Exemplar Vat. bas., *verus Pater* : quod cum hujusmodi additiones alibi habeat, ab interpolatoris manu temeratum suspicari est. Cur in hæreticorum sensum non cadat Dei veri cognitio, sic ratio redditur lib. VIII, num. 6 : *Cum sapientia Christus sit, necesse est ut extra sapientiam sit, qui Christum aut ignorat aut odit.*

(*c*) Hic Spiritus sanctus fuerat nominandus, nisi tota esset nunc de Patre et Filio controversia. Sed suspicionem nullam relinquit libri II exordium.

(*d*) Illud *eorum* sic refertur ad *evangelicæ et apostolicæ prædicationis*, perinde ac si dictum esset, *evangelicorum et apostolicorum præconum*. Deinde non intelligendus est Filius a Patre etiam ex persona divisus ac separabilis, nisi quatenus hoc tantum sonat personæ utriusque distinctionem.

(*e*) In vulgatis, *astruenda*. In ms. Carn. a prima manu, *struenda;* a secunda autem, *instruenda*, unde et in unum Colb. transiit eadem lectio. Aptius in cæteris *exstruenda*.

verum ostenderemus. Et, ut (*f*) spero, ea dictorum omnium absolutio fuit, ut Deus verus intelligeretur, qui Deus esse non negabatur. Reliquus autem nunc omnis sermo ad id proficiet, ut qui Deus verus esse intelligitur, non in Deum alterum deputetur; et quod ad (*g*) alterum non proficit, ad unum intelligatur : unum autem illud non subsistentem naturam perimat in Filio, sed in Deo et Deo naturam Dei (*h*) conservet unius.

36. *Quod ex Moyse Filius cum Patre unus sit Deus.* — Veritatis ratio postulat, ab eo initium intelligentiæ istius sumi, per quem manifestari sæculo Deus cœptus est, (*i*) Moyse namque, cujus ore hæc de se unigenitus Deus professus est : *Videte, videte, quoniam ego sum Deus, et non est Deus præter me* (*Deut.* XXXII, 39). Ac ne forte dicti hujus (*j*) virtutem hæretica impietas ad patrem innascibilem Deum referat; et ipsa dicti ratio, et Apostolus auctor occurrit, qui ex persona unigeniti Dei, sicut superius (*lib.* IV, *n.* 33) docuimus, intelligendi totius hujus sermonis interpres est; et hoc quod dictum est, *Lætamini gentes cum plebe ejus* (*Deut.* XXXII, 43; *et Rom.* XVII, 10), proprium ejus esse demonstravit, subjiciens ad fidem dicti : *Et erit radix Iesse, et qui surget regere gentes, in eum gentes sperabunt* (*Ibid.*, 12). Demonstrato igitur per Moysen eo qui dixerat : *Non est Deus præter me*, in eo quod ait : *Lætamini gentes simul cum eo*; et Apostolo id ipsum (*k*) ad Dominum nostrum Jesum Christum unigenitum Deum intelligente, in quo secundum carnem ex radice Jesse surgente rege **128** gentium spes est, ipsa nunc dicti ratio tractanda est, ut quia dictum non ambigitur, quatenus dictum sit possit intelligi.

37. *Qui Deus ex Deo et in eadem natura.* — Verum et absolutum et perfectum fidei nostræ sacramentum est, Deum ex Deo, et Deum in Deo confiteri; non corporalibus modis, sed divinis virtutibus; nec naturæ in naturam transfusione, sed (*l*) mysterio et potestate naturæ. Non enim per desectionem aut pro-

(*f*) Verbum *spero* omittit ms. Vat. bas. Eodem sensu pro opinari usurpat Augustinus epist. CLVII, n. 22 : *Plures*, inquit, *Celestii sunt sectatores, quam sperare possumus.*

(*g*) Editi cum unico recentiore ms. Colb., *in alterum non proficit, id unum.* Post *ad alterum*, supple *constituendum*, vel *intelligendum;* et post *ad unum*, intelligere est *mentem referre*, aut *pertinere.*

(*h*) Unus e mss. Colb., *consummet*, quod etiam Carnut. secundis curis habet : minus ad mentem Hilarii.

(*i*) Excusi hic præferunt, *Moyses*, et post verbum *professus est*, adjiciunt *ait :* renitentibus mss. totoque contextu nonnihil abrupto. Malumus cum veteribus libris, *Moyse namque*, sine *ait*, hoc est, *nempe a Moyse.* Quippe *namque* pro *nempe* alias jam observavimus Hilario usitatum.

(*j*) Sic. mss. Editi vero, *veritatem.*

(*k*) Bad., Er. et Lips., *in Dominum.* Particula *in* expuncta est editione Par. Habent autem mss. *ad Dominum*, supple *referri*, vel *pertinere.*

(*l*) Illud *sed mysterio* illustrari potest his Ambrosii lib. IV de Fide, c. 9, n. 103 : *Generatio non in voluntatis possibilitate est, sed in jure quodam et proprietate paterni videtur esse secreti*, etc. Quod vero hic *mys-*

tensionem aut derivationem ex Deo Deus est, sed ex virtute naturæ in naturam eamdem nativitate subsistit. Res ipsas planius consequens liber evangelicorum atque apostolicorum dictorum interpres loquetur : sed interim ex lege et prophetis hoc, quod et loquimur et credimus, est docendum. Nativitas igitur Dei non potest non eam, ex qua profecta est, tenere naturam. Neque enim aliud quam Deus subsistit, quod non aliunde quam (*a*) ex Deo subsistit. Eamdem autem naturam (*b*) ita, non ut natus sit ipse qui genuit (nam quomodo erit ipse, cum genitus sit?), sed in his ipsis subsistat ille qui genitus est, (*c*) quæ totus est ipse qui genuit : quia non est aliunde quod genitus est. Et per hoc non refertur ad aliud, quod in unum subsistit ex uno : neque novum in se est, quod vivit ex vivo : neque abest a se, quod vivus genuit (*d*) in vivum. Ac sic in generatione Filii (1) et naturam suam (*e*) sequitur incorporalis atque indemutabilis Deus, incorporalem atque indemutabilem Deum gignens : nec naturam suam deserit ex incorporali atque indemutabili Deo incorporalis atque indemutabilis Dei perfecta nativitas, per hoc utique subsistentis ex Deo Dei sacramentum. Hæc ita unigenitus Deus per sanctum Moysen testatur : *Videte, videte, quoniam ego sum Dominus, et non est Deus præter me* (*Deut.* XXXII, 39). Non est enim natura divinitatis alia, (*f*) ut præter se Deus ullus sit. Nam cum ipse Deus sit, tamen etiam per naturæ virtutem in eo Deus est. Et per id, quod ipse Deus est et in eo Deus est, non est Deus præter eum : cum non exstet aliunde quod Deus est, et **129** in eo Deus sit, habens in se et quod ipse est, et (*g*) ex quo ipse subsistit.

38. *Individua Patris et Filii divinitas ex Esaia.* — Confirmat autem fidei nostræ veram et salutarem professionem idem atque unus in plurimis Spiritus prophetiæ, per successiones et intervalla temporum non demutans religiosæ doctrinæ prædicationem. Ut enim per Moysen ex persona unigeniti Dei dicta, pleniore ad intelligendum confirmarentur profectu ; rursum sermone Dei patris ex persona virorum excelsorum idem prophetiæ Spiritus per Esaiam loquitur : *Quoniam in te est Deus, et non est præter te Deus. Tu enim es Deus, et nesciebamus, Deus, Israel salvator* (*Esai.* XLV, 14, 15). (2) (*h*) Exserat se in hanc et naturæ et nominis inseparabilem professionem hæreticæ impietatis desperatus furor : et hæc, si potest, dictis ac rebus unita, rabido vesaniæ suæ ore concerpat. In Deo Deus est, et præter eum Deus non est ; dissolvat eum qui inest, ab eo in quo inest : et sacramenti hujus intelligentiam dividat (3) (*i*) generum varietate. Nam in eo quod ait, *In te Deus est*, naturæ Dei patris in Deo filio docuit veritatem, cum in eo Deus intelligeretur esse qui Deus est. In eo vero quod subjecit : *Et præter te non est Deus :* ostendit præter eum Deum non esse, quia in se Deo Deus inesset. Hoc vero quod tertium est, *Tu es Deus, et nesciebamus*, humanæ intelligentiæ piam et fidelem testatur professionem, quæ cognitis nativitatis mysteriis, et nomine (Emmanuel) ad Joseph per Angelum nuntiato confiteretur, *Tu enim es Deus, et nesciebamus, Deus Israel salvator :* subsistentem in eo Dei naturam (*j*) intelligentes, cum in Deo Deus insit, nec præter eum **130** qui est Deus quisquam Deus alius sit : quia ipse Deus, et in eo Deus, alterius nobis cujusquam Dei non relinquat errorem. Et hæc quidem Esaias, individuam atque inseparabilem Patris et Filii divinitatem testatus, ita prophetavit.

39. *Ex Jeremia idem evincitur.* — Jeremias vero non dispari prophetiæ virtute, indiscretæ a Deo patre naturæ unigenitum esse Deum ita docuit, dicens : *Hic Deus noster est, et non deputabitur alter ad eum.* (4) *Qui invenit omnem vitam scientiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc supra terram visus est, et inter homines conversatus est* (*Baruc.* III, 36). Quid alium Deum in filio Dei Deo hæretice supponis? Disce unum Deum verum intelligere et confiteri. Non alius Deus ad Christum deputatur ut Deus sit. Deus est ex natura, ex nativitate, ex Deo. Quod enim Deus est, ex Deo est, non etiam Deus alius est. Alius enim ad eum non deputatur ; quia non est in eo alia præter quam quæ Dei est veritas. Quid verum et non verum, quid degenerem et nobilem, quid diversum (*k*) et diversum sub unius Dei ementita religione componis? Deus

(1) *Et naturam suam, ut ita dixerim, sequitur.*
(2) *Inserat se.*
(3) *Generum veritate* abest a nostro exemplari.

(4) *Qui* non legitur in ms. quemadmodum neque in Græco.

terio naturæ ; lib. VI, n. 19, dicitur *sacramento substantiæ.*

(*a*) In excusis, *ex Deo Deus :* abundat vox *Deus*, neque exstat in mss. quorum in plerisque deinde, ut et paulo ante, *substitit.*

(*b*) Excusi hic addunt *inde :* nullo suffragante ms. Hujus vocis loco supplendum *tenet.* Expressius in Pratellensi codice, *Dei autem naturam ita obtinet :* etsi minus sincere. Hic Hilarius pro more præcludit locum suspicioni, ne Sabellio favere existimetur.

(*c*) Sic pervetusti codices Colb., Corb., duo Remig., tres Vaticani, Theod., Germ. etc. Alii vero nonnulli cum vulgatis, *in quibus totus est ipse qui genuit : quia non ex alio genitus. Neque aliud quam Deus est : quia non est aliunde*, etc.

(*d*) Particulam *in* adjecimus auctoritate mss. Sic et lib VII, n. 27 : *Non enim novum est, quod ex vivo generatur in vivum.*

(*e*) Hic in ms. Corb. superscriptum est, *ut ita dixerim*, quod et in vulgatis et in recentioribus mss. insertum fuit, sed non habetur in vetustioribus.

(*f*) Bad., Er. et Lips., *ut præter eam Deus alius sit.*

(*g*) Id est, ita in eo Pater est, ut habeat et id quod est, et id ex quo filius ipse subsistit.

(*h*) Carnut. ms. cum aliquot aliis, nec non Bad., Er. et Lips. *inserat se.*

(*i*) Abest *generum varietate* a veteribus libris Colb., Corb., Remig., Vind., etc. An ex margine in textum irrepsit?

(*j*) In vulgatis *intelligens.* At in mss. *intelligentes*, quod ad eos referendum, qui paulo ante dicunt, *nesciebamus.*

(*k*) Sic plerique mss. At qui Carnutensem recognovit, quod ad calcem hujus ac superioris libri verbo *emendavi* significat, non advertens hac lectione majorem esse membrorum antithesim, hic apposuit parti-

est pater, Deus est et filius. In Deo Deus est; præter eum Deus non est, non alter ad eum deputatur ut Deus sit. In his si unum magis quam solitarium Deum intelliges; Ecclesiæ religionem profiteberis, quæ Patrem in Filio confitetur. Sin vero unum Deum, ad solitarii significationem, sacramenti cœlestis ignarus obtendis; extra cognitionem Dei (*a*) es, Deum in Deo esse non confitens.

131-132 LIBER SEXTUS.

Statim ab exordio repræsentat Arianam luem per omnes ferme imperii Romani provincias grassantem : cujus difficillima cura sit, quia error ex plurimorum assensu publicam sibi auctoritatem comparasset. Episcopali tamen officio, et plurimos ad veritatem revocandi spe adductus Hilarius fidei patrocinium suscipit. Arianarum partium epistolam in quarto licet libro, ut eam ex lege et prophetis refelleret, exscriptam, in hoc rursum exscribit, ut eamdem ex Evangeliis et apostolis plenius confutet. Quam deinde percurrens, nodos illius explicat ac venenum pandit : qui videlicet, hæreticorum damnandorum obtentu, pias Ecclesiæ voces, Filium ex Deo prolatum, homousion, lumen de lumine, et sine initio genitum, supprimere tentent, et exstincta fide hæresim inducere. Quocirca quod apud hæreticos vitiosum est aperit, et ab Ecclesia damnari declarat, confirmatque quod in ea pie prædicatur.

Tum ex occasione humanæ rationis, qua compositum aut corporeum fore Deum volunt, si quod ex ipso *aut* ex utero *ipsius genitum esse Filium scriptum sit, eum ex paterna substantia intelligamus: observat primo hæresim audacem quidem esse, sed prudentia destitutam : deinde negari non posse, quin Christus dixerit,* Ex ipso sum ; *et, hoc dicendo, se neque ex nihilo, neque ex alia quam ex Patris substantia, neque cum eo ex quo est eumdem esse testificatus sit : demum nefas esse Deo non credere, adeoque humanæ rationi quæ Christi testimonio adversetur locum nullum esse; ac licet plura possent, aliud tamen ei opponi non debere. Hic commemorata hæreticorum sententia, qua Christum filium ex adoptione, ex nuncupatione Deum, unigenitum ex privilegio, et ex ordine quem in rebus creatis obtinet primogenitum interpretantur, ad Deum sese convertit conquerentis ad modum, quod se per Moysen et prophetas deceperit, et evangelicis apostolicisque doctrinis immedicabiliter imbuto, novos illos doctores tam tarde sibi protulerit.*

Tandem ad veram fidem stabiliendam venit. Et quia Christo inesse naturam Dei sequitur, si verus sit filius Dei ; postrema ac potissima hujus libri parte eum verum ac naturalem, et non adoptivum, Dei filium esse demonstrat testimonio Patris, Filii ipsius, apostolorum in unum conspirantium, ac seorsim Petri, Pauli, Joannis ; nec non Marthæ, cæci nati, dæmonum, Judæorum, quorumdam in mari periclitantium, gentium denique confessione.

1. *Hæresis Ariana late serpens ægre depelli potest.* — Non sum nescius, difficillimo me asperrimoque tempore scribere hæc adversum vesanam impiorum hæresim, Dei filium creaturam esse affirmantem, aggressum fuisse; multis jam per omnes ferme Romani imperii provincias ecclesiis morbo pestiferæ hujus prædicationis infectis, et velut ad piæ fidei hujus male usurpatam persuasionem, longo doctrinæ usu, et ementito nomine veræ religionis imbutis, non ignorans difficilem esse ad emendationis profectum voluntatem, quam in erroris sui studio per plurimorum assensum auctoritas publicæ jam sententiæ contineret. Gravis enim et periculosus est error in plurimis : et multorum lapsus, etiamsi se intelligat, tamen exsurgendi pudore auctoritatem sibi præsumit, ex numero habens hoc (*b*) impudentiæ, ut quod errat, prudentiam velit existimari ; et quod cum multis errat, intelligentiam esse asserat veritatis, dum minus erroris esse existimatur in multis.

133 2. *Ad eam refellendam quid Hilarium moveat.* — Ac mihi quidem præter studii mei atque officii necessitatem, qua hoc (*c*) Ecclesiæ episcopus prædicationis evangelicæ debeo ministerium ; tamen eo propensior cura ad scribendum fuit, quo magis plures periculo infidelis intelligentiæ detinebantur ; uberius gaudium consectans ex salute multorum, si cognitis sacramentis perfectæ in Deum fidei, impia humanæ stultitiæ instituta desererent, et se Deo rederent hæreticis repudiatis, atque a cibo mortis, quo in laqueum aves solent illici, in volatum se liberæ securitatis erigerent; sequerenturque Christum ducem, prophetas nuntios, Apostolos prævios, fidem consummatam, et salutem in Patris et Filii confessione perfectam ; et cum dictum meminissent ore Domini : *Qui non honorificat Filium, non honorificat*

(*a*) In mss. Colb. et Germ. *etiam*, loco verbi *es*. Hic *sacramenti cœlestis ignarus* prædicatur, qui Deum veri filii verum patrem esse ignorat : quod qui nescit, nomen Dei nondum scire sæpius affirmatur.

(*b*) Ms. bas. Vat. *imprudentiæ*. Ne quis forte ex libri hujus initio animum inducat, veram fidem tunc temporis in toto pene orbe fuisse exstinctam ; recolendum est quod Socrates ait lib. II, c. 27 : *Achaiæ et Illyrici civitates, et reliquæ Occiduarum partium Ecclesiæ, tranquillæ adhuc erant et inconcussæ: tum quod inter se consentirent, tum quod fidei regulam a Nicæno concilio traditam constantissime retinerent.* Sic quoque Lucifer Calarit. lib. Moriendum esse pro Dei Filio imperatorem interpellat : *Omnes momento si peragrare posses gentes, invenisses stolidissime Imp. ubique Christianos sicuti nos credere... At tua novella prædicatio et recens religio, sub prætextu fidei blasphemia in perniciem salutis tuæ per te prolata, non solum adhuc limitem Romanum peragrare non valuit*, etc. Imo Hilarius ipse, superiore libro, n. 30, hæreticos provocat ad fidem universæ Ecclesiæ, in qua *omne os credentium Christum Deum loquitur.*

(*c*) In nonnullis mss. exprimitur hic particula *ut*, quæ non male in aliis reticetur.

Patrem qui misit illum (*Joan.* v, 23), ad honorificandum Patrem per honorem Filii se referrent.

3. *Hæresis Arianæ lues.* — Emersit enim pestifera et letalis populis (*a*) proxime lues, quæ ingenti grassata contagio ruinam miserandæ mortis invexit. Non enim tantum aut considentium (*f.* concidentium) in chaos cum populis suis repens urbium vastitas, aut frequentes bellorum et funebres mortes, aut immedicatæ ægritudinis populosa contagia desævierunt, in quantum ad exitium generis humani hæresis hæc funesta grassata est. Deo enim, cui omnia in mortuis vivunt, hoc solum perit quod sibi deperit. Nam judicaturus ipse de omnibus, et pro majestatis suæ misericordia pœnæ meritum ignoranti moderaturus errori, negantes se non jam judicabit utique, sed negabit (*Matth.* x, 33; *vid. Tr. psal.* CXL, *n.* 8).

4. *Quam subdole virus suum effundat.* — Negat enim, negat furens hæresis sacramentum veræ fidei, ad impietatis suæ doctrinam religionis usa principiis, cum infidelitatis suæ expositionem, ut superioribus libris continetur, ita cœpit : « Novimus unum Deum solum infectum, solum sempiternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem, solum optimum, solum potentem. » Ad id enim usurpatum proficit piæ confessionis exordium, quo ait : « Unum Deum, et solum infectum, et solum sine initio : » ut per hæc, quæ religiose verbis ostentarentur, cætera impie subderentur. Nam post multa alia, quæ de Filio pari quoque simulatæ religionis **134** professione protulerat, subjecit : « Creaturam Dei perfectam, sed non (1) sicuti unum de creaturis; facturam, sed non sicuti cæteræ facturæ. » Et post multa alia, quibus, veritatis interjectis confessionibus, (*b*) hæreticæ impietatis obumbraretur intentio, ut subsistere eum de non exstantibus argutæ interpretationis subtilitate defenderet, ait : « Et ante sæcula creatus et fundatus, non erat ante quam nasceretur. » Postremo quasi rebus jam omnibus validissime ad impietatis (*c*) defensionem communitis, ne vel filius vel Deus intelligeretur, adjecit, « Si enim quod *ex ipso*, et quod *ex utero*, et quod *ex Patre exivi et veni*, velut partem ejus unius substantiæ, et quasi prolationem extendens intelligitur; compositus erit Pater, et divisibilis, et convertibilis, et (*d*) corpus secundum illos, et quantum in ipsis est, consequentia corporis sustinens sine corpore Deus. » Et quia nobis ex integro adversum hanc impiissimæ doctrinæ expositionem evangelicus nunc erit sermo; consequens existimavimus omnem jam (2) (*e*) in primo licet libro editionem hujus hæresecos conscriptam, nunc quoque huic sexto inserere : ut recens lectio, et responsionis ad singula subjecta collatio, per evangelicas atque apostolicas institutiones invitis licet et contradicentibus sensum veritatis eliciat. Dicunt ergo.

(3) (*f*) *Exemplum blasphemiæ.*

5. *Arii et asseclarum ejus ad Alexandrum epistola.* — « Novimus unum Deum, solum infectum, solum sempiternum, solum sine initio, solum immortalitatem habentem, solum optimum, solum potentem, omnium creatorem, ordinatorem et dispositorem inconvertibilem, immutabilem, justum et optimum legis et prophetarum et novi Testamenti. Hunc Deum generasse filium unigenitum ante omnia sæcula, per quem et sæculum et omnia fecit. Natum autem non putative, sed vere obsecutum voluntati suæ, immutabilem et inconvertibilem, creaturam Dei perfectam, sed non (4) sicuti unum de creaturis; facturam, sed non sicuti cæteræ facturæ; nec ut Valentinus prolationem Natum Patris commentatus est; nec sicut Manichæus partem unius substantiæ **135** Patris Natum exposuit; nec sicuti Sabellius, qui unionem (*g*) dividit, ipsum dixit Filium quem et Patrem; sed nec sicuti Hieracas lucernam de lucerna, vel lampadem in duas partes; nec qui fuit ante, postmodum natum vel supercreatum in filium, sicuti et tu ipse, beatissime papa, media in ecclesia et in consessu frequenter eos qui talia introducunt renuisti : sed sicuti diximus, voluntate Dei ante tempora et sæcula creatum, et vivere et esse accipiens a Patre, et (5) (*h*) glorias ei consubsistente Patre. Neque enim Pater dans ei omnium hæreditatem, fraudavit semetipsum ab his quæ non facta ab ipso habentur : fons est autem omnium.

6. « Quapropter tres substantiæ sunt, Pater, Filius, Spiritus sanctus. Et quidem Deus causa est omnium, omnino sine initio solitarius. Filius autem

(1) *Sicuti unum de creatura.*
(2) *In quarto* legebatur in nostro codice; sed antiqua manu emendatum est *in primo.*
(3) Hæc epigraphe deest in nostro codice.
(4) Hic repetit *sicuti unum de creatura.*
(5) *Glorians.*

(*a*) In vulg. *proxima.* At in mss. *proxime*, quod refertur ad *emersit.* Ita lib. I, n. 23, Arii ad Alexandrum epistola dicitur *non olim* edita.

(*b*) Editi, *hujus hæreticæ.* Rectius abest *hujus* a mss.

(*c*) Sic mss. Editi vero, *professionem.*

(*d*) Editi hic, *corporeus*; et, infra, *corpus.* Magis sibi constant mss.

(*e*) Recentiores mss. cum vulgatis, *in quarto licet.* Duo Vaticani, *in primo vel quarto licet libro.* Antiquiores autem, iique numero plures, *in primo licet libro.* Quæ lectio nobis eo sincerior visa est, quo in mentem eorum minus cadat, qui antiquos ex conjecturis corrigunt. Cui favet quod liber superior, n. 3, non *quintus* sed *secundus* appelletur; et hoc, uti diximus, quia secundus est contra perfidam Arianorum fidei professionem. Quamquam sub alio respectu hic ipse liber proxime *sextus* nuncupatur, Erasmus hic ad marginem adscripserat, *Ego vero non dubito quin legendum sit in quatuor libris*, eique postea subscripsit Lud. Miræus. Nimirum non adverterunt sermonem hic haberi de perfida Arianorum epistola, quæ hactenus unico, non quatuor libris edita est.

(*f*) Hanc epigraphen in prius vulgatis omissam restituimus ex potioribus mss.

(*g*) Editi, qui, lib. IV, præferebant *unionem inducit*, hic exhibent *unionem dividens* : utrobique refragantibus mss.

(*h*) In vulgatis, lib. IV, *gloriari*, hic vero cum omnibus mss. *glorians* : sed errore librariorum litteram *n* adjectam jam monuimus (*col.* 106, *not.* j *editionis nostræ.*)

sine tempore editus a Patre, et ante sæcula creatus et fundatus, non erat ante quam nasceretur : sed sine tempore ante omnia natus, solus a solo (*a*) Patre (1) substitit. Nec enim est æternus aut coæternus, aut simul non factus cum Patre (*b*), nec simul cum Patre habet esse, sicuti quidam dicunt, aut aliqui, duo non nata principia introducentes : sed sicut unio et principium omnium, sic et Deus ante omnia est. Propter quod et ante Filium est, sicut et a te didicimus media in ecclesia prædicante. Secundum quod itaque a Deo esse habet, (*c*) et glorias, et vivere, et omnia ei sunt tradita ; secundum hoc, principium ejus est Deus. Principatur autem ei, utpote Deus ejus, cum sit ante ipsum. Si enim quod *ex ipso*, et quod *ex utero*, et quod *ex Patre exivi et veni*, velut partem ejus unius substantiæ et quasi prolationem extendens intelligitur ; compositus erit Pater, et divisibilis, et convertibilis (2), et corpus secundum illos, et, quantum in ipsis est, consequentia corporis sustinens sine corpore Deus (*d*).»

7. *Venenum in hac epistola latens.* — Quis non his sentiat lubricos serpentinæ viæ flexus, vel (*e*) tortuosis spiris nodos vipereos non intelligat, quibus venenati oris **136** principalis potestas collecto inflexi corporis orbe concluditur ? Sed extensis omnibus atque absolutis, totum occultati capitis virus patebit. Ingeruntur enim nobis primum nomina veritatis, (3) (*f*) ut virus falsitatis introeat. Bonum in ore est, ut de corde malum subeat. Et inter hæc nusquam audio ab his Deum Dei filium dici : nusquam Filium invenio ita prædicatum esse, quod filius sit. Nomen filii ingeritur, ut natura taceatur ; natura adimitur, ut nomen alienum sit. Hæreses cæteræ prætenduntur, ut de se hæresis mentiatur (*Idem notat Athanas. Or.* I, *p.* 313). Unus solus Deus et solus verus ingeritur, ne verum ac proprium Dei filio relinquatur esse quod Deus est.

8. *Quid jam sibi tractandum proponat Hilarius.* — Quamquam igitur superioribus libellis (*scil.* IV *et* V) de Deo et Deo, et Deo vero ac Deo vero, et in Deo vero patre et in Deo vero filio uno vero Deo intelligendo secundum naturæ unitatem, non secundum personæ unionem, ex legis et prophetarum prædicationibus docuerimus ; tamen perfecta (4) fidei hujus absolutio ex evangelicis atque apostolicis est præstanda doctrinis, ut verus Dei filius Deus non alienæ a Patre diversæque naturæ, sed ejusdem esse divinitatis, per veritatem nativitatis existens, possit intelligi. Nec sane quemquam tam amentem posse esse existimo, qui Dei de se professiones aut cognitas non intelligat, aut intellectas a se (*g*) nollet intelligi, aut emendandas putet humanæ opinione prudentiæ. Sed antequam res ipsas salutarium sacramentorum loqui (5) incipiamus ; ne in aliquo sibi, editis hæreticorum nominibus, hæresis professio blandiatur, demonstrandum est omne hujus argutæ malitiæ velamen : ut per quod se virus latens contegit, per id ipsum (6) proditum (*h*) sit et revelatum, et ad blandientis veneni intelligentiam publicæ conscientiæ sensus introcat.

9. *Valentini commenta. Ecclesia ab his aliena. Prolationis nomine hæretici nativitatem nituntur abolere.* — Volentes igitur hæretici Dei filium non ex Deo esse, neque (*i*) de natura et in natura Dei ex Deo Deum natum, cum jam superius commemorassent *unum Deum solum* **137** *verum*, neque adjecissent *et patrem ;* ut unius veritatis esse Patrem et Filium exclusa proprietate nativitatis negarent, dixerunt, « Nec ut Valentinus prolationem Natum Patris commentatus est : » ut sub specie hæreseos (*j*) Valentinæ, nomine prolationis improbato, nativitatem Dei ex Deo improbarent. Valentinus enim ridicula quædam et fœda commentans, cum præter principem Deum, familiam deorum et numerosas (7) (*k*) æternitatum potestates introduxisset, (8) tunc prolatum Dominum nostrum Jesum Christum mysterio occultæ voluntaalteri autem, *totum occultati capitis virus :* quæ quoniam obtinuit, nec a nobis mutatur.

(1) *Subsistit.*
(2) *Et mutabilis*, ut supra in quarto libro, etiam hic antiqua manu adjectum est in nostro exemplari.
(3) *Ut vires falsitatis introeant.*
(4) *Fidei hujus absolutio evangelicis atque apostolicis est prædicanda doctrinis.*
(5) *Incipimus.*
(6) *Proditum et revelatum, ad blandientis*, etc.
(7) *Ætatum.*
(8) *Tum prolatum.*

(*a*) In antiquissimis mss. S. Martini Turon., Vat. bas. et Colb. *a solo substitit :* non male, si lib. IV sibi constarent. In græco autem, ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπέστη, omisso *solo*.

(*b*) Editi hic adjiciunt, *fuit semper ;* quod lib. IV melius omittunt, ibi et hic consentientibus mss.

(*c*) In vulgatis, *et gloriari*. In ms. Vat. bas., *et glorians et vivens :* in aliis, *et glorians et vivere :* idem mendum quod supra.

(*d*) In uno ms. post vocem *Deus*, subjicitur, *Veritas :* additio manus alienæ, qua sancti Doctoris verba ab hæreticorum dictis secernantur.

(*e*) Editi, *tortuosi spiritus :* castigantur ex mss. Eadem similitudine fallaces hæresis Arianæ technas sic repræsentat Athanasius, Or. II contra Ar. p. 316 : *Qui ista hæresis non digna odio fuerit, cum illa per diffidentiam a suis etiam occultetur, et quasi serpens foveatur !*

(*f*) Ita perpauci recentiores mss. cum vulgatis. Cæteri vero habent, *ut vires falsitatis introeant*. Huic lectioni favet illud, *venenati oris principalis potestas;*

(*g*) Editi, *nolit intelligi :* et mox, *humanæ opinionis prudentia*. Concinnius optimus codex Colb. cum Corb., etc., *nollet :* ac postea suffragantibus Mart. et Carn., *humanæ opinione prudentiæ*. Humanam prudentiam, quæ variis opinionibus incerta fluctuat, fidei certitudini numquam præponendam constanter inculcat.

(*h*) Mss. *proditum, et revelatum, ad blandientis*, etc.

(*i*) Illud *de natura*, id est, *de substantia*.

(*j*) Excusi, *Valentinianæ* : renitentibus mss. Sic lib. II, n. 4, vulgatis etiam consentientibus, legere est *Valentinos*, non *Valentinianos*. Ita et in libro de Synodis *Arii* non *Ariani* ipsius Arii fautores nuncupantur, et supra, lib. V, n. 25, in aliquot probæ notæ mss. exhibetur *Sabellia hæresis*.

(*k*) In quibusdam mss. *ætatum*. In aliis nonnullis, *vanitatum*. Rectius in cæteris libris, *æternitatum :* quod latinum nomen est vocis græcæ *αἰών*, ex qua *æones* denominati sunt.

tis asseruit. Hanc ergo inanem prolationem, temerarii ac stulti auctoris furore quæsitam, evangelica atque apostolica Ecclesiæ fides nescit. Ignorat enim Valentini (1) (*a*) bythona, et silentium, et ter denos æonas : (*b*) scit vero nihil aliud quam unum Deum patrem ex quo omnia sunt, et unum Dominum nostrum Jesum Christum per quem omnia, natum ex Deo Deum. Sed quia ex Deo Deus (*c*) natus, neque per nativitatem suam Deo ademit esse quod Deus est, neque ipse in nativitate non Deus est; et quod Deus est, non cœpit esse, sed natus (*d*) ex Deo est; et quod nascitur,, id ipsum secundum humanæ naturæ sensum videtur esse prolatum, ita ut prolatio ipsa nativitas esse existimetur : idcirco tentatum est per Valentini hæresim prolationis nomen excludi, ne nativitatis veritas permaneret; quia prolationis intelligentia, opinione terrena, non multum esset a natura terrenæ nativitatis aliena. Naturæ humanæ tarda ac difficilis ad res divinas intelligentia exigit, de his, quæ semel dicta a nobis sunt (*lib.* I, *n.* 10 *et lib.* IV, *n.* 2), frequentius admoneri, ne satisfacere sacramentis divinæ virtutis, humanæ comparationis exempla credantur; sed tantum ad imbuendum spiritaliter de cœlestibus sensum, speciem terreni generis afferri, ut per hunc naturæ nostræ gradum ad intelligentiam divinæ magnificentiæ provehamur. **138** Non est autem secundum humanarum nativitatum prolationes, Dei nativitas æstimanda (*al.* existimanda). Ubi enim unus ex uno est, et Deus natus ex Deo est, affert tantum significationis intelligentiam terrena nativitas : cæterum non satisfacit comparationis exemplo origo nascentium, quæ habet in se et coitum, et conceptum, et tempus, et partum; cum Deus ex Deo natus nihil aliud intelligendus sit esse, quàm natus. Et quidem de divinæ nativitatis, secundum fidem evangelicam atque apostolicam, veritate suo loco tractabimus : interim tamen hæreticæ artis ingenium ostendi debuit, quæ, ad veritatem nativitatis abolendam, prolationis nomen exstingueret.

10. *Manichæum damnant, ut* ὁμοούσιον *removeant. Ecclesia nescit in filio portionem Dei, sed plenitudinem.* — Tenet vero etiam in cæteris ejusdem artis suæ malignam fraudulentiam, dicens : « Nec sicut Manichæus partem unius substantiæ Patris Natum exposuit. » Negata superius prolatio est, ut nativitas negaretur : nunc quoque sub Manichæi nomine (*e*) neganda unius substantiæ infertur et portio, ne Deus ex Deo esse credatur. Manichæus enim abrupti in improbanda lege ac prophetis furoris, et diaboli quantum in se est professus assertor, et (2) (*f*) solis sui nescius cultor, id quod in Virgine fuit, portionem unius substantiæ prædicavit, et id Filium intelligi voluit, quod ex Dei substantia parte aliqua deductum apparuerit in carne. Ut igitur unigeniti filii nativitas, et unius substantiæ nomen tolleretur, portio unius substantiæ in nativitate Filii prætenditur : ut quia profane ea, quæ ex portione unius substantiæ nativitas asserta est, prædicatur; primum nativitas ipsa non esset, quæ in Manichæo esset ex portionis professione damnata; tum deinde nomen ac fides unius substantiæ tolleretur, quia apud hæreticos ex portione competeret; et per id non ex Deo Deus esset, (*g*) quod in eo divinæ naturæ proprietas non inesset. Quid vesanas sollicitudines **139** mentita religionis specie impius furor simulat? Manichæum, secundum hæreticæ insaniæ prædicatores, (*h*) pia Ecclesiæ fides damnat. Nescit enim in Filio portionem : sed scit Deum totum ex Deo toto : scit ex uno unum; non desectum, sed natum : scit nativitatem Dei nec diminutionem esse gignentis, nec infirmitatem esse nascentis. Si ex se scit, infer calumniam (3) (*i*) temerarie usurpatæ scientiæ : si vero de Domino suo didicit, nativitatis suæ scientiam permitte

(1) *Bythonam.*
(2) *Soli sui.*

(3) *Temere.*

(*a*) Ita cum ms. Corb. In aliis vero, *bythonam.* At in prius vulgatis, *bythonas:* male. Unum enim *bythum*, id est, *profundum* (quod Epiphanio teste hær XXXI, n. 2, Hesiodi *chaos* erat), non plures admittebat Valentinus, ut cernere est apud Irenæum lib. I, c. 1, Tertullianum de præscript. cap. 49, Epiphan. hær. XXXI, Philastrium, etc. Fabulas illius ita paucis complectitur Tertullianus loco citato: *Dicit in primis esse bython et silentium, ex his processisse semen mentem et veritatem; ex quibus erupisse verbum et vitam; de quibus rursum creatum hominem et Ecclesiam* (en primam æonum ogdoadem); *sed enim ex his quoque processisse 12 æonas, de sermone autem et vita alios 10, hanc esse æonum triacontada*, etc. *Bython* autem apud antiquos in quarto casu sic accepisse videtur Hilarius ut in recto, quasi βυθὼν βυθῶνος : ex quo conficere ei licuit, *bythonam*, quomodo in Matth. c. 16, n. 4, et c. 26, n. 5, *theothetam.*

(*b*) Sic mss. Editi vero, *nescit enim aliud.*

(*c*) Verbum *natus* in ante editis omissum restituitur ex mss.

(*d*) In prius vulgatis, *ex Deo Deus est :* abundat vox *Deus*, et abest a mss. Filius negatur cœpisse; quia ex Deo natus, non factus, substantiam ac naturam Dei obtinet, cujus nullum est initium.

(*e*) Sola editio Par. *negando:* mendose. Quod autem hic *unius substantiæ portio*, græca lingua, qua primum edita hæc epistola, dicitur, μέρος ὁμοούσιον. Unde liquet Arianos vocabulum ὁμοούσιον non post Nycænam synodum tantum, sed et ante, valde extimuisse. Hoc enim rursum explodere conantur, ubi aiunt : *Si enim quod ex ipso, velut partem ejus unius substantiæ*, græce τοῦ ὁμοουσίου.

(*f*) In Editis, *solius sui.* In uno ms. Remig. *solus sui.* Melius in aliis, *solis sui.* Manichæi enim, uti tradit Augustinus ad Quodvultdeum, hær. XLVI, *orationes faciunt ad solem per diem quaquaversum eis circuit, Lucemque istam corpoream*, inquit superius, *Dei dicunt esse naturam.* Porro hic *nescius cultor* idem est quod *ineruditus cultor.* Ideo autem, puto, ait Hilarius, *solis cultor* adjuncto *sui*, quia sol propter hominem, non propter solem homo.

(*g*) Vat. bs. ms. *neque in eo divinæ naturæ proprietas inesset. Quid vesanas similitudines*, etc., libris aliis ne hic præleratur.

(*h*) Editi, *piæ.* At mss. *pia*, hoc est, fides quæ pio ac sano sensu homousion prædicat, Manichæum non secus damnat, atque ipsi Ariani. Sic enim sibi velle videtur, *secundum hæreticæ insaniæ prædicatores.* Nam *secundum*, pro *ad instar* seu *æque ac*, Hilario usitatum esse jam observavimus.

(*i*) Ita mss. Colb. ac Germ. In plerisque aliis, *te-*

nascenti. Hæc enim ita ei a Deo unigenito comperta sunt, quod Pater et Filius unum sunt, quod plenitudo deitatis in Filio est: per quod et portionem unius substantiæ (*a*) odit ad Filium, et per nativitatis veritatem, veræ divinitatis proprietatem veneratur in Filio. Sed (*b*) reposita pleniore singularum responsionum absolutione, per reliqua curramus.

11. *Sabellium respuunt, ut naturæ in Patre et Filio unitatem auferant.*— Namque id sequitur: « Nec sicut Sabellius, qui unionem dividit, ipsum dixit Filium quem et Patrem. » Ignorat evangelica atque apostolica sacramenta sic credens Sabellius. Sed hoc non simpliciter ab hæreticis (*c*) in hæretico damnatur. Volentes enim nihil inter Patrem et Filium esse unum, divisæ a Sabellio unionis crimen exprobrant: cujus unionis divisio non nativitatem intulit, sed eumdem divisit (1) (*d*) in Virgine. Nobis autem in confessione nativitas est: et unionem detestantes, unitatem divinitatis tenemus; scilicet ut Deus ex Deo (*e*) unum sint in genere naturæ, dum quod per nativitatis veritatem ex Deo in Deum exstitit, non aliunde quam ex Deo esse substiterit. Quod autem non aliunde quam ex Deo manet, maneat necesse est in ea veritate qua Deus est: ac per hoc unum sunt, cum qui ex Deo Deus est, neque aliud ipse est, neque aliunde quod Deus est. Idcirco autem unionis in Sabellio impietas prætenditur, ut (*f*) Ecclesiæ fidei unitatis religio **140** auferatur. Persequar deinde et cætera hæretici ingenii artificia, ne forte suspiciosis magis quam veris sollicitudinibus, malevolus interpres alienæ simplicitatis existimer: ostensurus totius professionis (*g*) conclusione, in quem se exitum præmissio tam subdoli sermonis instruxerit.

12. *Lumen ex lumine Filium Hieracas prave intelligit. Qui intelligat Ecclesia.*— Id enim sequitur: « Sed nec sicut Hieracas, lucernam de lucerna, vel lampadem in duas partes. Nec qui fuit ante, postmodum natum vel supercreatum in filium. » Hieracas nesciens Unigeniti nativitatem, nec evangelicorum sacramentorum virtutem adeptus, unius lucernæ duo lumina prædicavit, ut lychnorum bipertita divisio substantiam Patris et Filii æmularetur, quæ ex unius vasculi unguine accenderetur in lumen: tamquam esset substantia exterior, (*h*) ut olei in lucerna, continens luminis utriusque naturam; vel certe ut lampas papyro (*i*) eodem intexta, utroque capite luceret, esseque media materies lumen ex se utrumque protendens. Hæc stultitiæ humanæ error invexit, dum quod sapiunt, ex se potius quam ex Deo sapiunt. Sed quia veræ fidei professio est, ita Deum ex Deo natum ut lumen ex lumine, quod sine detrimento suo naturam suam præstat ex sese, ut det quod habet, et quod dederit habeat, nascaturque quod sit; cum non aliud, quam quod est, natum sit; et nativitas acceperit quod erat; nec ademerit quod accepit; sitque utrumque unum, dum ex eo quod est nascitur, et quod nascitur, neque aliunde, neque aliud est; est enim lumen ex lumine: ut ergo fidei hujus intelligentia averteretur, Hieracæ lampas vel lucerna ad crimen confitendi ex lumine luminis objecta est; ne dici religiose existimetur, quod impie dictum et nunc et ante damnatum est. Absiste, absiste inanissime timor hæreticorum, nec patrocinium ecclesiasticæ fidei falsa sollicitæ assertionis opinione mentire. Nihil corporale **141** secundum nos, nihil (2) (*j*) inanimum in Dei rebus est: quod Deus est, Deus totum est. Nihil in eo, nisi virtus, nisi vita, nisi lux, nisi beatitudo, nisi spiritus est. Materies hebetes natura illa non recipit, neque ex diversis constat ut maneat: Deus, ut est Deus, quod est permanet: et permanens Deus Deum

(1) *In Virginem.*

(2) In anteriori, *inanium.*

mere: in Carn. et Mart., *temeritate.* In vulgatis autem, *temeritati.*

(*a*) Bad. *adit.* Er., Lips. et Par., *addit:* emendant mss. Odit quippe Ecclesia portionem, quæ amat et prædicat in Filio deitatis plenitudinem.

(*b*) In editis, *seposita.* In ms. Carn., *deposita.* Magis placet cum Colb., Silv. et Germ., *reposita*, hoc est, *dilata.*

(*c*) Apud Par. desideratur, *in hæretico.* Propria atque omnibus nota in hoc erat Sabellii hæresis, quod unionem in Deo prædicaret; at quod unionem in Christo divideret, minus innotescebat. Hoc autem fraudulenter, non illud, exprimunt hæretici; ut catholicos unionem in Deo detestantes, et distinctarum personarum in natura æqualitatem profitentes, cum Sabellio pariter damnent.

(*d*) Mss., *in Virginem.* Cum *unio* ad personas referri soleat; hoc per se sonat, personam in Christo non fuisse singularem, ut explicuimus col. 106, not. *j* hujus editionis, sic tamen potius intelligendum videtur; ut Sabellius unionem in Virgine diviserit, quatenus post susceptam in ea carnem eidem Deo patris ac filii nomina adscribere cœperit, nominum augens numerum, non personarum.

(*e*) Par., *unum sit.* Rectius in aliis libris, *unum sint:* ut *Deus ex Deo* et fontem divinitatis Patrem, et Filium qui ex eo originem ducit significet. Ex quo mox concluditur, *ac per hoc unum sunt.*

(*f*) Tres Vat. mss. et Silv., *ecclesiasticæ fidei.* Hæresi hic opponitur Ecclesia: cujus fidei est unitatis religio, quia unitatem in Trinitate et credit et veneratur.

(*g*) Editi, *conclusionem:* emendantur ex scriptis.

(*h*) In vulg., *ut oleum.* At in mss., *ut olei*, tacita voce *substantia.* In hac sententia datur substantia Patri et Filio prior, quæ ab utroque participata sit: quo sensu reprobatur homousion lib. IV, num. 4.

(*i*) Sola editio Par. *papyro eidem.* Papyrus vel papyrum est herba Nilotica, cujus usus non unus fuit. Ex eo conficiebantur chartæ, vela, tegetes, funes nautici, etc. Usus quoque ejus ad cereos ac lampades meminit Gregorius Papa, l. I Dial. c. 5: *Omnes lampades ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio papyrum posuit.* Gregorius Turon. de Vitis Patrum c. 8, mentionem facit cicindilis, *in quo nec papyrus addita, nec olei gutta stillantis adjecta.* Demum Paulinus Nat., 3:

Clara coronantur densis altaria lychnis,
Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Hinc Joanni de Janua, *papyrus dicitur quasi parans pyr, id est, ignem*: subtilius forte, quam verius.

(*j*) Editi, *inane.* Ms. Corb. a prima manu, *inanimum:* a secunda cum cæteris, *inanium:* qua voce negatur Deus *consequentia corporis* sustinere: sicut antea probatur non esse corpus, in quo *nihil corporale* asseritur.

genuit. Non continentur, ut lampas et lampas, aut lychnus et lychnus, exteriore natura. Unigeniti ex Deo Dei nativitas non series est, sed progenies, non tractus est, sed ex lumine (1) lumen. (*a*) Luminis naturæ unitas est, non ex connexione porrectio.

13. *Dei ex Deo nativitas impugnata, asseritur.* — Jam vero in eo quanta hæreticæ astutiæ et quam callida professio fuit : « Nec qui fuit ante, postmodum natum vel supercreatum in filium. » Deus, qui ex Deo natus est, non utique natus ex nihilo est, neque de non exstantibus natus est; sed nativitatis suæ viventem habuit naturam. Nec idem Deus, qui erat; sed Deus ex Deo, qui erat, natus est : et nativitas habuit originis suæ in ipsa sua nativitate naturam. (2) Si ex nostro loquimur, insolentes sumus : sin vero ad loquendum edoctos nos per Deum docebimus, nativitas Dei secundum doctrinam Dei est confitenda. Hanc igitur in Patre et Filio naturæ unitatem, et hoc viventis nativitatis inenarrabile sacramentum excludere hæreticus furor tentans ait, « Non eum, qui fuit ante, postmodum natum vel supercreatum in filium. » Quis enim tam vesanus erit, ut defecisse a se Patrem putet; ut idem, qui fuerat, postea nasceretur vel supercrearetur in filium; et esset abolitio Dei, ut succederet de abolitione nativitas, cum nativitas manentem testetur auctorem? Vel quis tam demens est, ut substitisse filium nisi ex nativitate fateatur? Quis porro tam vecors, qui non exstitisse Deum ex eo quod Deus nascitur audeat prædicare? Non enim qui manebat Deus, sed ex manente Deo Deus natus est, tenens in se naturam gignentis in nativitate naturæ. Nativitas autem Dei, quæ ex Deo in Deum exstitit, non quæ non **142** erant tenet, sed (*b*) quæ Dei manebant et manent, obtinuit veritate nascendi. Non ergo qui (*c*) erat natus est; sed ex his atque in his, quæ Dei erant, Deus natus exstitit. Omnis igitur hic superior hæreticæ fraudulentiæ sermo hanc viam impiissimæ doctrinæ suæ præparavit : ut Unigenitum Deum negatura, tamquam ratione veritatis ante præmissa, ex nihilo potiusquam ex Deo natum prædicaret, nativitatem ejus ad creationis referens de non exstantibus voluntatem.

14. *Qua arte Filium ex nihilo innuant.* — Denique post multa ad id tamquam ex præparato sibi aditu prorupit dicens : Filius autem sine tempore editus et ante sæcula creatus et fundatus, non fuit antequam nasceretur. Temperavit se, (*d*) quantum putat, hæreticus sermo et ad impietatis confirmationem, et ad calumniæ, si quæstio intenderetur, excusationem, dicens : *non erat antequam nasceretur* : ut in eo quod non fuit (*e*) antequam nascitur, naturam ei subsistentis originis denegaret, et cœpisset esse de nihilo, cui ante nativitatem suam existens non daretur auctoritas : tum porro si irreligiose hoc dictum existimaretur, adesset ei prompta defensio, (*f*) quia nasci qui erat non potuit; neque qui antea esset, nascendi causam (*g*) per quam esset habuisset; cum nativitas ad id proficiat, ut subsistat esse qui nascitur. O stulte atque impie, quis nativitatem exspectet in eo, qui sine nativitate subsistat? Aut quomodo qui est nasci existimandus est, cum nativitas natura nascendi sit? Sed subdole ad negandam ex Deo patre unigeniti Dei nativitatem contendens, per id quod *non fuit ante quam nasceretur* evadere voluisti; (*h*) quod Deus, ex quo Dei filius natus est, erat; maneretque Dei natura, ex qua filius Deus nativitate subsistit. Si igitur ex Deo natus est, manentis naturæ confitenda nativitas est; non ut Deus qui erat nasceretur, sed ut ex Deo (*i*) qui erat Dei nativitas intelligeretur.

15. *Hæresis audax, sed imprudens. In quibus ægre, in quibus facilius curetur.* — Sed irreligiosos æstus suos calor hæreticus non continet; et per id quod ait, *non erat antequam nasceretur*, id laborans, ut **143** de non exstantibus nasceretur, id est, non a Deo patre in Deum filium vera et perfecta nativitate natus esset, in ipsa totius expositionis conclusione ad ultimum et profanissimum irreligiosi furoris sui prorupit ardorem, dicens : « Si enim quod *ex ipso*, et quod *ex utero*, et quod *ex Patre exivi et veni*, velut partem (*j*) ejus unius substantiæ, et quasi prolationem ex-

(1) Abest *lumen*.

(2) *Si enim ex nostro.*

(*a*) In vulgatis, *ex lumine luminis natura. Unitas.* Addimus *lumen* ex ms. Colb. aliisque duobus, quibus alii cætera consentiunt.

(*b*) Ita mss. Editi vero, *quæ in Deo manebant.* Ut Hilario familiare est verbum *Deus* pro Patre, ita *manere* pro esse sine exsistendi initio. Unde quod hic *quæ Dei manebant*, mox dicitur *quæ Dei erant.*

(*c*) In ms. Carnut. a secunda manu hic superscripta est particula *non*, quæ deinde in uno Colb. necnon in edit Er., Lips. et Par. perperam obtinuit : reluctantibus aliis libris. Dicebant Ariani, *Nec qui fuit ante, postmodum natum*, directe quidem adversus Sabellium, asserentem eum, qui Pater erat, cum postmodum natus esset, filii appellationem esse sortitum; oblique autem adversus catholicam fidem, Filium de non exstantibus insinuare molientes. Quibus ita respondet Hilarius, ut et ipsorum repellat artes, et catholicæ fidei nihil cum Sabellio commune esse demonstret. Superius enim contra Sabellium præmittit, *Nec idem Deus qui erat natus est.* Quod ubi probavit, idipsum conclusionis in modum repetit his aliis verbis, *Non ergo qui erat* (hoc est, non Pater) *natus est : sed ex his quæ Dei erant Deus* (Filius) *natus exstitit.*

(*d*) Solus codex Vat. bas., *quantum potuit.*

(*e*) Editi, *antequam nasceretur.* Sequimur mss. Deinde *subsistens origo* nihil aliud significat, quam quod mox, *exsistens auctoritas.* Pro his dicerent modo Theologi, *principium exsistens.*

(*f*) Exemplar Carn. secundis curis cum ms. Vat. bas., *quia nasci non potuit nisi qui non erat, neque*, etc.

(*g*) In ms. Vat. bas., *postquam esset.*

(*h*) Vat. bas. ms., *ne quod Deus*, et mox, *maneret* absque particula *que* : hic ut supra et mox deprehenditur temeratus.

(*i*) In ms. Vat. bas. desideratur *qui erat.* Quod proxime dicitur, *manentis naturæ confitenda nativitas*, ita potest intelligi, vel natum esse ex manente seu exsistente natura, vel natum habere manentem naturam, vel etiam utrumque.

(*j*) In vulgatis, *unius ejus substantiæ* : male, cum *ejus* ad Patrem, et *unius* ad vocabulum *substantiæ* referatur. Deinde jam præmonuimus in exemplaribus græcis legi, καὶ ὡς προβολὴ ὑπό τινων, non autem καὶ

tendens intelligitur; compositus erit Pater, et divisibilis, et convertibilis, et corpus secundum illos, et, quantum in ipsis est, consequentia corporis sustinens sine corpore Deus. » Gravis et multæ difficultatis labor esset veritatem religionis adversum falsitatis impietatem tueri, si quantum audet impietas, in tantum consuleret (*a*) prudenter. Sed bene, quod irreligiositatis voluntas ex inopia prudentiæ est. Et idcirco cum facilis sit adversum stultitiam responsio, emendatio tamen difficilis stultorum est : per quam primum et ratio intelligentiæ non quæritur, et deinceps ab intelligente intimata non capitur. Sed si quos timor Dei et intelligentiæ ignoratio, non impietatis voluntas per stultitiæ sensum detinuerit in errore, (*b*) spero ut ad emendationem proclives sint ; cum impietatis stultitiam absolute veritatis sit demonstratio proditura.

16. *Filius ut* ex ipso *Deo neque ipse qui Pater, neque aliud, neque ex nihilo.* — Dixistis, o stulti, (*c*) qui et hodie idem dicitis, nescientes in Deum sapere, si enim quod *ex ipso*, et quod *ex utero*, et quod *ex Pater exivi et veni*. Quæro a te, hoc totum dictum a Deo, anne non dictum sit? Dictum utique est : et necesse est, cum a Deo de se dictum sit, non aliter intelligendum esse quam dictum est. De dictis suo loco, demonstratis singulorum quorumque virtutibus, tractabimus. Interim tamen uniuscujusque intelligentiam consulo, quid existimet in eo, cum dictum sit *ex ipso :* utrumne ex altero intelligendum sit, an ne ex nullo, an vero ipse ille credendus sit? Ex altero non est : quia *ex ipso* est, id est (ita ut non), ne aliunde, præter quam ex Deo Deus sit. Ex nihilo non est : quia *ex ipso* est ; demonstratur enim natura unde nativitas est. Ipse non est : quia ubi *ex ipso* est, nativitas filii refertur ex patre. Deinde cum significatur *ex utero*, interrogo an credi possit esse natus ex nihilo, cum nativitatis veritas per corporalium efficientiarum nomina reveletur? Non enim membris corporalibus consistens Deus, cum generationem **144** Filii (*d*) commemoraret, ait : *Ex utero ante luciferum genui te* (*Ps.* CIX, 3) ; sed ineenarrabilem illam unigeniti ex se filii nativitatem ex divinitatis suæ veritate confirmans, ad intelligentiæ fidem locutus est; ut de divinis suis rebus, secundum humanam naturam, humanæ naturæ sensum ad fidei scientiam erudiret : ut cum ait *ex utero*, non ex nihilo creatio substitisse, sed ex se Unigeniti sui natu-

ὡς προβολὴν ἀποτείνων, quomodo Hilarium legisse liquet ex ipsius expositione.

(*a*) Editi, *prudentia :* castigantur ex scriptis.

(*b*) Ms. Carn. *credo ut*. Alii, *spero ut*. At excusi, *spero quod*. Hoc in loco prodit Hilarius, quo animo erat affectus erga eos, qui ignorantia et simplicitate Ario favebant, uti jam adversus Erasmi argutias observatum est in præfat. 27. Haud aliter Athanasius Or. II cont. Ar., p. 321, agens de iis *qui sobolem propriam substantiæ Patris negant, quasi id fieri nequeat, nisi partes intelligantur : qui de incorporeo corporea cogitant, et ob imbecillitatem naturæ suæ adimunt Filio proprietatem paternæ substantiæ*, dum *sobolem Patris stulti ex se metiuntur : Cæterum*, inquit, *istos ad istum modum affectos, persuasosque non posse esse filium Dei, æquum quidem est ut misericordia pro-*

A ralis nativitas doceretur. Postremo quod dixit : *Ex Patre exivi, et veni* (*Joh.* XVI, 27), utrum ambiguitatem reliquerit, quin intelligeretur non aliunde quam ex Patre esse quod Deus est? Ex Patre enim exiens, neque aliam nativitatis habuit naturam, neque nullam : sed eum sibi testatur auctorem, ex quo se profitetur exisse. De his autem demonstrandis atque intelligendis posterior mihi sermo est.

17. *Deo de se non credere nefas.* — Interim tamen hoc videamus, qua hominis fiducia intelligenda de Deo inhibentur, quæ quod a Deo de se dicta sint non negantur. O gravissimum humanæ stultitiæ atque insolentiæ dedecus, professionis suæ de se Deum non modo arguere non credendo, sed emendando damnare ; et illud ineffabile in eo naturæ suæ virtutisque B secretum, humanis contaminare et impugnare doctrinis, et hæc audere loqui : Si, inquit, ex Deo est Filius, demutabilis et corporeus Deus est, qui ex se protulerit vel extenderit, quod sibi esset in filium! Quid sollicitus es, ne demutabilis Deus sit? Nos nativitatem confitemur, nos unigenitum prædicamus ex Deo docti : tu, ne nativitas maneat, ne unigenitus Deus in Ecclesiæ fide sit, naturam indemutabilis Dei quæ nec extendi nec protendi possit (*e*) opponis. Afferrem tibi, infelix error, etiam ex rebus mundi quarumdam naturarum quæ gignuntur exemplum, ne nativitatem protensionem existimares, ne nascentium naturas detrimenta crederes esse gignentium, ut etiam multa sine corporali admixtione ex viventibus in viventes animas gignerentur : nisi nefas C esset, Deo de se (*f*) non credidisse ; et ultimi furoris vesania judicaretur, adimere auctoritatem ad fidem, cui venerationem profitearis ad vitam. Si enim non nisi per eum vita est, quomodo non per eum fides vitæ est? Fides autem vitæ quomodo in eo est, qui sibi de se testis infidelis habeatur?

145 18. *Filii nuncupationes qui ab hæreticis intellectæ.* — Usurpas enim, impiissime hæretice, nativitatem Filii ad creationis voluntatem ; ut non ex Deo natus sit, sed volente eo qui creavit, ex creatione substiterit. Et tecum idcirco non Deus est, quia manente Deo uno, non teneat Filius originis suæ in nativitate naturam ; sed in substantiam alteram (*g*) conditio, ipse tamquam unigenitus conditionibus et facturis cæteris præstantior sit : substitutus tamen, ut D creationis indultæ (*h*) sibi habeat substitutionem, non

sequamur : consentaneum tamen, ut sciscitemur, et rationibus convincamus. Forsitan vel eo modo ad sensum aliquem perduci poterunt.

(*c*) Er., Lips. et Par., *quin et hodie :* nullo suffragante ms.

(*d*) Par. cum antiquiore ms. Colb. et Germ., *commemorasset.*

(*e*) Vat. bas. ms., *exponis :* minus bene.

(*f*) Lips. hic adjecit *testanti :* quod abest a Bad., Er. et plerisque mss.

(*g*) Editi, *conditur:* renitentibus omnibus mss. Sensus porro est, *Tecum*, hoc est, in tua sententia, *Filius non est Deus, sed conditio :* ubi advertas particulam *cum* hic ut alibi pro *secundum* accipi.

(*h*) Abest *sibi* a ms. bas. Vat. Verbum *substituere* Arianis usitatum colligimus ex Faustino, cap. I, ubi

Dei attulerit ex generatione naturam; et natum dicas, quod substitit ex nihilo: filium autem ideirco nuncupes, non quia ex Deo natus est, sed quia per Deum creatus est; quia et homines religiosos appellatione hujus nominis dignos a Deo habitos memineris: tum porro ei non alia conditione Dei nomen indulgeas, quam ea qua dictum sit: *Ego dixi, dii estis*: (1) *et filii Altissimi omnes* (*Psal.* LXXXI, 6), ut utatur dignatione in vocabulo nuncupantis, non naturæ in nomine veritate; (*a*) sitque tecum ex adoptione filius, deus ex nuncupatione, unigenitus ex privilegio, primogenitus ex ordine, (*b*) totus creatio, ex nullo Deus; quia generatio ejus non naturalis ex Deo nativitas sit, sed substantia creaturæ.

19. *Quid Scripturis de Deo edoctus sit Hilarius.* — Ac primum orata a te impatientissimi doloris mei venia, loqui me apud te, omnipotens Deus, patere, et me terram ac cinerem, charitatis tamen tuæ religione devinctum, liberum in hæc verba permitte. Ego infelix nihil antea fui, et (*c*) vitæ sensu expers, sine mei intelligentia, eo quod sum carebam. Sed misericordia tua ad vivendum mihi causa est: et non ambigo, quin tu bonus bonum mihi (*d*) statueris esse quod natus sum. Neque enim, qui mei non eges, ad mali me originem inchoasses. Sed cum me in vitam animatum, rationis quoque intelligentem præstitisses; ad cognitionem me tui sacris, ut arbitror, per servos tuos Moysen et prophetas voluminibus erudisti, ex **146** quibus te non in solitudine tua venerandum prodidisti. Cognovi tecum illic (*e*) Deum, non alterum in natura, sed in sacramento susbtantiæ tuæ unum. Cognovi te in Deo Deum, non ex permixtione confusum, sed (*f*) ex virtute naturæ, dum quod tu Deus es, in eo qui ex te est, inesses: non ut idem tu esses, et inesses; sed inesse te in eo, qui ex te esset, perfectæ nativitatis veritas edoceret. Hoc mihi rursum evangelicæ atque apostolicæ voces loquuntur, et ex ipso sacro Unigeniti tui ore condita in libros (*al.* in libris) verba testantur, Filium tuum ex te ingenito Deo unigenitum (*g*) Deum, hominem ex Virgine ad mysterium salutis meæ natum: in quo te generationis ex te veritas contineret, et quem in te manentis ex te nativitatis natura retineret.

20. *Eorum quibus credidit commendatio.* — In quod me, oro, profundum desperati reditus mersisti? Hæc enim ego ita didici, ita credidi, et ita confirmatæ mentis fide teneo, ne aut possim credere aliter, aut velim. Quid me miserum de te fefellisti, et infelicem carnem atque animam alienæ a te cognitionis doctrina perdidisti? Decepit me post rubri maris divisionem gloria descendentis de monte Moysi, et omnia tecum arcanorum cœlestium secreta cernentis (*Exodi* XXXIV, 29). Huic ego de te verbis tuis credidi. Perdidit me repertus secundum cor tuum David (*Act.* XIII, 22), et dignus Salomon divinæ sapientiæ munere (III *Reg.* III, 12), et viso Domino Sabaoth Esaias prædicans (*Esa.* VI, 1), et ante conformationem santificatus in utero Jeremias eradicandarum et plantandarum gentium prophetes (*Jerem.* I, 5), et mysterii resurrectionis Ezechiel testis (*Ezech.* XXXVII), et vir desideriorum Daniel temporum conscius (*Dan.* IX, 23), et prophetarum consecratus chorus, et (*h*) omne prædicationis evangelicæ sacramentum, electus ex publicano Matthæus in Apostolum, et ex familiaritate Domini revelatione cœlestium mysteriorum dignus Joannes (*Matth.* XVI, 18), et post sacramenti confessionem beatus Simon **147** ædificationi Ecclesiæ subjacens et claves regni cœlestis accipiens, et reliqui omnes sancto Spiritu prædicantes, et ex persecutore apostolus vas electionis tuæ Paulus (*Act.* IX, 15), in profundo maris vivens (II *Cor.* XI, 25), in cœlo tertio homo (*Ibid.* XII, 2), (*i*) in paradiso ante

(1) *Et filii Excelsi omnes.* Exinde, *in vocabulo nuncupationis.*

Arianorum professiones sic exponit: *Sic quoque per eum facta dicit universa, ut eum asserat ex nullis exstantibus substitutum . . . . si quidem non vere de Patre natus est, sed de nihilo substitutus.* Nec significatione multum differt a verbo *creare.* Unde sicut hic *creationem substitutionis*, ita vice versa lib. I, n. 16, habes *substitutionem creationis.*

(*a*) Sola editio Par., *sitque potius*, non *tecum*, quod idem est ac *secundum te.*

(*b*) Bad. et Er., *totius creatio:* ex quo Erasmus legendum putat *ex ordine totius creationis.* Verius alii libri, *totus creatio:* quod aliis verbis deinde declaratur, puta, *ex nullo Deus.* Nam *creatio*, ut ipse etiam Erasmus advertit, Hilario hic idem est quod *res creata.* Subjicitur proxime hæreticorum ratio, cur filium dicant ex adoptione, nimirum *quia generatio ejus*, etc. quod barbare dicerent Scholæ, *quia filiatio ejus.* Unde non est audiendus Vat. bas. codex, in quo habetur *quia creatio ejus.*

(*c*) Ita potiores mss. Tres autem Vatic. cum Vind., *vita sensus:* male. Editi vero, *vitæ sensus.*

(*d*) Vat. bas. ms. *instituueris.* In his non negat Hilarius peccatum originis, quod alias frequens ac disertis verbis adstruit. Maxime vero perspicuum est illud ab Augustino ipsius nomine laudatum lib. II contra Julianum, c. 8: *In Adæ offensa generositatem primæ et beatæ illius creationis amisimus.* Sed hoc tantum vult, totum bonum esse, quod nobis a Deo præstitum est, neque in bonitatem illius cadere, ut nos ratione ab ipso indulta ad intelligendos prophetas utentes, per eos deceperit.

(*e*) In Vat. bas. cod., *Domine non alterum:* male. Confer lib. V, n. 36, ubi confitendum docet *Deum ex Deo, et Deum in Deo, non corporalibus modis, sed divinis virtutibus; nec naturæ in naturam transfusione, sed mysterio et potestate naturæ.*

(*f*) Neque verius hic prædictus ms. *ex veritate naturæ.* Nam ut mox audivimus ex lib. V, Deus in Deo est *divinis virtutibus et potestate naturæ.* Expressius in subsequentibus ejusdem libri verbis, EX VIRTUTE NATURÆ *in naturam eamdem nativitate subsistit.* Ut autem ponitur ac probatur n. 3, *naturæ virtus præstat veritatem.* Hic respicitur locus Esaiæ: *In te est Deus, et non est præter te*, de quo lib. V, n. 38.

(*g*) In vulgatis, *Deum et hominem.* Particulam *et* expungimus auctoritate mss. Tum in eo, quod sequitur, habetur expositio verborum: *Pater in me, et ego in Patre.*

(*h*) Vat. bas. codex, *et ad omne;* præferendus hic videretur, nisi corruptis tot aliis locis factus esset suspectus. Itaque *omne prædicationis evangelicæ sacramentum* intelligimus omnes evangelicæ legis præcones.

(*i*) Sic et Tertullianus de Scorpiace n. 12 Paulum

martyrium, in martyrio perfectæ fidei consummata libatio (II *Tim.* IV, 6 *et* 7).

21. *Quam firma illius de Filii cum Patre æqualitate fides; et unde firma.* — Ab his ego quæ teneo edoctus sum, his immedicabiliter imbutus sum. Et ignosce, omnipotens Deus, quia in his nec emendari possum, et commori possum. Tarde mihi hos impiissimos, quantum ego arbitror, doctores ætas hujus nunc sæculi protulit. Sero hos habuit fides mea, quam tu erudisti, magistros. Inauditis ego (*a*) his nominibus in te ita credidi, per te ita renatus sum; et exinde tuus ita sum. Omnipotentem te scio, nec consciæ (*b*) tibi tantum atque ipsi Unigenito tuo nativitatis ineffabilis narrandæ exspecto rationem. Impossibile enim tibi nihil est, et genitum a te filium omnipotentiæ tuæ virtute non ambigo. Ambigens enim, jam omnipotentem te negabo. Bonum te etiam ex nativitate mea didici: atque ob id non invidum te bonorum tuorum in Unigeniti tui nativitate esse confido. Credo enim, quod quæ tua sunt, ejus sint; et quæ ejus sunt, tua sint. Sapientem te mihi etiam ipsa mundi creatio prodidit: Sapientiam te (*c*) tuam, non dissimilem, ex te genuisse mihi conscius sum. (1) (*d*) Vere et unus mihi Deus es: sed non aliud in eo, qui ex te Deo est, credam inesse, (*e*) quam tuum est. Et in eo me judica, si mihi crimen est, nimium me per Filium tuum et legi, et prophetis, et apostolis credidisse.

22. *Christus si verus Dei filius, est quoque verus Deus. Vere Dei filium eum esse multis modis notum est.* — Sed cesset sermo temerarius, et ex his, in quæ demonstrandæ stultitiæ hæreticæ necessitate proruperat, in reddendæ potius rationis ministerium decedat: ut (2) (*f*) si qui adhuc salvi esse possunt, ad fidem teneant evangelicæ doctrinæ atque apostolicæ iter, ac verum Dei filium non ex adoptione, sed ex natura intelligant. Hunc enim responsionis nostræ esse ordinem convenit: ut primum Dei filium (*g*) esse doceamus: ut natura in eo divinitatis, per quod filius est, absoluta sit. Id enim maxime hæresis, de qua nunc agitur, elaborat, ne Dominus noster **148** Jesus Christus vere Dei filius Deus verus sit. Vere Dei filium unigenitum Deum Dominum nostrum Jesum Christum esse ac doceri, multis modis cognitum est, dum de eo testatur Pater, dum de se ipse profitetur, dum apostoli prædicant, dum religiosi credunt, dum dæmones confitentur, dum Judæi negant, dum gentes in passione cognoscunt. Neque enim ex communione nuncupationis est, quod de proprietatis fide dicitur. Et cum omnia, quæ Christus Dominus aut egit aut docuit, ultra omnia eorum sint qui filii nuncupantur; et (*h*) in iis omnibus, quæ præcipua sint Christi, hoc vel potissimum doceatur esse, quod Dei filius est: non est in eo filii ex generali familiaritate cognomen.

23. *Non adoptivum, sed proprium esse Pater testatur.* — Non contamino veritatis fidem, ut hoc verbis meis adstruam. Loquatur, ut sæpe solitus est, de Unigenito suo Pater, ne sub consummandi baptismi sacramento Jesus Christus ignorabilis possit esse per corpus: *Hic est filius meus dilectus*, (*i*) *in quo complacui* (*Matth.* III, 17). Rogo in quo veritas deperit, et in quo infirma fides professionis est? Non annuntiatus per angelum de sancto Spiritu partus ex virgine, non index Magis stella, nec adorati in cunis honor, nec (*j*) baptizandi sub Baptistæ professione virtus satis esse ad demonstrationem majestatis existimantur: Pater de cœlo loquitur, et ita loquitur: *Hic est filius meus.* Quid sibi vult non cognominum, sed pronominum fides? Cognomina enim nominibus adduntur, pronomina vero obtinent in se nominum virtutem. Proprietatis autem significatio est, ubi et *hic est* dictum esse auditur, et *meus est.* Et intellige quæ sit veritas et ratio dictorum. Legeras: *Filios genui, et exaltavi* (*Esai.* I, 2): sed non legeras, filios meos: genuerat enim eos sibi per divisionem gentium, et plebem hæreditatis in filios. Ne igitur per communionem adoptivæ hæreditatis cognomentum filii unigenito Deo adderetur, naturæ veritas per significa-

(1) *Verus et unus*, mox, *qui ex te Deus est.*
(2) *Si qui adhuc salvi esse ad fidem possunt, teneant*, etc.

commendat, quod illum Deus *paradisi compotem fecit ante martyrium.* Non est tamen unde approbemus Hilarium cum Tertulliano in hoc consentire: quod, præsertim lib. de Anima n. 55, paradisum nullis nisi martyribus patere propugnat.

(*a*) Editi, *omnibus his.* At mss. *nominibus his*, puta novorum doctorum, quorum nec antiquum, nec ullo titulo celebre nomen; cum contra Moysi, Salomonis, Esaiæ, etc. nomina pluribus elogiis et sæculis sint commendata.

(*b*) Perspicuior est lectio mss. Vat. bas. et Mart., *nec consciæ nisi tibi*, etc. Sed sine *nisi*, habetur idem sensus: *Nec nativitatis, tibi tantum atque Unigenito tuo consciæ*, etc. Hoc nititur verbis evangelicis, *Nemo novit Filium, nisi Pater*, etc. Ut Hilario, ita Augustino familiare est, æternam Filii generationem ex Patris omnipotentia demonstrare. *Creaturis*, inquit Serm. CXXXIX, n. 4, *suis dedit Deus, ut hoc quod sunt generent: et putas quia hoc sibi non potuit servare qui est ante sæcula?* Sic et ex bonitate Patris invidia prorsus expertis id ipsum probat n. 5: *Gaudet Pater quando illi æquo unicum filium: gaudet, quia non invidet. Et Deus, quia unico Filio non invidet, hoc quod ipse est generavit.*

(*c*) Exemplar Silvæ majoris, *tui non dissimilem.*

(*d*) Sic potiores mss. Carn., tres Colb., Germ., unus Sorbon., etc. Alii vero libri, *Verus et unus.... qui ex te Deus est.*

(*e*) Editi, *quam tu es;* et ad marginem Er., Lips., et Par. *quam quod tuum est:* refragantibus mss.

(*f*) Par. cum vetustiore ms. Colb., *si qui hujus salvi esse ad fidem possunt, evangelicæ*, etc.

(*g*) Male in mss. Vat. bas. et Mart. hic adjicitur *Deum:* cum Christum simpliciter Dei filium sibi proponat Hilarius demonstrare: quo semel demonstrato, palam fiet divinitatis in eo esse naturam.

(*h*) Hoc est, *inter ea omnia nomina.* Mox in ms. Vat. bas., *dicatur*, loco verbi *doceatur*, omisso deinde *esse.*

(*i*) Editi hic et infra n. 24, *in quo bene complacui.* Utrobique abest *bene* a mss.

(*j*) Ms. Vat. bas., *baptizati:* neque hic agnoscendus. Notatur quippe Joannis reverentia, qua Christum, ante quam eum baptizaret, sibi dignitate superiorem agnovit.

tionem proprietatis ostensa est. Assignetur sane hoc communionis in Christo nomen, ut filius sit, si de quoquam dictum reperietur: *Hic est filius meus*. Sin vero proprium ac singulare ei est: *Hic est filius meus;* quid calumniam **149** Deo patri professæ de filio proprietatis afferimus? Anne tibi in eo, quod dicitur *hic est*, non hoc significari videtur: Alios quidem cognominatos ab eo in filios, sed hic filius meus est; donavi adoptionis plurimis nomen, sed iste mihi filius est: ne quæras alium, ne non hunc esse credas; hunc ego tamquam digito indice ac verbi significatione contingo, qua dico et *meus est*, et *hic est*, et *filius est?* Quid post hæc intelligentiæ poterit esse, ne non esse credatur? Et hæc quidem paternæ vocis significatio (*a*) ea fuit, ne qui ad implendam omnem justitiam baptizandus esset, quid esset ignoraretur: sed ut qui ad sacramentum salutis nostræ homo cernebatur, Dei voce Dei filius nosceretur.

24. *Idem denuo declarat. Filii dictis auctoritatem præstat.* — Et quia in fidei hujus confessione credentium vita esset (non enim alia æternitatis vita est (*b*), nisi Jesum Christum unigenitum Deum sciamus esse Dei filium); vox e cœlis rursum ab Apostolis iteratæ hujus significationis auditur; ut id firmius crederetur ad vitam, quod non credidisse mors esset. Namque cum Dominus in monte majestatis suæ habitu constitisset, Moyse atque Elia assistentibus, et ad visionis ac vocis fidem tribus columnis ecclesiarum testibus assumptis, hæc vox paterna de cœlo est: *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui, hunc audite* (*Matth.* XVII, 5). Non ad confirmationem honoris claritas conspecta satis fuerat; voce designatur: *Hic filius meus est.* Apostoli gloriam Dei non ferunt, et mortales oculi hebetantur ad visum, et consternata ad metum Petri et Jacobi et Joannis fides concidit: adest tamen auctoritatis paternæ professio, et filius hic per proprietatem (*c*) significantis ostenditur. Neque solum veritas filii per hoc, quod et *hic* et *meus est*, intimatur; sed additur, *Hunc audite.* Testimonium quidem Patris e cœlo est: sed testimonium **150** Filii confirmatur in terra, nam audiendus ostenditur. Et quamquam ambiguitas per professionem paternam non relinquatur, tamen et Filii de se professio credenda decernitur, et eo usque veritas in eo filii docetur, ut paternæ vocis confirmatio (1) (*d*) audiendi a nobis postulet obsequelam. Igitur quia paternæ voluntatis hæc vox est, ut Filius audiatur; audiamus Filium de se quid sit ipse profitentem.

25. *Christus et Deum sibi patrem et se Filium ejus merito nuncupat.* — Neminem autem tam alienum a communi sensu existimo esse, ut cum in omnibus Evangeliorum libris ex professione Filii assumptionem corporeæ humilitatis intelligat, cum ait: *Pater, clarifica me* (*Joan.*, XVII, 5); et rursum frequentissime: *Videbitis Filium hominis* (*Matth.*, XXVI, 64); et illud: (*e*) *Pater major me est* (*Joan.*, XIV, 28); sed et hoc: *Nunc anima mea turbata est valde* (*Joan.*, XII, 27); vel etiam hoc: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Matth.*, XXVII, 46)? et multa alia istius modi, de quibus suo ordine erit sermo: tamen in hac tam assidua humilitatis contestatione insolentiæ eum arguat, quod sibi patrem Deum dicat, cum ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus* (*f*), *eradicabitur* (*Matth.*, XV, 13); vel illud: *Domum patris mei domum fecistis negotiationis* (*Joan.*, II, 16); (*g*) et ubicumque semper patrem sibi Deum nominat, temerariæ præsumptionis potius sit, quam confidentis naturæ, quæ conscia nativitatis suæ (*h*) teneat veritatis nomen in patre. Humilitatis igitur professio

(1) In codice Veronensi, *audiendi a nobis filii postulet*, etc.; at vox *filii* addita est secundis curis.

(*a*) Editi, *eo fuit*, refragantibus scriptis. Mox Par. cum mss. Colb. et Germ., *quo ut*, pro *sed ut*. Hoc argumentum illustrat ac fusius explicat Faustinus ad Flaccillam lib. contra Arianos, c. 2, ubi cum eadem e Scripturis, quæ hic Hilarius affert, testimonia eodemque ordine et in eumdem scopum describat, conjectare est illum ex ipso nonnihil fuisse adjutum. Ait autem ibi: *Carnem quidem ejus, vel potius hominem dicam, nemo ambigebat, quia nec ambigi poterat; sed illud, quod in homine erat et natum cum homine, quia videri per naturam non poterat, ne esset incertum, voce et quasi digito Patris ostenditur dicentis, Hic est Filius meus*, etc. Et paulo ante: *Et vide quia hoc tunc primum dicit, quando Jesus ut homo accessit ad baptismum: et puto non alia ratione, quam quia poterat credi non esse filius Dei, qui corporeus videbatur, et inter cæteros homines ipse quoque ut homo peccator veniebat ad baptismum, cum peccata propria non haberet.*

(*b*) Par. cum mss. Vat. bas., Mart. et Colb., *via est.* Magis placet cum aliis libris, *vita est;* ut respiciatur illud Joan. XVII, 3: *Hæc est autem vita æterna*, etc. Tum apud Er., Lips., et Par., *nisi ut Jesum.* Abest *ut* a Bad. et mss.

(*c*) Lips. et Par. *significationis:* præter fidem aliorum librorum, et corrupto nonnihil auctoris sensu. *Proprietas* quippe opponitur adoptioni, referturque tum ad Patrem significantem, tum ad Filium significatum. Sic porro idem argumentum tractat Faustinus loco laudato: *Cum eo certe Moyses, et Elias pariter videbantur loquentes, quos utique de adoptione factos esse filios Dei negare non potes: quomodo de solo Christo vox divina testatur dicens: Hic est Filius meus*, etc. *Si enim et Christus de adoptione filius est, cum staret inter duos adoptivos, dixisset utique, Et hic Filius meus est, ne Christus esse solus crederetur. At cum dicit, Hic est filius meus dilectus, adoptionis filios separavit, ut proprietas veræ nativitatis in Christo solo filio crederetur.*

(*d*) Sola editio Par. cum ms. Mart. *audienda.* Aliæ cum aliquot mss. *audiendi a nobis filii.* Abest *filii* a potioribus.

(*e*) Nota quomodo hæc, *Pater major me est*, jam de Christo secundum assumptionem corporeæ humilitatis dicta intelligantur, quamvis alibi etiam de Christo prout Deus genitus est exponantur. Neque minori consideratione dignum, quod deinde non negat Hilarius animam Christi vere turbatam, sed tantum monet ad susceptum hominem referendum esse, quidquid hic locus infirmitatis sonat.

(*f*) In vulgatis hic adjicitur *cœlestis*: quod abest a mss. et apud Faustinum, Hilarii æqualem, et, uti nobis videtur, imitatorem. Mox in ms. Mart., *mercationis*, loco *negotiationis.*

(*g*) Pro *et* commodius legeretur *ita ut.*

(*h*) Hoc est, in patre nuncupando nomen illud teneat, quod veri ac naturalis patris sit.

frequens non habet hoc insolentiæ vitium, ut sibi aliena (1) vendicet, et non sua defendat, et proprie Deo coæquanda præsumat. Nec pari temeritate, qua patrem nuncupat, se quoque filium profiteatur dicens : *Nec enim misit Deus filium suum in hunc mundum, ut judicet mundum, sed ut salvus fiat mundus per eum* (*Joan.*, III, 17); vel iterum : *Tu credis in filium Dei* (*Joan.*, IX, 35)? Quid nunc agimus, concedentes tantum (*a*) Jesu Christo nomen adoptionis? per quod et in patre sibi **151** Deo nuncupando temerariæ eum arguimus præsumptionis. Paterna de cœlo vox est : *Hunc audite* (*Matth.*, XVII, 5). Audio : *Pater, gratias ago tibi* (*Joan.* II, 41) : audio, *Dicitis quia blasphemavi, quoniam dixi, Filius Dei sum* (*Joan.*, X, 36) : si non credo nominibus, si naturam (*b*) vocabulis non intelligo, qui credendum et intelligendum sit quæro. Non mihi relinquitur alia suspicio. Auctoritas paterna de cœlo est : *Hic est filius meus*. Professio filii de se est (2) (*c*) : *Domum patris mei*, et *Pater meus*. Professio nominis salus est, cum interrogatio fidem postulat, dicens : *Tu credis in filium Dei* (*Joan.*, IX, 14) ? (3) Proprietatis nomina sequuntur, ubi *meus* est. Tibi quæro, hæretice, unde alia præsumptio sit. Adimis Patri fidem, filio professionem, nominibus naturam : vim verbis Dei affers, ne sint quod enuntiant. Impietatis tuæ sola impudentia est, ut mentitum de se Deum arguas.

26. *Proprietates filii ad nomen adjectæ. Opera testantur filium eum esse.* — Quamquam igitur sola simplex confessio naturæ nomina ostendat, ut de quo dictum est : *Hic est filius meus*, et ad quem dictum est, *Pater meus*, hoc sint quod nuncupantur : tamen ne aut adoptionis in Filio nomen sit, aut honoris in Patre : videamus quæ (*d*) proprietates per Filium ad filii nomen adjectæ sint. Ait : *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* II, 27). Ad id quod dictum est : *Hic est filius meus*, et *Pater meus*, utrumne sibi convenit : *Nemo novit Filium nisi pater, neque Patrem quis novit nisi Filius?* Non enim nisi per mutuam (*e*) testificationem cognosci vel per Patrem Filius, vel per Filium Pater potuit. Vox e cœlis est : sermo etiam Filii est. Tam ignorabilis est Filius, quam et Pater. Omnia ei tradita sunt : et in omnibus nihil intelligitur exceptum. Si potestas exæquata est, si secretum cognitionis æquale est, si natura in nominibus est : quæro quomodo quod vocantur non sunt, quorum et (4) (*f*) vis in potestate, et difficultas in cognitione non differt. Non fallit itaque in vocabulis Deus, nec se aut Pater mentitur, aut Filius : et accipe (*g*) quam in his fides nominum sit.

152 27. *Opera testantur filium eum esse. Nil aliud asserit Patris testimonium. Christus a filiis adoptivis secernitur.* — Ait enim : *Opera enim quæ dedit mihi Pater*, (*h*) *ut perficiam ea, ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me, quoniam Pater misit me : et qui misit me Pater, ipse testificatus est de me* (*Joan.*, V, 36 et 37). Unigenitus Deus non nominis tantum testimonio, sed etiam (*i*) virtutis, docet se esse filium : opera enim ejus, quæ facit, testantur a Patre se missum. Quæro, quam rem opera testentur? Missum namque esse. (*j*) Itaque et Filii obedientia et paterna auctoritas docetur in misso, dum alterius opera esse non possunt quæ facit, nisi ejus qui missus a Patre sit. Sed opera non sufficiunt (5) (*k*) incredibilibus ad testimonium, quod se Pater miserit. Sequitur namque : *Et qui misit me Pater, ipse testificatus est de me ; neque vocem ejus audistis, neque figuram ejus vidistis* (*Joan.*, V, 37). Quæro quod testimonium Patris (*l*) de eo fuerit. Evolve evangelica volumina, et totum eorum opus recense. Da testimonium Patris, præter quam quod auditum est : *Hic est filius meus dilectus, in quo complacui* (*Matth.*, III, 17), et : *Tu es filius meus* (*Marc.*, I, 11). Hoc Joannes licet non ignarus audivit, tamen ad doctrinam nostram paternæ vocis testimonium mittitur : nec hoc sufficit. Joannes quidem in deserto dignus hac voce est, sed et apostoli (6) non fuerunt hujus testimonii auctoritate privandi. Eadem de cœlo ad eos vox adest : sed accipiunt plus Joanne. Joannes enim jam ab utero prophetans non eguit hac voce : *Hunc audite.* Audiam plane : nec quemquam præter hunc audiam, nisi eum qui audierit ut doceret. Si nullum aliud Patris de Filio testimonium exstat in libris, quam quod hic filius suus sit : testimonii hujus veritas est, ut opera

(1) *Vindicet.*
(2) *Professio fidelis est.*
(3) *Proprietates.*
(4) *Jus* diserte scriptum est in nostro codice.
(5) *Incredulis.*
(6) *Non fuerant.*

(*a*) Par. cum vetustioribus mss. Colb., Remig. et Germ., *Jesum Christum.*

(*b*) Excusi, *naturam vocabuli.* Rectius mss. *vocabulis*, supple *significari.* Sic lib. I, num. 21 : *Neque vocabulis intelligentiam confundant.*

(*c*) In mss. Colb., Mart., Corb. et aliis, *professio fidelis est.* In Carn. *professio fides est.* In aliis tribus, *professio filii est.*

(*d*) Vat. bas. ms. *professiones* : qui etiam paulo ante habet, *professionum nomina sequuntur*, non *proprietatis nomina sequuntur.*

(*e*) In eodem codice necnon Mart. *significationem* : vox minus diserta.

(*f*) In mss. hæc vox ita pingitur, ut *jus* æque ac *vis* possit admitti.

(*g*) Editi, *quæ in his fides* : castigantur ex scriptis.

(*h*) Exemplar Vat. bas., *ut faciam*, omisso deinde *quæ facio* : quod in Mart. pariter omittitur.

(*i*) Apud. Bad. et Er. ut in recentiore ms. Colb., *veritatis.* In mss. Vat. bas. et Mart., *virtutibus.* Magis placet cum aliis libris, *virtutis*, supple *testimonio.*

(*j*) Particulam *itaque* perperam a Lipsio expunctam restituimus ex Bad., Er. et mss.

(*k*) Lips. cum aliquot mss. *incredulis.* At Bad., Er. et Par. cum potioribus, *incredibilibus* : sincerius, etsi non alio sensu. Sic in Matth., c. XVII, n. 6, Apostoli *generatio incredibilis et perversa* nuncupantur. Eadem vox eadem ratione in Vulgata nostra usitata est, ut videre est Eccli. I, 36, II, 18; Baruch. I, 19, etc.

(*l*) In ms. Mart. hic occurrit, *præter quam quod auditum est*, quod ex subjectis videtur expressum.

ipsa Patris, quæ gerit, veritatem testimonii hujus affirment. Quid infertur hodie calumniæ, ut adoptio nominis sit, ut mendax Deus sit, ut nomina inania sint? Testatus est Pater de Filio, operibus suis Filius testimonio se Patris exæquat : cur non videatur esse in eo, id est (*a*) filii veritas quæ dicitur et probatur? Non est per Deum patrem filii nomen in Christo ex adoptione bonitatis : neque sanctitate meruit hoc nomen, sicut plures post confessionem **153** fidei Dei filii sunt. Proprietatis enim in his significatio nulla est : nominis namque tantum, ut Deo dignum est, indulta dignatio est. Aliud est *hic est*, et *hic meus est*, et *hunc audite* : in hoc veritas est, natura est, fides est.

28. *Filii a Deo nativitas, et adventus ad nos ostenditur. Qui solus novit Patrem quia ab eo est, creatus non est.* — Nec sane quidquam de se minus Filius hac (*b*) paternæ significationis proprietate testatur. Ut enim in eo quod ait Pater, *Hic est filius meus*, naturæ demonstratio est, et in eo quod subjecit, *Hunc audite*, sacramenti et fidei, ob quam e cœlis venit, auditio est, cum eum ad salutarem confessionis doctrinam admonemur audire : ita in eo Filius et nativitatis veritatem docuit et adventus, dicens : (*c*) *Neque me scitis, neque unde sim nostis : nec enim a me veni, sed est verax qui misit me, quem vos nescitis; sed ego novi eum, quoniam ab eo sum, et ipse me misit* (*Joan.* VII, 28 *et* 29). Patrem nemo novit, et frequens hinc professio Filii est (*Matth.* XI, 27). Idcirco autem soli sibi esse cognitum dicit, quia ab eo sit. Quæro autem utrum id, quod ab eo est, opus in eo creationis an naturam generationis ostendat. Si opus creationis est, universa quoque, quæ creantur, a Deo sunt. Et quomodo Patrem non universa noverunt, cum Filius eum idcirco, quia ab eo est, non nesciat? Quod si creatus potius, quam natus, videbitur in eo quod a Deo est; cum (*d*) a Deo cuncta sint, quomodo non cum cæteris Patrem quæ ab eo sunt ignorat? Sin vero idcirco ei, quia ab eo sit, eum nosse sit proprium; quomodo non hoc ei, quod ab eo est, erit proprium? scilicet ut verus filius ex natura sit Dei; cum idcirco Deum solus noverit, quia solus ab eo sit. Habes igitur proprietatem cognitionis de proprietate generationis : et quod ab eo est, non creaturæ in eo virtutem (nam omnia ad eo per virtutem creationis exsistunt), sed nativitatis veritatem (*supple*, habes), per quam solus Patrem novit, **154** cum cætera eum quæ ab eo sunt ignorent.

29. *Illud* ab eo sum, *referri nequit ad carnem. Neque est creatus qui nescitur unde sit.* — Tamen ne forte id quod ab eo est, (*e*) ad adventus sui tempus hæresis invaderet, continuo subjecit : *Quoniam ab eo sum, et ipse me misit.* Tenuit ordinem evangelici sacramenti, natum se professus et missum : ut et quis esset, et unde esset, secundum superiorem sententiam nasceretur. Neque enim id ipsum est *ab eo sum, et ipse me misit* : (*f*) sicuti non idem est *neque me scitis, neque unde sim nostis.* Numquid non omnis homo in carne licet natus, secundum sensum communis opinionis ex Deo est? Et quomodo negat, ab his vel se ipsum, vel unde ipse sit sciri : nisi id unde est, ad naturæ suæ (*g*) referret auctorem? qui idcirco ignorabilis esset, quia ipse esse filius Dei ignoraretur. Discute, infelix, stultitia quid illud sit : *Neque me scitis, neque unde sim nostis.* Omnia utique ex nihilo, et usque adeo ex nihilo, ut etiam unigenitum Deum ex nihilo substitisse sis (*h*) ausa mentiri. Quid ergo est, quod

(*a*) In vulgatis, *quod est*, et post pauca, *quod Deo dignum est.* Utroque in loco præferimus mss. lectionem.

(*b*) Vat. bas. ms. *a paternæ.* Hæc ita intelligere est : Filius se proprium Dei filium non minus disertis verbis significat quam Pater.

(*c*) Longe aliter modo exstat in exemplaribus latinis et græcis, puta : *Et me scitis, et unde sim nostis*, quod legit et Origenes T. XIX in Joan. ubi operam dat ut diversam illam Christi sententiam Joan. VIII, 19, *Neque me scitis*, cum hac, *Et me scitis*, conciliet, respondetque primum ea non iisdem, sed diversis dicta esse personis; ac Jerosolymitis quidem, *Et me scitis;* Pharisæis vero, *Neque me scitis.* Sed adverteus subinde etiam iis quibus dictum est : *Et me scitis*, statim exprobratum esse quod Patrem nescirent, proindeque quod ignorarent pariter et Filium, juxta illud Joan. VIII, 19 : *Si me sciretis, et Patrem meum sciretis*, utrumque locum sic mavult conciliari : *Illud enim*, inquit, *Et me scitis, et unde sim scitis, de se ipso homine disputat : hoc vero, Neque me scitis, neque Patrem meum, de divinitate.* Hic igitur propter subsequentia, *Verax est qui me misit, quem vos nescitis*, legitime potuit Hilarius legere, *Neque me scitis*, etc. Imo hæc etiam tacita satis indicantur, ut plena et integra sententia sic possit reddi : *Et me scitis, et unde sim nostis* secundum carnem : sed est aliud in me, et secundum hoc *neque me scitis, neque unde sim nostis : nec enim a me veni* : adeoque stat, quod ex hoc loco conficit Hilarius argumentum : cum Christus, Joan. c. 8, expresse se minime notum affirmet, quod cap. 7 tacite tantum innuit.

(*d*) Ita mss. At editi, *ab eo.* Hujus argumenti vim frustra declinare tentavit Arius, cum Athanasio teste Or. II cont. Ar. p. 311, in sua Thalia posuit, *Patrem Filio abditum esse, neque eum ab eo aut videri, aut cognosci posse ad plenum et exacte : sed quod cognoscit et videt, id intelligit pro mensura et ratione suarum virium, ut nos quoque intelligimus pro modulo nostrarum facultatum.* Ipsius quippe Christi testimonio cum nemo Patrem noverit, ipse tamen eum novit, et novit quia ab eo est.

(*e*) Apud Er., Lips. et Par. omissa erat particula *ad.* Hic *adventus* nomine intelligitur carnis susceptio.

(*f*) Vat. bas. ms., *sicuti hoc idem est* : pugnat cum dicendis num. 30 et 31.

(*g*) In ms. bas. Vat., *refert auctoritatem :* huic lectioni non congruit sequens vocula *qui* ad Patrem referenda. Hoc enim sibi vult : Cum non ignorarent Judæi unde esset secundum carnem, illud *unde sum* referendum est ad æternæ ipsius generationis auctorem : quasi diceret, *Neque me scitis, neque æternum Patrem meum.* Namque, ut declaratur lib. III, n. 17, lib. V, n. 27, Judæi ignoraverunt Dei nomen, quandiu nescierunt eum esse patrem, eique esse filium. Obiter observare est auctorem generationis æternæ simpliciter ab Hilario vocari *auctorem naturæ* Christi: quia nimirum Christum *natura* Deum, hominem autem tantum ex dispensatione esse sentiebat. Unde *naturæ* nomen ad illius divinitatem referre solet. Vid. lib. X, num. 22, 64 et 65.

(*h*) In ms. Carn. *ausus.* Hoc Arius in Thalia ausus est apud Athanasium Or. II, pag. 310, dicens : *Non semper fuit Filius, ipsumque Dei Verbum ex nihilo factum est.*

impii et Christum nesciunt, et unde sit nesciunt? Nam id, (*a*) quod unde sit ignoratur, naturam ex qua est, dum unde sit nescitur, ostendit. Ignorari enim unde sit non potest, quiquid substitit ex nihilo: quia hoc ipsum, quod non ignoratur ex nihilo, ignorationem ejus unde sit non habet. Non ex se est autem ille qui venit; sed qui misit cum verax est, quem impii nesciunt. Jam ergo ille qui misit, ipse est qui misisse ignoratur. Ab eo ergo, qui misit, est ille qui missus est: et ab eo est unde esse nescitur; et ob hoc qui sit ipse nescitur, dum ignoratur a quo sit. Non novit Christum, qui unde Christus sit nescit; nec filium confitetur, qui negat natum; nec natum intelligit, qui putavit ex nihilo. Ex nihilo autem usque adeo non est, ut impii unde sit nesciant.

30. *Deus iis solis est pater qui filium colunt, non ut adoptivum. Exire ex Deo quid sit. Filii diligendi causa, ratio nascendi.* — Nesciunt plane, nesciunt, qui naturam nomini adimunt, (*b*) qui nescientes non **155** amant scire. Et audiant Filium scientiæ hujus ignorationem impiis exprobrantem, tum cum sibi patrem Deum Judæi dicerent; ait enim: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me; ego enim a Deo exivi, et veni: nec a me veni, sed ille me misit* (*Joan.* VIII, 42). Religiosi nominis assumptionem Dei filius in his qui se Dei (*c*) filium confitentes patrem sibi Deum dicerent, non improbavit; sed temerariam Judæorum usurpationem, patrem sibi Deum præsumentium, per id quod se non diligerent, objurgat: *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me; ego enim a Deo exivi.* Omnibus, quibus per fidem Deus pater est, per eam fidem pater est, qua Jesum Christum Dei filium confitemur. Confiteri autem filium secundum generale sanctorum nomen, quid habet fidei, ut dicamus, Unus ex filiis est? Sed numquid et cæteri in hac creaturæ suæ infirmitate non filii sunt? In quo ergo filium Dei Jesum Christum fides confessa præcellit, cum ei (*d*) secundum filios, filii non natura, sed nomen sit? Christum perfidia ista non diligit, (1) nec hæc impia professio pie sibi assumit Deum patrem: quia si sibi pater Deus esset, Christum ob id diligerent, quia exisset ex Deo. Exisse ex Deo quid sit requiro. Non utique dici potest, id ipsum esse a Deo exisse (2) (*e*), quod et venisse; nam utrumque significat: *Quoniam a Deo exivi, et veni.* Et ostendens quid esset *a Deo exivi*, et quid esset *et veni*: continuo subjecit, *Nec enim a me veni, sed ille me misit.* (*f*) Non se sibi esse originem docuit, cum ait: *Nec enim a me veni*, et (*supple*, cum) rursum ex Deo se exisse, et ab eo missum esse testatur. Sed cum ab iis, qui sibi Deum patrem dicerent, idcirco se diligendum ait, quia ex Deo exisset; causam dilectionis ex causa docuit esse nascendi. Exisse enim ad incorporalis nativitatis retulit nomen: quia religio profitendi sibi patrem Deum, ex dilectione Christi qui ex eo genitus est sit merenda. Nam cum ait: *Qui me odit, et patrem meum odit* (*Joan.* XV, 23): *meum* cum ait, communionem nominis (*supple*, cum aliis) per significationem proprietatis exclusit. Cæterum profitentem sibi patrem Deum, et se non diligentem, in paterni nominis usurpatione condemnat: **156** (*g*) quia qui se odit, oderit et Patrem; nec in Deum patrem sit religiosus, qui non diligat Filium; cum diligendi Filii non alia causa sit, quam quod ex Deo sit. Ex Deo igitur Filius est, non adventu, sed nativitate: et (3) dilectio in Patrem (*h*) hic erit omnis, si Filius ex eo esse credatur.

31. *Perfectæ de Filio fidei meritum. Qui et nativitatem ex Patre et adventum ad nos distinguat.* — Testatur hoc Dominus dicens: *Non dicam vobis, quoniam ego rogabo Patrem pro vobis: ipse enim Pater amat vos, quoniam vos me amatis, et creditis quoniam ego a Deo exivi, et a Patre veni in hunc mundum* (*Joan.* XVI, 27 *et* 28). Caret apud Patrem intercessionis necessitate perfecta de Filio fides, quæ quod a Deo exierit credat atque amet: et per se ipsa jam et audiri meretur et amari, natum ex Deo Filium missumque confessa. Nativitas itaque ejus et adventus ostenditur cum absolutissima significandæ proprietatis veritate. *A Deo*, ait, *exivi;* ne in eo alia quam nativitatis natura esse existimaretur; cum exire a Deo, id est, ex nativitate subsistere, quid aliud quam Deus (*i*) posset? *Et a Patre*, inquit, *veni in hunc mundum.* Ut exitio illa a Deo nativitas significata esse intelligeretur ex Patre, a Patre se in hunc mundum professus est venisse. Alterum itaque in dispensatione, alterum in natura est. Nec patitur exitionem adventum existimari, cum post exitionem a Deo, adventum commemoret a Patre. A Patre enim venisse, et ex Deo exisse, non est significationis ejusdem: et quantum interest (*j*) nas-

(1) *Nec impia professio pie sibi adsumet Deum Patrem.*

(2) *Exire.*

(3) *Dilectio in Patrem omnis hinc erit.*

(*a*) Id est, quod ait ignorari unde ipse sit.

(*b*) Editi, *quia nescientes.* Verius mss. *qui nescientes*: qui nimirum nec intelligentiæ rationem quærunt, nec ab aliis intimatam capiunt, ut habetur supra num. 15.

(*c*) Er., Lips. et Par. *qui se Dei filios*: corrupte ac sublata vi totius argumenti. Ibi quippe, et mox in his, *quod se non diligerent*, vocula *se* ad Christum refertur; monetque Hilarius non improbatos eos fuisse, qui cum Christum Dei filium et confiterentur et amarent, Deum sibi patrem dicerent. Pessime autem Vat. bas. ms. hic etiam habens *filios*, postea subjicit, *non solum improbavit*, pro *non improbavit*: erratum ex errato.

(*d*) Apud Er. in margine, *secundum illos*: quod deinde a Lipsio arreptum, Par. retinuit. Restituimus ex Bad. et mss. *secundum filios*, hoc est, ad modum cæterorum filiorum.

(*e*) Tres mss. Colb. cum Carn. et Germ., *exire.*

(*f*) Lips. et Par., *non a se*: reluctantibus aliis libris. Porro Hilario vocabulum *origo* sæpe idem est, quod nobis *principium.*

(*g*) Vetus codex S. Martini Turon., *quia si oderit Filium, oderit et Patrem.*

(*h*) Sic potiores libri. Alii vero, *hinc erit.*

(*i*) In ms. Mart., *quam Deus esset.*

(*j*) Excusi, *inter nasci;* et mox, *in substantia nativitatis exisse, aliud sit*, etc. Sequimur mss.

ci, et adesse, tantum a se uterque sermo discernitur. Cum aliud sit a Deo in substantiam nativitatis exisse, aliud est a Patre in hunc mundum ad consummanda salutis nostræ sacramenta venisse.

32. *Christus ab apostolis filius ex natura non ex adoptione creditus.* — Et quidem secundum propositæ a nobis responsionis ordinem opportunissimus hic nobis locus est, ut tertio nunc doceamus filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum ab apostolis creditum (*a*) non ex nuncupatione, sed ex natura; neque ex adoptione, sed ex nativitate. Quamquam enim plures et (*b*) maximæ adhuc unigeniti de se Dei exstent professiones, quibus generationis suæ veritatem sine levi saltem ementiendæ licet calumniæ occasione testetur: tamen **157** quia neque legentium onerandus est sensus coacervatis ad copiam dictis, et cum jam nonnulla de proprietate nativitatis ostensa sint, cætera omnia aliis erunt quæstionibus reservanda. Nunc vero quia hic sermonis nostri ordo institutus est, ut post Patris contestationem, post Filii professionem, (*c*) fide quoque Apostolorum de vero et secundum nativitatem confitendo Dei filio doceremur; videndum est, an in eo quod ait Dominus, *Ex Deo exivi*, aliud in eo aliquid potius quam naturam intellexerint nativitatis.

33. *Quid sit quod primum credant eum a Deo exisse.* — Post multas namque proverbiorum obscuritates, quibus in parabolis locutus esset, quem jam antea Christum sciebant annuntiatum a Moyse et prophetis, confessum quoque a Nathanael et Dei filium et regem Israel (*Joan.* I, 49), objurgato etiam Philippo, cum de Patre quæreret, cur per operum virtutem Patrem in se (1) (*d*) esse et se in Patre inesse nesciret, cumque se a Patre missum frequentibus dictis ante docuisset (*Joan.* XIV, 9-12) : tamen cum profitentem eum audissent se a Deo exisse, hæc eorum responsio fuit (connexus enim hic sibi sermo est) : *Dicunt* (*e*) *ei discipuli ejus, Nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. Nunc ergo scimus quia nosti omnia, et non habes necesse ut aliquis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi* (*Joan.* XVI, 29). Quæ, rogo, hæc verbi hujus admiratio est, quod se exisse a Deo professus sit? Tanta et tam Deo propria vos, o sancti et beati viri, et ob fidei vestræ meritum claves (*f*) regni cœlorum sortiti, et ligandi ac solvendi in cœlo et in terra jus adepti, gesta esse per Dominum nostrum Jesum Christum Dei filium videratis : et ad id, quod a Deo exisse se dixit, nunc primum vos veri intelligentiam assequi protestamini? Videratis utique nuptiales aquas, (*g*) et easdem nuptiale vinum, et naturæ in naturam vel demutationem, vel profectum, vel creationem (*Joan.* II). Quinque etiam panes ad cibum tantæ multitudinis fregeratis, et satiatis omnibus in plenitudinem duodecim cophinorum fragmenta (*h*) (2) panum creverant, et naturæ parvitas famem pellens profecerat in **158** ejusdem copiam naturæ (*Matth.* XIV). Reviruisse manus aridas conspexeratis, et in vocem mutorum linguas solutas, et in cursum claudorum pedes alacres, et cæcorum oculos cernentes, et mortuorum vitas revertentes. Fœtens Lazarus constiterat ad vocem, et e sepulcro vocatus, nullo intervallo vocis et vitæ, (*i*) citus fuerat egressus, et adhuc odorem mortis in sensum narium spiritu agente, ipse jam vivus adstiterat (*Joan.* XI, 44). Taceo de cæteris magnarum virtutum et divinarum operationibus. Nunc ergo primum intelligitis qui sit hic missus e cœlis, postquam audistis : *De Patre exivi?* Et hoc vobis primum jam sine proverbio dictum est, et per naturæ virtutem intelligitis verum esse quod a Deo exivit, cum voluntatum (3) (*j*) vestrarum cogitationes tacitus intuetur, cum (*k*) de nullis tamquam ignarus interrogat, cum omnium cognitor est? Per hæc enim omnia, quæ virtute ac natura Dei agit, a Deo exisse credendus est.

34. *Prius noverant a Deo missum : sed nativitatis rationem non acceperant.* — Non hic sancti apostoli a Deo exisse, id est, a Deo missum esse intellexerunt; nam omni superiore sermone confitentem missum esse se frequenter audierant : sed audientes a Deo exisse, naturam in eo Dei ex operibus cernentes, naturæ

(1) Omittitur *esse* in nostro ms.
(2) *Fragmenta panium.*

(3) *Nostrarum.*

(*a*) Par. post Lipsium, *traditum* : male et præter aliorum librorum fidem. Quippe nondum apostolorum doctrina expenditur, sed fides.

(*b*) In prius vulgatis, *maxime*, adverbium. Hic *maximæ*, id est, *clarissimæ*. Tum in vetustissimis exemplaribus Colb. et Carn. scribitur *adhunc*, non alio sensu.

(*c*) Ita in mss. At in excusis, *fidem*.

(*d*) Editi hic omisso *esse*, subjiciebant, *et se in Patre esse nesciret*, non *inesse*. Concinnior est lectio mss.

(*e*) Par. cum vetusto ms. Colb., *Dicunt ergo discipuli*.

(*f*) In antiquioribus mss. hic *clavem*. Inferius tamen hæc vox exstat in plurali numero librorum omnium consensu.

(*g*) Bad., Er. et recentiores mss. *et in eisdem*. Melius alii libri, *et easdem*, supple *factas* : nisi malis cum Martin. *et ex eisdem*.

(*h*) Antiquiores mss. *panium*. Tum Erasmus legendum putat *et materiæ parvitas*, non *et naturæ*. Cui favet quod de eodem Christi facto ait Hilarius in Matth. c. XIV, n. 12 : *Crescit deinde materies* : et post pauca, *Auctorem enim hujus universitatis tantus panum profectus ostendit, per quem tali incremento modus pertractatæ materiæ adderetur*. Facilius itaque ei annueremus, nisi verbo *naturæ* mox repetito, ei præmitteretur *ejusdem*. Hæc sententia a præcedenti non differt nisi vocabulis. Deinde in ms. Vat bas. *reviruisse manum aridam* : quod a subnexis dissonat, in quibus cætera Christi gesta plurali numero enuntiantur.

(*i*) Sic mss. At editi, *cito*.

(*j*) Plerique ac potiores mss. *nostrarum*. Mox in omnibus *tacitus*; ubi in excusis *tacitas*.

(*k*) Editi, *de nonnullis*. Rectius mss. potiores, *de nullis*; respicitur enim illud, *Non habes necesse ut aliquis te interroget*. Postea Vat. bas. ms. : *Cum omnium occultorum cognitor est*; Mart. : *Cum omnium occulta conditor est* : minus sincere; cum in sacro textu in quem hic respicitur, simpliciter exstet, *quia nosti omnia*.

(*a*) veritatem per id quod a Deo exiit recognoscunt, cum dicunt: *Nunc ergo scimus, quia nosti omnia, et non habes necesse, ut aliquis te interroget : in hoc credimus quod a Deo existi* (*Joan.* XVI, 29). Per id enim credunt, quod a Deo exiit, per quod ea quæ Dei sunt potest atque agit (*b*). Non enim naturam Dei a Patre venisse, sed a Deo exisse consummat. Denique hoc, quod nunc primum audiunt, (*c*) confirmatur ad fidem. Nam cum Dominus utrumque dixisset : *Ego a Deo exivi, et a Patre veni in hunc mundum* (*Ibid.* 28); nihil admirationis in eo habuerunt, quod frequenter audierant, *et a Patre veni in hunc mundum.* Responsio autem eorum, fidem et intelligentiam hujus dicti contestata est, *Ego a Deo exivi.* Nam ad id tantum responsum est, cum dicunt, *In hoc credimus quoniam a Deo existi ;* neque addunt, Et a Patre venisti in hunc mundum. **159** Et cum alterum in professione, alterum in silentio est; professionis causam dicti novitas exegit, profitendi autem contestationem intelligentia veritatis elicuit. Sciebant quidem eum omnia ut Deum posse, sed nondum rationem (*d*) nativitatis acceperant : et qui sciebant a Deo missum, exisse tamen a Deo nesciebant. Inenarrabilem illam et perfectam Filii nativitatem per virtutem dicti istius intelligentes, (*e*) nunc secum sine proverbiis profitentur locutum.

35. *Exitio quam apte Filii nativitatem enuntiet.* — Non enim per consuetudinem humani partus Deus ex Deo nascitur, neque per elementa originis nostræ ut homo ex homine propellitur. Integra illa et perfecta et incontaminata nativitas est, cujus a Deo exitio potius quam partus est. Est enim unus ex uno. Non est portio, non est defectio, non est deminutio, non derivatio, non protensio, non passio; sed viventis naturæ ex vivente nativitas est. Deus ex Deo exiens est, non creatura in Dei nomen electa ; non ut esset cœpit ex nihilo, sed exiit a manente : et exiisse significationem habet nativitatis, non habet inchoationis. Non enim idem est substantiam (*f*) cœpisse, et Deum exiisse de Deo. Et nativitatis hujus conscientia licet non subjecta verbis sit, cum inenarrabilis sit; habet tamen in doctrina Filii fidei securitatem, a Deo se manifestantis exisse.

36. *Petrus filium Dei confessus verum credidit. Tunc primum eum agnovit Deum. Ubi didicerit.* — Non est evangelica et apostolica fides, filium Dei nomine potius quam natura credidisse. Si enim adoptionis hæc nuncupatio est, et non idcirco filius est, quia exierit a Deo; quæro unde beatus Simon Bar-Jona est confessus, *Tu es Christus filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16) ? anne cum omnibus potestas sit per sacramentum regenerationis (*g*) in filios Dei nasci ? Si secundum hanc nuncupationem filius Dei Christus est ; interrogo quid illud sit, quod Petro non caro neque sanguis revelavit, sed Pater qui in cœlis est (*Ibid.* 17)? Generalis professio quid habet meriti? aut quæ revelationis est gloria in (*h*) publica conscientia? Si ex adoptione filius est; unde hæc in Petro beata confessio est, hoc Filio (*i*) deferenti quod est commune sanctorum? Ultra humanam autem intelligentiam se fides apostolica protendit. Audierat utique frequenter, *Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum qui me misit* (*Matth.* X, 40). Missum **160** ergo jam non ignorabat : et quem missum non ignorabat, audierat profitentem, *Omnia mihi tradita sunt a Patre, et nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius* (*Matth.* XI, 25). Quid istud est quod nunc Petro Pater revelat, quod beatæ confessionis gloriam sumit ? Numquid patris nomen et filii nesciebat ? Atquin frequenter audierat. Sed loquitur quod nondum vox humana protulerat, *Tu es Christus filius Dei vivi.* Nam tametsi in corpore manens Dei se filium esset professus; tamen apostolica fides nunc primum naturam in eo divinitatis agnovit. Neque enim Petro tantum (*j*) ex confesso honore laus reddita est, sed ex agnitione mysterii : quia non Christum solum, sed Christum Dei filium esse confessus est. Nam utique ad confessionem honoris sufficerat dixisse : *Tu es Christus.* Sed inane fuerat, Christum ab eo confessum fuisse, nisi Dei filium confiteretur. In eo enim quod ait, *Tu es*, virtutem et proprietatem naturalis veritatis explicuit. Et Pater dicendo, *Hic est filius meus* (*Matth.* XVII, 5), Petro revelavit ut diceret, *Tu es filius Dei :* quia in eo quod dicitur, *Hic est*, revelantis indicium est; in eo vero quod respondetur, *Tu es*, confitentis agnitio est. Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ

(*a*) In Ms. Mart. et bas. Vat., *naturæ virtutem :* minus apte. Hoc quippe concluditur, Apostolos virtute atque operibus Christi adductos fuisse, ut latentem in eo naturæ divinæ veritatem, quam ipse iis prædicabat, crederent.

(*b*) In uno codice Vat. et nonnullis aliis, *potestate acta quæ agit, plena fide testificantur* : mendosa lectio et interpolata, quam Bad. et Er. ex parte secuti sunt.

(*c*) Lips. et Par., *confirmantur*. Rectius Bad., Er. et mss. *confirmatur*, ab apostolis videlicet ipsum Christi testimonium quod a Deo exierit.

(*d*) Par. cum antiquo ms. Colb. et Germ. *rationem novitatis.*

(*e*) Quidam mss. quos minus sinceros experti sumus, cum Bad. et Er., *nunc primum cœperunt advertere, cum illum sine proverbiis profitentur esse locutum.*

(*f*) Mss. Vat. bas. et Mart., *cœpisse ex Deo :* et mox, *in doctrina filii Dei fidei*, etc.

(*g*) Abest *in* a mss. bas. Vat. Vide lib. I, n. 10 et 11.

(*h*) Editi excepto Par. et nonnulli recentioris ævi mss. *publica scientia.* Verius alii libri, *publica conscientia*, id est, cujus etiam vulgus conscium est. Sic, lib. II ad Constant., n. 10, rogat Hilarius ut sibi liceat de fide disserere *sub publica conscientia :* et lib. contra Constantium, n. 2, renuunt hæretici in Biterrensi concilio audire ab ipso ingesta, *timentes publicæ conscientiæ.*

(*i*) In codice Vaticanæ basilicæ, *deferens*, quod primum arridebat : sed nihil est cur ab aliorum consensu discedamus. Longe minus placet postea cum eodem ms. *quod est in commune.* Porro vocem *Filio* in tertio casu, ac proximum verbum *deferenti* in sexto intelligimus, quasi, *in Petro cum defert Filio.*

(*j*) Exemplar Mart., *ex confessione honor et laus.*

ædificatio est (*Vid. lib.* II, *n.* 23, *et cap.* 16 *in Matth.* *n.* 7). Sed sensus carnis et sanguinis, confessionis hujus intelligentiam non revelat. Hoc est divinæ revelationis sacramentum, Christum Dei filium non solum nuncupare, sed credere. Aut numquid nuncupatio potius quam natura Petro revelata est? Si nuncupatio; jam hanc a Domino frequenter audierat, esse se Dei filium confitente. In quo ergo revelationis est gloria? (*a*) Naturæ scilicet, non nominis; cum frequentata nominis professio jam fuisset.

37. *Petri fides commendatur.* — Hæc fides, Ecclesiæ fundamentum est: per hanc fidem infirmes (*al.* infirmæ) adversus eam sunt portæ inferorum. Hæc fides regni cœlestis habet claves. Hæc fides quæ in terris solverit aut ligaverit, et ligata in cœlis sunt et soluta (*Matth.* XVI, 18 *et* 19). Hæc fides paternæ revelationis est munus, Christum (*b*) non creaturam ex nihilo mentiri, sed secundum proprietatis naturam Dei filium confiteri. O miseræ stultitiæ furor impius, non intelligens beatæ senectutis fidei que martyrem, (*c*) et martyrem Petrum, pro quo Pater rogatus est, **161** ne fides ejus in tentatione deficeret: qui iterata a se dilectionis in Deum postulatæ professione, tentari se adhuc tamquam ambiguum et incertum tertia interrogatione congemuit (*Joan.* XXI, 17); per id quoque a Domino (1) post tertiam (*d*) tentationis purgationem infirmitatum, *Pasce oves meas*, ter meritus audire: qui in cunctorum apostolorum silentio Dei filium revelatione Patris intelligens, ultra humanæ infirmitatis modum, supereminentem gloriam beatæ fidei suæ confessione promeruit! In quam nunc interpretandæ vocis suæ deducimur necessitatem? Ille confessus est Christum filium Dei: at mihi tu hodie, novi apostolatus mendax sacerdotium, ingeris Christum ex nihilo creaturam. Quam vim affers dictis (*e*) gloriosis? Filium Dei confessus, ob hoc beatus est. Hæc revelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est, hæc securitas æternitatis est. Hinc regni cœlorum habet claves, hinc terrena ejus judicia, (*f*) judicia cœlestia sunt. Sacramentum occultum (*al.* occultatum) a sæculis (*g*) per revelationem didicit, fidem locutus est, naturam enuntiavit, Dei filium confessus est. Hoc qui creaturam potius confitens negat, prius est ut neget Petri apostolatum, fidem, beatitudinem, sacerdotium, martyrium: et post hæc se alienum a Christo esse intelligat, quia Petrus eum filium confessus hæc meruit.

38. *Hæreticorum sententia Petro ignota. Non alia nisi Petri fides.*— An ne, o miser, quisquis hodie es, hæretice, beatiorem Petrum futurum fuisse existimas, si dixisset: Tu es Christus perfecta Dei creatura, et supereminens facturis omnibus factura, et qui ex nihilo esse cœpisti, et per bonitatem Dei, qui bonus solus est, nomen filii adoptione meruisti, (*h*) et qui non ex Deo natus es? Et quæro a te, quid auditurus fuerit **162** hæc dicens, qui audita passione respondens, (2) *Propitius* (*i*) *tibi, Domine, non erit istud* (*Matth.* XVI, 22), audierit sibi dici: *Vade retro* (*j*) *post me, satanas, scandalum mihi es* (*Ibid.* 23)? Nec Petro tamen humana ignorantia profecit ad crimen; non enim ei Pater adhuc omne passionis mysterium revelaverat: sed fides (3) (*k*) parva sententiam damnationis excepit. Cur igitur non hanc confessionis fidem Pater Petro revelavit, creaturam scilicet et adoptionem? Invidit, credo, hic Petro Deus, ut in tempora posteriora dissimulans, hæc nunc vobis novis prædicatoribus reservaret. Sit sane fides alia, si aliæ claves regni cœlorum sunt. Sit fides alia, si Ecclesia alia est futura, adversum quam portæ inferni non prævalebunt. Sit fides alia, si erit alius apostolatus, ligata et soluta per se in terra, ligans in cœlo atque solvens. Sit fides alia, si Christus alius Dei filius, præter quam

(1) *Post tertiam tentationis purgationum infirmitatem.*

(2) *Propitius tibi Dominus.*

(3) *Prava.*

(*a*) Mss. Vind. et Silv. *in natura scilicet, quia nominis frequentata professio*, etc., male. Sic potius vertendum hoc foret: in eo scilicet quod facta ei sit revelatio naturæ, non nominis, etc.

(*b*) In prius vulgatis, *non creaturam novit.* Abest *novit* a mss.

(*c*) In quibusdam mss. non repetitur *et martyrem*, librariorum incuria: qua voce hic *testis* intelligitur.

(*d*) Ita ex ms. Corb. faventibus aliis. Sensus fere idem exhibetur in duobus Vatic., *post tertiam purgationem tentationis infirmitatis:* at vocabulum *tentationis* ad duplicem Petri tentationem relatum, sic ad unam restringitur. In vetustiore ms. Colb. et Germ. *post tertiam tentationis purgationum infirmitatum.* Huic consentiunt alius Colb. necnon Prat., Vind., Silv. cum edit. Bad. et Par. nisi quod habent, *infirmitatem.* His accedit antiquior Remig. *post tertiam tentationis purgationis infirmitatem.* At in Carnut., Tell., Theod. et alio Remig., *post tertiam tentationis purgationem:* pro quibus apud Bad., Er., in ms. Mart., in uno Sorbon. et in alio Colb. legitur, *post tertiam tentationis infirmitatem.* Ex variis illis lectionibus seligat quisque quæ magis arriserit. Quam autem prætulimus, hoc sonat, Petrum post tertiam interrogationem, ac veluti tentationem, qua probata est illius charitas, purgatum esse a trina negatione, qua tentata ac probata fuerat ipsius infirmitas. Quod illustratur his Ambrosii lib. V de Fide n. 2, verbis: *Est Petrus ipsius Domini ad pascendum gregem electus judicio, qui tertio meretur, Pasce*, etc. *Pascendo bene cibo fidei culpam lapsus prioris abolevit. Et ideo tertio admonetur ut pascat, tertio utrum Dominum diligat interrogatur: ut quem tertio ante crucem negaverat, tertio fateretur.*

(*e*) Vat. bas. ms., *in gloria enim filium*, etc., Mart. *gloriosus enim filium.*

(*f*) In prius vulgatis semel tantum exstabat *judicia*, quod elegantius mss. repetunt.

(*g*) In ms. Vat. bas., *per revelationem Dei.*

(*h*) Editi, *et quia non*: minus consentiunt superioribus, *et qui ex nihilo*, etc.

(*i*) Ita codex Vat. bas. juxta græcum, Ἵλεώς σοι, κύριε, faventibus mss. Martin., Remig. et Theod., *propitius tibi esto, Domine.* In aliis tamen libris fertur, *propitius tibi Dominus*, nisi quod in Carn. exstet *Deus*, non *Dominus.* At cap. 16, in Matth. num. 9, habetur juxta Vulgatam, *absit a te, Domine.*

(*j*) In ms. Mart. desideratur *post me.* Videsis adnotata ad num. 10, cap. 16 comm. in Matth.

(*k*) Mss., Carn., Remig. ac Tell., *prava*: corrupte. Ea quippe erat, ut proxime dictum est, a crimine aliena.

qui est, prædicabitur. Sin vero hæc fides sola, confessa Christum Dei filium, omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro; necesse est ut ea, quæ eum creaturam potius ex nihilo confitebitur, claves regni cœlorum non (*a*) adepta, et extra fidem ac virtutem apostolicam constituta, (*b*) nec Ecclesia sit illa, nec Christi.

39. *Joannes Filium unigenitum profitens, adoptivum negavit.* — Proferamus itaque omnes apostolicæ fidei professiones, in quibus Dei filium confitentes, non adoptionis in eo nomen, sed naturæ proprietatem confitentur; neque creationis in eo ignobilitatem, sed nativitatis gloriam protestantur. Loquatur Joannes sic usque ad adventum Domini manens, et sub sacramento divinæ voluntatis relictus (*c*) et deputatus, dum non neque non mori dicitur et manere. Loquatur ergo sua, ut solet, voce : *Deum nemo vidit umquam,* **163** *nisi unigenitus filius, qui est in sinu Patris* (*Joan.* I, 18). Naturæ fides non satis explicata videbatur ex nomine (1) (*d*) filii, nisi proprietatis extrinsecus virtus per exceptionis significantiam adderetur. Præter filium enim, (*e*) et unigenitum cognominans, suspicionem penitus adoptionis exsecuit : cum veritatem nominis, unigeniti natura præstaret.

40. *Unigenitus filius Joanni non est creatura perfecta.*—Nondum quæro quid sit, *qui est in sinu Patris;* habet interrogatio ista suum ordinem : quæro quid unigeniti significatio sibi postulet. Et videamus an hoc sit, quod tu esse profiteris, id est, creaturam Dei perfectam; ut perfecta pertineat ad unigenitum, creatura vero referatur ad filium. Sed Deum unigenitum filium Joannes dixit, non creaturam perfectam. Non ignoravit hæc blasphemiæ nomina, dicens : *Qui est in sinu Patris;* et a Domino suo audiens : *Sic enim dilexit mundum Deus,* (*f*) *ita ut filium suum* (2) *unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam* (*Joan.* III, 16). Deus mundum diligens, hoc dilectionis suæ in eum testimonium protulit, ut unigenitum filium suum daret. (*g*) Si dilectionis hinc fides est, creaturam creaturis præstitisse, et pro mundo dedisse quod mundi est, et ad ea quæ ex nihilo sunt substituta redimenda, cum qui ex nihilo substitit præbuisse : non facit magni meriti fidem vilis et spernenda jactura. Pretiosa autem sunt quæ commendant charitatem, et ingentia ingentibus æstimantur. Deus diligens mundum, filium non adoptivum, sed suum, sed unigenitum dedit. (*h*) Hic proprietas est, nativitas est, veritas est : non creatio est, non adoptio est, non falsitas est. Hinc dilectionis et charitatis fides est, mundi saluti et filium et suum et unigenitum præstitisse.

164 41. *Fides Christi ut Dei filii ad salutem necessaria.*—Prætermitto omnes de Filio nuncupationes. Non est damnosa dissimulatio, ubi de copia est electio. Rei profectus semper ex causa est, et omne opus manifestam habet suscepti negotii necessitatem. Scribens utique (*i*) Evangelia, scribendi debuit afferre rationem : et videamus quam ostenderit dicens : *Hæc autem scripta sunt, ut credatis quoniam Jesus est Christus filius Dei* (*Joan.* XX, 31). Scribendi igitur Evangelii non aliam prætulit causam, quam ut omnes cre-

(1) Vox *filii* deest in nostro codice.

(2) *Unicum.*

(*a*) Vat. bas. codex, *sit adepta, et extra fidem et veritatem.* Magis placet cum aliis *et virtutem*, quæ nimirum in ligandi et solvendi potestate maxime commendatur.

(*b*) Editi excepto Bad. *nec ecclesia sit ulla.* Tum etiam Bad. *nec Christus.* Tres mss. *nec ecclesiæ.* Verius alii magno consensu, *nec ecclesia sit illa,* quæ scilicet talia profitetur, *nec Christi*, hoc est, nec ad Christum Ecclesiæ caput pertineat.

(*c*) Bad. et Er., *relictis deputatus.* Lips. et Par., *relictus deputatus*, sine *et :* ac deinde cum ms. Vat. bas., *dum non mori dicitur.* Ubi apud Bad. et Er., *dum non neque mori*, et in quibusdam mss. *dum neque non mori.* Rectius castigatiores mss. *relictus et deputatus, dum non neque non mori dicitur :* hoc est, dum neque dicitur moriturus, quia Christus suam de illius exitu noluit declarare voluntatem; atque ita hoc manet in occulto, seu sub sacramento. Ambrosius autem Serm. XX in psal. CXVIII, aliquos ait de morte S. Joannis dubitasse. An eorum numero accensendus sit Hilarius, ex hoc loco non satis certo definiri queat, cum adhæreat, quantum potest, verbis Evangelii Joan. XXI, ỳ 22 et 23.

(*d*) Vox *filii* non occurrit nobis in mss. nisi in codice S. Martini Turon.

(*e*) Apud Par. desideratur particula *et*, quæ hic perinde est atque *etiam.* Deinde apud Bad., Er. et in tribus mss. Vatic. post *unigenitum* adjicitur *nihil :* interpolatoris vitio. Hoc enim sibi vult : cum *filii* vocabulo adjicitur *unigeniti* nomen, non de adoptivorum grege, qui numero plures sunt, sed proprius esse significatur. Ut enim ait Augustinus Coll. cum Maximino, n. 14 : *Si filius est, verus filius est, quia unigenitus est.* Ex eodem Joannis loco Faustinus Hilarii nostri vestigiis insistens tria concludit c. 2, lib. ad Flac. : *Ergo unigenitus Filius non est creatura, qui Deum videt, quem nulla creatura videt. Et ne forte unum eum de adoptivis filiis crederet, amputavit sensus impii occasionem, cum eum dixit non solum filium, sed etiam unigenitum Filium : hoc nomen non habet socios.* (En verba Hilarii clare expressa. Addit,) *Filii adoptivi in sinu Abrahæ sunt : qui autem verus et unigenitus filius est, in sinu Patris est.*

(*f*) Particula *ita*, licet superfluere videatur, additur ex fide veterum librorum. Mox in mss. Vat. bas. et Martin. *daret pro eo ut omnis.*

(*g*) Hic Filius proprius esse ostenditur duobus argumentis, quorum alterum non satis aperte expressum est. Utrumque illustratur verbis Faustini loco laudato. *Si et Christus creatura est, quid contulit mundo, dans pro creatura creaturam?* (En primum; alterum vero,) *Si Christus creatura est, servus est : et quomodo redimit ad libertatem, cum servus nullus jure possit conferre libertatem?* Præterea ex verbis, *ut omnis qui credit in eum*, etc., colligit eum non esse creaturam, *cum credere in creaturam sit divinitatis offensio.*

(*h*) In aliquot mss. *hinc proprietas :* male. Pejus apud Bad. et Er. *hinc pietas.* Quippe adoptioni opponitur proprietas, quæ *hic est*, id est, in his Joannis verbis aperte declaratur. Ex qua declaratione sequitur nos illi fidem ac dilectionem debere. Ex quo patet cur nunc *hic*, ac postea *hinc* legendum.

(*i*) Editi, *evangelista;* et mox Par. *ut videamus.* Emendantur ex scriptis. Idem quoque argumentum prosequens Faustinus : *Si*, inquit, *vere adoptione esset filius Dei, et non natura..... nusquam magis hoc explanasset* (Joannes) *quam in ultimo scriptionis; ne fides in ambiguo derelicta, vitam perderet per ambiguitatis incertum.*

derent Jesum esse Christum filium Dei. Si sufficit ad salutem, Christum credere, cur adjecit filium Dei? Si vero Christum (*a*) credere ea demum fides est, non Christum tantummodo, sed Christum filium Dei credidisse; non est nomen filii in Christo unigenito Deo ex adoptionis consuetudine, (*b*) quod proprium est ad salutem. Si ergo salus in confessione nominis est; quæro cur in nomine veritas non sit. Quod si in nomine veritas est; qua auctoritate creatio esse dicetur, cum non creationis confessio salutem sit præstitura, sed filii?

42. *Filius ex Patre natus. Filium negantes, antichristi.* — Hæc igitur salus vera est, hoc perfectæ fidei meritum, Jesum Christum filium Dei credidisse. Non est enim dilectio in nobis ad Deum patrem, nisi per Filii fidem. Et audiamus eum per epistolam loquentem : *Omnis, qui diligit Patrem, diligit eum qui ex eo natus est* (I *Joan.* v, 1). Quid est, rogo, ex eo nasci? Numquid idipsum est, quod per eum (*c*) creari? Aut cur Evangelista mentitur, ut ex eo natum dicat, quem per eum creatum potius hæreticus doceat? Et audiamus omnes (*d*) quid sic hic doctor. Dictum namque est : *Hic est antichristus, qui negat Patrem et Filium* (I *Joan.* II, 22). Quid agis tu assertor creaturæ, et de non exstantibus Christi novus conditor? Si **165** professionem tenes, profitentis nomen recognosce. An cum creatorem et creaturam Patrem et Filium prædicabis, (*e*) per assimulatas nominum voces excludere posse te credis, ne esse antichristus intelligaris? Si in fide tua per naturam pater est, et per naturam filius est; maledicus ego sum, opprobrium in te alieni nominis referens. Sin vero simulata omnia sunt, et potius nuncupata quam propria; fidei tuæ ab apostolo disce cognomen, et audi quæ sit crediti Filii fides. Sequitur enim, *Qui negat Filium, neque Patrem habet : qui confitetur Filium, et Filium et Patrem habet* (*Ibid.* 23). Negans Filium caret Patre (1) : confitens Filium atque habens, habet Patrem. Quæro hic quid adoptiva nomina loci habeant. Numquid non naturæ res ista omnis est? Et quam naturæ sit, accipe.

43. *Joannes et hæretici simul comparantur.* — Ait enim : *Quia scimus quod filius Dei venit, et concarnatus est propter nos, et passus est, et resurgens de mortuis assumpsit nos, et dedit nobis intellectum optimum, ut intelligamus verum,* (2) *et simus in vero filio ejus* (*f*) *Jesu Christo : hic est verus* (*g*), *et vita æterna, et resurrectio* (*h*) *nostra* (I *Joan.* v, 20 et 21). O infelix intelligentia, et Dei spiritu carens, et (*i*) in antichristi spiritum ac nomen proficiens, et nesciens ad sacramentum salutis nostræ Dei filium venisse (per hoc indigna optimæ hujus intelligentiæ sensu), creaturæ potius adoptivum nomen quam verum filium Dei Jesum Christum esse confessa, quibusnam hoc arcanorum mysteriorum secretis edocta es? vel quis hodie novus hujus scientiæ tuæ auctor est? An ne secreto tibi hoc per familiaritatem amoris recumbenti in pectus suum Dominus ostendit (*Joan.* XIII, 23)? Aut solus ad crucem sequens, inter cætera suscipiendæ tibi in matrem Mariæ præcepta, hæc quoque in illa specialis in te amoris contestatione didicisti (*Joan.* XIX, 27)? Vel ad sepulcrum prior quoque Petro currens adeptus es (*Joan.* XX, 4)? Vel intra (*j*) consessus angelorum **166** et signatorum librorum insolubiles nexus, et signorum cœlestium multiformes potestates, et novarum atque incomprehensibilium cantionum hymnos sempiternos, tam pia tibi hæc per Agnum ducem revelata doctrina est, ne Pater pater sit, ne Filius filius sit, ne natura natura sit, ne veritas veritas sit (*Apoc.* v)? Hæc enim apud

(1) *Caret Patrem.*

(2) *Et simus in vero filio Jesu Christo : hic est verus Deus*; græce, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός.

(*a*) Septem mss. *credere non sufficit.* Abest *non sufficit* a potioribus.

(*b*) Quod sequitur, his nititur Joannis verbis, loco proxime laudato cohærentibus, *et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Quod fauste Faustinus vidit, ac nitide sic exposuit : *Etiamne hic suspicio est creaturæ, ubi, qui crediderit quod filius Dei est Christus, æternam vitam possidet, et non aliter quam in nomine ejus?..... In nomine enim creaturæ ne quidem vitam temporalem potest quis assequi.*

(*c*) Si idipsum est, mundus ex Deo natus pari jure dicendus est, neque mala est Faustini consequentia : *Ergo et mundus a nobis diligendus est, si diligendus est Pater. Sed clamat Joannes, Nolite diligere mundum.*

(*d*) In vulgatis, *quis sit.* Concinnius in mss. *quid sit.* Erasmus Hilario perperam vitio vertit, quod Arianum nuncuparit antichristum, cum hoc non tam ipse dicat, quam audiat a Joanne dici. Unde Ambrosius lib. II de Fide cap. 15 : *Joannes dicit hæreticos esse antichristos, Arianos utique designans*; et Faustinus sæpe laudatus : *Merito ergo antichristus vocaris, qui negas Patrem et Filium sub interpretatione impia.*

(*e*) Quidam mss. *per adsimilatas* : male. Hic perstringitur Arianorum hypocrisis, de qua Faustinus initio Operis sui : *Ariana impietas asserit quidem multa nobiscum iisdem nominibus, sed non iisdem sensibus. Nam iisdem quibus nos personat Deum patrem, et Deum filium*, etc. Hinc et Hilarius noster mox ait, *simulata omnia.* Itaque proximo verbo *prædicabis*, non solus vocabulorum sonus, sed maxime animi intelligentia ac sententia significatur.

(*f*) Vox *ejus* in vulgatis omissa restituitur ex mss.

(*g*) Auctoritate vetustiorum mss. removimus hinc vocabulum *Deus* : quod abest pariter a primis Faustini editionibus, neque in postremis additum est nisi intra parenthesim, hoc est, ex conjectura. Ambiguum quidem est num ille legerit *hic est verus Deus* : quod Basilius lib. IV contra Eunom. p. 106, Augustinus Coll. cum Maximino num. 14, et Cyrillus Alexandr. ad calcem Dial. VIII legunt. At verbum *verus* ad Filium ab Hilario relatum fuisse apparet; ut et legerit *hic est verus*, et subaudierit *filius.*

(*h*) Post *nostra*, additur *in ipso* apud Faustinum : apud quem idem ille locus totidem verbis refertur, quamvis hæc, *et resurrectio nostra*, sicut et superiora, *et concarnatus est propter nos, et passus est, et resurgens de mortuis assumpsit nos*, modo non exstent in sacro textu tum græco tum latino, sicut nec apud Cyrillum loco mox laudato.

(*i*) Unus codex Vatic. cum duobus aliis, *et exinaniti Christi spiritum ac nomen profitens*; depravate.

(*j*) Ex his, et ex dictis n. 20, liquet, non alium Hilario Joannem Evangelii, alium Apocalypsis auctorem fuisse.

te omnia demutantur in falsa. Apostolus concessa sibi optima intelligentia (*a*) verum Dei filium dicit: tu affirmas creationem, tu prædicas adoptionem, tu negas nativitatem. Et cum hic verus Dei filius nobis sit, et vita æterna, et resurrectio; nec vita æterna est ei, nec resurrectio, cui ille non verus est. Et hæc quidem Joannes discipulus a Domino dilectus.

44. Paulus Christum passim prædicat verum Dei filium. — Sed nihil ab his dissimile ex persecutore apostolus et vas electionis prædicavit. Qui enim sermo ejus non sub filii confessione est? Quæ epistola non de sacramento veritatis istius cœpta est? In quo nomine non proprietatis significatio est? (1) Cum enim dicitur: *Reconciliati sumus Deo per mortem filii sui* (*Rom.* v, 10); et rursum: *Deus filium suum misit in similitudinem carnis peccati* (*Rom.* VIII, 5); et rursum: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem filii ejus* (1 *Cor.* I, 9): Quid hic hæreticorum furto loci relictum est? Filius suus est, filius (*b*) ejus est: non adoptio ejus est, non creatura ejus est. Nomen naturam loquitur, veritatem proprietas enuntiat, fidem confessio testatur: non intelligo quid addi possit ad naturam filii. (2) (*c*) Nam quod filius ejus est, qui esse pater creditur; non incerta et infirma ille, qui electionis est vas, locutus est: nec Magister gentium et Apostolus Christi ambiguæ doctrinæ suæ errorem reliquit. Scit qui sint adoptionis filii, et qui hoc esse ac nuncupari per fidem meriti sunt. Ait namque: *Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum* (3) (*d*) *in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater* (*Rom.* VIII, 14 et 15). **167** Fidei nostræ per sacramentum regenerationis hoc nomen est: et professio nostra nobis præstat adoptionem. Filios enim Dei, opera secundum spiritum Dei gesta connuncupant: et clamatur a nobis potius *Abba pater*, quam ex naturæ manet proprietate; quia extra naturæ proprietatem est vocis officium, et dici atque esse non idem est.

45. Filius proprius diserte assertus. Epistola ad Romanos græce scripta. — At vero quæ de filio Dei Apostoli fides sit, intelligamus. Nam cum omni, quem habuit ad Ecclesiæ doctrinam, sermone numquam Patrem sine Filii confessione loqueretur; tamen ut veritatem nominis hujus quanta posset humani sermonis significatione monstraret: ait, *Quid ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui filio proprio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis* (*Ib.* 31 et 32). Num quidnam etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Apostolus enim volens charitatem erga nos Dei ostendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere nosceretur, non pepercisse Deum proprio filio suo docuit: non utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturæ, sed pro alienis suo, pro connuncupandis proprio. Quære virtutem dicti; ut magnitudinem charitatis intelligas. Quid sit proprium expende; ne ignores veritatem. Nunc enim Apostolus proprium ait filium, cum in multis vel *suum*, vel *ejus* sæpe dixisset. Et quamvis multi codices, per (*e*) translatorum simplicem intelligentiam, in hoc loco pro (*f*) *proprio filio, suo filio* conscriptum habeant: tamen græcitas, qua lingua Apostolus est locutus, proprium nunc magis quam suum nuncupat. Et licet communis intelligentiæ sensu non satis inter proprium et suum differat; verum Apostolus, cum in cæteris aliis dictis *suum filium* commemorasset, quod est græce, τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν, tamen in hoc loco secundum quod ait, ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, *qui proprio filio non pepercit*, naturæ viritatem significanter expressit: ut qui superius filios plures per spiritum adoptionis demonstrasset, nunc unigenitum Deum filium proprietatis (*g*) ostenderet.

46. Inexcusabilis est qui Christum filium Dei negat, Antichristum pro Christo est susceptarus. — Non est humanus hic error, neque in negando Dei filio vitium ignorantiæ est, ubi ignorari non licet quod negatur. Creatura ex nihilo subsistens Dei filius dicitur. Hoc si nec Pater locutus est, nec Filius testatus **168** est, nec Apostolus prædicavit, tamen audere eloqui, hoc est Christum non ignorare tantummodo, sed odisse. Cum enim pater de filio suo dicat, *Hic est* (*Matth.* III, 17); et Filius de se dicat, *Qui tecum loquitur, ipse est* (*Joan.* IX, 37); et Petrus confiteatur, *Tu es* (*Matth.* XVI, 16); et Joannes testetur, *Hic verus est* (1 *Joan.* V, 21); et Paulus non desistat prædicare de proprio: non intelligo aliud quam negandi esse odium, ubi imperitiæ error non excusatur in crimine.

(1) *Cum enim dicit.*
(2) *Quam quod.*
(3) *In timore.*

(*a*) Prave in nonnullis mss. *verbum Dei*. Et hic optimum Hilarii interpretem Faustinum audire juvat: *Quomodo enim*, inquit, *non verus Deus est, qui verus est filius? quando non solum de veri filii nomine Deus verus probatur, sed etiam per hoc quod vita æterna est. Vita enim æterna non habet initium neque finem: ergo verus Deus est Christus non habens initium neque finem*, etc.

(*b*) Editi, *filius ejus sit*: contra fidem mss. Hic respiciuntur superiores Apostoli loci, quorum in duobus est *suus*, in postremo *ejus*.

(*c*) Bad., Er., Lips. ac non pauci mss., *quam quod*. Melius Par. (modo correcta fuerit interpunctio vitiosa) cum antiquioribus mss. *Nam quod*. Hic vult sanctus Doctor, nihil ad significandam veri filii naturam addi posse, ubi habetur *filiis* non modo nomen, sed et proprietas per pronomina *suus* et *ejus* signata, ac demum Apostoli utrumque testantis confessio.

(*d*) Editi, *in timore*: repugnantibus mss. et græco.

(*e*) In ms. Martin., *latinorum*, loco *translatorum*.

(*f*) Par. *pro proprio suo filio*: haud satis distincte. Nonnulli mss. *pro proprio filio suum filium*. Observat Faustinus hic Paulum alludere ad ista Gen. XXII, 12: *Nunc cognovi, quia times Deum, et non pepercisti dilecto filio tuo*, et Isaac figuram fuisse filii Dei: pleniorem autem atque perfectiorem veritate ipsa futuram fuisse figuram, si Isaac verus filius a patre suo Abraham, et filius non verus a Deo patre oblatus fuerit.

(*g*) Supple, *vocabulo*. Quamquam *proprietatis* vox ita collocatur, *ut filius proprietatis* opponatur *filiis adoptionis*.

Loquitur hæc interim, loquitur plane per adventus sui prophetas ac prævios ipse ille, qui postea erit in (*a*) antichristo locuturus: salutarem fidei confessionem his tentamentis novis inquietans, ut primum conscientiæ nostræ, (1) (*b*) quia ita credimus, intelligentiam filii naturalis avellat; deinde ipsum illud, quod (*c*) adoptivum erit, reliquum nomen excludat. Nam cum quibus (seu, *in quorum sententia*) creatura est Christus, necesse est ut cum his antichristus ipse sit Christus; quia filii proprietatem creatura non habeat, et Dei se ille filium mentiatur: et per hoc (*d*) a quibus hic Dei filius jam negatur, ab his (2) tunc Christus ille credatur.

47. *Ad sanitatem merendam fides filii Dei præexigitur.*— Quas, oro, spes, inanis furor, expetis? Et qua salutis tuæ fiducia creaturam esse Christum potius quam filium blasphemo ore contendis? Oportuerat te ex Evangeliis nosse ac tenere fidei hujus sacramentum. Nam cum Dominus possit omnia, tamen in unoquoque eorum, qui orabant operationis suæ effectum, meritum esse voluit confessionis. Neque enim ei virtutem, qui Dei Virtus est, confessio orantis addebat: sed fidei erat præmium, hoc mereri. Namque cum Martham rogantem pro Lazaro interrogavit, an eos qui in se credidissent mori non crederet in æternum, (*e*) ad illa conscientiæ suæ fidem elocuta est dicens, *Utique, Domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei, qui in hunc mundum venisti* (*Joan.* XI, 17); confessio hæc æternitas est, et fides ista non moritur. Martha deprecans fratris sui vitam, interrogata an ita crederet, ita credidit. Quam, rogo, vel a quo vitam exspectat hoc denegans, cum sola sit vita sic credere? Magnum est enim fidei hujus sacramentum, et perfecta confessionis istius beatitudo est.

48. *Ad salutem animæ eadem a cæco jam vidente postulatur.* — Cæco a nativitate Dominus visum indulserat, et naturæ damnum naturæ Dominus **169** exemerat. Et quia cæcus hic ad gloriam Dei natus fuerat, ut in Christi opere Dei opus posset intelligi, non exspectata ab eo fuit fides confessionis: sed qui in receptis oculis auctorem tanti sibi muneris nesciebat, meruit hoc postea ut fidem disceret. Non enim cæcitatis depulsio vitæ æternitatem afferebat. Ob quod Dominus jam sanum, et de synagoga ejectum interrogat dicens: *Tu credis in filium Dei* (*Joan.* IX, 35)? Ne damnum sibi putaret esse, (3) se carere synagoga, cui immortalitatem fides hæc confessa redhiberet. Et cum ille incertus etiamnum respondisset, *Quis est, Domine, ut credam in eum* (*Ibid.* 36)? ignorationem ejus, quem post oculorum (4) recuperationem tantæ fidei intelligentia munerabatur, nolens manere, ita ait: *Et vidisti eum, et qui tecum loquitur, ipse est* (*Ibid.* 37). Numquid ab hoc sicut a cæteris Dominus, qui orabant sanitates, confessionem fidei ad salutem merendam (5) reposcit? Non utique. Nam hæc jam ad cæcum videntem locutus est; sed ob id tantum, ut responderet ille: *Credo Domine* (*Ibid.* 38); quia responsionis fides non cæcitatis sanitatem esset allatura, (*f*) sed vitæ. Et virtutem dicti hujus diligenter retractemus. Interrogat Dominus, *Tu credis in filium Dei?* Si utique sola Christi qualiscumque confessio fidei esset consummatio; dictum fuisset, Tu credis in Christum? Sed quia hæreticis pene omnibus hoc nomen in ore esset futurum, ut Christum confiterentur, et filium tamen negarent; id quod Christo proprium est ad fidem poscitur, id est, ut credatur in Dei filium. Credidisse autem in Dei filium quid proficit, si credatur in creaturam; cum a nobis fides in Christo, non creaturæ Dei, sed filii postuletur?

49. *Filium Dei dæmones non nescierunt.*—An nec hujus nominis proprietatem dæmones nescierunt? Dignum enim est hæreticos non jam apostolicis doctrinis, sed dæmonum (*g*) ore convinci. Clamant enim, et sæpe clamant: *Quid mihi et tibi est, Jesu, fili Dei altissimi* (*Luc.*, VIII, 28)? Invitis veritas elicuit confessionem, et naturæ potestatem testatur dolor obediendi. Virtute vincuntur, cum possessa diu corpora deserunt: honorem reddunt, dum naturam (*h*) confitentur. Dei se inter hæc filium Christus et opere testatur et nomine. Unde tibi inter istas confitentium dæmonum voces, o hæretice, (*i*) nomen creaturæ et indulgentia adoptionis?

50. *Judæi filium Dei Christum scierunt, etsi qui esset Christus nescierunt. Ariani in Christum contumeliosiores quam Judæi.*— Quid sit Christus, ab his saltem qui **170** nesciunt disce; ut impietatem tuam ipsa illa ignorantium necessaria professio arguat. Namque cum Judæi Christum corporeum nescirent, scirent tamen eum qui Christus esset esse filium Dei; cum falsis adversus eum testibus sine ulla veritatis assertione uterentur, sacerdos eum ita interrogat: *Tu es Chri-*

(1) *Qua ita credimus.*
(2) *Tum Christus ille credetur.*
(3) *Se carere synagogam.* In hoc siquidem codice, *caret Patrem* supra n. 42, *nec careat virtutem*, lib. VII, n. 37, et alibi. Sic græce τί ὑστερῶ; latine quoque Plautus in Curc. *Id quod amo, careo.*
(4) *Reciperationem.*
(5) *Poposcit.*

(*a*) Vetus codex Colb. *antichristo*, omisso *in*.
(*b*) Bad., Er. et Lips. cum nonnullis mss. *qua ita credimus*. Melius Par. post vetustiores mss. *quia*. Redditur enim ratio cur diabolus non statim tentet eripere Christo filii nomen, quia nimirum ita fixum est in nostra fide eum esse filium, ut ab hac sententia statim divelli nos posse desperet.
(*c*) Id est, ipsa illa adoptionis conditio faciat, ut cum etiam filium non esse facile concedamus.
(*d*) Exemplar Carn. *quia hic*. Tum ms. Vat. bas. *Deus filius*. Mox aliquot alii, *Christus ille creditur*. Retinendum cum antiquioribus *credatur*, subaudito *necesse est*.
(*e*) Ita ex mss. Colb. et Germ. In aliis vero libris, *at illa*.
(*f*) Lips. et Par., *sed vitam*.
(*g*) Ita mss. vel ex librariorum lapsu, *more*. At editi, *clamore*. Mox in ms. Vat. bas. *quid nobis et tibi*.
(*h*) In ms. Vat. bas. et Mart., *naturam Dei*.
(*i*) Editi, *præsumis nomen creaturæ et indulgentiam adoptionis:* refragantibus mss.

stus filius (*a*) *Benedicti* (*Marc.*, XIV, 61) ? Sacramentum nescientes, naturam tamen non ignorant. Neque interrogant an Christus Dei filius sit, sed an hic sit Christus filius Dei. Error in homine est, non in Dei filio. Nam non quod Christus Dei filius sit ambigitur : atque ita dum interrogatur an hic sit, tamen quod Christus sit Dei filius non negatur. Et qua tandem, rogo, tu istud fide denegas, quod ne ipsi quidem negant qui nesciunt ? Cum enim perfecta scientia sit, Christum Dei filium ante sæcula manentem, etiam ex virgine nosse natum ; ipsi quoque, qui de Maria natum nesciunt, Dei tamen filium esse non nesciunt. Et vide in quod te, negando filium Dei, Judaicæ impietatis consortium miscuisti. Quam enim illi damnationis in eum causam attulerint testantur, dicentes : *Et secundum legem debet mori, quoniam filium Dei se fecit* (*Joan.*, XIX, 7). Anne non hoc etiam impiæ tuæ vocis opprobrium est, (1) (*b*) cur se filium dicat, quem tu esse asseras creaturam ? Ille, Dei confitendo se filium, reus mortis ab his judicatur : tu, eum Dei filium negando, quæro quid judices ? Professio enim ejus ita Judæis, ut tibi displicet. Interrogo an diversæ ab eis sententiæ maneas, a quibus non diversus sis voluntate? Eadem enim filium Dei eum esse impietate tu denegas. Illi tamen eo crimine minore, quod nesciunt. Nesciunt enim de Maria Christum, sed Christum Dei filium esse non ambigunt. Tu quia Christum non potes nescire de Maria, Christum tamen Dei filium esse non prædicas. Illis, in eo quod nesciunt, potest adhuc in tuto salus esse si credant : tibi jam omnia clausa sunt ad salutem, (*c*) qui negas quod ignorare jam non potes. Non enim ignoras esse filium Dei ; usque adeo ut adoptionis nomen indulgeas, ut creaturam connuncupatam filium mentiaris. Naturam autem quantum in te est auferens, auferres quoque si tibi liceret et nomen. Sed quia id non licet, naturam (*d*) nomini non relinquis : ne quod filius dicitur, verus Dei filius sit.

171 51. *Christum vere filium Dei confitentur Apostoli.* —Habueras in confessione eorum, quibus, desæviente vento et turbato mari, in verbi jussu erat restituta tranquillitas, ut et tu verum Dei filium confitereris, et eorum voce utereris : *Vere filius Dei est* (*Matth.*, XIV, 33). Sed te sæviens spiritus in naufragium vitæ rapit, et mentis tuæ motibus tamquam fluctuoso mari incumbens procella dominatur.

52. *Confitetur et qui crucifixerat Centurio.* — Si tibi hæc navigantium ex eo incerta fides videbitur, quia existimabitur esse Apostolorum ; mihi tamen etsi minus præstat admirationis, plus tamen affert auctoritatis. Verumtamen etiam gentium in eo fidem sume; audi enim inter sævas crucis custodias **172** Romanæ cohortis edomitum ad fidem militem. Loquitur namque conspectis tantæ virtutis operationibus centurio : *Vere Dei filius erat iste* (*Matth.*, XXVII, 54). Hoc, post emissum spiritum, discissum templi velum, et mota terra, et scissa saxa, et sepulcra patentia, et mortui resurgentes testantur, et homo gentilis perfidiæ confitetur ; virtutis naturam agnoscit in gestis, naturæ veritatem profitetur in nomine. Tanta ratio veritatis, et tanta vis fidei est, ut vincat voluntatem veri necessitas, et Christum Dominum gloriæ æternæ vere Dei filium esse, nec qui crucifixerat denegaret.

173-174 LIBER SEPTIMUS.

In exordio exponitur libri hujus præstantia, scribendi causæ, Arianorum vafrities, qui huc usque delusa sit ac repulsa, adversandi eis discrimen, ne videlicet Arium confutans Sabellio, ac rursus Sabellium impugnans Photino favere videatur ; et in rem Ecclesiæ quomodo se invicem Arius, Sabellius, ac Photinus vincant aut vincantur. Quibus breviter explicatis, eum, qui vere ex natura filius Dei est, vere quoque per naturam, salva unius et non singularis Dei fide, Deum esse comprobatur, ut pote cui Dei nomen, nativitas ex Deo, divina cum natura, tum potestas, ac denique quia se ipse Deum profiteatur. Quamquam fatetur Hilarius, cum argumento ex nativitate petito ita connexa esse cætera, ut seorsim tractari nequeant.

Ac primo quidem ponit, naturam rei nomine semper significari, nisi ratione adjectorum adventitium et non proprium esse indicetur : de Filio autem ita a Joanne dici, et Deus erat Verbum, *et a Thoma*, Dominus meus et Deus meus, *ut hæ appellationes etiam ex adjunctis, veram in eo Dei naturam exprimant. Cui vero, non secus ac Patri, naturæ divinæ proprium nomen, unius est cum ipso naturæ : ac proinde ipse cum Patre non duo Dii, sed unus est. Leviter hic attingit Verbi, Sapientiæ ac Virtutis cognomina, eaque Filio aptata esse declarat, ut in Patre absque ulla ipsius divisione aut demutatione subsistere ostendatur.*

Subjicit deinde non minus per se esse notum, nato eam inesse naturam ex qua subsistit : nec dubitari posse, quin ex Deo natus sit Christus, quem ob hoc maxime interficere volebant Judæi, quia proprium sibi patrem dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. *Nativitas autem, sicut et æqualitas, nec solum patitur, nec diversum.*

Ex eo ipso sermone, quem tunc Christus ad Judæos habuit, illius ex Deo nativitatem simul et paternæ naturæ unitatem demonstrari pluribus evincit : naturæ qui-

(1) *Cur se filium Dei dicat.*

(*a*) In prius vulgatis, *Dei benedicti.* Abest vox *Dei* a mss. et a græco. Judæorum error hinc notatur in facto, non in jure fuisse.

(*b*) Ita mss. At excusi, *cum se filium Dei dicat, quem tu asseris creaturam.*

(*c*) Dicti hujus ratio petenda ex tract. psal. CXXXV, num. 3, ubi inter alia hæc habentur : *Extra veniam est, qui peccatum cognovit, nec cognitum confitetur* : et hoc, quia *confessio erroris professio est desinendi* ; nec veniam meretur, qui a peccato desinere renuit. Vide annotata ad num. 8, tract. ps. CXL.

(*d*) Sic mss. ut superius num. 25 : *Si non credo nominibus, si naturam vocabulis non intelligo.* Editi vero, *naturam nominis.*

dem unitatem, dum operatur quod Pater, dum omnia eademque facit, dum una utriusque in mortuis vivificandis potestas, unus honor, una injuria, dum denique omne judicium habet; nativitatem vero, dum filium sese vocitare non desinit, dum ita agit quod Pater, ut tamen non ab se, *ita eadem, ut tamen* similiter, *ita judicium omne habet, ut tamen a Patre sit acceptum. Quod quidem confirmatur tum ex Judæorum intelligentia, qui Christum his dictis se vere Dei filium vereque Deum prædicare intellexerunt, tum ex ipsius Christi responsis, quibus non se male intellectum retulit, sed inique non creditum, cum dictorum fidem opera facerent.*

Postremo ex iis, quæ Christus a Philippo ut Patrem sibi ostenderet rogatus peroravit, ipse se et ex Patre natum, et unius ejusdemque cum eo naturæ diserte docere demonstratur.

1. *Hic liber superioribus præstat. Scribendi causæ. Hæreticorum subtilitas.* — Septimus hic nobis adversum novæ hæreseos vesanam temeritatem liber scribitur : cæteris quidem anterioribus numero posterior, sed ad perfectæ fidei sacramentum intelligendum aut primus, aut maximus. In quo non ignoramus quam difficile atque arduum iter doctrinæ evangelicæ scandamus. A quo quamvis (*a*) consciæ infirmitatis nostræ trepidatione revocemur; tamen fidei æstu incitati, et hæreticorum furore commoti, et periculo ignorantium perturbati, quæ loqui non audemus, silere non possumus : utriusque discriminis (*b*) metu subditi, ne destitutæ veritatis rea in nobis sit aut taciturnitas, aut prædicatio. Incredibilibus etenim se corrupti ingenii artibus **175** hæretica subtilitas circumegit : primum ut (*c*) fingeret religionem, deinde ut omnium simplicium aurium securitatem verbis falleret, tum præterea ut se prudentiæ sæculi coaptaret, postremo ut veritatis intelligentiam per speciem (*d*) editæ rationis averteret. Nam protestata (*in epistola lib.* IV *et* VI *relata*) Deum unum, mentita pietatem est; professa rursus Dei filium, audientes fefellit in nomine; dicens etiam non fuisse ante quam nascitur, mundi sapientiæ satisfecit; indemutabilem quoque et incorporeum Deum confitens, nativitatem Dei ex Deo per demonstrationem subdolæ rationis exclusit : nostris adversum nos usa doctrinis, et Ecclesiæ fide contra Ecclesiæ fidem pugnans, gravissimo adversum nos vel responsionis vel silentii periculo comparato, dum per ea quæ non negantur, ea prædicat quæ negantur.

2. *Quid epistola sua tentarint ingerere. Qui eis occurrerit Hilarius. Liber superior verum filium, hic ostendit Deum verum.* — Et quidem cæteris superioribus libris admonitos a nobis legentes meminimus, ut totius blasphemiæ (*e*) editionem pertractantes, animadverterent non aliud laborari, quam ut Dominus noster Jesus Christus neque Dei filius neque Deus esse credatur, dum ei concessis tantum ex quadam adoptione nominibus, et Dei natura negatur et filii : cum et indemutabilis atque incorporeus Deus, sicuti et est, idcirco affirmatur, ne Filius natus ex Deo sit; et Deus pater ob id tantum in confessione Deus unus sit, ne in fide nostra Deus Christus sit : quia nec nativitatis intelligentiam natura incorporalis admittat, et Dei ex Deo fidem unus tantum nobis Deus in confessione dissolvat. Sed superioribus jam libellis fallacem hanc eorum atque inutilem prædicationem ex lege ac prophetis docentes, eam responsionis formam tenuimus, quæ in Deo ex Deo prædicato, et uno Deo ac vero professo, neque in unius veri Dei unione deficeret, neque ad fidem Dei alterius excederet; dum neque solitarius nobis Deus in confessione, neque duo sunt. Et inter hæc, unum neque negando neque confitendo, fidei (*f*) conservata perfectio est, dum et quod unum sunt refertur ad utrumque, et uterque non unus est. Hoc igitur perfectæ fidei indissolubile sacramentum evangelicis atque apostolicis doctrinis absoluturi, non aliud primum debuimus, quam Dei filium veræ nativitatis subsistentem **176** (*g*) naturam cognitioni audientium intimare; neque aliunde aut ex nihilo, sed ex Deo esse filium manifestare. Quod quia secundum ea, quæ anteriore libro edita sunt, ambigi non potest, quin cessante adoptionis nomine, verus filius ex veritate nativitatis sit : (*h*) ea nunc quoque ex Evangeliis proferimus, ut quia filius verus est, verus quoque Deus esse noscatur : quia neque verus filius erit, nisi verus et Deus est; neque verus Deus, nisi verus et filius est.

3. *Hæresim unam confutans vix fugit suspicionem alterius. Sabellius, Arius, Hebion, Photinus.* — Nihil humanæ naturæ gravius est periculi conscientia (nam ea quæ aut ignorata aut repentina sunt, habent quidem miserabilem securitatem, sed non habent metum futuri) : quia non ignaro accidentium, anxietas ipsa pœna patiendi est. Non ego nunc navem e portu solvo naufragii ignarus, neque iter ineo infestos (*i*) nescius latronibus saltus, nec Libyæ arenas incertus scorpiones ubique et aspides et basiliscos adesse transcurro : nihil sollicitudini meæ, nihil conscientiæ vacat. Sub specula enim omnium hæreticorum ad occasiones singulorum verborum in os

(*a*) Nonnulli mss. *conscientiæ infirmitate nostræ et trepidatione.* Præferebant quoque editi, *conscientiæ.* Verius castigatiores mss. *consciæ*, supple *sibi*, ceu, cujus conscii sumus. Qua loquendi ratione in psal. LXVIII, num. 15, exstat, *consciæ in se salutis fiducia.* Nec displicet cum Corb. a prima manu, *conscii.*

(*b*) Editi, *metui subditi :* reluctantibus mss. Deinde unus e Vat. *ne de destitutione veritatis.*

(*c*) Vat. bas. ms. *ingereret.*

(*d*) Exemplar Martin. *meditatæ rationis.*

(*e*) In codice Vat. bas. adjicitur hic, *eorum* : et mox post *Deus esse credatur*, subjicitur *ex Deo.*

(*f*) Exemplar bas. Vat. cum Mart. *consummata :* minus ad rem. Ita, pag. 127 edit. Veron. in notis observavimus verbum *consummet*, loco *conservet*, in ms. Carn. secundis curis substitutum.

(*g*) Editi, *subsistentem natura* : reluctantibus mss.

(*h*) Excusi *eam :* castigantur ex mss. Mox Mart, *proferamus*, non *proferimus.* Postea ex Colb. reponimus, *ut quia filius*, ubi antea legebatur *ut qui filius.*

(*i*) In solis editis, *nesciens.*

meum pendentium loquor, et omne sermonis mei iter aut angustiis præruptum, aut foveis incisum, aut laqueis prætensum est. Jam quod arduum ac difficile sit, minus conqueror : non meis enim, sed apostolicis scando gradibus. Mihi vero aut angustiis (*a*) decedere, aut in defossa incidere, aut plagis illaqueari, semper in periculo, semper in metu est. Prædicaturo enim secundum legem et prophetas et Apostolos unum Deum, adest mihi Sabellius, totum me sub verbi hujus professione tamquam desideratum cibum morsu sævissimo transvorans. Negantem me rursum contra Sabellium unum Deum, et confitentem verum Deum Dei filium, exspectat nova hæresis, ut a me duos deos arguat prædicari. Natum quoque Dei filium ex Maria dicturo, Hebion (*b*) quod est Photinus assistit, auctoritatem mendacii sui ex professionis veritate sumpturus. De cæteris taceo, (1) qui ab omnibus esse extra Ecclesiam non ignorantur. Hoc vero damnatum et abjectum licet frequenter, sed (*c*) internum hodie adhuc malum est. Impie multos ad unius Dei professionem Galatia (*d*) nutrivit. Male **177** in totum pene orbem quos negat duos deos Alexandria (*e*) protulit. Pestifere natum Jesum Christum ex Maria Pannonia (*f*) defendit. Et Ecclesia inter hæc periclitatur veritatem non tenere per vera, dum ea ei ad irreligiositatem ingeruntur, quibus religio et confirmatur, et deperit. Non enim unum Deum pie possumus prædicare, si solum (*supple*, prædicamus) : quia non erit Deus filius in solitarii fide. At vero Dei filium, sicut est, Deum prædicantes, periclitamur (in hominum existimatione) fidem Dei unius non tenere : et ejusdem periculi res est (2) (*g*) unum negare, cujus est et solitarium confiteri. Et hæc quidem mundi stulta non sentiunt, dum his neque in non solo significari unus videtur, neque in uno non solus intelligi.

(1) *quia ab omnibus.*

(2) Ita liber noster, ut erat in prioribus editionibus ; *unum non negare*, ut in postrema habetur, nulduos negare. Unde Augustinus contra Maximinum Arianæ sectæ fautorem lib. I, c. 1 : *Ubi aisti a vobis unum Deum coli : consequens est, inquam, ut aut non colatis Christum, aut non unum Deum colatis, sed duos.*

4. Veritatis vis. Ecclesia sinu suo tenere omnes peroptat. Ex ipsis hæresibus cognoscitur. Una est. De hæresibus se invicem vincentibus triumphum agit. Sed eam, ut spero, Ecclesia doctrinæ suæ lucem, etiam imprudentiæ sæculi invehet, ut licet fidei sacramentum non suscipiat, tamen adversum hæreticos veritatem sacramenti a nobis intelligat prædicari. Magna enim vis est veritatis, quæ cum per se (*h*) intelligi possit, per ea tamen ipsa quæ ei adversantur elucet : ut in natura sua immobilis manens, firmitatem naturæ suæ quotidie dum attentatur acquirat. Hoc enim Ecclesiæ proprium est, ut tunc vincat, cum læditur, tunc intelligatur cum arguitur, tunc obtineat cum deseritur. Omnes quidem illa secum atque intra se (*i*) vellet manere, nec ex tranquillissimis sinibus suis alios aut abjicere, aut perdere, dum indigni fiunt tantæ matris habitaculo : sed discedentibus ex ea hæreticis, vel abjectis, quantum amittit occasionis largiendæ ex se salutis, tantum (*j*) adsequitur ad fidem expetendæ de se beatitudinis. Cognosci enim hoc ex ipsis hæreticorum studiis promptissimum est. Namque cum Ecclesia a Domino instituta, et ab Apostolis confirmata, una omnium sit, ex qua se diversarum impietatum furens **178** error absciderit; nec negari possit, ex vitio (*k*) malæ intelligentiæ, fidei exstitisse dissidium, dum quod legitur, sensui potius coaptatur, quam lectioni sensus obtemperat : tamen dum sibi partes singulæ adversantur, non solum suis, sed adversantium est intelligenda doctrinis; ut dum adversum unam eam omnes sunt, impiissimum tamen errorem omnium per id quod sola est atque una confutet. Hæretici igitur omnes contra Ecclesiam veniunt : sed dum hæretici omnes se invicem vincunt, nihil tamen sibi vincunt. Victoria enim eorum, Ecclesiæ triumphus ex omnibus est, (3) dum eo hæresis contra alteram pugnat, quod in hæresi altera Ecclelius periculi res esset.

(3) *Dum in eo.*

(*a*) Bad., Er. et quidam mss. *angustiis decidere*, Lips. et Par. *in angustiis decidere :* castigantur ex mss. Vat. bas., Carn., Mart., Corb. etc.

(*b*) Lipsius post. Er. *qui est.* Recentiores mss. *qui et.* At vetustiores cum Bad. *quod est*, quasi *hoc est.* Photinum autem ideo Hebionem vocat, non modo quia hæresim illius suscitavit, sed et quia lib. I, in argumento hujus libri, de Hebione agendum sibi proposuerat. Unde et librum primum ante hunc compositum, et Photini hæresim Hilario tum ignotam fuisse nobis videri jam præmonuimus. Post pauca in vulgatis *ex professione veritatis*, ubi ex mss. restitutum est *ex professionis veritate.*

(*c*) Solus codex Vat. bas. *internum illud adhuc.*

(*d*) Marcello videlicet Ancyræ in Galatia episcopo præceptore ac magistro. Neque enim ad aliud referri queunt hæc Hieronymi de Script. eccl. in Marcello : *Sed et Hilarius septimo adversum Arianos libro nominis ejus quasi hæretici meminit :* ubi Hieronymus Marcellum ita dubio procul intellexit, ut etiam nominatum scripserit, memoria forsitan ita suggerente.

(*e*) Ario, uti omnes vident, auctore : qui duos deos in orbem invexit, cum Patrem Deum ac Filium Deum dicens et colens, utrumque diversæ substantiæ asseruit : jactitabat tamen se unum omnino Deum velle,

(*f*) Puta per Photinum Sirmiensem episcopum, cujus error non in eo hic ponitur, quod Christum ex Maria natum defendat, sed quod temporariam illam nativitatem solam prædicet.

(*g*) Editi excepto Par. *unum Deum negare.* Verius Par. cum potioribus mss. *unum non negare :* hoc est, qui unum Arianis prædicantibus non negat, statim cum iisdem videtur facere, et Filio divinitatem auferre.

(*h*) Er., Lips. et Par. *intelligi non possit :* male et præter fidem mss. Porro quod hic de veritate, hoc mox clarius de Ecclesia affirmatur, ut quæ *non solum suis, sed adversantium est intelligenda doctrinis.*

(*i*) Vat. bas. ms. *vult manere.* Mox soli editi, *aliquos abjicere :* refragantibus mss.

(*j*) Martinianus codex, *consequitur.* Par. cum mss. Colb. et Germ. *ex sequitur.* Deinde Corb. *expendendæ*, non *expetendæ.*

(*k*) In mss. bas. Vat. et Mart. *male intellectæ fidei :* corrupte. Videsis lib. II, num. 3 ; et lib. I, n. 18.

siæ fides damnat (nihil enim est, quod hæreticis commune est) : et inter hæc fidem nostram, dum sibi adversantur, affirmant.

5. *Sabellii error ejusque confutatio.*— Unum Deum Sabellius prædicat Filii nativitate sublata, (*a*) dum naturæ Virtutem, quæ operata in homine est, Deum esse non ambigit. Sacramento etenim filii ignorato, per gestorum admirationem fidem veræ generationis amisit : et dum audit, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9), indiscretæ et (*b*) indissimilis in Patre et filio naturæ impie arripuit unionem, non intelligens naturalem unitatem sub nativitatis significatione monstrari : cum per id, quod in Filio Pater videtur, confirmatio divinitatis sit, non nativitatis abolitio. Cognitio itaque alterius in altero est, quia non differt alter ab altero natura : et in quo nihil differunt, in eo (*c*) indifferens contemplatio est de proprietate naturæ. Nec sane ambigi potest, quin ex se speciem Dei formæ, qui in forma Dei manebat, ostenderet. Succedit quoque ad hujus pravæ opinionis stultum furorem etiam hoc dictum Domini : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Naturæ enim indissimilis unitas irreligiose (1) ad unionis profecit errorem : et rationem dicti **179** virtus sola intellecta non tenuit. Non enim solitarium significat, *Ego et Pater unum sumus*. Nam conjunctio ea, quæ significat *et* patrem, intelligentiam non admittit unius : et illud (*d*) quod *sumus*, non patitur singularem : hoc vero quod *unum sumus*, non nativitatem adimit, sed naturam non discernit in genere ; dum neque *unum* diversitatis est, nec *sumus* unius est.

6. *Ut Sabellius et Arius secum pugnantes rem agant Ecclesiæ.*— Compinge hujus (Sabellii) furori præsentium hæreticorum (Arianorum) furorem, ut adversum A Sabellium sibi adsint. Legisse se asserent, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28) : et nihil vel ex nativitatis sacramento, vel ex mysterio evacuati a se Dei et assumptæ carnis intelligentes, naturæ facient (*e*) deminutionem professione majoris. Contendent enim adversum Sabellium, Filium esse eo usque, ut et minor Patre sit, ut et honorem præteritum reposcat, et mori timeat : et mortuus sit. Contra vero ille (Sabellius) naturam Dei defendit (*f*) in gestis : et cum unum Deum novella hæc nunc hæresis non negabit, ne filium Deum credat; Sabellius tamen Deum unum, ne filius omnino exstet, in professione retinebit. Hic (Arius) filium operantem ingeret : hic (Sabellius) Deum in operibus esse contendet. Hic unum dicet : (2) (*g*) iste unum Deum negabit. Sabellius se ita tuebitur dicens, Opera, quæ gesta B sunt præter quam Dei natura non efficit : peccatorum remissio, curatio infirmitatum, claudorum cursus, cæcorum visus, mortuorum vita a Deo solo est. Non alia natura, quam quæ sui conscia est, diceret, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Quid me in substantiam alteram rapis ? quid in Deum alium sollicitas ? Gesta, quæ propria Dei sunt, Deus unus hæc gessit. Clamabunt vero contra hæc dissimilem Deo patri filium prædicantes non minus ore vipereo : Sacramentum salutis tuæ nescis; credendus **180** est filius per quem sæcula facta sunt, per quem formatus homo est, qui per Angelos legem dedit, qui (*h*) de Maria natus est, qui missus a Patre est, qui crucifixus est, mortuus et sepultus est, qui de mortuis resurgens in dextris Dei est, qui vivorum judex est et mortuorum. In hunc renascendum est, hic confitendus est, hujus C regnum est promerendum. Uterque hostis Ecclesiæ, res Ecclesiæ agit : dum Sabellius Deum ex natura in operibus prædicat, hi vero ex sacramento fidei filium (3) (*i*) Dei confitentur.

(1) *Ad unius.*
(2) *Iste unum negabit* in ms. Veron.

(3) Non habetur *Dei*.

(*a*) Bad., Er. et ms. Corb. aliique pauci, *dum per naturæ virtutem*. Mox apud. Lips. et Par., *Dei esse non ambigit*, ms. Martin. solo suffragante. Hunc locum sic imitatur Faustinus sæpe jam laudatus cap. 1 : *Sabellius admiratione virtutum quas Christus operabatur, Christum Deum esse credit :* ad superiorum imitationem deinde subjiciens, *Sabellius vincat Arium, quod Christus verus Deus est : et Arius vincat Sabellium, quod Christus sub confessione veri Dei verus et filius est : et mihi catholico ambo vicerunt*, etc. Ut enim eleganter ad mentem Hilarii nostri ait Vigilius Taps. lib. II contra Eutych. : *Inconsonæ perfidorum sententiæ in unum rectæ fidei modulum concinunt, trophæumque nostræ victoriæ eorum cassa certamina gignunt. Sabellii enim perfidia Arii damnat errorem*, etc.

(*b*) In mss. Vat. bas. et Mart. *et indivisibilis* : male. Hunc locum ita exprimit Faustinus cap. 1 : *Cum dicit, Qui me vidit, vidit et Patrem : sicut Patris et Filii non unam ostendit esse personam, ita unam ostendit esse deitatem ; cum Patris et Filii substantia nulla diversitas est.*

(*c*) Editi, *differens :* emendantur ex scriptis.

(*d*) Lips. et Par. omittunt particulam *quod ;* qua exprimitur τὸ Græcorum. Juxta hæc Hilarii verba Maximus Taurin., hom. 1, de S. Eusebio, *Qui et unum dicit, et sumus, nec separatione se dividit, nec unione confundit.*

(*e*) Præfert ms. Vat. bas. *demutationem*. Malumus cum aliis *deminutionem*, quod aptius respondet verbis, *major me est*, ex quibus Ariani Christum Deum minorem et quasi diminutum prædicabant. Proxime ante in vulgatis exstat *faciunt*, et supra *asserunt*, ac post, *contendunt*, non juxta mss. *asserent*, *facient*, *contendent*.

(*f*) In ms. Mart. *ingeniti*. Verius alii libri, *in gestis*, id est, ex iis quæ gessit Christus, Dei in eo naturam esse defendit.

(*g*) Ita mss. At editi *hic*, non *iste*. Tum ms. Mart. *unum negabit :* ubi habet exemplar bas. Vat. *unum non negabit ;* quæ verba cum ad Arium pertinere nullum dubium sit, ut et præcedentia *unum dicet* ad Sabellium, huic sane lectioni favet, quod paulo ante dictum est, *unum Deum novella hæc nunc hæresis non negabit*. Retinendum tamen hic, *unum Deum negabit*. Hæresis quippe versipellis unum Deum non negabat, quo Filium a divinitate removeret ; et negabat unum Deum, cum Patrem Deum et Filium Deum profiteri coacta, eos non unum sed duos deos prædicabat, uti jam observatum est num. 3.

(*h*) Solus codex Mart. *per Mariam :* manum infidelem sapit. Constanter enim Hilarius prædicat Christum *de Maria* natum.

(*i*) Vox *Dei* abest a ms. Mart. necnon Vat. bas. in quo et proxime ante legitur, *ad sacramentum fidei :* quæ lectio nihilo felicior est ac superiores ex eisdem libris annotatæ. Sacramentum fidei vocat Hi-

7. *Photini cum Ario et Sabellio discordia idem præstat. Ecclesiæ fides contra prædictos hæreticos.* — Jam vero qua fidei nostræ victoria Hebion, qui Photinus est, aut vincit aut vincitur : dum Sabellium arguit, cur hominem neget filium Dei; dum ab (*a*) Ariomanitis confutatur, cur in homine nesciat Dei filium. Adversum Sabellium (*b*) Evangelia sibi ex filio Mariæ defendit : (1) Arius ei Evangelia per solum Mariæ filium non relinquit. Adversum hunc (Sabellium), qui filium negat, homo ab eo (Photino) usurpatur in filium. (*c*) Ab hoc ei, (2) qui ante sæcula filium nesciat, filius Dei solum negatur ex homine. Vincant, ut volunt, quia se invicem vincendo vincuntur : dum et hi (*scil.* Ariani), qui nunc sunt, de natura Dei confutantur, et Sabellius de sacramento filii refellitur, et Photinus natum ante sæcula Dei filium vel ignorare arguitur, vel negare. Sed inter hæc Ecclesiæ fides, evangelicis atque apostolicis fundata doctrinis, et adversus Sabellium tenet filii professionem, et adversus Arium Dei naturam, et adversus Photinum sæculi creatorem : et hoc verius, quod hæc ab his invicem non negantur. Naturam enim Dei in operibus Sabellius prædicat, sed operantem filium nescit. Illi vero filium nuncupant, sed veritatem in eo naturæ Dei non confitentur. Hominem **181** autem Photinus usurpat, sed in usurpato sibi homine nativitatem Dei ante sæcula ignorat. (*d*) Ita dum quæ unusquisque defendit aut damnat, veritatem fidei nostræ, hæc ipsa prout sunt religiose et (*e*) defendentis et damnantis, ostendunt.

8. *Prædictorum ratio. Dicendorum argumentum.* — Hæc igitur a me demonstranda paucis fuerunt, non copiæ studio, sed ratione cautelæ : primum ut hæreticorum incerta esse omnia et erratica noscerentur, (*f*) cum quando sibi pro nobis invicem dissiderent : tum deinde ne me horum qui nunc sunt (*id est*, Arianorum) blasphemis professionibus obnitentem, et

(1) In ms. nostro *Arrius* gemino *r* constanter scribitur.
(2) *Quia ante.*
(3) *In indissimili.*

larius illud omne, unde mox Ariani adversus Sabellium contendebant Filium cum Patre eumdem non esse, hoc est, sacramentum salutis nostræ, aut si malis, Apostolorum symbolum.

(*a*) Ita vulgo Ariani cognominantur ab Athanasio, Phœbadio Agennensi, Gregorio Naz., etc., maxime quia græca vox Ἄρης, *Mars*, cujus proprius est furor, cum Arii nomine et indole maximam affinitatem habet. Unde in epistola Constantini, t. II Conc. p 270 : *Age sane, Mars Ari, clypeis utendum est* : ac deinde in processu sermonis, ἀποδείξω τὴν Ἀρείου μανίαν. Quo spectat illud Vincentii Lirin. c. 6 : *Cum profana ipsa Arianorum novitas velut quædam Bellona, capto prius omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina subjugasset, nequaquam deinceps destitit universa miscere atque vexare.* Quia vero Ariomanita idem sonat quod Martio furore abreptus, non latet quo respiciat noster Hilarius, cum furentem hæresim cognominat.

(*b*) Id est, evangelicam dispensationem et sacramentum salutis nostræ : cujus opus non soli filio Mariæ relinquit Arius, cum probat a Filio facta sæcula, legem datam, etc.

A Deum patrem ac filium Dei Deum prædicantem, deinde ut unius nominis, atque naturæ, (3) (*g*) indissimili genere divinitatis, Patrem et Filium esse profitentem, quisquam aut in duum deorum, aut contra in unici ac solitarii Dei teneret errore ; cum quando neque unio in prædicato Deo patre et Deo filio repereretur, neque sub indiscretæ naturæ demonstratione deorum diversitas conveniret. Nunc quia negantibus Dei filium a Deo ex nativitatis veritate subsistere, libro superiore secundum Evangelia responsum est : demonstrandum est eum, qui vere ex natura filius Dei est, vere quoque per naturam Deum esse : ita tamen, ut neque ad singularem, neque ad alterum Deum fides nostra depereat ; cum neque unum Deum sit sic prædicatura quasi solum, neque quasi non B unum sit confessura (4) (*h*) non solum.

9. *Quibus modis Christum novimus Deum. Nomen Dei simpliciter ei datum index est naturæ.* — Deum igitur Dominum nostrum Jesum Christum his modis novimus, nomine, nativitate, natura, potestate, professione. (*i*) Et de nomine nihil puto ambiguitatis. Legimus enim, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Quid calumniæ est, cur non sit quod nuncupatur? Aut numquid nomen non naturæ significatio est? Et quia contradictio omnis ex causa est, nunc hic negandi Dei quæro causam. **182** Simplex namque nuncupatio est, et caret offendiculo adjectionis alienæ. Verbum enim, quod caro factum est, (5) non aliud quam Deus est. Non est hic deputatæ aut assumptæ C nuncupationis relicta suspicio : ut ei, quod Deus est, non ex natura sit nomen.

10. *Moysi Dei nomen adjectum. Dii alii ex vocantis voluntate.* — Respice ad cæteras aut deputativas, aut assumptivas appellationes. Ad Moysen dictum est, *Dedi te deum* (6) *Pharaoni* (*Exodi* VII, 1). Sed numquid non adjecta nominis causa est, cum dicitur

(4) *Ne solum*
(5) *Nihil aliud.*
(6) *Farao ;* et paulo post, *cum dicitur Farao.*

(*c*) Editi, *ad hoc.* Rectius mss. *ab hoc*, id est, ab Ario negatur Photino Filium esse tantum *ex homine*, seu ex quo tempore Christus homo fuit. Tum in vetere ms. Colb. et aliis, *quia ante*, non *qui ante.*

(*d*) In vulgatis, *itaque dum unusquisque :* nullis suffragantibus mss.

(*e*) Excusi cum plerisque mss. *defendentes et damnantes.* Præferimus, cum mss. Mart., Corb. et Faur., *defendentis et damnantis*, propter adjunctum *religiose*, quod catholicæ fidei congruit, non hæresi. D

(*f*) Editi, *tum quoniam :* emendantur ex scriptis. Mox in vetere Colb. *blasphemiæ professionibus.*

(*g*) Apud par. *in dissimili*, duobus verbis. In aliquot mss. *in indissimili.* Sic tota illa phrasis est intelligenda : *ne me*, postquam Filium ita ut Patrem prædicavero Deum, *Patrem et Filium ut nominis ita et* (pro *atque*) *naturæ unius esse profitentem*, etc.

(*h*) Editi, *ne solum ;* corrupte. Nativus hic est vocabulorum ordo : *neque non solum quasi non unum*, etc.

(*i*) In editis, *Sed de nomine nihil puto ambiguitatis remansisse :* glossema. Loco verbi *remansisse*, commodius intelligitur suppressum *esse.*

(*a*) *Pharaoni?* Aut numquid ei naturam Dei intulit, et non potius in eum qui metueret terrorem, cum dracones magicos draco Moysi mox virga manens devorat, cum cynomyiam quam immiserat abigit, cum grandinem potestate qua evocaverat avertit, cum locustas ea virtute qua invexerat repulit, cum in operationibus ejus magi confitentur digitum Dei esse (*Exod.* VII, 12; VIII, 31; IX, 33; X, 19; VIII, 19)? Sic Moyses Pharaoni deus datus est, dum timetur, (*b*) dum oratur, dum punit, dum medetur. Et aliud est deum dari, aliud est Deum esse. (1) (*c*) In Pharaonem enim deus datus est : cæterum non ei est et natura et nomen, ut Deus sit. Memini quoque et alterius nuncupationis, ubi dicitur, *Ego dixi, dii estis* (*Psal.* LXXXI, 6), sed in eo indulti nominis significatio est. Et ubi refertur, *ego dixi*, loquentis potius est sermo, quam rei nomen : quia rei nomen intelligentiam rei affert, cæterum voluntas appellationis ex alio est. Et ubi se nuncupationis auctor ostendit, ibi per sermonem auctoris est nuncupatio, non naturale nomen in genere.

11. *Filius cur verbum, sapientia et virtus cognominetur. Filius est, ut dicitur, Deus.* — At vero hic Verbum Deus est : (*d*) res existit in Verbo, Verbi res enuntiatur in nomine. Verbi enim appellatio in Dei filio de sacramento nativitatis est, sicuti sapientiæ et virtutis est nomen : quæ cum (*e*) in Deum filium cum substantia veræ nativitatis exstiterint, (*f*) Deo tamen, ut sua propria, quamvis ex eo in Deum sint **183** nata, non desunt. Non enim, sicut frequenter dictum a nobis est, (*g*) divisionis in Filio, sed nativitatis sacramentum prædicamus. Nec separatio fuit imperfecta, sed A progenies perfecta : quia nativitas non habet detrimentum generandi, cum profectum teneat nascendi. Et idcirco earum rerum unigenito Deo aptata cognomina sunt, quæ cum eum subsistentem ex nativitate consummant, tamen (*h*) Patri insint ex indemutabilis virtute naturæ. Unigenitus enim Deus verbum est, sed innascibilis Pater numquam omnino sine Verbo est : non quod prolatio vocis natura (2) (*i*) sit Filii ; sed ex Deo Deus cum nativitatis veritate subsistens, ut a Patre proprius et per naturæ indifferentiam inseparabilis doceretur, significatus in verbo est. Sicut Christus sapientia et virtus Dei est, non ille, ut intelligi solet, internæ potestatis aut sensus efficax motus : sed natura tenens per nativitatem substantiæ veritatem, his internarum rerum significata nominibus est. Non enim id, quod nascendo subsistit, po- B test id ipsum videri esse, quod unicuique (*j*) semper internum est. Sed ex æterno Deo patre unigenitus filius in subsistentem Deum natus, ut non alienus esse a natura paternæ divinitatis posset intelligi, per hæc proprietatum nomina subsistens ostensus est, quibus (*k*) ex quo substiterat non carebat. Deus igitur qui est, non est aliud quam Deus. Nam cum audio, *Et Deus erat Verbum ;* non dictum solum audio Verbum (*l*) Deum, sed demonstratum intelligo esse quod Deus est : (*m*) quia sicut superius in Moyse deo et in cognominatis diis per appellationem nomen adjectum sit ; hic autem (*n*) res significata substantiæ est, cum dicitur, *Deus erat.* Esse enim non est accidens nomen, sed subsistens veritas, et manens C causa, et naturalis generis proprietas.

12. *Thomas eum confitetur Deum, illæsa Dei unius*

(1) *In Faraone.*

(*a*) In vulgatis, ut et Paulo ante, *Deum Pharaonis.* Hic non repetitur vox *Deum* in mss. quorum in vetustioribus habetur *Pharao*, hoc nomine juxta græcum Θεὸν Φαραώ, per varios casus non inflexo : in cæteris autem, *Pharaoni*, quibus infra consentiunt et editi, favente Ambrosio epist. nunc XXVIII, n. 8, ubi legit, *Faciam te in Deum regi Pharaoni :* qui alias etiam in casibus obliquis plerumque ponit *Pharao.* Quod Hilarius hic ex nomine Dei simpliciter et absolute dato conficit argumentum, fuse persequitur Irenæus, lib. III, cap. 6, inter alia dicens, *Neque igitur Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus.* Et post pauca : *Cum autem eos qui non sunt dii nominat, non in totum, quemadmodum prædixi, Scriptura ostendit illos deos, sed cum aliquo additamento et significatione, per quam* D *ostenduntur non esse dii.*

(*b*) Unus e mss. Colb. *dum honoratur :* mendose.

(*c*) Mss. *in Pharaone.* Vertit Irenæus, lib. III, cap. 6, *ante Pharaonem.* Explicari potest illud, *in Pharaonem*, ex superioribus. *Numquid ei naturam Dei intulit, et non potius in eum*, etc.

(*d*) Mart. ms. *et res.* Hic res opponitur accidenti, quod significatur per nomen adjectum.

(*e*) Er., Lips et Par. *in Dei filium :* castigant veteres libri.

(*f*) Hoc est. Patri, cui verbum virtus et sapientia non desunt, *quamvis ex eo* (minus apte apud Lips. et Par. *ex Deo*) *in Deum sint nata.*

(*g*) In ms. Corb. *natura divisionis*, in uno Vatic. et Mart. *de natura divisionis*, apud. Bad. et Er. *Dei natura divisam esse asserimus in filio :* glossemata varia. Hic excluditur ea sententia, cujus invidiam in Catholicos conjicere moliuntur Ariani, supra, lib. IV, n. 4, puta *quod ex divisione paternæ substantiæ esse Filius existimetur*, etc. Eadem ratione Athanasius, Or. 2, cont. Ar., p. 354, verbi et sapientiæ cognomina Filio in sacris litteris ideo aptata docet, quia verum, naturalem atque coæternum absque ulla passione aut partitione paternæ substantiæ fetum aptissime significant.

(2) *Sit filius.*

(*h*) Sic ms. At. edit. *Patri non desint :* et mox, *Deus et verbum est.*

(*i*) Corb. mss. *sit filius :* male. Vult quippe Hilarius in prolatione vocis, quatenus hæc accidens est, naturam Filii non esse sitam.

(*j*) Duo mss. *sempiternum est*, Mart. *semper in æternum est :* corrupte. *Semper internum*, id est, semper inhærens, quod numquam in propriam subsistentiam evadat : qualis in nobis est virtus aut sapientia.

(*k*) Supple, *is*, nimirum Pater, qui virtutis ac sapientiæ proprietatibus numquam caruit.

(*l*) Ex mss. restituimus hic *Deum*, ac proxime infra *Deus.*

(*m*) Er., Lips. et Par. *quia non sicut :* nullo suffragante vetere libro.

(*n*) Unus e mss. Colb. *res significata substantia est.* Corb. *rei significata substantia est* Vind. necnon edit. Bad. et Er. *res significata a substantia est.* Retinemus aliorum librorum lectionem, quæ sic commode potest intelligi, *res substantiæ significata est ;* ut hic fere id ipsum sit quod initio num. 11, *Verbi res enuntiatur in nomine*, vel *substantiæ est*, id est, ad substantiam pertinet.

fide. Thomas Deum natura profitetur. Neque hoc nomen recusat Christus. — Et videamus an hanc Evangelistæ prædicationem, apostoli Thomæ confessio consequatur, cum ait, *Dominus meus et Deus meus* (*Joan.* xx, 28). Deus igitur suus est, quem Deum confitetur. Et certe dictum non ignorabat a Domino : *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* (*Deut.* vi, 4) : et quomodo apostolica fides principalis immemor est facta mandati, ut **184** Deum Christum confiteretur, cum in unius Dei esset confessione vivendum? Sed Apostolus totius sacramenti fidem per virtutem resurrectionis intelligens, cum frequenter audisset : *Ego et Pater unum sumus;* et : *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt;* et : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* x, 30; xvi, 15; xiv, 11) : jam sine fidei periculo naturæ nomen confessus est : quia ab unius Dei patris professione religio non excideret Deum confessa Dei filium, cum in filio Dei non nisi paternæ naturæ veritas crederetur; nec sub alterius Dei impia confessione fides naturæ periclitaretur unius, quia non alterius Dei naturam perfecta Dei nativitas attulisset. Veritatem igitur evangelici sacramenti Thomas intelligens, Dominum suum et Deum suum esse confessus est. Non hic honoris est nomen, sed naturæ confessio est : rebus enim ipsis atque virtutibus Deum credidit. Et Dominus professionis hujus religionem non honoris esse docuit, sed fidei, dicens, *Quia vidisti* (*a*), *credidisti : beati qui non viderunt, et crediderunt* (*Joan.* xx, 29). Videns enim Thomas credidit. Sed quid credidit quæris? Et quid aliud credidit quam professus est : *Dominus meus et Deus meus* (*b*)? Resurrexisse enim per se ex mortuis in vitam, nisi Dei natura non potuit : et creditæ religionis fides hoc est professa, quod Deus est. Anne ergo nomen Dei non naturæ res existimabitur, cum professio nominis fidem naturæ creditæ sit secuta? Nam utique religiosus filius, et qui non voluntatem suam sed ejus qui se miserat faceret, et qui non honorem suum sed ejus a quo venerat quæreret, honorem hujus in se nominis recusasset; ne quod ipse unum Deum prædicaverat, solveretur. Sed vere et apostolicæ fidei mysterium confirmans, et naturæ in se paternæ nomen agnoscens, beatos esse docuit, qui cum (*c*) se resurgentem e mortuis non vidissent, Deum tamen per resurrectionis intelligentiam credidissent.

13. *Pater et filius unus tantum est Deus.* — Nomen igitur naturæ, fidei nostræ non deserit professionem. Nomen enim, quod rem unamquamque significat, rem quoque ejusdem generis ostendit : et jam non res duæ sunt, sed res generis ejusdem est. Filius namque Dei Deus est; hoc enim **185** significatur ex nomine. Non duos deos connumerat nomen unum; quia unius atque indifferentis naturæ (*d*) unum Deus nomen est. Cum enim et Pater Deus est, et Filius Deus est, et proprium naturæ divinæ nomen in utroque sit; uterque unum sunt : quia cum subsistat Filius ex nativitate (*e*) naturæ, (1) unitatem tamen conservat in nomine : nec ad professionem duum deorum nativitas Filii credentium fidem cogit, quæ Patrem et Filium, ut unius naturæ, ita unius profitetur et nominis. Est itaque Dei filio (*f*) nomen ex nativitate. Hic enim nobis secundus ad demonstrationem gradus est, ut Deus sit ex nativitate. Quamquam mihi adhuc de proprietate nominis supersit apostolica auctoritas : sed interim evangelicum placet tractare sermonem.

14. *Filius ut natus ex Deo, Dei naturam habet. Nasci et cœptum esse non idem.* — Et primum quæro, quam nativitas filii naturæ novitatem potuerit inferre, ne Deus sit? Intelligentiæ istud humanæ sensus excludit, ut aliquid a natura originis suæ nascendo diversum sit : nisi forte quod ex naturarum diversitate conceptum, novum aliquid (*g*) in se (et ita sit generis utriusque, quod neutrum sit) veniat in vitam; quod in pecoribus ac bestiis usitatum est. Sed ea ipsa novitas non inest, nisi ex connatis proprietatibus sub diversitate naturæ : et diversitatem (*h*) eorum nativitas non intulit, sed accepit, dum id tenet, quod ex utroque sibi unum est. Et cum hæc in his corporalibus causis et passionibus ita sint; quis rogo furor est, nativitatem unigeniti Dei ad degenerem ex Deo referre naturam : cum nativitas non nisi ex proprietate naturæ sit; et jam nativitas non erit, si proprietas naturæ in nativitate non fuerit? Hinc ille omnis æstus et furor est, ut in filio Dei non nativitas sit, sed creatio; ut non naturæ suæ originem subsistens teneat, sed alienam a Deo de non exstantibus sumat : quia secundum quod ait : (*i*) *Quod de carne nascitur, caro est; et quod de spiritus, spiritu est* (*Joan.* iii, 6), quia Deus

(1) *Unitatem tamen naturæ.*

(*a*) Hic expunximus *me*, auctoritate veterum librorum.

(*b*) Antiquior codex Colb. cum Germ. *Deus meus es tu.*

(*c*) Particulam *in* hic prætermittunt vetustiores libri.

(*d*) In mss. Mart. et Corb. *unum Dei nomen :* male. Hic *Deus* materialiter, ut aiunt, sumitur.

(*e*) Vocabulum *naturæ* in prius vulgatis interpunctione dividitur ab antecedenti voce, conjungiturque cum subsequenti. Interpunctionem mutamus, tum quia alias remotior esset particula *tamen*, tum quia frequens est apud Hilarium *nativitas naturæ*, pro nativitate naturali, ut videre est in his num. 22 : *At vero ut in natura licet Dei, naturæ tamen ex Deo sit intelligenda nativitas :* et lib. viii, num. 18 : *nec per sacramentum dispensationis unum sunt, sed per naturæ nativitatem.* In ms. Mart. vox *naturæ* rursum repetitur post *unitatem tamen.*

(*f*) In recentioribus dumtaxat mss. *verum nomen.*

(*g*) Erasmus pro *in se*, malebat *insit.* Lipsius deinde legit, *et quod ita*, addito *quod.* In vetustiore ms. Remig. omittitur *aliquid in se.* In ms. Vat. bas. exstat, *aliquid præter ista sit generis*, etc. Pro *et ita*, magis placeret, *ut ita.*

(*h*) In ms. bas. Vat. *eorum morum :* interpolatio, cujus loco intelligere est *eorum pecorum*, a quibus scil. exstat nativitas.

(*i*) Solus codex Vat. bas. cum Mart. hic addit, *Dominus.*

spiritus est, non ambiguum sit nascenti diversum atque alienum aliquid ab eo ex quo (*a*) natus sit non inesse. Nativitas igitur Dei Deum perficit, ut Deus non cœptus intelligatur **186** esse, sed natus : quia cœptum esse, potest non id ipsum esse quod nasci, dum omne cœptum aut ex nihilo in aliquid exsistit, aut ex alio in aliud proficit et desinit; ut ex terra aurum, ut ex solidis liquida, ut ex frigidis ferventia, ut ex albis punicea, ut ex aquis animantia, ut ex inanimis viventia : Dei autem filius neque ex nihilo Deus cœpit esse, sed natus est; neque aliud aliquid fuit ante quam Deus est (*al.* esset). Atque ita qui in Deum natus est, nec cœpit quod Deus est (1) (*b*) nec profecit. Tenet itaque nativitas eam ex qua substitit naturam, et filius Dei non aliud quam quod Deus est subsistit.

15. *Natus vere ex Deo est, cui Deus est pater et cui cum Deo æqualitas. Æqualitas nec soli competit nec diversis.* — (2) Aut quisque hinc ambigit, discat a Judæis intelligentiam naturæ, vel potius cognoscat ab Evangelio veritatem nativitatis, in quo scriptum est, *Propter hoc magis quærebant eum Judæi interficere, quoniam non solum solvebat sabbatum, sed et quod proprium sibi patrem dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Joan.* v, 18). Non nunc, ut in cæteris solet, Judæorum sermo ab his dictus refertur : expositio potius hæc Evangelistæ est, causam demonstrantis cur Dominum interficere Judæi vellent. Cessat (*al.* cesset) ergo per impietatem blasphemantium vitiosæ intelligentiæ excusatio; cum per Apostoli auctoritatem, sub significatione nativitatis, proprietas naturalis ostensa sit : *Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.* Anne naturalis nativitas non est, ubi per nomen patris proprii, naturæ æqualitas demonstratur ? Non enim ambigitur, quin æqualitas nihil differat. Quis porro dubitabit, quin indifferentem naturam nativitas consequatur ? Hinc enim est sola illa quæ vere esse possit æqualitas : quia naturæ æqualitatem sola possit præstare nativitas. Æqualitas vero numquam ibi esse credetur, ubi unio est : nec (*c*) tamen illic reperietur, ubi differt. Ita similitudinis æqualitas nec solitudinem habet, nec diversitatem : quia omnis æqualitas nec diversa, nec sola sit.

16. *Filii nativitas et cum Patre æqualitas ex ipsius dictis. Divinitatis Christi diversa argumenta simul tractantur.* — Quamquam igitur hujus intelligentiæ nostræ judicia cum humani sensus opinione communia sint, ut et nativitas naturæ habeat æqualitatem, et ubi æqualitas est, neque **187** alienum aliquid a se possit esse, nec solum; tamen ex ipsis dictis dominicis hujus quoque sermonis nostri fides affirmanda est, ne temeritas contradicendi, sub libertate diversæ (3) in nominibus intelligentiæ, (*d*) audeat professionibus divini de se testimonii contraire. Respondit enim Dominus : *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim ille facit, eadem et Filius facit similiter. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit : et majora horum opera demonstrabit ei, ut vos admiremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem. (e) Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum* (*Ibid.* 19, *et seqq.*). Propositionis quidem ordo id exigebat, ut singula quæque genera singularum quarumcumque causarum pertractarentur; ut quia Deum esse Dominum nostrum Jesum Christum Dei filium, nomine, nativitate, natura, potestate, professione (*f*) didicissemus, demonstratio nostra gradus singulos dispositionis propositæ percurreret : sed nativitatis id natura non patitur, quæ in se et nomen, et naturam, et potestatem, et professionem sola complectitur. Sine his enim nativitas non erit; quia in se hæc omnia nascendo contineat. Hanc igitur tractantes, incidimus in eam necessitatem, ut superius commemorata ad ordinem tractatus proprii differre non liceat.

17. *Christus a Judæis accusatus et naturam et nativitatem suam exponit. Christi virtus de cognitione. Quid hæc cognitio.* — Respondens enim Dominus ad Judæos, quod eum interficere ob hoc magis vellent, quia patrem suum dicens Deum, æqualem se Deo fecisset, omne sacramentum fidei nostræ, dum impiis eorum motibus contradicit, exposuit. Dixerat enim superius, cum, paralytico curato, violati sabbati reus etiam mortis judicio constitueretur, *Pater meus usque adhuc operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17). Et hinc omnis accendebatur invidia, quod se Deo exæquasset paterni nominis usurpatione. Volens itaque et nativitatem suam confirmare, et naturæ virtutem profiteri, ait : *Non potest quidquam facere ab se Filius, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Ibid.*, 19). Exor-

(1) *Nec profecit quod Deus est.*
(2) *Aut quisquam.*
(3) *In hominibus.*

(*a*) Editi, *natum sit.* Rectius mss. *natus sit :* hoc enim de Filio prædicatur. Eodem argumento Faustinus cap. 2, *Quomodo*, inquit, *non verus Deus est, qui verus est filius ?* et Augustinus Collat. cum Maximino, n. 14 : *Non est verus filius, si quod est Pater, non est Filius :* quod maxime in rebus spiritalibus verum esse recte hic notat Hilarius. Interdum tamen Ariani Christum verum Dei filium confitentes, verum Deum negabant, uti constat ex lib. contra Auxentium, n. 7 et 13, necnon ex lib. 1 Augustini contra Maximinum c. 6.

(*b*) Sic potiores mss. At Bad., Er. et Lips. *nec quod Deus est proficit :* quod et in postrema edit. Par. repositum est.

(*c*) Deest *tamen* in ms. bas. Vat. Mox cum mss. legimus *ubi differt*, id est, ubi discrepantia est, non cum editis *ubi differat.*

(*d*) In quibusdam mss. *gaudeat.*

(*e*) Editi, *Qui non honorificant Filium, non honorificant...*, neque cum sacro textu, neque cum mss., neque secum ipsi infra consentientes.

(*f*) Sic Par. cum præstantioribus mss. Vat. bas., Mart., Colb., Carn., etc. At cum nonnullis aliis Bad. et Er. *docuissemus.* Lips. *docuimus.*

dium responsionis adversum Judæorum impium motum, per quem usque ad voluntatem inferendæ mortis exagitabantur, aptatum **188** est. Nam ad violati sabbati objectum sibi reatum dixerat, *Pater meus usque adhuc operatur, et ego operor :* ut usurpasse hoc ex auctoritate intelligeretur (*a*) exempli; significans tamen hoc, quod ipse ageret, Patris esse opus intelligendum, quia ipse in se operaretur operante. Et rursum adversum eam invidiam, qua se per paternum nomen Deo exæquasset, hæc subdidit: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ne igitur exæquatio illa per nomen naturamque filii fidem nativitatis auferret; ait Filium ab se facere nihil posse, nisi quod Patrem facientem vidisset. Et ut maneret salutaris in Patre et Filio confessionis nostræ ordo; naturam nativitatis ostendit, quæ potestatem efficiendi non per incrementa indultarum ad unumquodque opus virium sumeret, sed de cognitione præsumeret: præsumeret autem non de aliquo operis corporalis exemplo, ut aliquid prius Pater faceret ad (*b*) id, quod postea Filius facturus esset: sed cum natura Dei in naturam Dei substitisset, id est, ex Patre Filius natus esset; per virtutis ac naturæ in se paternæ conscientiam nihil ab se, nisi quod Patrem facientem vidisset, Filium facere posse testatus est : et cum unigenitus Deus paternæ virtutis operationibus operaretur, tantum sibi ad faciendum præsumeret, quantum in conscientia sua esset, inseparabilem a se Dei patris, quam per legitimam nativitatem obtinebat, posse naturam. Non enim corporalibus modis (*c*) Deus videt, sed visus ei omnis in virtute naturæ est.

18. *Dum* EADEM OMNIA *facit, non alius ; dum* SIMILITER, *alius est.* — Denique subjecit: *Omnia enim quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter* (*Ibidem*). *Similiter* illud ad significationem nativitatis adjecit : *omnia* vero et *eadem* ad ostendendæ naturæ veritatem locutus est. In his enim, quæ et *quæcumque* et *eadem* sunt, nec diversitas potest esse, nec (*d*) reliquum. Atque ita in natura eadem est, cui eadem omnia posse naturæ sit. Ubi vero *similiter* per Filium eadem omnia fiunt, similitudo operum solitudinem operantis exclusit: ut omnia quæ Pater facit, eadem omnia similiter faciat et Filius. Hæc est veræ nativitatis intelligentia, et fidei nostræ, quæ ex naturæ divinæ unitate, unius indifferentisque divinitatis veritatem in Patre et Filio confitetur, absolutissimum sacramentum, **189** ut eadem faciendo Filius similiter faciat, et similiter faciendo eadem sint ipsa (*e*) quæ faciat: quia sub una hac significatione testentur et similiter facta nativitatem, et eadem facta naturam.

19. *Demonstratio operum nativitatem ingerit, non ignorationem. Nostræ fidei instructio est. Velle quid.*— Tenet itaque responsionis dominicæ ordo ecclesiasticæ fidei integrum ordinem, ut nec discernat naturam, et significet nativitatem. Hoc namque sequitur : *Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit; et majora horum opera demonstrabit ei, ut vos admiremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Ibidem* 20 *et* 21). Anne demonstratio operum aliud hic nobis præter quam nativitatis fidem ingerit, ut subsistentem Filium ex subsistente Deo patre credamus? Nisi forte per ignorationem credendus est unigenitus Deus doctrina demonstrationis eguisse; sed temeritas impiæ hujus existimationis non admittitur. Non enim doceri eget (1) (*f*) qui quidquid docendus sit sciat. Nam postea quam ait : *Pater diligit Filium, et omnia demonstrat ei quæ ipse facit :* ut ostenderet omnem hanc Patris demonstrationem fidei nostræ esse doctrinam, ut scilicet et Pater nobis in confessione esset et Filius, et ne qua hic ignoratio in Filio posset intelligi, cui Pater opera omnia, quæ ipse faceret, demonstraret; continuo ait : *Et majora horum opera demonstrabit ei, ut vos admiremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat.* Demonstratio ergo futuri operis non ignoratur a Filio, cui hoc demonstrandum est, ut exemplo paternæ naturæ mortuos vivificet. Ea enim Patrem demonstraturum Filio dicit, quæ mirentur : et quæ eadem essent illa, mox docuit : *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Ibid.*, 21). Exæquata virtus est per naturæ indissimilis unitatem. Et demonstratio operum non ignorationis instructio est, sed nostræ fidei : quæ (*g*) non Filio scientiam ignoratorum, sed nobis confessionem nativitatis invexit, confirmans eam per id, quod sibi omnia essent demonstrata quæ posset. Neque enim non circumspectum se cœlestis sermo egit, ne forte diversæ naturæ significatio sub occasione dicti ambigui subreperet. Demonstrata **190** enim ei potius opera Patris esse ait (*h*), quam ad operationem

(1) *Qui quid.*

(*a*) Christus ostendit se ex auctoritate exempli habere ut agat quod Pater, dum ait, *non potest Filius ab se facere quidquam nisi viderit*, etc., sicut significat Patri sibique unam et communem esse agendi virtutem, cum adjicit, *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Prima loquendi ratione se natum, altera se ejusdem cum Patre naturæ docet.

(*b*) Voculam *id* adjecimus ex mss. Mentem Hilarii illustrant Augustini verba contra Serm. Arian. c. 14, ubi ait Filium non facere nisi quod videt: *quia videt se ex ipso faciendi habere potentiam, ex quo se videt exsistendi habere naturam:* nihil enim aliud sibi vult quod hic subjicitur, *per virtutis ac naturæ in se paternæ conscientiam.* V. lib. de Synod. n. 75.

(*c*) Vox *Deus*, quæ in vulgatis deerat, restituitur ex mss.

(*d*) Id est, nec quidquam quod non indultum, sed adhuc veluti retentum sit et reservatum.

(*e*) Exemplar Carn. *quæ faciant :* male.

(*f*) Bad. *quicquid quis.* Er. *qui quid quis.* Sustulit deinde Lips. *quis.* Verius mss. *qui quidquid.*

(*g*) Puta, demonstratio operum. Pro *quæ non*, habet ms. Vat. bas. *neque.*

(*h*) In quibusdam mss. perperam hic additur *a Domino :* cum verbum *ait* ad cœlestem sermonem referatur.

eorum naturam virtutis adjectam : ut demonstratio ipsa nativitatis esse substantia doceretur, cui per dilectionem Patris, operum paternorum, quæ per eum effici vellet, esset connata cognitio. Porro autem ne per demonstrationis professionem, ignorantis in eo naturæ diversitas crederetur; ea ipsa (*a*) quæ profitetur demonstranda, non nescit. Usque adeo non de exempli auctoritate gesturus est, ut vivificet quos velit. Velle enim naturæ libertas est, quæ ad perfectæ virtutis beatitudinem cum arbitrii voluntate subsistat.

20. *Judicium omne datum naturam et nativitatem probat. Judicium datum, ut honoris sit æqualitas.* — Ac ne deinceps, quod quos vult vivificat, non nativitatis videretur in se habere naturam, sed non natæ potius potestatis jure subsistere; continuo subjecit : *Nec enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Ibid.*,22). Et in eo, quod omne judicium datum est, et natura et nativitas demonstratur : quia et omnia habere sola natura possit indifferens, neque nativitas aliquid possit habere, nisi datum sit. Datum autem omne judicium est; quia vivificat quos vult. Neque ademptum Patri judicium potest videri, cum ipse non judicet : quia Filii judicium ex judicio sit paterno; ab eo enim datum omne judicium est. Sed dati judicii causa non tacita est. Sequitur enim : *Sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Ibid.*,23). Quid (1) igitur, oro, derelictum est suspicionis, aut quid reliquum est ad impietatem occasionis? *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Judicii autem dati ea causa est, ut Filius exæquati honoris ad Patrem sit, et inhonorificus Filio inhonorificus et Patri sit. Et quomodo post hæc intelligitur nativitatis differre natura, quam non solum (*b*) operatio, virtus, honor, sed etiam contumelia negati honoris exæquat? Nihil igitur aliud, quam sacramentum nativitatis, sermo nunc divinæ responsionis ostendit. Neque aliter potuit aut debuit Filius a Patre distingui, quam ut et (*c*) natus esse, nec tamen differens doceretur.

21. *Tota de Filio fides eruitur ex prædictis Christi verbis.* — Pater igitur usque modo operatur, et **191** Filius operatur. Habes naturæ nomina, cum et Pater operatur et filius. Intellige et naturam (*d*) Dei, per quam Deus operatur, operantem. Ac ne forte duas operationes naturarum dissimilium existimes intelligendas; memento de cæco dictum fuisse : *Sed ut manifestentur opera Dei in eo : me oportet operari opera ejus qui me misit* (*Joan.* IX, 3). In eo ergo, quod operatur Filius, opus Patris est : et opus Filii, opus Dei est. Et de operibus sequens adhuc sermo est. Interim nunc nihil aliud studuit responsio, quam ut omne opus referret ad utrumque; (*e*) utriusque autem natura non differret operandi, cum in eo, quod usque adhuc Pater operatur, operatur et Filius : ne qui dominus sabbati est (dominus est enim sabbati filius hominis, *Luc.* VI, 5), impie operari sabbato crederetur, cujus opus per nativitatis naturam paterni in se operis esset auctoritas. Non confunditur itaque aut aboletur natura, ne filius sit : nec tamen rursum adimitur natura, ne Deus sit. Nec discernuntur diversitate, ne unum sint : neque quod unum sunt, id potest præstare (*f*) ne uterque sit. Et primum filium cognosce, cum dicitur : *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* V, 19). Habes nativitatem filii, quæ ab se nihil possit facere, nisi videat. In eo autem, quod ab se nihil potest, innascibilitatis adimit errorem; ab se enim non potest posse nativitas : quod autem videt, (*g*) conscia in se naturæ significatur agnitio. Et in eo nunc veram Dei cognosce naturam : *Quæcumque enim ille facit, eadem et Filius facit similiter* (*Ibidem*). (*h*) Post naturæ autem virtutem, naturæ per id indissimilis intellige unitatem : *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem qui misit illum* (*Ibid.*, 23). Ac ne te naturæ unitas in solitarii unione contineat; sacramentum in eo fidei disce : *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Ibidem*). Con-

(1) Deest *igitur*. Paulo post, *aut quid relictum;* ac deinde, *Pater non judicat, et omne judicium dedit filio.*

(*a*) In mss. Carn.,Corb. et nonnullis aliis, *quæ non profitetur*. Mox in vetustiore Colb. *gessurus*, non *gesturus*. Quod hic dicitur : *Usque adeo non de exempli auctoritate gesturus est*, videtur pugnare cum dictis num. 17, ubi Filius asseritur *ex auctoritate exempli* virtutem agendi usurpasse. At uterque locus facile conciliatur, cum *auctoritas*, num. 17, tantum geniti a genitore originem sonet, hic vero subditi domino exhibitam servitutem. Utrumque illud eidem loco respondens Augustinus contra Serm. Arian. c. 23, sic explicat : *Nec Filius a se potest quidquam, quia nec ipse a semetipso, non quod in omnibus nutum Patris exspectet.*

(*b*) Martinianus ms. *operatio virtutis*. Vat. bas. *operatæ virtutis honor :* perturbate. Filius Patri exæquatur operatione, dum eadem facit quæ Pater; virtute, dum ita, ut Pater, quos vult vivificat; honore, dum ab omnibus est honorificandus.

(*c*) Editi, *natus esset*. At in plerisque mss. *natus esse*. Deinde in omnibus, *nec tamen indifferens :* forsitan sincerius per hellenismum Hilario non inusitatum. Quippe lib. de Synod. n. 73, legimus *per similitudinem non indifferentis essentiæ*, pro *per similitudinem non differentis essentiæ*. Alia hujusmodi exempla in eodem libro et alibi reperire est.

(*d*) Desideratur *Dei* in ms. Vat. bas. Ex subnexo Scripturæ loco pendet hujus propositionis probatio.

(*e*) Martinianus ms. *utriusque enim natura non differret opera*. Lips. et Par. *utriusque enim natura non differt operando*. Verbum *differret* regitur a particulis *quam ut*.

(*f*) Id est, ne uterque proprium exsistendi modum habeat ab altero distinctum.

(*g*) Apud Bad. *conscientia*. Apud Lips. et Par. *conscia*. In ms. Carn. *conscientiæ*. Verius Er. cum plerisque mss. *consciæ*. Sic mox, *consciæ potestatis hæc vox est;* et initio hujus libri, *consciæ infirmitatis :* demum in Psal. LXVIII, n. 15, *consciæ in se salutis*.

(*h*) Editi, *per naturæ*. Rectius mss. *post*, supple, *jam cognitam*, proximo scil. loco : *Quæcumque facit*, etc.

clusa sunt omnia adversum hæretici furoris ingenia. Filius est, quia ab se nihil potest : Deus est, quia quæcumque Pater facit, et ipse eadem facit : unum sunt, quia exæquatur in honore, eademque facit, non alia : non est pater ipse, quia missus est. Habet igitur hoc sacramenti sola nativitas, ut complectatur in se et nomen, et naturam, et potestatem, et professionem : quia universa **192** nativitas non potest non in ea esse natura, unde nascatur. Non affert externi generis substantiam : quia ex uno non subsistit alienum. Quod autem alienum a se non est, id unum est genere naturæ : et quidquid unum est per nativitatem, non habet solitudinem ; quia et solitudo singularis est, et nativitatis est unitas ad utrumque.

22. *Arianorum fides ipsorum cognitioni adversa. Christi potestas, nativitas ex Deo, natura divina et existentia in Patre ; manus.* — Et super hoc, (*a*) adsit sibi divinæ de se sententiæ testimonium. Ait enim : *Qui sunt ex ovibus meis, vocem meam audiunt, et ego novi eas, et sequuntur me, et ego vitam æternam do eis, et non* (*b*) *perient in sempiternum, nec quisquam rapiet eas de manu mea. Pater quod dedit mihi, majus est omnibus, nemo poterit rapere de manu patris mei. Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 27, *et seqq.*). Quis, rogo, intelligentiam nostram stupor hebetis mentis obtundit, ut hæc in sensum nostrum tam absolute dicta non subeant? Aut quis infirmitatem humanam tumor animi insolentis illudit, ut Dei cognitionem ex his adepti, Deum putent non in his intelligendum esse quibus cognitus est? Aut enim alia sunt Evangelia proferenda quæ doceant : aut si de Deo sola ista (Evangelia) docuerunt, cur non ita credimus ut docemur? Quod si ex his tantum sumpta cognitio est ; cur non exinde fides sit, unde cognitio? Sed cum fides cognitioni esse adversa detegitur ; jam non cognitionis fides illa, sed criminis est, irreligiosam sibi fidem adversus religionem confessæ cognitionis assumens. Unigenitus igitur Deus naturæ in se suæ conscius, nativitatis propriæ inenarrabile sacramentum, ad fidei tamen nostræ confessionem, quanta potest verborum absolutione significat : ut et natus intelligatur, et in Dei natura esse credatur, et cum A Patre unum sit, et (*c*) unum se profitendo cum Patre, non tamen (1) (*d*) ut solus tantum atque ipse pater intellectus amittat esse quod filius est. Testatur enim primum naturæ virtutem, cum de ovibus suis ait : *Nec quisquam* (2) *rapiet eas de manu mea* (*Ibid.* 28). Consciæ potestatis hæc vox est, imperturbatæ virtutis libertatem per id, quod nemo oves de manu sua abripiat, confiteri. At vero ut in natura licet Dei, naturæ tamen ex Deo sit intelligenda nativitas ; subjecit : *Pater quod dedit mihi majus est omnibus* (*Ibid.*, 19). Non occultat ex Patre esse se natum : quod enim a Patre accepit [illegible] *majus est omnibus.* (3) (*e*) Et qui accepit, est in eo quod accepit nascendo, non postea ; et tamen ex alio est, dum accepit. Sed qui ex alio, accepit, ne aliud quid potius, B et non in ejus intelligeretur natura a quo accepit existere ; ait : *Nemo poterit rapere de manu patris mei.* De manu sua nemo rapit : quia a Patre quod est omnibus majus accepit. Quid sibi vult tam diversa professio, ut rursum de manu patris sui nemo rapiat? Filii manus est, quæ accepit a Patre ; Patris manus est, quæ dedit Filio : et quomodo quod non rapitur de manu Filii, non rapitur de manu Patris? Quomodo si quæris, intellige : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30). Manus Filii, manus Patris est. Non enim degenerat per nativitatem natura, ne eadem sit : neque rursum quia eadem est intelligentiam nativitatis offendit, quia nativitas nihil in se admittit alienum. Ut vero per corporalem significationem virtutem possis ejusdem nosse naturæ, commemorata est Filii manus C manus Patris ; quia natura et virtus Patris (*f*) esset in Filio. Postremo ut per sacramentum nativitatis veritatem naturæ indifferentis agnosceres ; dictum est : *Ego et Pater unum sumus* : ut quod unum sunt, nec diversum nec solitarium crederetur, non alia in utroque per nativitatis et generationis proprietatem exsistente natura.

23. *Ariani in Christum Judæis iniquiores.* — Manet, quantum intelligi licet, mentium vesanarum voluntas, cessante licet voluntatis effectu : et malignum animum malevolentiæ studium, absistente mali operis occasione, non deserit. Nunc enim hæreticorum D sit, tamen ex alio est, quatenus accepit. Quod illustratur ex verbis l. II, n. 20 : *Qui vita erat, non postea quam est natus, effectus est vita ; non enim in eo aliud est quod natum est, et aliud est quod natus accepit ;* et paulo post : *Deus qui a Deo natus est, non postea quam natus est, sed nascendo Deus exstitit.* Hic pro *accepit ;* in mss. prope ubique exstat *accipit* : neque male sonat.

(1) *Ut unus solus.*
(2) *Rapit.*

(3) *Et qui accipit.* Sic infra, *dum accipit. Sed qui ex alio accipit ;* deinde, *a quo accipit.*

(*a*) In vulgatis, *asciscit.* Rectius in mss. *adsit.* Sic. lib. II, n. 15, post exposita nonnulla Joan. verba, ad cætera sic transitur : *consequentia sibi adsint.*

(*b*) Auctoritate mss. restituimus hic *perient* pro *peribunt* : moxque particulam *et* verbis *nemo poterit* præfixam, rursumque ante *ego et Pater* repetitam expunximus.

(*c*) Par. *unum sit profitendo*, mendose.

(*d*) In vulgatis et pluribus mss. *ut unus solus.* Verbum *unus*, removimus auctoritate codicum potiorum. Sabelliani erroris suspicio avertitur ; ut Filius se unum cum Patre profitendo, non desinat esse filius, nec debeat haberi tamquam ipse qui Pater.

(*e*) Editi, *et quia accepit ;* moxque *non postea tamen ex alio est* : restaurantur ex mss. hoc nimirum sensu : Qui nascendo accepit, et non postea, seu non post constitutam nativitatem, est in eo quod accepit, utpote in eo unde natura sua constat : ac licet in eo

(*f*) Sic mss. At editi, *est etiam in Filio.* Tum Vat. bas. ms. *postremo ut post sacramentum.* Ex hoc Hilarii loco commode intelligitur quod ait Irenæus, lib. IV, c. 37, ubi ponit primo Deum in conditione mundi externo Angelorum ministerio non eguisse : *quasi*, inquit, *ipse suas non haberet manus* : ac deinde subjicit, *Adest enim ei semper Verbum et Sapientia Filius, et Spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens. Faciamus*, etc. adeo ut Filium et Spiritum sanctum Dei *manus* dixerit, quod ipsa Dei virtute ac natura gaudeant.

furor, jam (*a*) Domino in cœlis sedente, quia exemplo Judæorum in crucem agere non possunt, pari tamen infidelitate hoc eum quod est (*supple*, esse) denegant : et cum non possint negare quæ dicta sunt, tamen dictis (*b*) non obedientes, odium impietatis exercent, verborum lapides injiciunt, et si possent, de throno eum suo in crucem retraherent. Et de Judæis quidem ad dicti hujus (*c*) novitatem commotis ita scribitur (*Joan.* x, 31, *et seqq.*) : *Tulerunt igitur lapides Judæi, ut eum lapidarent. Respondit* **194** *eis : Multa bona opera ostendi vobis a Patre, propter quod eorum opus lapidatis me? Responderunt ei Judæi : Pro bono opere non lapidamus te, sed pro blasphemia; et quia tu cum sis homo, facis te Deum.* At tu vero, hæretice, quid agas ac profitearis agnosce; et eorum te intellige esse consortem, quorum in te refers perfidiæ exemplum. Ad id enim quod dictum est, *Ego et Pater unum sumus*, Judæi lapides elevaverunt, et eorum impius dolor ad sacramentum fidei salutaris impatiens, usque ad impetum inferendæ mortis erupit. Quid tu, non habendo quem lapides, denegando minus efficis? Non differt voluntas : sed voluntatem tuam inefficacem esse cœlestis thronus efficit. Quanto tu irreligiosior Judæo? Lapides ille in corpus elevat, tu in Spiritum; ille in hominem ut putabat, tu in Deum; ille in diversantem in terris, tu in throno virtutis sedentem; ille in ignoratum, tu in confessum; ille in moriturum, tu in judicem sæculorum. Ille dicit : *Cum sis homo* (*Ibid.*, 33); tu dicis : Cum sis creatura; uterque autem dicitis, *facis te Deum;* hoc commune in eum impii vestri oris opprobrium est. Negas enim Deum ex generatione Dei, negas filium (*d*) ex nativitatis veritate, negas hoc, quod *ego et Pater unum sumus*, confessionem unius in utroque atque consimilis esse naturæ. Subjicis substantiæ novæ et externæ et alienæ Deum : ut aut alterius generis Deus sit, aut omnino nec Deus sit, quia non (1) (*e*) ex Deo nativitate subsistat.

24. *Responsio Christi Judæis, apta et Arianis. Responsionis causa et scopus.* — Sed quia ad sacramentum dicti hujus commotus es : *Ego et Pater unum sumus;* ut Judæo dicente : *Cum sis homo, facis te Deum*, tu pari impietate dicas : Cum sis creatura, facis te Deum (dicis enim : Non es filius ex nativitate, non es Deus ex veritate; creatura es præstantior cunctis : sed non es in Deum natus, quia ex incorporali Deo nativitatem non admitto (*f*) naturæ; non modo tu et Pater non unum estis, sed nec filius es, nec similis es, nec Deus es). Judæis quidem Dominus respondit, sed magis ad impietatem tuam omnis hæc apta responsio **195** est : *Nonne scriptum est in lege, Quoniam ego dixi, dii estis? Si ergo illos dixit deos, ad quos verbum factum est Dei, et non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit, et misit in hunc mundum, vos dicitis quia blasphemavi, quoniam dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris, nolite credere mihi : si autem facio, et mihi non vultis credere, operibus credite; ut sciatis et cognoscatis, quoniam* (2) (*g*) *Pater in me, et ego in eo* (*Ibid.*, 34 *seq.*). Causam responsionis causa objectæ ei blasphemiæ intulit. Id enim ad crimen deputabatur, quod se cum homo esset Deum faceret. Deum autem se facere per id arguebatur, quod dixisset : *Ego et Pater unum sumus.* Demonstraturus itaque hoc, quod ipse et Pater unum essent, ex nativitatis usurpatum esse natura; in eo primum ineptiam ridiculi opprobrii confutat, cur in reatum vocaretur, quod se cum homo esset Deum faceret. Cum enim lex hujus nominis appellationem sanctis hominibus decerneret, et sermo Dei indissolubilis confirmaret hanc impertiti nominis professionem; quomodo hic, quem Pater sanctificasset, et quem in hunc mundum misisset, blasphemus esset Dei se filium confitendo; cum cognominatos per legem deos indissolubilis Dei sermo statuisset? Jam ergo non est criminis, quod se Deum cum homo sit faciat; cum eos, qui homines sint, lex deos dixerit. Et si a cæteris hominibus non irreligiosa hujus nominis usurpatio est; ab eo homine, quem Pater sanctificavit (omnis enim hic de homine responsio est, quia Dei filius etiam hominis filius est), non impudenter usurpari videtur, quod Dei se filium dixerit; cum præcellat cæteros, qui cognominare se (*h*) non irreligiose deos possunt, per id quod sanctificatus in filium est : beato Paulo scientiam nobis sanctificationis istius intimante, cum ait : (*i*) *Quod ante promisit per prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo, qui factus est* (*j*) *ex semine David*

(1) *Ex Dei nativitate.*

(2) Codex Veron. *Pater in me, et ego in eum;* et ita legit ad num. 26 et 27 paulo post, *deputatur* pro *deputabatur.*

(*a*) Editi, *Dominum in cœlis sedentem* : refragantibus mss.

(*b*) Vat. bas. codex cum Martin. *non solum inobaudientes odium impietatis exercent, sed et verborum*, etc., interpolatoris operam sapiunt. Ex his patet quod jam observatum est, Hilarium Scripturis ita diserte expressam censuisse consubstantialitatem, ut nec bona fide a Scripturarum peritis negari eam potuisse existimarit.

(*c*) In ms. Mart. *veritatem.*

(*d*) In mss. bas. Vat. et Mart. hic additur *ex veritate naturæ :* quod abest ab aliis libris, et supervacaneum videtur.

(*e*) Editi cum aliquot mss. *ex Dei nativitate.* Martinianus codex, *ex Deo Dei nativitate.* Præferimus cum Carn., duobus Colb., Germ., etc., *ex Deo nativitate.*

(*f*) Hic respiciuntur postrema verba epistolæ Ariarum ad Alexandrum, lib. IV, n. 13, et l. VI, n. 6, relatæ.

(*g*) Ita mss. juxta græcum. Editi vero juxta Vulgatam, *Pater in me est, et ego in Patre.* Idem locus præterea ter hoc libro repetitur. Ac primo quidem loco rursum cum græco mss. consentiunt, rursumque editi cum Vulgata : secundo autem utrique cum græco, ac postremo utrique cum Vulgata.

(*h*) Lips. et Par. *non religiose :* corrupte.

(*i*) Bad., Er. et Lips. *Qui ante :* dissidentibus aliis libris. Tum Par. cum vetere ms. Colb. *promissum*, non *promisit.*

(*j*) In vulgatis, *qui factus est ei.* Removimus *ei* auctoritate mss. Colb., Germ. ac Mart. consentiente græco, necnon Irenæo lib. III, c. 32, ac Tertulliano, adversus Praxeam n. 27. Mox ex fide dictorum mss. necnon Carnut. reponimus *qui destinatus est*, favente

secundum carnem, (1) *qui destinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis* (*Rom.* 1, 2, *et seqq.*). Cessat ergo blasphemiæ crimen, quod cum sit homo Deum se faciat : cum hoc nomen plurimis Dei sermo detulerit, et sanctificatus ac missus a Patre nihil aliud se quam Dei filium sit professus.

25. EGO ET PATER UNUM SUMUS, *naturam nativitatis ostendit.* — Non est relictus, ut arbitror, ambigendi **196** locus, quin de natura nativitatis dictum sit : *Ego et Pater unum sumus.* Nam cum Judæi arguissent illum, quod per hoc dictum, homo ipse cum esset, sese Deum faceret : responsio ejus confirmat, quod Dei se filium per id quod *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), (2) ostenderit, primum nomine, deinde natura, postremo nativitate. Nam *ego et Pater* rerum nomina sunt; *unum* vero naturæ professio est, quia in eo quod est uterque non differat; *sumus* autem non patitur unionem. Et ubi quod (*a*) *unum sumus* unio non est, unum eos efficit esse nativitas. Hoc enim totum ex eo est, quod Dei se filium sanctificatus a Patre profitetur, et professio Dei filii hoc quod *Ego et Pater unum sumus* confirmat : quia nativitas non aliam possit, nisi eam ex qua subsistit, afferre naturam.

26. *Natura Dei in Filio evincitur ex gestis. Æquari Deo nequit quod extra eum.* — Consummavit autem totius fidei nostræ sacramentum unigeniti Dei sermo. Namque cum responsum ad id fuisset, cur se cum homo esset Deum faceret; ut dictum illud, *Ego et Pater unum sumus*, absolutæ et perfectæ intelligentiæ ordinem sumeret, hæc consequenter subjecit : *Vos dicitis, quia blasphemavi, quoniam dixi : Filius Dei sum. Si non facio opera Patris, nolite credere mihi : si autem facio, et mihi non vultis credere, operibus credite; ut sciatis et cognoscatis, quoniam Pater in me, et ego in eo* (*Joan.* x, 36, *et seqq.*). Infrenis audaciæ est desperata jam per conscientiam salus, et extra pudorem est professa omnis impietas. Nam (*b*) jam quis nec erubescit stultitiæ, ubi perdidit religionem : his enim contradicere, amentia potius quam ignoratio est. Dominus dixerat, *Ego et Pater unum sumus :* nativitatis hoc sacramentum est, ut Pater et Filius in unitate naturæ sint. Et quia naturæ præsumptio vocaretur in crimen, præsumendi ratio docetur ex causa. Ait enim : *Si non facio opera Patris, nolite credere mihi* (*Ibid.*, 37). Si non opera Patris facit, non credendum ei est, profitenti Dei esse se filium. Non habet ergo nativitas novam externamque naturam; quia per id filius esse credendus est, quod opera patris efficiat. Quid hic adoptio, quid indulgentia nominis loci invenit, ne ex natura Dei filius sit; cum Dei filius ex naturæ paternæ operibus credendus sit? Non exæquatur aut similis **197** est Deo creatura, neque ei naturæ alienæ potestas comparatur : sola ei nativitas filii non (*c*) impie per similitudinem creditur æqualis. Nam quidquid extra eum est, cum contumelia ei honoratæ virtutis æquabitur. Si enim aliquid, quod non ex ipso est, reperiri potest simile ei ac virtutis ejusdem; amisit privilegium Dei sub consortio coæqualis; jamque non erit Deus unus, a quo indifferens sit deus alius. At vero non habet contumeliam, proprietatis (*d*) æqualitas : quia suum est, quod sui simile est; et ex se est, quod sibi ad similitudinem comparatur; nec extra se est, quod quæ sua sunt potest : et profectus dignitatis est, genuisse potestatem, nec alienasse naturam. Opera Patris efficit Filius; et per id credi se Dei filium postulat. Non est præsumptio arrogans, quæ probari se non nisi ex his quæ gerat poscit. Gerere autem se non sua, sed quæ Patris sunt, testatur; ne per magnificentiam gestorum naturæ nativitas auferatur. Et quia sub sacramento assumpti corporis, et nati ex Maria hominis, Dei filius non intelligebatur, (3) (*e*) fides nominis intimatur ex gestis, cum ait : *Si autem facio, et mihi non vultis credere, operibus credite* (*Ibid.*, 38). Credi sibi primum quod Dei filius sit, nisi ex operibus Patris quæ ipse efficit, non vult. Quod si facit opera, et per humilitatem corporis fide professionis indignus est, operum fidem postulat. Cur enim sacramentum nati hominis, intelligentiam divinæ nativitatis impediat; cum divina nativitas omne opus suum (4) (*f*) sub ministerio assumpti hominis exsequatur? Si igitur homini per opera non creditur quod Dei filius sit; credatur operibus quod Dei filii sint, quia negari quod Dei sint non possunt. Omne enim in se filius Dei habet nascendo, (*g*) quod Dei est : et idcirco opus Filii opus Patris est, quia nativitas nec extra naturam eam est ex qua (*h*) manet, et naturam eam in se habet unde subsistit.

(1) *Qui prædestinatus est.*
(2) *Ostendit.*
(3) *Fides nobis.*
(4) *Sub mysterio.*

græco τοῦ ὁρισθέντος; cum prius legeretur *qui prædestinatus est.* Corbeiensis autem codex ab annis saltem mille exaratus epistolas Pauli græce et latine complectens, latine præ se fert *factus est ei, et prædestinatus;* secus græce, utpote cum vulgatis exemplaribus græcis consentiens.

(*a*) Vocem *unum*, quæ in editis deerat, supplemus ex mss.

(*b*) Excusi, *jam quisquis.* Rectius mss. *jam quis*, id est, *jam aliquis.* Mox, *his enim contradicere*, id est, nam quod contradicunt fidei.

(*c*) Erasmo magis placuit *non improprie*, quod et postea Lips. et Par. arripuere, refragantibus Bad. et mss. Caute hinc et infra *similitudo* prædicatur, adjuncta æqualitate : quod se semper præstitisse monet Hilarius in responsis apologeticis ad lib. de Synodis.

(*d*) Id est, æqualitas rei, quæ non aliena aut extranea est, sed sibi propria.

(*e*) Omnes ferme libri, *fides nobis.* Magis placuit cum optimo codice Colb. necnon Germ. *fides nominis.* Suum quippe nomen prædicans Christus ac dicens, *Filius Dei sum*, ubi non est creditus, dicti fidem facere conatus est ex gestis.

(*f*) Editi, *sub mysterio;* et mox *exæquatur*, pro *exsequatur.* Castigantur ope mss.

(*g*) In ms. Carn. *quod Deus est :* sensus idem.

(*h*) Editi, *manat* : absque auctoritate mss. Verbum *manere* Hilario familiare est pro *exstare*, ut patet ex lib. IV, n. 6 et 16; lib. VI, n. 15, necnon ex lib. de Synod. n. 35 et 41. Eo autem frequens utitur ad significandam Filii nativitatem initii aut divisionis expertem. Sic infra, num 31 : *Deus ex Deo manens non*

27. *Filius in Patre, et vicissim. Quidquid in Deo est, unum est. Filius vita de vita, adeoque non ex nihilo.* — Faciens igitur opera Patris, et postulans ut si sibi non crederetur, vel operibus **198** ipsis crederetur, demonstrare debuit quid esset operibus credendum, nempe quod sequitur: *Si autem facio, et mihi non vultis credere, operibus credite; ut sciatis, et cognoscatis, quoniam Pater in me, et ego in eo* (*Joan.* x, 38). Hoc est illud, *Dei filius sum*; hoc est illud, *Ego et Pater unum sumus.* Hæc est nativitatis natura: hoc salutaris fidei sacramentum, non dividere quod unum sunt, (*a*) nec nativitati adimere naturam, et ex vivente Deo viventis Dei veritatem confiteri. Non enim ex compositis (1) (*b*) atque inanimis Deus, qui vita est, subsistit: neque qui virtus est, ex infirmibus continetur: neque qui lux est ex obscuris coaptatur: neque qui spiritus est, ex disparibus formabilis est. Totum in eo quod est, unum est: ut quod spiritus est, et lux et virtus et vita sit; et quod vita est, et lux et virtus et spiritus sit. Nam qui ait, *Ego sum, et non demutor* (*Malac.* III, 6): non demutatur ex partibus, nec fit diversus ex genere. Hæc enim, quæ superius significata sunt, non ex partibus in eo sunt; sed totum hoc in eo unum et perfectum, omnia Deus vivens est. Vivens igitur Deus, et æterna naturæ viventis potestas est: et quod cum sacramento scientiæ suæ ex eo nascitur, non potuit aliud natum esse quam vivens. Nam cum ait, *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo* (*c*) *per Patrem* (*Joan.* VI, 58); docuit vitam in se per viventem Patrem inesse. Dehinc cum dicit, *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic et Filio dedit vitam habere in semetipso* (*Joan.* V, 26); omnia viva sua ex vivente testatus est. Quod autem ex vivo vivum natum est, habet nativitatis profectum sine novitate naturæ. Non enim novum est, quod ex vivo generatur in vivum; quia nec ex nihilo ad nativitatem vita quæsita est, et vita, quæ nativitatem sumit ex vita, necesse est per naturæ unitatem, et perfectæ atque inenarrandæ nativitatis sacramentum, ut et in vivente vivat, et in se habeat (2) (*d*) vitam viventem.

(1) *Neque inanimis.*
(2) *Vita viventem.*
(3) *Datam a se naturæ.*

28. *Qui in Patre sit. Humanæ nativitatis comparatio. Nativitatis utriusque discrimen.* — Admonuisse nos in exordio sermonis (*Lib.* I, *n.* 19; *lib.* IV, *n.* 2; *et lib.* VI, *n.* 9) **199** nostri meminimus, humanas comparationes divinis non satisfacere exemplis; tamen pro parte intelligentiæ nostræ sensum formis corporalibus erudiri. Humanæ nativitatis conscientiam consulo, utrum non intra patres maneat origo nascentium. Nam tametsi elementa illa inanima ac turpia, quibus nascendi causæ inchoantur, in hominem alterum effluant, naturæ tamen virtute intra se invicem manent: dum et per (3) (*e*) datam naturæ ejusdem originem, nascentem sequitur ille qui gignit; et per acceptam nativitatem, cujus virtus etsi derivetur, non tamen (4) (*f*) aufertur, in gignente se manet ille qui nascitur. Et hoc quidem tantum ad humanæ nativitatis intelligentiam commemoratum a nobis sit, non etiam ad perfectum in unigenito Deo nativitatis exemplum: quia naturæ humanæ infirmitas ex disparibus comparatur, et ex inanimis continetur ad vitam. Nec statim in ea quod gignitur vivit, neque totum vivit ex vita; cum in ea multa sint, quæ sine naturæ suæ sensu, cum excreverint, desecentur. In Deo vero totum quod est vivit. Deus enim vita est: et ex vita non potest (*g*) quidquam esse nisi vivum. Neque ex derivatione, sed ex virtute nativitas est. Ac sic dum totum quod est vivit, et dum totum, quod ex eo nascitur, virtus est; habet nativitatem, non habet demutationem; et impertit profectum, nec amittit naturam: dum et nativitatem quam dedit per indiscretæ naturæ similitudinem sequitur, et nativitas eam, quæ vivens ex vivente est, naturam nascendo non deserit.

29. *Ignis comparatio altera.* — Affert autem pro parte fidei hujus significationem, ignis in se ignem habens, et in igni ignis manens. Nam cum sit in eo splendor luminis, naturæ calor, virtus urendi, mobilitas æstuandi; totum tamen ignis est, et hæc universa, una natura est. Habet quidem ex infirmitate, quod per materiam subsistit ac vivit, et cum ea per quam vixerat deficit. Sed hoc, quod (*h*) incomparabile **200** Dei est, (5) comparatione ex parte cognosci-

(4) *Auferatur.*
(5) *Ex comparationum parte.* Mox, *in Deum sit.*

est aliunde; et num. 53 lib. VIII, *Christus non de non substantibus manet.* Et lib. VI, num. 19, *quem in te manentis ex te nativitatis natura retineret;* et num 35, *Non ut esse cœpit ex nihilo, sed exiit a manente.* Demum in sinceris exemplaribus nusquam reperias *manare*, quod ad æternam Filii generationem referatur.

(*a*) Editi, *nec nativitatis.* Rectius mss. *nec nativitati*, hoc est, nec nato.

(*b*) Mart. ms. ut infra habet *inania*, pro *inanima*, ita et hic cum codice Vat. bas. *atque inanibus.* Corb. a prima manu, *neque ex inanibus.* Deinde in omnibus exstat *infirmibus*, ubi in vulgatis *infirmioribus.* Tum verbo *continetur*, pro *constat*, videtur usus Hilarius: ne ita ex Patre prodiisse Filius existimetur, ut non semper intra ipsum contineatur ac maneat. Sic quippe lib. VI, n. 19, Patrem alloquens confitetur natum, *in quo te generationis ex te veritas contineret, et quem in te manentis ex te nativitatis natura retineret.*

(*c*) Editi hic *propter Patrem*, sed lib. VIII, n. 16, *per Patrem;* quam lectionem constanter exhibent mss. confirmantque proxime subnexa, *per viventem Patrem:*

(*d*) In mss. Colb. et Germ. *vita viventem.*

(*e*) Editi. *datam a se.* Abest *a se* a potioribus mss. Acute hic explicatur qui filius in patre, et in filio pater. In filio pater est, quia nascentem sequitur ille qui gignit, dum hujus natura in genitum quodam modo trajicitur. Illa autem natura a filio accepta, dum non amittitur a patre, sed in eo manet, id filio præstat, ut etiam in ipso genitore maneat.

(*f*) Mss. Corb., Prat., Vind., etc., *auferatur.* Antiquior Colb. *auferetur.*

(*g*) Ms. Carnut. *aliud esse.*

(*h*) Apud Bad. et Er. desideratur *incomparabile.* Deinde apud Lips., Par. et in plerisque mss. *ex comparationum parte cognoscimus.* Minus male in Martin. *ex comparatione partem cognoscimus.* Reponimus *comparatione*, etc., auctoritate ms. bas. Vat. et aliorum duorum Vat. quibus consentiunt Bad. et Er. Mox mss. habent *in Deum sit*, non *in Deo sit.*

mus ; ut non incredibile in Deo sit, quod pro parte aliqua in terrenis reperiatur elementis. Quæro itaque nunc utrum divisio ac separatio sit, cum ignis ex igne est. Aut numquid absciditur natura ne maneat, aut non sequitur natura ne insit, cum accenso lumine ex lumine per quemdam quasi nativitatis profectum naturæ nulla (*a*) desectio sit, et tamen sit lumen ex lumine? Aut numquid hoc non manet in eo, quod ex sese sine desectione subsistit? Aut hoc non inest in eo, (*b*) unde non recisum est, sed cum unitate substantiæ naturalis exivit? Et quæro anne non unum sint, cum lumen ex lumine nec divisione separabile sit, nec genere naturæ?

30. *Comparationum quis usus.* — Et hæc, ut dixi, ad intelligentiam fidei tantum comparata sint, non etiam ad Dei dignitatem, ut nos potius intelligentiam invisibilium (*c*) ex corporalibus sumeremus, non utique ut aliquod naturæ Dei satisfaceret comparationis exemplum : cum dignum et justum esset testanti de se Deo credere. Sed quia simpliciorum fidem furor hæreticus turbaret, ut id de Deo credi non oporteret, quod difficile, nisi per corpoream comparationem, posset intelligi : idcirco secundum illud jam etiam superius memoratum a nobis Domini dictum : *Quod de carne nascitur, caro est : quod autem de spiritu, spiritus est* (*Joan.* III, 6), quia Deus spiritus est, utile existimavimus hæc pro parte inserere comparationis exempla : ne mentiri de professione sua existimaretur, cum divinæ nobis professionis intelligentiam ex aliquo naturalia (1) creaturarum exempla præstarent.

31. *Filio natura divina vi nativitatis. Per hanc ipse in Patre et Pater in eo. Patrem dicens dicit et Filium.* — Igitur ex vivente (*d*) vivens Dei filius, et ex Deo Deus, et naturæ inseparabilis atque indissimilis unitatem et sacramentum nativitatis ostendens, ait, *Ego et Pater unum sumus.* Et quia calumnia dicti tamquam insolentis exsisteret ; ut conscientiam potius naturæ demonstraret in dicto, subjecit, *Dicitis quia blasphemavi, quoniam dixi,* **201** *Filius Dei sum,* unitatem naturæ ex nativitate esse contestans. At vero ut nativitatis fidem professio absoluta firmaret, nec naturæ tamen afferret nativitas professa dissidium ; hanc totius responsionis suæ tenuit absolutionem, *Operibus credite, quoniam Pater in me, et ego in Patre.* Quid hic non naturale ac proprium sub sacramento nativitatis ostensum est ? Insunt sibi invicem, dum non est nisi ex patre nativitas, dum in Deum alterum (2) (*e*) naturæ vel exterior vel dissimilis non subsistit, dum Deus ex Deo manens non est aliunde quod Deus est. Infer duos, si occasio patet, fidei Ecclesiæ deos : aut solitarium Deum vel falsa saltem mentire ratione : Filium, si potes, a Patre absque nativitatis tantum confessa veritate discerne, Filius in Patre est, et in Filio Pater, non per transfusionem refusionemque mutuam (*f*), sed per viventis naturæ perfectam nativitatem. Ita in Deo patre et in Deo filio neque duos (3) (*g*) connumerabis deos, quia unum uterque sunt ; neque singularem prædicabis, quia uterque non unus est. Non habet igitur fides apostolica duos deos, quia nec duos patres habeat, nec duos filios. Confitendo patrem, confessa filium est : credens in filium, credidit et in patrem : quia et nomen patris (*h*) habet in se filii nomen. Non enim nisi per filium pater est ; et significatio filii, demonstratio patris est : quia non nisi ex patre sit filius. In unius itaque confessione non unus est : dum et Patrem consummat Filius, et Filii ex Patre nativitas est. Non demutatur autem per nativitatem natura, ne secundum similitudinem generis sui eadem sit. Eadem autem ita est, ut per nativitatem et generationem uterque potius unum confitendus sit esse, non unus.

32. *Epilogus. Qui Pater et Filius Deus unus et non solus, invicem sunt.* — Duos itaque prædicet deos, qui potest unum prædicare sine uno : aut singularem Deum doceat, qui possit negare et unum **202** uni per

(1) *Creaturarum aliquo modo.*
(2) In editis, *naturæ vel exterioris.*
(3) *Connominabis deos.*

(*a*) Excusi, *defectio*, et mox *sine defectione :* castigantur ex mss. Huc spectat quod Tatianus, Or. cont. Græcos, ait, *Natus est autem participatione, non abscissione. Quod enim abscinditur, a primo separatur ; quod vero communicatur id functione donatum propria nihil imminuit illum a quo vim suam sumpsit. Quemadmodum enim ab una face aliæ multæ accenduntur, nec tamen prima facis lux imminuitur propter plures inde accensas : sic etiam Verbum e Patris virtute progressum non reliquit genitorem Verbi expertem.* Tatiano præiverat Justinus cont. Triph. docens Filium ex Patre genitum *non per abscissionem, tamquam dispertita esset Patris substantia, prout alia omnia divisa et secta non eadem sunt, quæ ante fuerunt quam scinderentur. Atque exempli gratia illud sumpsi, quod ex igne ignes alios accensos videmus, illo nihil diminuto, sed eodem manente unde multi accendi possunt ignes.* Ubi indicat quod longe ante in eodem dialogo præmiserat his verbis : *Quemadmodum in igne videmus alium fieri, non decrescente illo unde facta est alterius accensio, sed in eodem statu permanente ; et qui ex ipso accenditur, etiam ipse esse apparet, non imminuens illum unde est accensus.* Hinc patet cur Filius a catholicis dictus sit *lumen de lumine*, et cur hanc nobis eripere notionem Ariani moliti sint.

(*b*) Unus e mss. Vat. *unde non recessum est*, corrupte.

(*c*) Excusi, *ex comparabilibus :* emendantur ope mss.

(*d*) Er., Lips. et Par. *ex vivente Deo Patre :* quod non displiceret, nisi refragarentur antiquiores ac plerique mss.

(*e*) Ita optimus codex Colb. cum Germ. Alii vero, *natura vel exterior.*

(*f*) Vel ut Faustinus sæpe jam laudatus enarrat c. 1, *non utique per quamdam passivam confusionem : sed quia consequens est ut ubi Pater est, illic esse cognoscatur et Filius ; et ubi Filius est, illic etiam Patrem exstare cognoscas.*

(*g*) In ms. Mart. *connumerabiles.* In cæteris, *connominabis* vel *cognominabis.* Retinemus *connumerabis* propter illud num. 13, *Non duos deos connumerat nomen unum.*

(*h*) Ita Hieronymus dial. cont. Lucif. docet *filii nomen in patre, et patris nomen in filio esse :* nimirum quia pater cogitari nequit, quin filii etiam cogitatio simul obversetur.

naturæ virtutem et per sacramentum generationis et nativitatis non inesse. Naturam quoque (1) (*a*) diversam deputet ad utrumque, qui nesciat Patrem et Filium quod unum sint prædicatos. Deleant hæretici evangelicam Filii de se professionem, *Ego in Patre, et Pater in me :* (*b*) ut possint vel duos deos prædicare, vel solum. Non sunt naturarum significationes in naturæ unius proprietate : nec duos deos Dei ex Deo veritas perficit, nec singularem Deum Dei patitur nativitas, nec non unum sunt qui (2) (*c*) invicem sunt. Invicem autem sunt, cum unus ex uno est : quia neque unus uni aliud per generationem quam quod suum est dedit, neque unus ab uno aliud per nativitatem obtinet (*d*) quam unius. Apostolica igitur fides, sive Patrem prædicabit, prædicabit Deum unum; sive Filium confitebitur, confitebitur Deum unum : quia et eadem atque indissimilis Dei natura sit in utroque, (*e*) et quod dum et Pater Deus et Filius Deus est, et unum sit naturæ nomen utriusque, unus utrumque significat. Nam ex Deo Deus, vel in Deo Deus, nec deos duos perficit, cum unus ex uno (*f*) in natura et nomine maneat unius; nec in solitarium Deum deficit, cum unus et unus in significatione non solus sit.

33. *Iter ad Patrem per Filium : qui hoc intelligatur.*— Non incertam aut dubiam Dominus tanti sacramenti doctrinam reliquit, nec nos in ambiguæ intelligentiæ deseruit errore. Et audiamus eum omnem fidei hujus cognitionem Apostolis revelantem : ait enim (*Joan.* XIV, 6, *et seqq.*) : *Ego sum via et veritas et vita : nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si scitis me, et Patrem meum scitis : et a modo* (*g*) *scietis eum, et vidistis eum. Ait illi Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum,* (3) *et non nostis me? Philippe, qui vidit me, vidit et Patrem. Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? Non credis* (*h*) *mihi, quoniam ego in Patre, et Pater* **203** *in me est? Verba, quæ ego loquor vobis, non a me loquor; sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua. Credite mihi, quoniam ego in Patre, et Pater in me. Sin autem, vel propter opera ipsa credite.* Non nos in erratica atque in invia deducit ille qui via est, neque illudit per falsa qui veritas est, neque in mortis relinquit errore qui vita est. Et quia hæc benigna ad salutem nostram dispensationis suæ nomina ipse constituit, ut nos tanquam via in veritatem deduceret, et veritas constitueret in vita; cognoscendum est, quod illud obtinendæ vitæ sacramentum esse demonstret. *Nemo venit ad Patrem nisi per me* (*Joan.* XIV, 6). Iter ad Patrem per Filium est. Et quærendum est utrum hoc per doctrinæ admonitionem, an per naturæ fidem sit : quia videri possumus per doctrinam Filii potius ad Patrem, quam per confessionem paternæ in eo divinitatis venire. Intelligentiæ igitur sensum in consequentibus requiramus. Non enim fides ex arbitrio nostro, sed ex dictorum est inenuda virtutibus.

34. *Filium qui sciat, scire et Patrem.* — Nam hoc sequitur : *Si scitis me, et Patrem meum scitis* (*Ibid.*, 7). Homo Jesus Christus cernitur : et quomodo si ipse cognitus sit, erit cognitus Pater; cum naturæ suæ, id est, hominis in eo habitum Apostoli recognoscant, et liber a corporali Deus carne, non in hac corporalis carnis infirmitate noscendus sit? Sed in sacramento assumpti corporis divinitatis paternæ naturam in se Dominus confirmans, hunc ordinem tenuit : *Si scitis me, et patrem meum scitis : et a modo scietis eum, et vidistis eum.* Tempus visionis separavit a tempore cognitionis. Nam quem cognoscendum ait, eumdem jam dixit et visum (4) (*i*) ut naturæ jam pridem in se conspectæ scientiam ex tempore nunc hujus revelationis acciperent.

35. *Philippus hoc non capit; cur. Qui salva fide Patrem sibi ostendi rogat.* — Sed commovit apostolum Philippum novitas dictorum. Homo cernitur, Dei se filium confitetur, cognito se cognoscendum Patrem fatetur. Patrem (*j*) visum esse dicit, et per id cognoscendum esse quia visus sit. Humani istud animi in-

(1) *Diversamque.*
(2) *In invicem sunt. In invicem autem.*

(3) *Et non nosti me.* ex Græco; καὶ οὐκ ἐγνωκάς με;
(4) *Et naturæ.*

(*a*) Apud Lips. et Par. *disparem diversamque :* præter fidem librorum aliorum. Eodem Scripturæ loco diversam naturam excludi defendit Augustinus, lib. VI de Trinit. c. 3 : *Nescio*, inquit, *utrum inveniatur in Scripturis,* UNUM SUNT, *quorum est diversa natura.* Unde Coll. cum Maximino sic eum alloquitur, n. 14 : *Quando mihi protuleris quod unum sint quæ sunt diversæ substantiæ, tunc cogitabo quid debeam respondere.*

(*b*) Removimus hinc, *Ego et Pater unum sumus :* quod hic perperam immiserat Lipsius, cum subjecta neqaaquam hunc locum respiciant, sed tantum superiorem, *Ego in Patre*, etc.

(*c*) Bad., Er. et Lips. cum ms. Corb. *in invicem sunt. In invicem autem.* Abest *in* a Par. et plerisque mss. Sic num. 31, *Insunt sibi invicem.* Sunt autem invicem, quia, ut proxime dicebatur, sunt *in naturæ unius proprietate*, hoc est, uterque unam et eamdem naturam habet propriam.

(*d*) Bad. et Er. *quam unus.* Rectius alii libri, *quam unius ;* subaudito *quod*, puta, *quam quod unius est.* Sic infra unus ex uno *in natura et nomine unius* manere prædicatur.

(*e*) Editi, omissa hic conjunctione *et*, mox subjiciunt *utrisque*, loco *utriusque ;* cum hoc vocabulum ante et post numero singulari, non plurali exhibeant. Restaurantur ex mss. Hanc sententiam sic licet exprimere : *et quia dum et Pater Deus et Filius Deus est, et dum utriusque est unum naturæ nomen*, etc.

(*f*) Er. *in natura et nomine.* Tum Lips. et Par. cum ms. Mart. *in naturæ nomine unius maneat :* confuse. Ibi quippe *unius* perinde esse videtur, ac *ejus qui unus est.*

(*g*) Antiquiores mss. hic et infra, n. 34, *scitis*, consentiente græco textu, sed aliud tamen postulante Hilarii enarratione.

(*h*) Ut a græco textu abest *mihi*, ita etiam hic a duobus mss. Colb., in quibus tamen exstat inferius.

(*i*) Par. cum vetusto codice Colb. et Germ. *et naturæ :* quod etiam habuit Corb. a prima manu. Et quidem advertimus jam non semel, particulam *et* eamdem vim habere atque *ut*. Divinam autem naturam in Christo per miracula conspectam esse infra declaratur.

(*j*) In vulgatis, *visum se viso dicit :* inepte, cum respiciatur illud, *et vidistis eum.* Proxime ante in ms. Carn. *cognitum*, non *cognoscendum.*

firmitas non capit, **204** (*a*) nec fidem sumit tam diversarum rerum professio; ut qui tunc visus sit, nunc cognoscendus sit, cum vidisse (*b*) cognitio sit; ut si Filius cognitus sit, et Pater cognitus sit: cum cognitionem Filii ipse secundum hominem corporalis et visus et tactus ingesserit, cognitionem autem ex eo Patris, ipsa illa differens ab eo conspecti hominis natura non præstet, et frequenter Filius Patrem a nemine visum esse testatus sit. Prorupit igitur apostolica (*c*) familia ritate et constantia Dominum interrogans Philippus: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.* Non fides nunc periclitatur: sed ignorationis hic error est. Visum enim jam, et a modo cognoscendum Dominus Patrem dixerat: sed visum esse Apostolus non intellexerat. Denique non visum negavit; sed ostendi sibi rogavit: neque ostensionem veluti corporalis contemplationis desideravit, sed demonstrationem intelligendi ejus qui visus est postulavit. Filium enim in habitu hominis viderat: sed quomodo per id Patrem viderit, nescit. Nam ad quod dixerat, *Domine, ostende nobis Patrem* (*Ibid.*, 8), ut ostensio illa intelligendi potius esset demonstratio, quam videndi, subjecit, *et sufficit nobis.* Non adempta est fides dicto; sed cognoscendi demonstratio est postulata, quæ (*d*) sufficeret ad fidem dicti: quia per Domini professionem auctoritas esset non incerta credendi. Hinc autem ostendendi Patris petitio orta est, (*e*) quia dictus esset visus (1) esse, et per hoc noscendus esse, quia visus sit. Nec impudens erat, ostensionem ejus qui visus est postulare.

36. *Quod Dei in Christo naturam nondum nosset arguitur.* — Dominus itaque dictis Philippi hæc reddidit: *Tanto tempore vobiscum sum; et non nostis me, Philippe* (*Ibid.*, 9)? Arguit Apostoli in cognoscendo se ignorationem: quia superius se cognito Patrem quoque cognitum esse dixisset. Sed quid illud est, quod queritur se tanto tempore cognitum non fuisse? Scilicet quia se cognito, paternæ in se naturæ esset intelligenda divinitas. Cum enim ea, quæ gereret, propria Deo essent, calcare undas, jubere ventis, (*f*) inintellecta demutatione vini **205** incrementoque panum cum gestorum fide gerere, fugare dæmonas, morbos depellere, damna corporum rependere, emendare vitia nativitatis, peccata dimittere, vitam mortuis reddere; et hæc agere carnalem, et Dei se filium inter ista profitentem: hinc querelæ omnis orta conquestio est, quod in sacramento nativitatis humanæ, (*g*) gessisse hæc in homine assumpto Dei non intellecta natura est.

37. *Patrem exhibet ut vivens ipsius imago.* — Et idcirco arguens, cur cum hæc tanto tempore gereret, agnitus non fuisset; postulantibus ut sibi Patrem ostenderet, ait: *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Ibid.*). Non hic ille contemplationem corpoream et visum oculorum carnalium significat, sed eorum de quibus dixerat, *Nonne vos dicitis, quoniam adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et adspicite regiones, quia albæ sunt ad messem* (*Joh.* IV, 35). Nec tempus patitur, nec albentium ad messem regionum significatio permittit, aliquid hic terrenum et corporeum intelligi: sed ad perfectorum fructuum beatitudinem contuendam, intelligentiæ jussit oculos elevari, ut nunc dicens: *Qui me vidit, vidit et Patrem.* Non enim hoc, quod ex partu virginis carnale est, ad contemplandam in eo Dei formam et imaginem proficit: neque ad incorporalis Dei naturam videndam assumpti hominis species in exemplo est. Sed agnitus in eo Deus est, si quibus tamen ipse agnitus est, ex virtute naturæ: et intellectus (*h*) Deus Filius id præstat, ut intellectus et Pater sit: dum ita imago est, ut non differat genere, sed significet auctorem. Imagines enim cæteræ ex diversis aut metallis (2) aut fucis aut generibus aut artibus reddunt eorum species, quorum sunt imagines insti-

(1) In nostro exemplari desideratur verbum *esse.*

(2) *Aut sucis.*

(*a*) In codice uno Colb. et Carn. *sed fidem.* Retinendum cum aliis *nec fidem*, supple, humanam.

(*b*) Exemplar Corb. *cognitionis sit.* Ea est argumenti hujus vis, ut cum, Christo ipso testante, qui ipsum novit, noverit et Patrem; Patrem autem non noverit, qui humanam duntaxat naturam illius novit: hinc manifeste sequatur aliam in Christo naturam esse carnalibus oculis latentem et abstrusam, quæ a paterna minime discrepet. Quod pro more imitatus Faustinus, cap. 1: *Non qui corporeis*, inquit, *oculis in corpore vidisset Jesum, vidisse Patrem refertur; alioquin absurda est increpatio Domini ad Philippum*, etc. *Quid ergo est, Qui me vidit, vidit et Patrem? Intende cordis aciem, et vide secundum fidei spiritalis obtutus Christum filium Dei non creaturam esse, sed creatorem. . . . . et per omnia talem qualis est Pater qui eum genuit: et ita videns Filium, Patrem quoque te vidisse non dubium est.* Brevius Tertullianus, adv. Prax. n. 24: *Pater in Filio non visu, sed sensu videbatur.*

(*c*) Recentiores quidam mss. *familiaritas et conscientia.*

(*d*) Id est, quæ idonea esset persuadere aliqua ratione, quod jam propter auctoritatem dicentis certum et indubitatum tenebatur; ut esset *fides jam rationabilis scientiæ*, quemadmodum vocatur lib. I, num. 22.

(*e*) Ita mss. At editi, *quia dictum esset visum esse, et per hoc noscendum.* Mox aliquot mss. *nec imprudens erat.*

(*f*) Bad. et Par. *intellecta.* Er. *in intellecta* duobus verbis. Lud. Miræus post Erasmum conjectat legendum esse, *inintellectam demutationem vini incrementaque panum congestorum.* Tantum ad verbum *gerere* vocabulum *inintellecta* referendum est, quasi *res non intellectas*: quia nimirum Christus in vino demutando et multiplicandis panibus ea gessit, quæ intelligentia humana non assequitur: et tamen *cum gestorum fide*, quorum tam multi fuere testes oculati. De iisdem gestis lib. III, n. 18: *Res cernitur, et nescitur; fit, et non intelligitur; ratio non apprehenditur, et effectus ingeritur.* Et num. 20: *Dicamus factum non fuisse quia intelligentiam facti non apprehendimus... Sed mendacium nostrum facti fides vincit.*

(*g*) Ita plures ac potiores mss. At editi *gessisset hæc. In homine*, etc., male. Non enim Christi querela fuit quod gesserit, sed quod in gestis divina ipsius natura intellecta a Philippo non fuerit. Quamquam non displiceret, *quod cum in sacramento nativitatis humanæ gessisset hæc*, etc. In ms. bas. Vat. legitur, *gesserit.*

(*h*) In quibusdam mss. *Dei filius*: quod minus probatur.

tutæ : sed numquid ut imagines veræ sint, exæquari possunt inanima viventibus, et vel picta vel sculpta vel fusa nativis? Filius autem Patri non secundum hæc (horum ad instar) imago est : quia viventis vivens imago est, et ex eo natus non habet naturæ diversitatem, et in nullo diversus tenet naturæ ejus (*a*) ex qua non diversus est potestatem. Quod ergo imago est, eo proficit, ut Patrem Deum unigeniti Dei significet nativitas; significet autem, ut forma (*b*) ipse et imago invisibilis Dei : et per hoc (1) non amittit naturæ **206** unitam similitudinem, quia nec careat virtute naturæ.

38. *Dei verbis nec Deus singularis, nec dispar Filius.* — Et hinc illud est, *Tanto tempore vobiscum sum, et non nostis me, Philippe? qui vidit me, vidit et Patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non* (*c*) *creditis mihi quoniam ego in Patre, et Pater in me est* (*Joan.* XIV, 9, 10)? Non relictus est hominum eloquiis de Dei rebus alius præter quam Dei sermo : omnia reliqua et arta et conclusa et impedita sunt et obscura. Si quis aliis verbis demonstrare hoc, quam quibus a Deo dictum est, volet; aut ipse non intelligit, aut legentibus non intelligendum relinquit. Dominus dixit, cum rogaretur ut ostenderet Patrem, *Qui me vidit, vidit et Patrem.* Hoc demutare antichristi est, hoc negare Judæi est, hoc nescire gentilis est. Sed forte intelligentiæ sensus in crimine sit. (*d*) Sit in fide nostra vitium, si in dictis Dei resedit obscuritas. Nam nec solitarium sermo significat, et indifferentem tamen naturam professio docet. Visum enim (2) in Filio (*e*) et Patrem, nec singularis potest esse, nec disparis : quia per hunc ille visus, neque non unum sunt in sacramenti professione, neque unus. Et quæro quid significasse in eo Dominus credatur, cum dicit: *Qui me vidit, vidit et Patrem?* Non tenes unionem, ubi per conjunctionem ipsam paterni nominis significatur adjectio. Cum enim dicitur, *et Patrem*, exclusa est singularis atque unici intelligentia. Et quid reliquum est, nisi ut per naturæ unitam similitudinem Pater per Filium visus sit? Et ne hoc incertum nobis ad fidem relinqueretur; Dominus subjecit : *Quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem?* Quæ enim ignorandi Patrem aut ostendendi ignorantibus necessitas relinquebatur, cum Pater in Filio visus esset?

39. *Pater in Filio visus ex proprietate naturæ. Contra Sabellium. Contra Arium. Qui in se invicem Pater et Filius.* — Visus autem adeo est ex proprietate naturæ, dum ex indifferentia atque in genere veritatis unum sunt natus et generans, ut hic Domini sermo sequeretur : *Non creditis, quoniam ego in Patre, et Pater in me* (*Ibid.*, 10)? Inseparabiles esse per naturalem similitudinem Patrem et Filium, non possumus verbis aliis docere, nisi Filii. Non enim hic per demutationem nominum atque specierum Filius, qui via est et veritas et vita, mimis theatralibus ludit : ut in assumpto homine **207** se filium Dei nuncupet, in natura vero Deum patrem, et unus ac solus personali demutatione se nunc in alio mentiatur. Non itaque ipse solitarius, nunc sibi filius est, nunc se sibi profitetur in patrem, et naturæ nomina infert cessante natura. Alia hic verborum simplicitas est : nam et Pater pater est, et Filius filius est. Sed in his nominibus ac rebus nihil (*f*) in se novum, nihil diversum, nihilque peregrinum est. Tenet enim naturæ veritas proprietatem; ut quod ex Deo est, Deus sit, et nec (*g*) deminutio sit nativitas, nec diversitas : dum et Filius non in naturam externam ac dissimilem patri Deo subsistit, nec Pater alienum quid sit a se (*h*) nativitati Unigeniti acquirens, sed universa potius quæ sua sunt sine damno impertientis indulsit. Atque ita nec natura Dei caret, dum non aliunde quam ex Deo Deus est; nec a Deo differt, dum non aliud ipse quam Deus est : quia et nativitas Dei consistit in Filio, nec per nativitatem Dei amisit (*i*) ex se Dei natura quod Deus est. Pater igitur in Filio est, et Filius in Patre, Deus in Deo : non per duplicem convenientium generum conjunctionem, neque per insitivam capacioris substantiæ naturam; quia per corporalem necessitatem, exteriora fieri his quibus continentur interiora non possunt : sed per nativitatem viventis ex vivente naturæ; dum res non differt, dum naturam Dei non degenerat nativitas, dum non aliud aliquid quam in Deum ex Deo Deus nascitur,

(1) *Non omittat.* Paulo post, *nec careat virtutem naturæ.*

(2) *In Filio Patrem.*

(*a*) Par. *in qua.* Melius alii libri, *ex qua*, scil. *est*, seu subsistit *non diversus.*

(*b*) Apud Lips. et Par. desideratur vox *ipse*, pro qua apud Bad., Er. et in duobus mss. exstat *ipsa.* Mox in editis *amittat*, non ut in mss. *amittit.* Deinde pro *naturæ unitam similitudinem*, Erasmus ad marginem adscripsit *naturæ nativitas similitudinem*, male. *Unitam similitudinem* eam Hilarius vocat, quæ cum naturæ unitate conjuncta sit. Vide responsa apologetica ad librum de Synod.

(*c*) Sic mss. et edit., num. 40, qui hic et num. 39 habent, *credis.*

(*d*) Editi, *in crimine sit, si in fide :* emendantur ex mss.

(*e*) Conjunctio *et*, ex qua maxime pendet vis argumenti contra Sabellianos, in vulgatis omissa restituitur ex mss.

(*f*) Illud *in se*, quod ad naturam refertur, adjecimus auctoritate mss. Proxime ante Corb. codex, *sed in his omnibus rebus :* male.

(*g*) Bad. et Er. *nec diminutionis sit nativitas, nec diversitatis.* Lips. et Par. *nec demutatio sit nativitas, nec diversitas :* castigant mss. His verbis Arius refellitur, qui Christum aut diversæ substantiæ, aut certe divinitatis inferioris et imminutæ prædicabat. Vide supra, num. 6.

(*h*) Unus codex Colbertinus *per nativitatem.* Alter Sorbon. *nativitate.*

(*i*) Edit. Bad. et Er. *esse Dei natura.* Verius Lips. et Par. cum mss. *ex se :* hoc est, Pater suam Filio impertiens naturam non amisit quod ex se est. Pater ut ingenitus et totius fons divinitatis est *natura Dei ex se*, quam a Patre obtinens Filius dici potest *natura Dei ex alio.* Qua loquendi ratione habemus supra num. 17 : *Cum natura Dei in naturam Dei substitisset, id est, ex Patre Filius natus esset.*

dum nihil in his novum est, nihil alienum, nihil separabile, dum in Patre et Filio credere deos duos impium est, dum Patrem et Filium singularem Deum prædicare sacrilegum est, dum Deum ex Deo quod in similitudine generis unum sint negare blasphemum est.

40. *Nec aliud sunt, nec unus : dum et loquitur Filius, sed non a se : dum Pater agit, sed per Filium in quo et maneat.* — Ac ne dubium hoc atque ambiguum sacramentum fides evangelica susciperet, hunc doctrinæ suæ Dominus ordinem tenuit : *Non creditis mihi, quoniam ego in Patre,* (1) *et Pater in me? Verba quæ ego loquor vobis, non a me loquor ; sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua* (*Joan.* XIV, 10). Quibus, rogo, aliis in Patre et Filio naturæ proprietas demonstrari, quam his ipsis verbis, potuit et potest, nativitatis tamen in omnibus significatione prælata? Cum enim **208** ait : *Verba quæ ego loquor vobis, non a me loquor ;* non exemit personam, neque se filium denegavit, nec naturam in se paternæ virtutis abscondit. Nam dum loquitur ipse (signatus pronomine *ego*), in substantia manens loquitur : dum autem non ab se loquitur, nativitatem in se Dei ex Deo patre testatur. Ipse in separabilis ab eo atque indissimilis unitate naturæ : quia quamvis ab eo loquatur, ipse tamen loquitur. Nam qui non a se loquitur, et tamen loquitur, non potest non esse dum loquitur : et dum non a se loquitur, ostendit non suum tantum esse quod loquitur. Subjecit enim : *Sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua.* Manere in Filio Patrem, non est singularis atque unici : operari vero per Filium Patrem, non est differentis aut exteri. Sicuti non unius est, non ab se loqui quæ loquatur ; neque rursum alieni ac separabilis sit, loqui per loquentem : sed hoc eorum sacramentum est, qui unum sunt. (2) (*a*) Et uterque non aliud sunt, qui per naturæ proprietatem in sese sunt : quorum hæc unitas est, ut loquens non ab se loquatur ; neque qui non ab se loquitur, non loquatur. Et quia in se Patrem et loqui et operari docuerat ; perfectæ hujus unitatis fidem statuit, dicens : *Sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua. Credite mihi, quoniam ego in Patre, et Pater in me. Sin autem, vel propter opera ipsa credite* (*Ibid.*, 11). Pater operatur in Filio ; sed et Filius opus Patris operatur.

41. *Nativitatis et naturæ suæ divinæ fidem poscit Christus. Unigenito proprium est inesse simul et subsistere.* — Ne ergo per virtutis efficientiam, et non per naturæ quæ secundum nativitatem est proprietatem, Pater in Filio et operari crederetur et loqui ; ait : *Credite mihi, quoniam ego in Patre, et Pater in me* (*Ibid.*, 11). Quid est istud, rogo : *Credite mihi?* Certe ad id refertur quod dictum est : *Ostende nobis Patrem.* Fides confirmatur ex credendi præcepto, et ea fides (*b*) quæ Patrem sibi ostendi poposcerat. Non enim sufficerat dixisse : *Qui me vidit, vidit et Patrem*, nisi intelligentiam nostram eo usque protenderet, ut cum Patrem nosceremus in Filio, Filium tamen esse meminissemus in Patre : ne transfusio potius alterius in alterum existimaretur, quam per generationem nativitatemque unitas ejusdem in utroque naturæ. Credi itaque sibi Dominus vult, ne forte per **209** assumpti hominis dispensationem fidei conscientia periclitetur. Certe si quid afferat ambiguitatis caro, et corpus, et passio : vel operibus credatur, Deum in Deo esse, et ex Deo Deum esse, unum eos esse : dum naturæ virtute uterque in se est, et neuter sine altero est : dum et Pater nihil ex suis amittit in Filio, et Filius totum sumit ex Patre quod filius est. Non est corporalium naturarum ista conditio, ut insint sibi invicem, ut subsistentis naturæ habeant perfectam unitatem, ut manens unigeniti nativitas a paternæ divinitatis sit inseparabilis veritate. Unigenito tantum istud Deo proprium est, et in sacramento veræ nativitatis fides ista est, et (*c*) spiritalis virtutis hoc opus est, nihil differre esse et inesse : **210** inesse autem non aliud in alio, ut corpus in corpore ; sed ita esse ac subsistere, ut in subsistente insit ; ita vero inesse, ut et ipse subsistat. Nam uterque subsistens, per id non sine alio est, (*d*) dum secundum generationem et nativitatem subsistentis natura non alia est. Hinc enim illud est : *Ego et Pater unum sumus*, et : *Qui me vidit, vidit et Patrem*, et : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* X, 29 ; *Ib.*, XIV, 9 ; *Ibid.*, 11) : quia non differt nec degenerat nativitas, quia unius in Patre et Filio divinitatis sacramentum nativitatis natura consummat, dum Dei filius non aliud quam Deus est. Et ideirco non in deos duos unigeniti generatio deputatur : quia in Deum filius Dei nascens, naturam in se Dei se gignentis exhibuit.

211-212 LIBER OCTAVUS.

Naturalem Filii et Patris unitatem propugnat. Proœmium in eo versatur, ut episcopo nec innocentiam sine scientia, nec sine innocentia scientiam sufficere ostendat. Tum pius æque ac doctus Præsul varias ad simplices decipiendos Arianorum technas fallacesque interrogatiunculas exponit. Quia vero illi Christi verba, Ego et Pater unum sumus *ad solam voluntatis concordiam detorquent, eamque interpretationem his aliis confirmare solent.* Credentium erat

(1) *Et Pater in me est?*

(*a*) Sic potior codex Colb. cum Germ. Alii vero, *qui unum sunt, qui uterque non aliud sunt*, nisi quod in Mart. *et qui uterque*, etc.

(*b*) Er. Lips. et Par. *qua.* Magis placuit *quæ* cum Bad. et mss. quorum in vetustioribus mox exstat *poscerat*, non *poposcerat.*

(*c*) Bad. et Er. *specialis :* minus bene, cum hæc

(2) *Qui uterque.*

opponantur proxime dictis, *Non est corporalium naturarum ista conditio.*

(*d*) Apud Par. desideratur particula *dum.* Mox Bad. et Er. *subsistens.* Melius alii libri, *subsistentis*, supple : *utriusque :* hoc est, dum non alia natura est ejus qui secundum generationem, seu qua genitor est, subsistit, et ejus qui subsistit secundum nativitatem, seu qua natus.

anima et cor unum ; *et*, Qui plantat et qui rigat A unum sunt; *et*, Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te : *contendit unum esse, fideles quidem per unam unius fidei naturam, plantantem vero et rigantem, quatenus uno baptismo una res effecti unius etiam regenerationis sint ministri: demum imperite omnino Christum dicturum fuisse* ut unum sint, *pro* ut unum velint, *si solam voluntatis concordiam suis precari voluisset. Hinc qua ratione, Christo mediante, unum cum Patre naturaliter simus explicat: idque defendit nobis præstari tum per æternam gloriam, qua honorem ipsi a Patre datum accipimus, tum per Incarnationis mysterium, quo propriam carnis nostræ naturam retinet arctissime sibi copulatam, tum maxime per Eucharistiæ sacramentum, quo veram illius carnem ac sanguinem sumimus. Neque hic tacetur incredibilis hæreticorum calumnia, vulgo jactitantium Patrem et Filium ab iis discordes affirmari, qui nudam illam voluntatis concordiam non recipiunt.*

Deinceps naturalem utriusque unitatem pluribus demonstrat: Primo, quia Spiritus sanctus, cum a Patre procedat, a Filio tamen et mittitur et accipit; et hoc quidem, quia ipsius sunt omnia quæ Patris sunt. Secundo, quia Patris et Filii ita unus est Spiritus, ut Spiritus Christi habitet in nobis, cum in nobis est Spiritus Dei. Tertio, quia sine anathemate sunt, qui Christo cultum exhibeant; cum in maledicto sit religio creaturæ. Quarto, quia in Spiritu Dei loquitur, qui Jesum esse vere Dominum confitetur. Quinto, quia non nomine solo, sed natura Dominum eum esse credidit Apostolus, qui spiritalia C *Ecclesiæ dona ob Spiritus unitatem modo Patri, modo Domino attribuit. Sexto, quia vere Dominus est, qui unus est: aut certe si Christus unus Dominus non sit Deus, quia Deus unus est; Pater pari jure negandus erit Dominus. Septimo, quia non modo Dominus, sed et* Deus super omnia *nuncupatur. Octavo, quia licet hoc,* Deus ex quo omnia, *et:* Dominus per quem omnia, *personarum distinctionem sonet, efficientiæ tamen, virtutis ac naturæ significat unitatem; adeo ut alias etiam de Christo dicat Apostolus,* ex ipso et per ipsum et in ipso *esse omnia. Nono, quia cum vitam largiatur æternam propterea quod ipsum signavit Pater; necesse est sit signaculum illius vivum ac plenum, cujus in se omnem explicet formam, omnem virtutem contineat. Ita vero decimo omnem explicat Patris formam, ut eum* in forma Dei, *in qua Deo æqualis sit, Apostolus prædicet. Undecimo, quia imago est Dei invisibilis, proindeque nec visibilis, nec corporeus, nec finitus. Neque potest dici hanc imaginis rationem in invisibili quadam qualitate, et non in natura habere sitam; quam in virtute ac unitate naturæ ponendam confirmat Paulus, ubi subjicit per Christum et in Christo creata et reconciliata esse omnia; et id quidem ita, ut in eo reconciliante reconciliet Pater. Demum in quo plenitudo divinitatis corporaliter* **213**, *id est, vere et substantialiter habitat, non potest non habere quod Deus est, et perinde unus est cum eo Deus. Ita vero in his omnibus Filii cum Patre unitatem naturalem demonstrat ut pariter adstruat personarum distinctionem.*

1. *Episcopus et pius debet esse et doctus. Cur Episcopus et bonus et doctus esse debeat. Prævidit Paulus fore, quibus teneretur Episcopus contradicere.* — Beatus apostolus Paulus formam constituendi Episcopi fingens (1) (*a*), et plane novum Ecclesiæ hominem B præceptis suis condens, hanc veluti summam (*b*) consummatarum in eo virtutum esse docuit dicens : *Obtinentem secundum doctrinam fidei verbum, ut potens sit exhortari ad doctrinam sanam, et contradicentes revincere. Sunt enim multi* (*c*) *et non subditi, vaniloqui et seductores* (*Tit.* I, 9). Ita enim quæ propria disciplinæ ac morum sunt, ad sacerdotii meritum utilia esse significat, si etiam hæc quæ ad docendæ ac tuendæ fidei scientiam necessaria sunt, inter reliqua non deerunt, quia non statim boni atque utilis sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare : cum et innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit ; et doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit. Non enim apostolicus sermo probitatis honestatisque præceptis hominem tantum sæculo conformat ad vitam, neque rursum per doctrinæ scientiam scribam Synagogæ instituit ad legem : sed perfectum Ecclesiæ principem perfectis maximarum virtutum bonis (2) instituit, ut et vita ejus ornetur docendo, et doctrina vivendo. Denique ipsum illum, ad quem ei sermo erat, Titum (*d*) istiusmodi decreto consummandæ religionis instruxit : *In omnibus te ipsum bonorum factorum præbens exemplum docentem cum veneratione verbum sanum, irreprehensibile; ut adversarius revereatur, nihil habens turpe aut malum de nobis dicere* (*Tit.* II, 7, 8). Non ignoravit doctor hic gentium, et, ex conscientia loquentis atque habitantis in se Christi, Ecclesiæ electus magister, morbidi eloquii grassatura esse contagia, et adver- D sum sanitatem verborum fidelium desævituram doctrinæ pestiferæ corruptionem, quæ impiæ intelligentiæ suæ (*e*) lucm usque ad ipsam sedem animæ demergens, profundo serperet malo. Ex his enim ait : *Quorum sermo ut cancer serpit* (II *Tim.* II, 17), latenti semper subrepentique contagio sanitatem (3) (*f*) per-

(1) *Figent.*
(2) *Instruit.*

(3) *Perversæ.*

(*a*) Bad. et Er. cum codice bas. Vat. ac recentiore Colb. *figens :* quod prima fronte placuerat.

(*b*) Mss. Vat. bas. et Mart. *consummandarum.*

(*c*) Particulam *et* hic et infra expunxit Erasmus, quamvis exstet apud. Bad. nec non in omnibus mss. ut in græco textu.

(*d*) Vat. bas. codex, *istiusmodi dicto.*

(*e*) Apud Lips. et Par. *lucem.* Rectius in mss. *lucem :* pro qua voce apud Bad. et Er. positum erat *virus.*

(*f*) Mss. Vat. bas. et Carn. *perversæ.* Mart. Corb. aliique cum edit. Bad. *persuasæ.* Retinendum omnino *pervasæ*, quod est Colb. aliorumque quamplurium probæ notæ mss.

vasæ mentis inficiens. Ob quod sani sermonis in Episcopo voluit esse doctrinam, fidei conscientiam, **214** et exhortationum scientiam, adversum impias et mendaces et vesanas contradictiones (*a*) obtinentem. Multi enim sunt, qui simulantes fidem non subditi sunt fidei, sibique fidem ipsi potius constituunt, quam accipiunt, sensu humanæ inanitatis inflati, dum quæ volunt sapiunt, et nolunt sapere quæ vera sunt : cum sapientiæ hæc veritas sit, ea interdum sapere quæ nolis. Sequitur vero hanc voluntatis sapientiam (*b*) sermo stultitiæ : quia necesse est quod stulte sapitur, stulte et prædicetur. Jam vero stulta prædicatio quantum malum est audientium, cum seducuntur in sententiam stultitiæ sub opinione sapientiæ? Et ideirco Apostolus hunc de his ordinem tenuit dicens : *Sunt enim multi et non subditi, vaniloqui et seductores*. Contradicendum itaque est, et impietati insolenti, et insolentiæ vaniloquæ, et vaniloquio seducenti : et contradicendum per doctrinæ sanitatem, per fidei veritatem, per verborum sinceritatem; ut et (*c*) sinceritas veritatis sit, et veritas sanitatis.

2. *Hoc tempus sibi obvenisse sentit Hilarius. Quid jam ea in re perfecerit. Quam viam contra hæreticos teneat.* — Ac mihi quidem ea nunc commemorandæ hujus sententiæ apostolicæ fuit causa, quia homines mente perversi, et professione fallaces, et spe inanes, et sermone viperei, contradicendi nobis necessitatem imponunt : dum lethales doctrinas, et morbidas intelligentias, et corruptas voluntates, simplicitati audientium per speciem religionis insinuant : id apud eos prætermissa apostolicæ prædicationibus sinceritate agentes, ne Pater pater sit, ne Filius filius sit, ne Deus deus sit, ne fides fides sit. Quorum vesanis mendaciis renitentes usque eo jam sermonem responsionis nostræ tetendimus, ut cum (*Lib.* IV) Deum et Deum, et (*Lib.* V) verum Deum in vero Deo demonstrassemus ex lege; tum deinde (*Lib.* VI) perfectam ac veram unigeniti Dei nativitatem ex evangelicis atque apostolicis doctrinis ostenderemus; postremo (*Lib.* VII) ut verum Deum Dei filium et indifferentis a Patre naturæ, eodem prædicationis nostræ cursu doceremus : ita ut nec singularem Deum fides Ecclesiæ, nec duos deos profiteretur; cum **215** nec nativitas Dei solitarium Deum sineret, nec nativitas perfecta diversarum naturarum nomina in diis duobus admitteret. Duplex autem nobis in refellendis eorum vaniloquiis cura est, ut primum quæ sunt sancta et perfecta et sana doceamus, neque sermo noster per deflexus quosdam atque anfractus oberrans, et ex deviis atque erraticis cuniculis emergens, veritatem quærat potius quam ostendat : tum deinde ut quæ ab illis inanium ac fallacium sententiarum argutiis ad speciem veri blandientis aptantur, ea ipsa conscientiæ omnium ridicula esse et inepta pandamus. Non enim sufficit nobis docuisse quæ pia sunt, nisi piissima ea esse per id intelligantur, dum quæ impia sunt refelluntur.

3. *Hæretici plus impendunt curæ ad falsa insinuanda quam Catholici ad vera. Interrogationes quibus simplicium fidei insidiantur.* — Ut vero bonis et prudentibus viris naturæ ac studii est, totos se ad beatæ spei alicujus obtinendam vel rem vel tempus præparare, ne in aliquo minor sit exspectatione procinctus; ita istis hæretico furore amentibus sollicitudinis maximæ est, toto adversus piæ fidei veritatem impietatis suæ ingenio laborare : ut adversus eos, qui religiosi sunt (*d*) vincant esse irreligiosi; et ultra spem vitæ nostræ vitæ suæ desperatione potiores sint; et plus impendant cogitationis ad falsa, quam nos doctrinæ (*e*) aptamus (1) ad vera. Piis enim fidei nostræ professionibus has impiæ perfidiæ suæ contradictiones elaboraverunt, ut primum requirant, utrumne nobis in fide Deus unus sit; deinde subjiciant, an etiam Christus Deus sit; postremo, an Pater major sit Filio : ut cum audierint in professione Deum unum, utantur ea ad id, ne Christus Deus sit. Non enim de Filio quærunt, an Deus sit : sed id tantum volunt, de Christo (*f*) interrogando, ne filius sit; ut simplicis fidei hominem captantes, per unius eum Dei fidem a Christi Dei confessione depellant, dum jam non unus Deus sit, si sit Deus confitendus et Christus.

(1) *Optamus.*

(*a*) In vulgatis, *obnitentem*. Ex vetustissimis mss. Vat. bas. Colb. Carn. ut et Corb. ab antiqua manu, quorum consensus maximæ debet esse auctoritatis, præferimus *obtinentem*, supple palmam : ut ea nimirum doctrina sit, quæ vincat ac revincat contradicentes. Cui lectioni favet illud num. 19 lib. XII, ubi eam in Pastore scientiam Hilarius exigit, quæ sæculi sapientum scientiam superet : *ut quanta*, inquit, *rerum divinarum humanarumque discretio est, tanta ultra terrena studia ratio cœlestis* (in Christi pastoribus) *excedat*.

(*b*) Eorum scilicet, qui nihil volunt verum esse nisi quod sapiunt, seu quod humana ratione comprehendunt : quæ voluntatis sapientia toto lib. III fuse confutatur.

(*c*) Er. Lips. et Par. *sanitas veritatis*.

(*d*) Vetus codex Colb. et unus Sorbon. ad marginem, *vindicantes se irreligiosi*. Rectius in aliis, *vincant esse irreligiosi*, hoc est vincant impietatis studio. Hanc Arianorum in disseminanda sua hæresi sollicitudinem ac vafritiem describens Athanasius, Or. 2 cont. Ar. p. 329, ait eos per forum circumcursare, ac modo puellam interrogare : *An is qui est, non existentem ex non existente fecit, an existentem*, etc.; modo mulierculas sciscitari : *An habebas filium ante quam* pareres, *sed sicuti non habebas, ita et Dei filius non erat antequam gigneretur*.

(*e*) Quidam probæ notæ mss. *optamus*.

(*f*) Vat. bas. ms. *interrogare*. Sic reddenda tota hæc phrasis : *sed interrogando de Christo tantum id volunt ne filius sit*. Christum Deum aperte negare Ariani extimescebant etiam tempore Augustini, de iis, l. I, contra Maxim. c. 16, dicentis, *Deus est et filius, quod et vos vultis, Deus est et Spiritus sanctus, etsi non vultis*. Cumque eorum Sermo, quem refellendum suscepit, ab his verbis inciperet, *Dominus noster Jesus Christus Deus unigenitus*, etc., ejusdem refutationem sic orditur : *Eorum præcedenti disputationi hac disputatione respondeo, qui cum Dominum nostrum Jesum Christum fatentur quidem Deum*, etc. Adeoque Christi divinitatem tantum ex obliquo pulsabant. Ita erat in animis omnium fidelium insita ipsius fides.

Jam vero hic quanta sæculàris ingenii subtilitate contendunt, cum dicunt, (*a*) Si unus est, quisquis ille alius videbitur esse, jam non erit. Quod si alius est, jam unus hic non erit : cum natura non sinat, ut ubi alius est, ibi unus sit : (1) (*b*) aut **216** ubi sit unus, ubi alius sit. Dehinc cum facilitatem credentis atque audientis, arte subdolæ hujus assertionis eluserint, tum id (*c*) aptant, quod tamquam jam faciliore via obtineant, ut Deus Christus ex nomine potius quam ex natura sit; quia generale hoc in eo nomen in nullo eam, quæ vera sola est, unius Dei fidem destruat : et per hoc Pater filio major sit, quia differente natura, cum non nisi Deus unus est, major Pater sit proprietate naturæ; sit quo hic nuncupatus filius, et creatio ex Dei voluntate subsistens, quia et minor Patre sit; et Deus non sit, quia Deus unus Deum alium esse non patitur, et qui minor est, necesse est ut naturæ ab eo, qui se est major, alienæ sit. Et hi quidem quam ridiculi in eo sunt, præscribentes Deo, cum (*d*) asserunt, ex uno nasci nihil posse, quia universarum rerum ex duorum conjunctione nativitas est : Deum autem indemutabilem nullam ex se nativitatem tribuere posse nascenti; quia nec accessioni id quod non demutatur obnoxium sit, nec solitarii atque unius natura id in se habeat conditionis, ut generet.

4. Fides catholica hactenus asserta et sensu communi et Domini dictis confirmatur. — Nos autem evangelicam atque apostolicam fidem doctrinis spiritalibus assecuti, et beatæ æternitatis spem in Patris et Filii confessione sectantes, demonstrato Dei et Dei ex lege sacramento, neque unius Dei fidem excedentes, neque non et Deum Christum prædicantes, hunc ex Evangeliis responsionis ordinem sumpsimus, ut veram ex Deo patre nativitatem unigeniti Dei doceremus; quia per eam et Deus verus esset, neque a natura unius Dei veri esset alienus; ac sic neque Deus negari posset, neque ipse alius Deus dici; quia et Deum (*supple*, esse) nativitas præstaret, et natura in eo unius Dei ex Deo, cum in Deum alterum non separaret. Et quamquam ad id nos communis intelligentiæ sensus impelleret; ne in natura eadem naturarum nomina convenirent, et non unum essent, quibus id quod sunt non differret in genere : tamen ipsis hoc Domini (*e*) nostri professionibus placuit ostendi, qui cum frequenter fidei ac spei nostræ Deum unum intimasset, ut sacramentum unius Dei se **217** quoque Deo professo probatoque firmaret dixit : *Ego et Pater unum sumus* : et, *Si scitis me, scitis et Patrem meum* : et, *Qui me vidit, vidit et Patrem* : et, *Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua* : et, *Credite mihi, quia Pater in me, et ego in Patre : sin autem vel propter opera ipsa credite* (*Joan.* x, 30; xiv, 7; *Ibid.* 9, 10, 11, 12). Nativitatem suam in nomine patris expressit, (*f*) cognosci Patrem in se cognito docet. Unitatem naturæ fatetur, cum Pater in se viso videtur. Inseparabilem se a Patre testatur, cum in manente (*g*) in se manet Patre. Fiduciam conscientiæ tenet, cum his dictis suis credi postulat ex operatione virtutis. Atque ita in hac perfectæ nativitatis beatissima fide, vitium omne, et duum deorum, et Dei singularis exstinguitur : cum qui unum sunt, non sit unus; et qui non unus est, non tamen ab eo qui est, ita ex aliquo differat, ut uterque non unum sint.

5. EGO ET PATER UNUM SUMUS, *exponunt de unitate consensus; quibus argumentis.* — Hæc igitur quia hæretici negare non possunt, quippe cum sint tam absolute dicta atque intellecta, tamen stultissimo impietatis suæ mendacio (*h*) neganda corrumpunt. Id enim quod ait : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), tentant ad unanimitatis referre consensum; ut voluntatis in his unitas sit, non naturæ, id est, ut non per id quod (*i*) sunt, sed per id quod idem volunt, unum sint. Et illud, quod est in Actibus Apostolorum (*j*), huic defensioni suæ aptant : *Multitudinis autem credentium erat* (*k*) *anima et cor unum* (*Act.* iv, 32); ut animarum et cordium diversitas, in cor unum atque animam per convenientiam ejusdem voluntatis (*l*) unitas sit. Vel illud, quod ad Corinthios scribitur : *Qui plantat autem, et qui rigat, unum sunt* (I *Cor.* iii, 8) : ut non differente ministerio ad salutem et in ejusdem sacramenti profectum, voluntatis sit unitas in duobus. Vel id, quod Dominus salutem crediturarum in se gentium a Patre postulans, ait : *Non pro his autem rogo tantum, sed et pro his qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes*(*m*) *unum sint sicut, tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi*

(1) *Aut ibi sit unus, ubi alius sit. Deinde*, etc. Paulo post, *tum id tanquam jam faciliorem viam obtineant.*

(*a*) In mss. Martin. *O si unus.*

(*b*) Mss. *aut ibi sit unus, ubi alius sit.*

(*c*) Verbum *aptant*, cum sequenti relativo *quod*, omittunt vulgati ac plures mss. Exhibent autem cum codice bas. Vat duo Colb. et unus Sorbon. Mallemus tamen *captant* eo sensu, quo Ambrosius, epist. nunc XXV, n. 4, ad Studium scripsit : *Cum adulteram reperissent Judæi; obtulerunt eam Salvatori, captantes ut si absolveret eam, videretur legem solvere.*

(*d*) Horum verba propria exstant, l. III, n. 8. Quod autem Eudoxius ea de re longe crudius protulit, habetur lib. in Const. n. 13.

(*e*) In vulgatis *nunc* loco *nostri.*

(*f*) Particulam *cum*, faventibus duobus mss. Colb. hic addendam prima fronte conjectavimus, qua hæc sententia cum superiore copularetur. Non male tamen utraque absoluta intelligitur, ut prima respondeat verbis : *Ego et Pater unum sumus*, altera sequentibus : *Si scitis me, scitis et Patrem*, etc.

(*g*) Editi, *in se manet Pater*, emendantur ex scriptis.

(*h*) In vulgatis, *negando* : quod pugnat cum proxime dictis, *negare non possunt.* Rectius in mss. *neganda*, hoc est, quo subinde possint negare.

(*i*) In vulgatis. *idem sunt.* Abest *idem* a mss.

(*j*) Editi, excepto Par. *huic diffinitioni suæ.*

(*k*) Sic mss. potiores constanter juxta græcum. At editi, *anima una :* et mox, *animam unam per convenientiam.*

(*l*) Quidam recentiores mss. *unita sit*, male.

(*m*) Vat. bas. ms. *in me unum sint.* Mox Bad. et Er. *ut et ipsi unum sint.* Etsi non exstat *unum* in mss. id tamen, perinde ac si exstaret, intellexit Hilarius, ut liquet ex num. 11.

sint in nobis (*Joan.* XVII, 20, 21) : ut quia homines refundi in Deum non possunt, vel ipsi invicem in unum atque indiscretum acervum coire, id quod unum sunt, ex unitate sit voluntatis, cum et omnes Deo placita agant, et ipsi non dissidentibus inter se animorum motibus cocant; **218** atque ita unum eos esse non natura efficiat, sed voluntas.

6. *Arianorum stultitia.* — Nescit plane sapere, qui Deum nescit. Et cum sapientia Christus sit, necesse est ut extra sapientiam sit, qui Christum aut ignorat, aut audit : ut isti, qui majestatis Dominum, et Regem sæculorum, et unigenitum Deum creaturam Dei volunt potius esse quam filium : et cum stulte mentiantur, stultius tamen in defensione mendacii sui sapiunt. Dilata enim paululum etiam nunc ea, quæ in Deo patre et in Deo filio est, unitatis proprietate, ex his ipsis quibus utuntur refellendi sunt.

7. *Naturalis est fidelium per unius fidei naturam unitas. Fideles ex unitate sacramentorum sunt unum.* — Namque quorum anima et cor unum (*a*) erat, quæro utrum per fidem Dei unum erat. Utique per fidem : per eam enim anima et cor unum omnium erat. Et interrogo, utrum fides una, anne altera sit? Una certe, etiam ipso Apostolo auctore (*Ephes.* IV, 4, 5), unam fidem, sicuti unum Dominum, et unum baptisma, et unam spem (*b*), et unum Deum prædicante. Si ergo per fidem, id est, per unius fidei naturam unum omnes erant; quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum sunt? Omnes enim renati (*c*) erant ad innocentiam, ad immortalitatem, ad cognitionem Dei, (*d*) ad spei fidem. Et si hæc non possunt sibi esse diversa, quia et spes una est, et Deus unus, sicuti et Dominus unus est, et baptisma regenerationis unum est : si hæc assensu potius unum sunt, quam natura; his quoque, qui in hæc renati sunt, unitatem voluntatis adscribe. Si vero regenerati in unius vitæ atque æternitatis naturam sunt, per quod anima eorum et cor unum est; cessat in his assensus unitas, qui unum sunt (*e*) in ejusdem regeneratione naturæ.

8. *Pauli in eam rem sententia.* — Non nostra loquimur, neque ad illudendas audientium aures corrupto dictorum sensu aliqua ex his (*f*) ementita compingimus : sed sanæ doctrinæ formam tenentes, quæ sincera sunt sapimus, et prædicamus. Docet enim Apostolus ex natura sacramentorum esse hanc fidelium unitatem, ad Galatas scribens : *Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non inest Judæus neque Græcus, non inest servus neque liber, non inest masculus neque femina; omnes* **219** *enim vos unum estis in Christo Jesu* (*Gal.* III, 27, 28). Quod unum sunt in tanta gentium, conditionum, sexuum diversitate; numquid ex assensu voluntatis est, aut ex sacramenti unitate, quia his et baptisma sit unum, et unum Christum induti omnes sunt? Quid ergo hic animorum concordia faciet, cum per id unum sint, quod uno Christo per naturam unius baptismi induantur?

9. *Qui plantat et qui rigat natura unum sunt.* — Aut cum qui plantat, et qui rigat, unum sint; numquid non per hoc unum sunt, quia (*g*) ipsi in uno baptismo renati una unius regenerantis baptismi dispensatio sint? numquid non idem agunt? numquid non in uno unum sunt? Itaque qui per rem eamdem unum sunt, natura etiam unum sunt, non tantum voluntate : quia et ipsi res eadem effecti sunt, (*h*) et ejusdem rei atque efficientiæ sint ministri.

10. *Stultitia se ipsa prodit, dum adversatur veritati. Fidei perversæ spes nulla. Simplicis meritum.* — Proficit autem semper contradictio stultorum ad stultitiæ demonstrationem : quia quæ ingenio insipientis aut perversæ intelligentiæ adversus veritatem coaptantur, dum et inconcussa et immobilis est, necesse est ut quæ e diverso sunt, et falsa intelligantur et stulta. Laborantes enim hæretici fallere per id quod dictum est : *Ego et pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), ne naturæ in his unitas et indifferens divinitatis substantia crederetur, sed ex dilectione mutua et ex voluntatum concordia unum essent, exemplum unitatis istius, ut superius demonstravimus, etiam ex dictis dominicis protulerunt : *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi sint in nobis* (*Joan.* XVII, 21). Extra evangelica promissa est, quisquis extra fidem eorum est : et impiæ intelligentiæ crimen (*i*) spem simplicem perdidit. Habet enim non n. 14, ubi illud pro certo ponit : *Quando dicitur unum sunt, etsi non dicatur quid unum, intelligitur una substantia*, unica hæc est ad locum allatum responsio : *Legimus, Qui plantat et qui rigat unum sunt : sed ambo homines erant, ejusdem substantiæ fuerant, non diversæ.*

(*a*) In solis editis hic additur *omnium*.

(*b*) Ms. Corb. aliique nonnulli hic addunt, *et unum spiritum*.

(*c*) Antiquus codex Colb. *nati*.

(*d*) Ita vetustiores mss. Editi vero, *ad spem fidei*. Tum subjiciebant, *et non possunt hæc*, omisso *si*, quod exstat in omnibus mss.

(*e*) In mss. Vat. bas. et Martin. hic adjicitur *ut diximus*.

(*f*) In codice Vat. bas. *ementiti*. Mox in vulgatis, *fidelium Dei*. Abest *Dei* a mss.

(*g*) Editi, *quia ipsis in uno baptismo renatis.... dispensatio sit*. Restituitur ex consensu mss *ipsi.... renati* : ex Colbertino autem ac Germ. *dispensatio sint*, non *sit*. Unde duplicem qui plantat et qui rigat habent unitatem, sacramenti nimirum, quia uno baptismo renati, ac præterea instrumenti in eodem sacramento dispensando, proindeque non meram voluntatis unanimitatem. Augustini Coll. cum Maxim.

(*h*) In ms. Carn. *ut ejusdem*, minus bene : quamvis sequatur deinde etiam in cæteris *sint ministri*. Hoc enim Hilario usitatum, ut in duabus sententiis conjunctione *et* copulatis non eumdem retineat verbi modum. Præferebant tamen editi, *sunt ministri*.

(*i*) Lips. et Par. *crimine* : renitentibus Bad. Er. et mss. Illud crimen est eorum, qui simplicem rei credendæ intelligentiam corrumpunt, falsam ei nequiter substituentes. Tum *spem simplicem*, id est, spem fidei simplicis et scientia destitutæ, de qua in Psal. CXIII, lit. 10, num. 12, habemus : *Plus est autem nescio quid in cognitione, quam in fide, operis, quia fides habet obedientiæ meritum, non habet autem cognitæ veritatis fiduciam.... Qui credit, potest igno-*

tam veniam, quam præmium, ignorare quod credas : quia maximum stipendium fidei est, sperare quæ nescias. At vero ultimæ impietatis **220** furor est, aut intellecta non credere, aut intelligentiam corrupisse credendi.

11. *Improprie* UT UNUM SINT *de unanimitate dixisset Christus.* — Sed licet ipsum intelligentiæ suæ sensum impietas demutet, non tamen potest intelligentia non exstare dictorum. Dominus Patrem orat, ut qui in se crediturі sint, unum sint, et sicut ipse in Patre, et Pater in eo est, ita omnes in his unum sint. Quid hic æquanimitatem, quid per voluntatis assensum animæ et cordis unitatem introducis? Fuerat namque in verborum copia et proprietate, ut si voluntas unum esse eos faceret, Dominus ita precaretur : Pater, sicut nos unum volumus, ita et illi unum velint, ut (*a*) unum per concordiam simus omnes. Aut forte qui verbum est, significationem verbi ignoravit? et qui veritas est, loqui vera nescivit? et qui sapientia est, in stultiloquio erravit? et qui virtus est, in ea fuit infirmitate, ne posset eloqui quæ vellet intelligi? Locutus plane ille est vera et sincera fidei evangelicæ sacramenta. Neque solum locutus est ad significationem, sed etiam ad fidem docuit, ita dicens : *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et* (*b*) *ipsi sint in nobis.* Pro his primum precatio est, de quibus dicitur, *Ut omnes unum sint :* tum deinde unitatis profectus exemplo unitatis ostenditur, cum ait : *Sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi sint in nobis :* ut sicut Pater in Filio et Filius in A Patre est, (*c*) ita per hujus unitatis formam, in Patre et Filio unum omnes essent.

12. *Honor a Patre acceptus, et a Filio datus credentibus, præstat ut unum sint.* — Sed quia soli Patri et Filio ex natura proprium est ut unum sint, quia Deus ex Deo, et unigenitus ex innascibili non potest nisi in originis suæ esse natura ; ita ut et in substantia nativitatis suæ qui genitus est exsistat, neque aliam ac diversam divinitatis nativitas habeat, quam ex qua profecta **221** est, veritatem : nihil nobis ambiguum Dominus ad fidem relinquens, absolutæ unitatis hujus toto consequenti sermone docuit naturam. Id enim sequitur : *Ut et mundus credat, quoniam tu me misisti* (*Joan.* XVII, 21). Per id ergo mundus crediturus est Filium a Patre missum esse, B quod omnes, qui crediturі in eum sunt, unum in Patre et Filio erunt. Et quomodo erunt, mox docemur : *Et ego honorem, quem dedisti mihi, dedi eis* (*Ibid.*, 22). Et nunc interrogo, utrum id ipsum sit honor, quod voluntas; cum voluntas motus mentis sit, at vero honor naturæ aut species aut dignitas. Honorem ergo acceptum a Patre Filius omnibus qui in se crediturі sunt dedit, non utique voluntatem : quæ (*d*) si data esset, non haberet fides præmium, cum fidem nobis necessitas affixæ voluntatis inferret. Accepti autem honoris datio quid proficeret, ostendit : *Ut sint unum, sicut nos unum sumus* (*Ib.*). Ob eam ergo causam acceptus honor datus est, ut omnes unum sint. Jam igitur unum sunt omnes in C honore; quia non alius, quam qui acceptus est, honorare quod credit : *qui autem jam cognovit, non potest id, quod cognovit, adepta cognitione non credere.*

(*a*) In vulgatis *et*, non *ut*. Hoc Hilarii argumentum ad verba Christi : *Ego et Pater unum sumus*, accommodans Faustinus, cap. 1, copiose ac subtiliter persequitur : *Qui*, inquit, *linguæ sermonem dedit, nesciit loqui, et ignoravit illum sensum vestrum propriis et competentibus sermonibus explicare, et inefficax fuit dicere : Ego et Pater unum volumus? Si tamen hoc in loco unitatem voluntatis, et non deitatis ac substantiæ volebat intelligi.* Et post pauca, *Vos quasi grammatici, velut inefficaciam dominicæ pronuntiationis supposititi verbi demutatione supplentes emendatis, et dicitis, hoc quod ait* SUMUS, VOLUMUS *intelligendum est.* Observat deinde hæreticos pugnantia loqui, dum Christo alias negant voluntatis concordiam, quia dixerit : *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris.* Ex quo subjicit, D *quomodo interpretaris quod Pater et Filius unum sunt voluntate, cum Patris et Filii, secundum te, diversæ sint voluntates?* etc.

(*b*) In excusis hic et mox, *ipsi unum sint.* Abest *unum* constanter a mss.

(*c*) In mss. *ut*, non *ita :* forte ad imitationem sacri textus, in quo primum *ut omnes unum sint*, ac rursum postea, *ut et ipsi sint*, non *ita*. De hac ipsa unitatis forma Augustinus Coll. cum Maximino num. 14 : *non dixit, Ut ipsi* et *nos unum; sed, Ut ipsi sint unum in natura sua et in substantia sua concordi æqualitate quodam modo uniti atque conflati, sicut Pater et Filius et Spiritus sanctus unum propter individuam eamdemque naturam.* Et l. 1, contra eumdem Maximin., c. 12 : *Cum ergo totiens dixerit, Ut sint unum; non tamen alicubi dixit, Ut ipsi et nos simus unum, hoc est, ut nobiscum sint unum; sed, aut in nobis dixit, aut sicut nos, id est, ipsi secundum naturam suam, nos secundum nostram. Volebat enim eos, qui natura unum erant, in hoc ipso quod unum erant esse perfectos.... quod nisi in ipso simus, omnino esse non possumus.* Qui autem in Deo unum simus, deinceps explicat Hilarius.

(*d*) In uno e mss. Vatic., *quod si ita esset :* corrupte. Qui datam hic neget Hilarius fidem, quæri potest. At cum illam infra, num., 30 inter Dei dona recenseat, probabile est eum hoc loco tantum velle fidem nobis affixæ voluntatis necessitate non inferri, sed libera voluntate nos credere ; quia, ut apertius in ps. LXV, num. 24, declarat, *Fides animæ et cordis officium est, resque hæc voluntatis internæ.* Cui consentiens Augustinus, quamvis ep. CXCIV, ad Sixtum, n. 9, fidem gratuitum Dei donum esse plurimis demonstret, et Vitalem aliter sentientem corripiat epist. CCXVII, n. 29, in eadem tamen ad Vitalem epistola, n. 16, libenter hoc fatetur : *Scimus eos, qui corde proprio credunt in Dominum, sua id facere voluntate et libero arbitrio.* Et lib. de Spir. et lit. c. 31, fidem ait esse in potestate, sed potestatem non esse nisi a Deo : adeoque lib. I Retr. n. 3, docet voluntatem a Deo quidem esse, *quia præparat voluntatem;* a nobis vero, *quia non fit nisi volentibus nobis. Cur autem,* ait ep. CXCIV, n. 10, *ille credat, ille non credat, cum ambo idem audiunt, et, si miraculum in eorum conspectu fiat, ambo idem vident : altitudo est divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.* Quamquam Hilarius non ita enucleate quid a Deo, quid a nobis sit distinguens, et unam attendens voluntatis libertatem, voluntatem dari eatenus negarit, quatenus hoc necessitatem sonat affixæ voluntatis. Sic porro argumentatur : Credentes in Patre et Filio unum sunt per aliquid quod datur : atqui non datur voluntas seu consensus voluntatis : non igitur unum sunt consensu voluntatis.

nor datus est; neque ob aliud datus est, quam ut omnes unum essent. Et cum per honorem datum Filio, et a Filio præstitum credentibus, omnes unum sint; quæro quomodo Filius diversi honoris a Patre sit, cum credentes omnes honor Filii ad unitatem paterni honoris assumat? Et insolens **222** quidem hic forte humanæ spei erit sermo, sed non erit infidelis : quia quamvis hoc sperare temerarium sit, tamen non credidisse irreligiosum est (*a*) cum idem atque unus nobis et spei auctor sit et fidei. Et de hoc quidem (*b*) planius et copiosius suo, ut congruit, loco tractabimus. Interim tamen etiam ex præsenti sermone neque inanis, neque temeraria esse hæc spes nostra intelligitur. Per acceptum igitur et datum honorem unum omnes sunt. Fidem teneo, atque causam unitatis accipio : sed nondum apprehendo rationem, quomodo datus honor unum omnes esse perficiat.

13. *Unitas naturalis fidelium in Deo præstatur Verbi incarnatione, et Eucharistiæ sacramento.*—Sed Dominus nihil fidelium conscientiæ incertum relinquens, ipsum illum naturalis efficientiæ docuit effectum, dicens, *Ut sint unum, sicut nos unum sumus, ego in his, et tu in me; ut sint perfecti in unum* (*Joan.* XVII, 22 et 23). Eos nunc, qui inter Patrem et Filium voluntatis ingerunt unitatem, interrogo utrumne per naturæ veritatem hodie Christus in nobis sit, an per concordiam voluntatis? (*c*) Si enim vere Verbum caro factum est, et vere nos Verbum carnem cibo dominico suminus; quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suæ ad naturam (*d*) æternitatis sub sacramento **223** nobis communicandæ carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est. Quisquis ergo naturaliter Patrem in Christo negabit, neget prius non naturaliter (*e*) vel se in Christo, vel Christum sibi inesse; quia in Christo Pater, et Christus in nobis, unum in his esse nos faciunt. Si vere igitur carnem corporis nostri Christus assumpsit, et vere homo ille, (*f*) qui ex Maria natus fuit, Christus est, nosque vere sub mysterio (*g*) carnem corporis sui sumimus (et per hoc unum erimus, quia Pater in eo est, et ille in nobis); quomodo voluntatis unitas asseritur, cum naturalis per sacramentum (*h*) proprietas, perfectæ sacramentum sit unitatis.

14. *Verum Christi corpus in hoc Sacramento percimento nobis communicandæ carnis admiscuit,* respondet alteri membro : *Et nos vere Verbum carnem cibo dominico sumimus.* Et hanc quidem partem ad mysterium assumptæ carnis referri non posse liquet : cum Christus carnem suscipiens, non naturam carnis suæ ad naturam divinam sed divinam potius ad naturam carnis nostræ admiscuerit, quam et suam tum facere cœpit. An in Eucharistiæ sacramento naturam carnis suæ ad divinam admiscet, ut carnem illam cum divinitate conjunctam suscipientes, ea carne mediante, cum divina Christi substantia, quæ cum Paterna una et eadem est, uniamur; quod probandum suscepit Hilarius : qui velut certum et indubitatum ponit, nos in hoc sacramento *naturam carnis* Christi et veritatem, non figuram accipere. Carnem autem Christi in Eucharistia divinitati conjunctam dixerit non sola rationis luce illustratus, quod scil. caro illius cum a Verbo jam inseparabilis sit, tradi nobis nequeat sine illo; sed et motus divini verbi auctoritate, quia scriptum est : *Caro non prodest quidquam, Spiritus est qui vivificat :* nam *Spiritus* vocabulo divinitatem ab eo intelligi solere, jam sæpius est observatum. Videndus Cyrillus Alexandrinus, Dial. 1, de Trinit., pag. 407, ubi nos cum Christo non sola voluntatum consensione, sed natura unum esse pariter ostendit ex sacramento Eucharistiæ.

(*a*) Lips. et Par. *ut idem :* male et præter fidem mss. Hic obiter observamus superius verbum *sperare* de spe et exspectatione humana ac naturali dici, at in reliquis vocabulo *spei*, etiam ubi dicitur *humanæ spei sermo*, hominum quidem spem, sed Dei promissis non humana ratione fultam significari. Hinc primum *sperare* dicitur *temerarium :* ac deinde spes *non temeraria.*

(*b*) Sic mss. cum Bad. et Er. At editiones aliæ, *plenius.*

(*c*) Argumentum hic duplex in unum conflatur, primum ex Christi corporatione petitum, qua nostram ille naturam vere suscepit; alterum ex Eucharistiæ sacramento, quo veram illius carnem vere sumimus.

(*d*) Id est, ad naturam divinitatis. Sic Fragm. 11, n. 32, ubi ait Hilarius ita immutabilem esse Filium, *ut in assumptione hominis corruptioni potius gloriam intulerit, quam labem æternitati;* quid *corruptio* nisi naturam humanam, quid nisi divinam *æternitas* sonat? Ea hujus vocis potestas perspicua est cap. 31, in Matth., n. 1, ubi arguit hæreticos, qui ipsam Christi divinitatem passam esse volebant, *Ac si æternitas naturam fragilitatis acceperit.* Cur autem *æternitatis* vocabulum usurpet ad significandam divinitatem, planum est ex cap. 23, n. 5. Jam ab his verbis eludere frustra tentat Scultetus præclarum Hilarii de Eucharistia testimonium. Neque vero sibi constat, dum primo vult, hic tantum esse repetitionem argumenti superioris, hoc est, eam tantum demonstrari unitatem, quam per consortium gloriæ Christi obtinemus : ac tandem, quasi procul hinc Hilarius dixisset : *Vere nos Verbum carnem cibo dominico sumimus,* hæc verba de Cœna sacra interpretatur. Certe ex antecedentibus et consequentibus liquido constat, sermonem hic jam non esse de gloria Christi nobis communicata, sed de Eucharistiæ sacramento : cum hoc binembri argumento comprobetur Christum vere et naturaliter esse in nobis, quia scil. et in Incarnationis mysterio caro nostra est in eo, et in Eucharistiæ sacramento caro illius est in nobis. Et sicut primo illi membro, *Si vere Verbum caro factum est,* respondet hæc propositio : *Qui et naturam carnis nostræ jam inseparabilem sibi homo natus assumpsit;* ita et subsequens illa : *Et naturam carnis suæ ad naturam æternitatis sub sacra-*

(*e*) Naturaliter sumus in Christo, quatenus nostram carnem assumpsit, ut ille naturaliter inest nobis, quando carnem illius accipimus.

(*f*) Pessime apud Par. *quia ex Maria :* cum subinde τὸ *Christus est*, idem sonet ac *Deus est*, ut ex his : *Si homo ille, qui ex Maria natus est, vere Deus est,* sequatur Patrem esse in eo.

(*g*) Id est, sub mysticis speciebus velatam. Nescio quomodo se putet Scultetus his verbis elusisse vim superiorum, *Vere nos Verbum carnem cibo dominico suminus.* Quid enim illud *sub mysterio* adversatur Ecclesiæ, quæ numquam in hoc sacramento manifestam Christi carnem credidit? Quid vero juvat Scultetum, quod ita prædicatur *sub mysterio,* ut tamen *vere carnem corporis* Christi sumamus? Quid est cur tam sollicite Hilarius supra, hic, infra illud *vere* inculcat?

(*h*) Hæc pressius dicta sic licet explicare : cum naturalis proprietas carnis tum a nobis susceptæ per sa-

pimus.—Non est humano aut sæculi sensu in Dei rebus loquendum (*V. lib.* IV, *n.* 14) : neque (*a*) per violentam (1) atque imprudentem prædicationem ; cœlestium dictorum sanitati, alienæ atque impiæ intelligentiæ extorquenda (*b*) perversitas est. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus : et tum perfectæ fidei officio fungemur. De naturali enim in nobis Christi veritate quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stulte atque impie dicimus. Ipse enim ait, *Caro mea vere est esca, et sanguis meus vere est potus. Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 56, 57). De veritate carnis et sanguinis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim et (*c*) ipsius Domini professione, et fide nostra vere caro est, et vere sanguis est. Et hæc accepta atque hausta id efficiunt, **224** ut et nos in Christo, et Christus in nobis sit. Anne hoc veritas non est? Contingat plane his verum non esse, qui Christum Jesum verum esse Deum denegant. Est ergo in nobis ipse per carnem, et sumus in eo : dum (*d*) secum hoc, quod nos sumus, in Deo est.

15. *Perfecta nobis, Christo mediante, cum Deo unitas.*—Quam autem in eo per sacramentum communicatæ carnis et sanguinis simus, ipse testatur dicens, *Et hic mundus me jam non videt; vos autem me videbitis, quoniam ego vivo, et vos vivetis; quoniam ego in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis* (*Joan.* XIV, 19, etc.). Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet : cur gradum quemdam atque ordinem consummandæ unitatis exposuit : nisi ut cum ille in Patre per naturam divinitatis esset; nos contra in eo per (*e*) corporalem ejus nativitatem, et ille rursum in nobis per sacramentorum inesse mysterium crederetur ; ac sic perfecta per Mediatorem unitas doceretur, cum nobis in se manentibus ipse maneret in Patre, et in Patre manens maneret in nobis; et ita ad unitatem Patris proficeremus, (*f*) cum qui in eo naturaliter secundum nativitatem inest, nos quoque in eo naturaliter inessemus, ipso in nobis naturaliter permanente?

16. *Unitas hæc quam naturalis. Unitas Filii cum Patre.* — Quam autem naturalis in nobis hæc unitas sit, ipse ita testatus est : *Qui edit carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo* (*Joan.* VI, 57). Non enim quis in eo erit, nisi in quo ipse fuerit : ejus tantum (2) in se assumptam habens carnem, qui suam sumpserit. Perfectæ autem hujus unitatis **225** sacramentum (*g*) superius jam docuerat, dicens : *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo per Patrem : et qui manducaverit meam carnem, et ipse vivet per me* (*Ibid.* 58). Vivit ergo per Patrem : et quo modo per Patrem vivit, eodem modo nos per carnem ejus (3) vivimus. Omnis enim comparatio ad intelligentiæ formam præsumitur : ut id, de quo agitur, secundum propositum exemplum (4) assequamur.

(1) *Atque impudentem.*
(2) *Ipse.*
(3) *Vivemus.*
(4) Prius legebatur, *assequatur.* Rectius codex Veronensis, *assequamur.*

cramentum Incarnationis, tum nobis communicatæ per sacramentum Eucharistiæ, sit sacramentum et vinculum perfectæ unitatis nostræ primum ac per se cum Christo, eo autem mediante cum Patre.

(*a*) Nonnulli mss. *per violentiam :* et deinde, *atque impudentem :* quod etiam præferunt excusi, subsequentibus ita perturbate expressis, ut vocabulum *alienæ* referatur ad *sanitati.* Hic sugillantur hæretici, qui errores suos aut humanis ratiunculis aut detortis ad placita Scripturis tueri conantur.

(*b*) Solus codex Vat. bas. *diversitas :* male. *Perversitas* opponitur *sanitati.* Qui exemplar Carnutense emendavit, hic ad marginem adscripsit, *Per totum hoc capitulum Corporis et Sanguinis dominici veritatem exsequitur.* At vero tum ex scriptura secundæ illius manus, tum ex antiquo codice alias Floriacensis, nunc Colbertinæ bibliothecæ, not. 1194 (qui in septem prioribus libris ita ad fidem Carnutensis expressus est, ut omnes ac solas lectiones præferat, quæ in illo secundis curis adjectæ sunt), facile probatur prædictum ms. ante annos 700, fuisse emendatum.

(*c*) Quid est *ipsius Domini professione*, nisi ipsismet Christi verbis? Quid deinde *et fide nostra*, nisi ex fide Ecclesiæ, Domini verba ut sonant intelligentis? Ex quo liquet Hilarium sensisse fidem nostram Dei verbis inniti debere, Dei autem verba ex fide Ecclesiæ explicanda; atque ex utroque illo capite confirmari, nos in Eucharistia veram Christi carnem verumque sanguinem accipere. Quamlibet aliam interpretationem verborum : *Caro mea vere est esca*, etc., *violentam* esse præmonet *atque imprudentem.*

(*d*) Mss. Vat. bas. Martin. Carn. Sorbonicus unus, ac duo Colbertini, non tamen antiquior, *dum secundum hoc :* non videntur aliis libris præferendi, sed hæc ita intelligenda : dum simul cum Christo, cui conjuncti sumus, hoc quod nos sumus est in Deo patre, cum quo ille unum est.

(*e*) Id est, per corpus quod ex Maria nascendo suscepit ex nobis. Deinde autem *per sacramentorum mysterium* Eucharistiam designari planum est, ut constanter prosequatur Hilarius suum bimembre argumentum.

(*f*) Hoc sibi vult : cum in Christo, qui in Patre naturaliter inest secundum nativitatem æternam, nos pariter inessemus per susceptam ab eo carnem nostram, eodem ipso Christo rursum in nobis naturaliter permanente per impertita carnis et sanguinis sui sacramenta.

(*g*) Cum locus subjectus in Evangelio inferior sit proxime allato ex Joan. VI, non hujus respectu, sed respectu alterius ex Joan. XIV, 19, hic superior nuncupatur. Mox e mss. restituimus *vivus Pater*, pro *vivens.* Tum codex Vat. bas. *et ego vivo propter Patrem.* Deinde in Joannis exemplaribus græcis et latinis nunc circumfertur, *et qui manducat me*, non, *et qui manducaverit carnem meam.* Quibus subjicitur in ms. Martin. *et ipse vivit in me*, non, *et ipse vivet per me.* Quod ex hoc Evangelii loco conficit Hilarius, Sacramentarii probe expendant velim. Sic enim ratiocinatur : Ita Christus vivit per Patrem accepta illius natura, sicut nos vivimus per Christum accepta ipsius carne. Tum sumit quasi rem magis notam, de qua minime contenderent Ariani : atqui vivimus per Christum naturam illius carnis adepti ; adeo ut per carnis illius manducationem Christum in nobis carnalibus carnaliter manentem habeamus. Ac demum adversus Arianos rem, unde litigabant, concludit : Ergo et Christus vivit per Patrem, accepta ipsiusmet natura divina ; ita ut Pater secundum Spiritum, hoc est, secundum naturam divinam ei datam, naturaliter in eo maneat. Qui argumenta tam clara alio detorquere conantur, indicant vel se mala fide agere, vel saltem quantum apud homines possint præjudicatæ mentis opiniones.

Hæc ergo vitæ nostræ causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus : victuris nobis per eum ea conditione, qua vivit ille per Patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, id est, naturam carnis suæ adepti : quomodo non naturaliter secundum Spiritum in se Patrem habeat, cum vivat ipse per Patrem ? Per Patrem autem vivit, dum nativitas non alienam ei intulit diversamque naturam, dum quod est, et ab eo est, nec tamen ab eo per aliquam incidentem naturæ dissimilitudinem separatur; dum in se per nativitatem habet Patrem in virtute naturæ.

17. *Epilogus.* Hæc autem idcirco a nobis commorata sunt, quia voluntatis tantum inter Patrem et Filium unitatem hæretici mentientes, unitatis nostræ ad Deum utebantur exemplo, tamquam nobis ad Filium, et per Filium ad Patrem, obsequio tantum ac voluntate religionis unitis, nulla per sacramentum carnis et sanguinis naturalis communionis proprietas indulgeretur : cum et per honorem nobis datum Filii, et per manentem in nobis (*a*) carnaliter Filium, et in eo nobis corporaliter et inseparabiliter unitis, mysterium veræ ac naturalis unitatis sit prædicandum.

18. *Unitas Filii et Patris diserte in Scripturis asserta.* — Responsum igitur a nobis est stultitiæ furentium, ad demonstrationem tantum inanis mendacii : ne imperitos fallerent vanæ ac ridiculæ assertionis errore. Cæterum fides evangelica responsionis nostræ necessitate non eguit. Unitatem nostram ad Deum Dominus pro nobis precatus est : suam vero **226** obtinet ille, et in ea manet. Nec per sacramentum dispensationis unum sunt, sed per naturæ nativitatem, dum nihil in eo ex se Deus eum gignendo degenerat. Unum sunt, dum quæ de manu ejus non rapiuntur, non rapiuntur de manu Patris (*Joan.* x, 28) ; dum eo cognito Pater cognitus est ; dum eo viso Pater visus est ; dum quæ loquitur, manens in se Pater loquitur ; dum in operante se operatur Pater ; dum ipse in Patre est, et in eo Pater est (*Joan.* xiv, A 7, 9, 10, 12). Hoc (*b*) non præstat creatura, sed nativitas ; non efficit voluntas, sed potestas ; non loquitur unanimitas, (*c*) sed natura : quia non unum est creari, et nasci ; neque velle id ipsum est, quod et posse ; neque concordare idem est, quod manere.

19. *Unanimitas non negatur, dum asseritur unitas. De Patris et Filii unitate apertum testimonium.* — Non negamus igitur unanimitatem inter Patrem et Filium : nam hoc solent hæretici mentiri, ut cum solam concordiam (*d*) ad unitatem non recipimus, discordes eos a nobis affirmari loquantur. Sed audiant quam a nobis unanimitas non negetur. Unum sunt Pater et Filius natura, honore, virtute : nec natura eadem potest velle diversa. Et audiant adhuc naturæ sibi cum Patre unitatem Filium testantem ; B ait enim : *Cum venerit advocatus ille, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre meo procedit, ipse testificabitur de me* (*Joan.* xv, 26). Advocatus veniet, et hunc mittet Filius a Patre, et Spiritus veritatis est, qui a Patre procedit. Excutiat ingenii sui aculeos omnis hæreticorum schola : et quærat nunc, quod vel mentiri (*e*) ignorantibus possit, et doceat quid sit hoc quod Filius mittit a Patre. Qui mittit, potestatem suam in eo quod mittit ostendit. Sed quod a Patre mittit, quid intelligemus, utrum acceptum, aut dimissum, aut genitum ? nam horum necesse est unum aliquid significet, quod a Patre missurus est. Et missurus a Patre est eum Spiritum veritatis, qui a Patre procedit : jam ergo non est acceptio, ubi demonstrata processio est. Superest C ut confirmemus in eo sententiam nostram, **227** utrum in hoc (1) (*f*) consistentis egressionem, an geniti processionem existimemus.

20. *Spiritus sanctus a quo sit non incertum. Quod a Filio accipit, accipit et a Patre. Hinc unum natura sunt Pater et Filius.* — Neque in hoc nunc calumnior (*g*) libertati intelligentiæ, utrum ex Patre, an ex Filio (2) Spiritum paracletum putent esse. Non enim in incerto Dominus reliquit : nam sub iisdem dictis hæc ita locutus est : *Adhuc multa habeo vobis dicere,*

(1) *In ejusdem consistentis egressionem.*

(2) *Spiritum sanctum.*

(*a*) Quod superiori numero dictum est, nos Eucharistiæ beneficio *in nobis carnalibus manentem per carnem Christum* habere, nunc disertius enuntiatur manere in nobis *carnaliter* Filium.

(*b*) In ms. Martin. *hæc ;* quod mox dicta disertius comprehendit : ac postea ut in aliis vetustioribus, *unianimitas, unianimitatem.* D

(*c*) Vat. bas. ms. *sed nativitas*, nobis non probatur.

(*d*) Par. post Lipsium, *ad unanimitatem :* male et præter fidem mss. Nam illud *ad unitatem*, id est ad explicandos locos, in quibus unitas commendatur.

(*e*) In vulgatis, *ab ignorantibus;* rectius in mss. *ignorantibus*, hoc est, apud ignorantes ac simplices.

(*f*) Cum vocabulum *egressio*, ejus qui exit ab eo unde exit distinctionem significet, caute ei adjicitur verbum *consistentis*, quo naturæ unitas eidem asseratur. Quod illustratur verbis Cyrilli, l. II. in Joan. c. 3 : *Exivit enim ex Patre in propriam exsistentiam Filius, etsi in ipso est secundum naturam. Et quod ibi exisse, idipsum hic missum esse significat.* Itaque Cyrillo non differt *exire* et *mitti*. Præterea hoc egressionis proprium est, ut nullum procedentis initium sonet. Unde Hilarius, lib. IV, n. 31, Filii nativitatem eo vocabulo apte expressam dixerat : *quia non ut esset cæpit ex nihilo, sed exiit a manente ; et exiisse significationem habet nativitatis* (seu processionis distinctæ ab eo a quo exitur), *non habet inchoationis.* Non declarat quidem hic Hilarius an *geniti processionem* existimare debeamus. At cum lib. II, n. 1, Spiritum sanctum *donum* nuncupet, uti licet responsione Augustini, lib. V de Trinit. c. 14 : *Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus ; et ideo non dicitur Filius.* Sed aperta est Hilarii ipsius sententia, lib. XII, n. 54, dicentis : *Unigenitum ex te natum sciens, genitum tamen Spiritum sanctum non dicturus sim.*

(*g*) Sic mss. At editi, *libertatem.* Ex his ac sequentibus Hilarii dictis videri posset, jam tum motam esse de Spiritus sancti processione controversiam. Quippe aperte indicat minime sibi incertum, quin a Patre et Filio sit, quamvis de loquendi ratione pusculum litigare nolit. Jam vero observatum est, lib. II, num. 4, not. Filium Spiritus sancti et *largitorem*; et *auctorem* ab eo appellatum,

sed non potestis portare illa modo. Cum venerit ille Spiritus veritatis, diriget vos (1) (*a*) *in omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audierit loquetur, et futura annuntiabit vobis. Ille me honorificabit; quoniam de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, De meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Joan.* XVI, 12, *seqq.*). A Filio igitur accipit, qui et ab eo mittitur, et a Patre procedit. Et interrogo, utrum id ipsum sit a Filio accipere, quod a Patre procedere. Quod si (*b*) differre credetur inter accipere a Filio, et a Patre procedere; certe id ipsum atque unum esse existimabitur, a Filio accipere, (*c*) quod sit accipere a Patre. Ipse enim Dominus ait: *Quoniam de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, De meo accipiet, et annuntiabit vobis* (*Ibid.* 14 *et* 15). Hoc quod accipiet (sive potestas est, sive virtus, sive doctrina est), Filius a se accipiendum esse dixit: et rursum hoc ipsum significat accipiendum esse de Patre. Cum enim ait, omnia quæcumque habet Pater, sua esse, et idcirco dixisse se de suo accipiendum esse: docet etiam a Patre accipienda, a se tamen accipi; quia omnia quæ Patris sunt, sua sint. Non habet hæc unitas diversitatem: nec differt a quo acceptum sit, quod datum a Patre, datum referatur a Filio. Numquid et hic voluntatis unitas afferetur? Omnia quæ habet Pater, Filii sunt: et omnia quæ Filii **228** sunt, Patris sunt. Ipse enim ait: *Et mea omnia tua sunt, et tua mea* (*Joan.* XVII, 10). Nondum loci est, ut demonstrem, cur ita dixerit: *Quoniam de meo accipiet:* futuri enim temporis significatio est, ubi accepturus ostenditur. Nunc certe ideo a se acceptarum ait, quia omnia Patris sua essent. Disseca naturæ hujus, si potes, unitatem: et aliquam dissimilitudinis infer necessitatem, per quam Filius non sit in unitate naturæ. A Patre enim procedit Spiritus veritatis: sed (*d*) a Filio a Patre mittitur. Omnia quæ Patris sunt, Filii sunt: et idcirco quidquid accipiet, a Filio (2) (*e*) accipiet ille mittendus, quia Filii sunt universa quæ Patris sunt. Natura itaque in omnibus tenet suam legem, et quod unum ambo sunt, ejusdem in utroque per generationem nativitatemque divinitatis significatio est: cum id quod accipiet a Patre Spiritus veritatis, id Filius dandum a se esse fateatur. Non permittenda itaque ad impiæ intelligentiæ libertatem hæretica perversitas est: ut dictum hoc Domini, quod quia omnia quæ Patris sunt, sua sunt, idcirco a se accipiet Spiritus veritatis, non ad unitatem confiteatur referendum esse naturæ.

21. *Dei et Christi unus est Spiritus.* — Loquatur enim ille, qui electionis est vas et gentium doctor, secundum veritatis intelligentiam fide Romanæ plebis ante laudata. Volens enim naturæ unitatem in Patre et Filio docere, ita ait (*Rom.* VIII, 9, *seqq.*): *Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu* (3) (*f*) *si quidem Spiritus Dei in vobis est. Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est* (*g*) *per peccatum, spiritus autem vita est* (4) *per justitiam. Si autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis; qui suscitavit* (*h*) *Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra propter* **229** *Spiritum suum, qui habitat in vobis.* Spiritales omnes sumus, si in nobis est Spiritus Dei. Sed hic Spiritus Dei, (*i*) et Spiritus Christi est. Et cum Christi Spiritus (*j*) in nobis sit, ejus tamen Spiritus in nobis est, qui Christum suscitavit a mortuis: et qui suscitavit Christum a mortuis, corpora quoque nostra mortalia vivificabit propter habitantem Spiritum ejus in nobis. Vivificamur ergo, propter habitantem in nobis Spiritum Christi, per eum qui Christum suscitavit a mortuis. Et cum ejus, qui suscitavit Christum a mortuis, in nobis est Spiritus; et Spiritus (*k*) tamen in nobis est Christi, nec tamen non Dei est Spiritus, qui in nobis est. Discerne igitur, o hæretice, Spiritum Christi a Spiritu Dei, et excitati a mortuis Spiritum Christi ab Spiritu Dei Christum a mortuis excitantis; cum inhabitans in nobis Spiritus Christi, Spiritus Dei sit; et cum Spiritus Christi a mortuis excitati, Spiritus tamen Dei sit Christum a mortuis excitantis.

22. *Spiritus Dei an natura, an res naturæ.* — Et quæro nunc in Spiritu Dei utrum naturam, an rem naturæ significatam existimes. Non idem est (*l*) enim natura, quod naturæ res: sicuti non idem est homo,

(1) *In omni veritate.* Mox, *loquitur.* Postea, *annuntiabit* sine *vobis.*

(2) *Accipit.*

(3) *Si quidem Spiritus Dei habitat in vobis*, juxta græcum textum.

(4) *Propter justificationem.*

(*a*) Ita juxta græcum codex Vat. bas. cum Martin. cæteris, lib. II, n. 33, consentientibus: in quibus tamen hic exstat *in omni veritate.*

(*b*) In vulgatis, *nihil differre.* Rectius abest *nihil* a mss. Conceditur adversariis quidquid voluerint, ut invincibiliter revincantur.

(*c*) Mss. bas. Vat., Martin., Carn. aliique, *quod sit a Patre procedere.* Retinenda lectio vulgata, quam cum optimo Colb. exhibent et plures mss.

(*d*) In vulgatis, *a Filio mittitur et a Patre.* In ms. bas. Vat., uno Sorbon. et altero Colb. *a Filio accipiet, a Patre mittitur;* In Martin. *a Filio accipit et a Patre mittitur.* Verius in pluribus aliis, *a Filio a Patre mittitur;* cum haud dubie respiciatur illud, *quem ego mittam vobis a Patre.* Scrupulose adeo Hilarius omnia de Spiritu sancto verba sua e Scripturis exigit.

(*e*) Mss. *accipit.*

(*f*) Lib. II, n. 29, cum pluribus mss. et omnibus edit. legitur *si tamen.*

(*g*) Carnut. codex, *propter peccatum:* et mox, *propter justitiam.*

(*h*) Editi, *suscitavit Jesum:* dissidentibus mss. et græco textu, ut jam notatum lib. II, n. 29. Mox in vetere ms. Colb. *spiritum ejus*, non *suum.*

(*i*) Par. *sed hic Spiritus.* Melius alii libri, *et Spiritus*, quasi *idem quoque Spiritus.*

(*j*) Sic mss. At excusi, *in nobis est, ejus tum Spiritus*, etc.

(*k*) Rursum in hic excusis *tum* pro *tamen* erat.

(*l*) Abest *enim* a vetustioribus mss. Quæritur hic utrum *Spiritus Dei* nomine propriam Patris naturam, an rem illius quidem propriam, sed ab ipso tamen

et quod hominis est, nec idem est ignis, et quod ignis ipsius est : et secundum hoc non idem est Deus, et quod Dei est.

23. *Modo Patrem, modo filium significat.*— Memini enim in Spiritu Dei ita filium Dei significari, ut in eo (*a*) Deus pater demonstratus esse intelligatur, et ad cujusvis demonstrationem posse significatum Dei Spiritum pertinere : neque tantum hoc ex prophetica, sed ex evangelica auctoritate monstrari, cum dicitur : *Spiritus Domini super me, propterea unxit me* (*Luc.* IV, 18) ; et rursum (*Matth.*, XII, 18) : *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus in quo complacuit animæ meæ, ponam super eum Spiritum* **230** *meum* ; et ipso de se Domino testante : *Si autem in Spiritu Dei ego ejicio dæmonia, utique appropiavit in vobis regnum Dei* (*Ib.*, 28) : hæc enim videntur (*b*) non ambigue vel Patrem significare, vel filium, virtutem tamen naturæ manifestantia (1).

24. *Cur uterque dictus sit Spiritus.*— Namque idcirco dictum existimo in utroque (*c*) *Spiritus Dei*, ne secundum corporales modos ita inesse Filium in Patre vel Patrem in Filio crederemus : scilicet ne loco Deus manens, nusquam alibi exstare videretur a sese. Homo enim, aut aliquid aliud ei simile, cum alicubi erit, tamen alibi non erit : quia id, quod est illic, continetur ubi fuerit ; (*d*) infirma ad id natura ejus, ut ubique sit, qui insistens alicubi sit. Deus autem immensæ virtutis vivens potestas, quæ nusquam non adsit, nec desit usquam, se omnem per sua edocet, et sua non aliud quam se esse significat : (2) ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur. Non autem corporali modo, cum alicubi insit, non et ubique esse creditur : cum per sua in omnibus esse non desinat ; non aliud autem sint, quam quod est ipse, quæ sua sunt. Et hæc quidem ad naturæ intelligentiam dicta sunt.

25. *In Spiritu Dei significatur Pater. Significatur Filius. Significatur et Spiritus sanctus.*—In Spiritu autem Dei (*e*) patrem Deum significari, ita existimo intelligi oportere, quod Spiritum Domini super se esse Dominus Jesus Christus professus sit, propter quod eum ungat, et mittat ad evangelizandum. Paternæ enim naturæ virtus in eo manifestatur ; naturæ suæ communionem in Filio etiam (*f*) in carne nato per sacramentum spiritalis hujus unctionis ostendens (*Matth.*, III, 17), cum post consummati baptismi nativitatem tum hæc (*g*) quoque proprietatis significatio audita est, voce testante de cœlo : *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Ps.* II, 7). Non enim vel ipse super se esse, vel sibi de cœlis adesse, vel ipsum se **231** cognominasse sibi filium intelligendus est : sed omnis hæc fidei nostræ fuit demonstratio, ut sub perfectæ ac veræ nativitatis sacramento, unitatem (*h*) naturæ manentis in Filio, qui etiam homo esse cœperat, nosceremus. Et Patrem quidem in Dei Spiritu ita significari repertum est. Filium vero hoc modo demonstratum intelligimus, cum dicit : *Quod si in Spiritu Dei ego ejicio dæmones, utique appropiavit in vobis regnum Dei :* se scilicet, id est, naturæ suæ potestate dæmones ejicere demonstrans, qui non nisi Dei Spiritu ejici possint. Est autem et in Spiritu Dei Spiritus paracleti significatio ; neque solum prophe-

(1) *Manifestant.*

(2) *Et ubi.* Mox *intelligitur.*

distinctam velint significari. Ita lib. II, n. 32, Spiritus sanctus a Domino distinctus docetur, quia alius est Spiritus, alius cujus est Spiritus. At vero utrumvis eligant, Pater et Filius unius ostenduntur naturæ : cum Christi Patrisque unus et idem sit Spiritus, proindeque natura ; et Spiritus sanctus ut Patris, ita et Christi sit, adeoque res naturæ unius, seu eorum quorum natura una sit.

(*a*) Nimirum vocabulo *Spiritus Dei.*

(*b*) In codice bas. Vat. *nobis* pro *non*, ac postea cum Martin. *manifestant* pro *manifestantia* : male. Institutæ quæstioni primum hic habetur responsum, puta Spiritus vocabulo Patris et Filii virtutem, et perinde naturam significari : *Quia naturæ virtus præstat veritatem*, ut legimus, lib. V, n. 3. Tum subinde docetur Dei naturam spiritus nomine ideo donari, quia summe simplex est, et ne de Deo ad modum corporum cogitemus.

(*c*) Ita mss. Martin. Colb., Germ., necnon Corb. secundis curis. At vulgati, *spiritum Dei.*

(*d*) Hoc est, impotente ad id ut ubique sit. Neque audiendi recentiores mss. in quibus habetur, *ut ubique non sit.*

(*e*) Id est, in verbis Esaiæ LXI, 1, apud Lucam relatis, quibus ait Dominus, Spiritum Dei super se, ideoque se unctum et missum ad evangelizandum, nomine *Spiritus Dei* puto significari Deum patrem.

(*f*) Sic potiores mss. Alii vero libri, *incarnato.* Paulo ante in ms. Vat. bas. *manifestari videtur*, non *manifestatur :* et post pauca, *consummatam*, loco *consummati.* Huic loco lucem præstat similis lib. XI, n. 18, ubi prope idipsum aliis verbis ita enuntiatur : *Quemadmodum Spiritu Dei et virtute sit unctus, non ambiguum est, tum cum ascendente eo de Jordane vox Dei patris audita est, Filius meus es tu, ego hodie genui te : ut per hoc testimonium sanctificatæ in eo carnis, unctio spiritalis virtutis cognosceretur.* Quo in loco *unctio spiritalis virtutis* appellatur, quod hic *naturæ suæ communio.*

(*g*) Bad., Er. et Lips. omittunt *quoque*, et præcedentem particulam *cum :* cujus loco apud Par. positum erat *cum.* Deinde *proprietatis* vox opponitur adoptioni. Sive autem Christo baptizato dixerit Pater, *Hic est filius meus*, etc., quomodo legit Hilarius lib. VI, n. 23; sive dixerit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quomodo hic, lib. VI, n. 23, lib. XI, n. 18 in Matth., c. II, n. 6, et in ps. II, n. 29, ipsius verba refert, stat eadem vis argumenti, quæ in vocabulis *Filius meus* sita est. Sed et Paulus Heb. I, 5, verba Psalmi, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, et Patris esse tradit, et Filio ita proprie dicta, ut ne in ullum quidem angelorum conveniant.

(*h*) Editi, *naturæ paternæ.* Abest *paternæ* a mss. Ex hoc loco patet Hilarium illud Matth. III, 16 : *Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se*, ita interpretari, ut *Spiritum Dei* intelligat Patrem : qui hinc contra Sabellianos alius a Filio defenditur, quod super illum sit, ipsi adsit, ipsum Filium cognominet. At certe non existimandus est ita eo nomine Patrem intellexisse, ut Spiritum sanctum pariter intelligi posse negaverit : cum subinde declaret, hæc se de diversa vocis *Spiritus Dei* potestate demonstrare, ut quo quo se vertant hæretici, vim veritatis, qua Filium unum cum Patre credimus, declinare non possint.

tica, (1) sed apostolica auctoritate, cum dicitur : *Sed hoc est, quod dictum est per prophetam, Erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo in omnem carnem, et prophetabunt filii eorum et filiæ eorum* (*Act.* II, 16, *seqq.*) Et consummatum hoc totum fuisse in Apostolis docetur, cum misso Spiritu sancto omnes (*a*) linguis gentium sunt loculi.

26. *In nobis est Deus, cum Christus ; cum Spiritus Christi, Spiritus Dei. Filii et Patris natura una.*—Hæc autem idcirco sunt demonstrata necessario, ut in quamcumque se licet partem hæretica falsitas contulisset, finibus tamen atque præscripto veritatis evangelicæ concluderetur. Habitat enim in nobis Christus: et habitante Christo, habitat Deus. Et cum habitat in nobis Spiritus Christi ; habitante tamen in nobis Spiritu Christi , non alius tamen spiritus habitat, quam Spiritus Dei. Quod si per Spiritum sanctum Christus in nobis esse intelligitur, hunc tamen ita Spiritum Dei, ut Spiritum Christi esse noscendum est. Et cum, (2) (*b*) per naturam rei natura ipsa habitet in nobis ; indifferens natura Filii esse credetur a Patre, cum Spiritus sanctus, qui et Spiritus Christi et Spiritus Dei est, res naturæ esse demonstretur unius. Quæro nunc igitur, quomodo non ex natura unum sunt ? A patre procedit Spiritus veritatis : a Filio mittitur, et a Filio accipit. Sed omnia, quæ habet Pater, Filii sunt : et idcirco qui ab eo accipit, Dei Spiritus **232** est, sed idem et Spiritus Christi est. Res naturæ Filii est (*supple*, Spiritus), sed eadem res et naturæ Patris est. Excitantis Christum a mortuis Spiritus est ; sed idem Spiritus Christi est a mortuis excitati. In aliquo differat Christi et Dei natura, ne eadem sit ; si præstari potest ut Spiritus, qui Dei est, non sit et Christi.

27. *Filii et Patris una apud nos habitatio.*— Sed te, hæretice, furentem, et spiritu doctrinæ mortiferæ circumactum tenet et coarctat Apostolus, Christum nobis fundamentum ponens fidei (I *Cor.*, III, 11), dicti hujus quoque dominici non nescius : *Si quis diligit me, et verbum meum servabit : et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.*, XIV, 23). Per id enim, Spiritu Christi in nobis manente, Dei Spiritum in nobis manere testatus est, nec diversum a se esse Spiritum a mortuis (3) excitati (*c*) et Spiritum a mortuis excitantis. Veniunt enim, atque habitant in nobis : et rogo utrum (4) (*d*) comitatu diversitatum venient, mansionemque facient, an unitate naturæ? Sed obnititur doctor gentium, non duos spiritus, Dei scilicet et Christi, sed Spiritum Christi, qui et Spiritus Dei est, inesse credentibus. Non est cohabitatio, sed habitatio est : sub sacramento tamen cohabitationis habitatio, dum neque duo (*e*) habitant, neque ab alio diversus habitator est. Est enim in nobis Spiritus Dei, sed est in nobis Spiritus Christi : et cum Spiritus Christi inest, inest Spiritus Dei. Ita cum quod Dei est, et Christi est ; et cum quod Christi est, Dei est : non potest aliud quid diversum (*f*) Christus esse, quam Deus est. Deus igitur Christus est (5) (*g*) unus cum Deo Spiritus.

28. *Ariani a Spiritu sancto alieni Christum Deum negant, et tamen colunt.*— Et illud evangelicum : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.*, X, 30), docet Apostolus unitatem esse naturæ, non solitudinem unionis, scribens Corinthiis : *Propter quod notum facio vobis, quia nemo in Spiritu Dei* (*h*) *dicit anathema* (6) *Jesum.* Scisne nunc, hæretice, in quo spiritu dicas Christum creaturam (I *Cor.*, XII, 3) ? Cum enim in anathemate sint, qui servierunt creaturæ **233** (*i*) potius quam Creatori (*Rom.*, I, 25); Christum creaturam confitens, quid sis intellige, qui non ignores quin in maledicto sit religio creaturæ. Et quid sequatur adverte : *Et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.*, XII, 3). Sentisne quid tibi desit, (*j*) Christo negando quod suum est ? Si per naturam Dei Christus tibi Dominus est, habes Spiritum sanctum : si vero per adoptivum nomen hic dominus est, Spiritu sancto carens, spiritu erroris animaris : quia nemo nisi in Spiritu sancto Dominum Jesum potest dicere. Et tu creaturam eum potius quam

(1) *Sed et apostolica.*
(2) *Per naturam Dei.*
(3) *Excitati Jesu.* Mox, *excitantis Jesum.*
(4) *Comitatu diversi.*

(5) *Unius* pro *ejusdem.*
(6) *Jesu*, non *Jesum*, in nostro codice. Mox, *dicis*, non *dicas.*

(*a*) Editi, excepto Par., *omnes linguas.*
(*b*) Præferimus cum vetere ms. Colb. et Germ. *per naturam rei*, inversis tamen, ut sæpe usu venit, vocabulis scil. pro, *per naturæ rem.* In libris aliis habetur *per naturam Dei.* Ab hinc responsum in eos accommodatur, qui Spiritum Dei rem naturæ esse volent.
(*c*) Hinc vocem *Jesu*, necnon *Jesum* post verbum *excitantis*, sustulimus auctoritate potiorum mss.
(*d*) Martinianus codex, *comitatu diversi.* Amplius nescio quid habet *comitatu diversitatum*, puta, an ratio simul veniendi sita sit in quadam diversitatum congerie, an in unitate naturæ?
(*e*) Supple, *Spiritus :* alias cohabitationis sacramentum non erit, nisi duo habitent personis distincti. Tum in ms. Vat. bas. *neque ab alio diversus co habitator :* posset ferri *diversus cohabitator*, quod habet Martinianus.
(*f*) Vat. bas. codex et Martin. *Christi esse quam Dei est :* non sunt recipiendi.
(*g*) In mss. Martin. Carn., Corb., Prat. et aliquot aliis, *unius.*
(*h*) Verbum *loquens* hic addunt editi, quod non habent, lib. II, n. 54, neque hic reperimus nisi in uno recentiore ms. Colb. Mox in Martin. et aliis nonnullis, *Jesu*, non *Jesum.*
(*i*) Simili ratione Ambrosius , lib. I de Fide, c. 16, n. 104 : *Ipse* Paulus *creaturæ servire nos prohibet : quemadmodum ergo Christo ipse serviret, si creaturam Christum putaret?* Ex quo concludit : *Aut igitur desinant colere quem creaturam appellant, aut desinant... dicere creaturam* : et c. 11, n. 69 : *Si alienum putant* Deum , *cur adorant eum? cum scriptum sit : Neque adorabis Deum alienum.* Idem argumentum adversus Arianos ut creaturæ cultores conficiunt Athanasius, Basilius, Gregorius Nyss., etc.
(*j*) Mss. Carn., Colb., Germ. *Christum negando.* Planum est proxima Apostoli verba sic ab Hilario intellecta : *Nemo potest dicere* et confiteri *Jesum esse Dominum, nisi*, etc.

Deum dicens, dominum licet nuncupans, Dominum tamen esse non dicis ; quia tibi (*a*) ex communi genere potius et familiari nomine, quam ex natura sit Dominus. Sed (*b*) a Paulo disce naturam.

29. *Gratiarum divisiones.* — Sequitur enim : *Divisiones autem donorum sunt, idem autem Spiritus est ; et divisiones ministeriorum sunt, et idem ipse Dominus ; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus* (*c*), *ad id quod utile est* (*Ibid.* 4, *et seqq.*). In præsenti sermone quadrimoda significatio intelligitur, cum in divisione donorum idem Spiritus est, et in divisione ministeriorum idem ipse Dominus est, et in divisione operationum idem Deus est, et in utilitatis datione manifestatio Spiritus. Atque ut datio utilitatis in manifestatione Spiritus nosceretur ; continuo subjectum est : *Huic quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri autem fides* (*d*) *in eodem Spiritu, alii donum curationum in eodem Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio Spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio linguarum* (*Ibid.*, 8 *et seqq.*).

30. *Spiritus manifestatio.* — Et quidem id, quod quartum esse diximus, id est, in datione utilitatis (*e*) Spiritus manifestationem, absolutam habet intelligentiam. **234** Commemoratum enim est, per quas dationum utilitates hæc esset Spiritus manifestatio. In his namque divisionum virtutibus non incerta doni hujus ostensio est, de quo Dominus ad Apostolos dixerat, præcipiens his, *ne ab Jerosolymis discederent ;* (*f*) *sed exspectate*, inquit, *promissionem Patris, quam audistis de ore meo, quoniam Joannes baptizavit aqua, vos autem Spiritu sancto tingemini, quem et accipietis non post multos hos dies.* Et rursum : *Sed accipietis virtutem superveniente Spiritu sancto in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ* (*Act.* 1, 4, *et seq.*). Promissionem Patris, quæ de ore ejus audita est, exspectari jubet. Certe etiam nunc ejus paternæ promissionis eloquium est. Per has igitur virtutum efficientias manifestatio Spiritus est. Neque enim in occulto est Spiritus donum, ubi sermo sapientiæ est, et verba vitæ audiuntur : vel ubi divinæ cognitionis scientia est, ne pecudum modo per ignorationem Dei, vitæ nostræ ignoremus auctorem : vel per fidem Dei, ne non credentes Evangelium Dei, extra Evangelium Dei simus : vel per donum curationum, ut gratiam ejus, qui hæc tribuit, infirmitatum curatione testemur : vel per operationem virtutum, ut quod agimus, Dei esse (*g*) virtus intelligatur : vel per prophetiam, ut per doctrinæ intelligentiam intelligamur ex Deo eruditi : vel per discretionem spirituum, ne ignari simus, sancto an perverso spiritu quis loquatur : vel per genera linguarum, ut (*h*) in signum dati Spiritus sancti linguarum sermo donetur (1 *Cor.* XIV, 6) : (1) vel in interpretatione linguarum, ne ignoratione fides audientium periclitetur, cum linguam ignorantibus linguæ interpretator absolvit. In his igitur omnibus ad utilitatem unicuique divisis manifestatio Spiritus est, per has scilicet datæ unicuique **235** (*i*) utilitatis admirationes dono Spiritus non latente.

31. *Hæc dona alius atque alius largitur, et tamen unus Spiritus.* — Tenuit autem beatus apostolus

(1) *Vel per interpretationem*, quomodo antea dixerat *per fidem, per donum, per operationem*, etc., paulo post, *absolvat*. Tum inferius, *utilitatis admirationis*.

(*a*) Optimæ notæ mss. Carn., Germ. cum tribus Colbertinis, *ex communi potius et familiari nomine*. Unus Sorbon. *ex communi, generali potius*, etc. Vat. bas. et Martin. *ex communione generis et familiari nomine*.

(*b*) Apud. Er. et in uno ms. Vatic. *a Paulo et Dei spiritu in eo disce naturam*. Apud Lips. et Par. necnon in ms. Corb. et aliquot aliis, *a Paulo et Dei et Spiritus in eo disce naturam*. In tribus Colb. et uno Sorbon. *a Paulo Dei Spiritum in eo, et Dei disce naturam*. Simplicius et, ut putamus, sincerius Bad., optimus codex Colb. cum Carn., Martin., Germ., Vind. Silv. ac duobus Vatic. *a Paulo disce naturam*, hoc est, quæ ipsius sit natura, et quam non ex nuncupatione solum, sed vere et ex natura sit Dominus : quod fusissime probatur. Namque ab hinc usque ad n. 35 demonstrat Hilarius, alium quidem esse Deum Patrem, alium Dominum Jesum Christum, sed unum tamen utriusque Spiritum, unam esse divinitatem, cujus virtus ac natura donis suis manifesta fiat. Postea vero apertius ostendit Christum natura esse Dominum.

(*c*) In ms. Carn. *Spiritus illuminatio ad utilitatem*. Ita quidem habetur lib. II, n. 34, consentientibus scriptis simul et excusis : at hic aliter legendum liquet ex subnexis.

(*d*) Sic græco textu suffragante legitur lib. II, n. 34, et hic in exemplari Carn. ubi in Martin. *in uno spiritu*, in aliis autem, *in eumdem Spiritum*. Post pauca rursum vulgati hic præ se ferentes *interpretatio sermonum*, non *linguarum* : refutantur ex mss. textu græco, et subjecta interpretatione.

(*e*) Apud Par. *spiritus manifestationum* : mendose. Magis placeret *manifestatio* : sed *manifestationem* ad proximum verbum *diximus* referre licet.

(*f*) Editi, *sed exspectarent*. Tum Lips. et Par. *quam audistis inquit*. At in omnibus mss. *exspectate* : cui verbo in tribus tantum proxime subjicitur *inquit*, cum neque hic, neque post exstet in aliis. Mox in Colb., Carn., Martin., Germ. *baptizabimini*, non *tingemini*.

(*g*) In vulgatis, *virtutis intelligamus*. Tum apud Bad. et Er. *vel per prophetiam, ut per doctrinam intelligamus*.

(*h*) Abest *in* a mss. Colb. Martin. et Germ. Tum in editis, *dati Spiritus*, sine *sancti*.

(*i*) Editi, *utilitatis administrationes*. Rectius mss. summo consensu, *utilitatis admirationes*, vel *utilitates admirationis* : quia nimirum utilitas modo non humano præstita admirationem excitat, ac Spiritus, cujus subsidio confertur, divinam virtutem palam declarat. Sic lib. VII, n. 5, Sabellius Dei in Christo naturam *per gestorum admirationem* agnovisse dicitur ; et lib. in Constantium n. 8 prædicantur *admirationum opera* coram venerandis Martyrum ossibus conspecta. Denique in psal. XCI, n. 4, his verbis, *ut Creatoris potestas per creaturæ admirationem posset intelligi*, ista habentur synonyma, *ut per hanc conspicabilium operum magnitudinem virtus ejus qui hæc operatus est cognosceretur*. V. lib. III, n. 5 et 6.

Paulus in hoc difficillimo ad humanam intelligentiam (*a*) cœlestium sacramentorum mysterio, et absolutam demonstrationem et sollicitam cautelam, ut per Spiritum et in Spiritu dari hæc divisionum dona monstraret (*b*) (1) (non enim idipsum est per Spiritum, et in Spiritu dari) : quia datio doni, quæ obtinetur in Spiritu, hæc tamen indulta per Spiritum sit. Consummat autem has dationum divisiones hoc modo : *Hæc autem omnia operatur unus et idem Spiritus, dividens* (*c*) *unicuique sicut vult* (I *Cor.* XII, 11). Nunc igitur quæro, quis hæc Spiritus operetur, dividens unicuique (2) prout velit : (*d*) utrum per quem, aut in quo donorum divisio est. (*e*) Quod si ipsum significatum esse loqui aliquis audebit, contradicet Apostolus, cur se vitiose (*f*) lector intelligat : ait enim superius : *Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus.* Alius est ergo qui dividit, et alius est in quo indulta divisio est. Et intellige operantem hæc omnia semper Deum, ita tamen, (*g*) ut Christus operetur, ut paterno opere operans Filius fungatur. Et si in Spiritu sancto Jesum Dominum confiteris; intellige tripertitæ significationis **236** in Apostolo (*Id est* Apostoli loco) virtutem, cum in divisionibus donorum idem Spiritus est, et in divisionibus ministeriorum idem Dominus est, et in divsionibus operationum idem Deus est : et rursum omnia inoperans unus Spiritus, unicuique sicut vult dividens. Et apprehende, si potes, Dominum in divisione ministeriorum, et Deum in divisione operationum, hunc eumdem unum esse Spiritum, et (*h*) inoperantem, et prout vult dividentem : quia in divisionibus donorum unus est Spiritus, et idem Spiritus operetur ac dividat.

32. *Christus charismata dividit.* — Aut si displicet in Deo et Domino unus hic ejusdem, per nativitatis sacramentum, (3) (*i*) divinitatis Spiritus : ostende quis spiritus, et (*j*) in quo spiritu has nobis divisiones et inoperetur et dividat. Sed nihil aliud, quam quod fidei nostræ est, ostendes ; quia Apostolus qui (*k*) esset intelligendus ostendit, dicens : *Sicut enim corpus unum est, membra autem habet multa ; omnia autem membra ex uno corpore, cum sint multa, unum est corpus : sic et Christus* (I *Cor.* XII, 12). Divisiones ergo charismatum ex uno Domino Jesu Christo, qui corpus est omnium, esse (4) (*l*) significat : quia cum ostendisset Dominum in ministerio, ostendisset etiam Deum in operationibus, unum tamen hæc omnia Spiritum **237** et (5) inoperari et dividere demonstrat.

(1) Pro verbis iis, quæ intra parenthesin concluduntur, hæc Veron. codex substituit : *ne forte non per Christum, et in Christo omnia crederentur.*

(2) *Pro ut vult :* mox, *utrum Jesus Christus Deus spiritus ;* paulo post, *quod si non id ipsum.*

(3) In ms. Veron. *et divinitatis spiritus divisionis spiritum.*

(4) *Significans.*

(5) *Operari* pro *inoperari;* ita etiam superius, n. 15 et 14, *operans* et *operetur* pro *inoperans* et *inoperetur.*

(*a*) In cod. Carn. *cœlestium mysteriorum sacramento.*

(*b*) Qui exemplar basilicæ Vaticanæ sæculo sexto contulit, e regione verbi *monstraret,* adjecit ; *ne forte non per Christum et in Christo omnia crederentur :* quæ adjectio deinde in Martin. ac pluribus aliis mss (in quorum tribus *crearentur* pro *crederentur* substitutum est), ut et in vulgatis obtinuit : quamvis manifeste pugnet cum subsequentibus, in quibus verba *per Spiritum et in Spiritu* non ad unum Christum, sed ad duas distinctas personas referuntur. Unde apparet sinceriores esse mss. Colb., Carn., Germ. a quibus absunt prædicta verba. Tum apud Bad. et Er. omittitur quod intra parenthesim inclusimus.

(*c*) Exemplar Carnut. *dividens se unicuique,* favente græco textu διαιροῦν ἴδια (vel ἰδία) ἑκάστῳ : ex quo Augustinus epist. 187, n. 10 vertit, *dividens propria unicuique.* Hilarii mentem se non assecutum esse indicavit Erasmus, cum hic in limbo adscripsit, *Nota hic multa de Spiritu sancto,* non videns hic *Spiritus* vocabulo Patrem et Filium plerumque significari. Nec tamen in sequentibus edit. correctus fuit.

(*d*) Et hanc lectionem ab interpolatione puram debemus laudatis mss. Colb., Carn., Germ. cum in aliis, necnon apud Bad. et Er. hic habeatur, *utrum Jesus Christus Deus Spiritus.* Lipsius autem, ac post eum Par. addito *an,* exhibuit *utrum Jesus Christus Deus, an Spiritus.* Postea editi omnes, *per quem, et in quo.* Rectius mss. *per quem, aut in quo.* Postulat sanctus Doctor quis Spiritus omnia operetur, utrum Spiritus per quem, an Spiritus in quo est donorum divisio.

(*e*) Editi ac plures mss. *quod si non idipsum :* pugnantia loquuntur cum superioribus, *Non enim idipsum est per Spiritum, et in Spiritu dari,* necnon cum subjectis, *Alius est ergo qui dividit, alius in quo,* etc. Castigantur ex mss. Vat. bas., Colb., Carn., Germ.

(*f*) Abest *lector* a vetusto codice Colb. Et quidem sufficit præmissa vox *aliquis.* Non satis apparet Apostoli contradictio in verbis proxime subjectis : sed eis jungenda sunt cohærentia, *Divisiones ministeriorum sunt, et idem ipse Dominus ;* ut alius sit *Deus,* alius *Dominus ;* ac Patrem quidem significet *Deus.* Filium autem *Dominus :* qui quamvis non unus et idem sint, unus tamen unius divinitatis sint Spiritus. Quem sensum confirmant prima numeri subsequentis verba.

(*g*) Vetus codex Colb. *ut spiritus operetur.* Magis placet cum aliis, *ut Christus.* Responsum hic habetur ad superius quæsitum, *qui spiritus operetur.*

(*h*) In vulgatis, *et hæc* ; Abest *hæc* a mss.

(*i*) Editi, *et divinitatis.* Mss. Vat. bas. et Martin. *et divinitatis Spiritus* (Mart. *Spiritum,*) *divisionis.* Alii duo, *et divinitatis Spiritus et divisionis.* In Corb. tribus Vatic. aliisque non paucis, *et divinitatis Spiritum divisionis Spiritus.* Nitidior visa est lectio præstantissimorum codicum Colb., Carn. et Germ., quam sequimur. Et Deus Pater et Dominus Filius unus est Spiritus, unus Deus, sed, *per nativitatis sacramentum ;* adeoque subsistendi ratione sunt discreti. Si cui placet vocem *divisionis* post verbum *Spiritus* adjicere, eo sensu liceat, ut *Spiritus divisionis* id sit, quod Spiritus auctor donorum, ministeriorum, operationum.

(*j*) Tres mss. Colb. cum Germ. *in quo Spiritus.* Tum in codice Vat. bas. *has in nobis in Domino et Deo divisiones :* in Martin. *has in Deo et Domino nobis,* etc., in aliis nonnullis, *has in Deo et Domino ejusdem nobis divisiones :* glossema. Exinde in solis vulgatis, *et operetur,* non *et inoperetur.* Hic provocat Hilarius adversarios, ut si ad superius quæsitum non placeat suum ipsius responsum, dent ipsi aliud. Tum confirmat non esse aliud.

(*k*) Supple, *Spiritus :* quasi diceret, Quia vocabulum *Spiritus* latius patet, et ad Patrem, Filium, et Spiritum sanctum promiscue refertur ; quis donorum spiritalium largitor esset intelligendus, Apostolus declaravit.

(*l*) In mss. *significans.*

trat, membra hæc gratiarum in perfectione (*al.* perfectionem) unius corporis dividentem.

33. *Operationes et ministeria Deus statuit. Statuit et Christus.*—Nisi forte non tenuisse rationem unitatis in eo Apostolus existimatur, quod dixit: *Et divisiones ministeriorum sunt, idem ipse Dominus; et divisiones operationum sunt, idem autem Deus* (I *Cor.* XII, 5, 6): ut quia ministeria ad Dominum retulit, et operationes ad Deum, non unum atque idipsum in ministeriis atque operationibus videatur intelligi. Accipe quam hæc membra ministeriorum membra operationum sunt, cum ait: *Vos estis corpus Christi et membra. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos* (*Ibid.*, 27, 28), in quibus est verbum sapientiæ; *secundo prophetas*, in quibus est donum scientiæ; *tertio magistros*, in quibus est doctrina fidei; *deinde virtutes*, in quibus sunt *curationes infirmitatum*, *auxiliorum potestates*, *gubernationes* prophetales, et (*a*) dona *genera linguarum* vel loquendi vel interpretandi. Certe hæc Ecclesiæ et ministeria sunt et operationes, in quibus est corpus Christi; et hæc Deus statuit. Aut profitere non per Christum statuta, quia ea Deus statuit. Sed audies ipsum dicentem: *Unicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Et iterum: *Qui descendit, ipse est qui et ascendit super omnes cœlos, ut adimpleat omnia. Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam autem* (1) (*b*) *evangelizantes, quosdam autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii* (*Ephes.* IV 7, 10, *etc.*). Numquid ministeriorum dona non Christi sunt, cum tamen (*c*) et Dei dona sint?

34. *Paulus de Patre dicens* DEUS, *de Filio* DOMINUS, *non distinxit eos natura.* — Sed (*d*) si id sibi usurpavit impietas, ut quia ait, *idem Dominus* et *idem Deus* (I *Cor.* XII, 5, 6), non sint in unitate naturæ: adjungam vero huic intelligentiæ tuæ, ut putas firmiora præsidia. Ipse enim Apostolus ait: *Sed nobis unus Deus pater ex quo omnia,* (2) *et nos in ipso, et unus Dominus Jesus Christus per* **238** *quem omnia, et nos per ipsum* (I *Cor.* VIII, 6). Et rursum: *Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et pater omnium* (*e*) *et per omnes et in omnibus nobis* (*Ephes.* IV, 5, 6). Per id enim, quod dicitur *unus Deus* et *unus Dominus*, Deo tantum quasi uni Deo proprium deputari videtur ut Deus sit: cum proprietas unius (*f*) consortium non patiatur alterius. O plane rara ac difficilia charismatum dona, et vere in hac utilitatum datione manifestatio Spiritus constituta! Et merito hic dividendarum gratiarum ordo servatus est, ut principalis esset sermo sapientiæ; vere enim illud est, *Et nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto* (I *Cor.* XII, 3), quia (*g*) nisi per hoc sapientiæ verbum Christus Dominus non posset intelligi, tum deinde sequens esset sermo scientiæ; ut quod sapimus, scienter loquamur, ita ut sapiamus sapientiæ verbum: tertium vero donum in fide esset; quia illa principalia et superiora utilitatem doni, nisi (*h*) Deus crederetur, amitterent: ut nunc in hujus maximi et pulcherrimi dicti apostolici sacramento, hæreticis omnibus nec verbum sapientiæ est, nec sermo scientiæ, nec religionis fides; quia impietas, quæ non capit intelligentiam, extra sermonis scientiam et extra simplicitatem fidei est. Nec enim quisquam quod non sapit, loquitur: nec quod loqui non potest, potest credere. Unum itaque Deum Apostolus prædicans, et ex Lege veniens, atque in Evangelium Christi vocatus, perfectæ fidei tenuit confessionem. Et ne aliquam hæreticis occasionem tamquam incauti sermonis simplicitas præstaret, ut nativitatem Filii per unius Dei prædicationem negarent; unum Deum sub proprietatis significatione confessus est, dicens ita: *Unus Deus pater ex quo omnia, et nos in ipso* (I *Cor.* VIII, 6): ut qui Deus est, et pater crederetur. Dehinc quia nudum hoc, in unum Deum patrem credere, non proficeret ad salutem; subjecit:

(1) *Evangelistas.* Paulo post, *et inoperantis et Dei.* Mox, *sed id*, omissa particula *si.*

(2) *Et nos in ipsum*, cum græco, mox omittitur nomen *Christus.* Paulo post, *unum baptismum.*

(*a*) Vat. bas. ms. *dona gentium.* Alii nonnulli, necnon Lips. et Par. *dona generum.* Præferendum cum Bad., Er. et pluribus probæ notæ mss. *dona* (scil. *vel loquendi vel interpretandi*) *genera linguarum.*

(*b*) Carnut. codex et Martin. ut in græco textu, *evangelistas.*

(*c*) Editi ac plures mss. *et inoperantis Dei.* Rectius abest *inoperantis* a præstantibus mss. Colb., Carn. et Germ. cum respiciatur supra allatus Apostoli I Cor. XII, 27, locus. *Et quosdam quidem posuit Deus*, ubi non adjicitur verbum *inoperans.* Cujus loci comparatione cum altero ejusdem Apostoli Ephes. IV, 11, proxime memorato, in quo eadem ministeriorum dona a Christo indulta esse declaratur: jam tandem clarius conficitur, Christum esse donorum largitorem, proindeque unum cum Patre Deum, unum Spiritum. Quod quidem pedetentim efficit, et, uti nobis videtur, non tam ex sua quam ex sententia adversariorum, quibus nonnihil largitur, ut omnem eis evadendi aditum claudat. Primum enim eis ultro dat *Spiritus sancti* voce quandoque Patrem, interdum Filium aut Spiritum sanctum significari. Tum quosdam Pauli locos, quos lib. II, n. 33 et 34, ad Spiritum sanctum retulit, permittit etiam ad Patrem et Filium referri. Hinc ab ipsis quærit, a quo Spiritu velint dona spiritalia proficisci. Ac demum illos eo perducit, ut negare non valeant, ministeria in Ecclesia ita a Deo esse posita, ut etiam a Christo dicantur constituta; adeoque Christum a Patre neque alterius esse potestatis, neque alterius naturæ. Itaque argumentum a num. 29 institutum ad hoc valet, ut dona, quæ Spiritus sancti vulgo nuncupantur, totius Trinitatis, ac nominatim ipsius Christi esse doceamur: ut quolibet modo Pauli verba interpretentur hæretici, iis tamen naturalis in Patre et Filio unitas confirmetur, Quod operosius demonstrandum duximus: quippe qui advertimus Hilarium non satis intellectum.

(*d*) Particula *si* omittitur in ms. Martin.

(*e*) Excusi hic addunt, *qui super omnia*: quæ verba non habent infra, lib. XI, initio, neque hic exstant in mss. quorum in nonnullis pro *et per omnes*, legitur *et super omnes*, in Carnutensi autem, *qui super omnes.*

(*f*) Sic mss. At editi, *unitatis.*

(*g*) Apud Par. desideratur *nisi.* Mox in aliis etiam edit. habetur *potest*, non *posset.*

(*h*) Vetustior e mss. Colb. *nisi Dominus crederetur.*

Et unus Dominus noster **239** *Jesus Christus per quem omnia, et nos per ipsum;* sinceritatem fidei salutaris in unius Dei et in unius Domini prædicatione demonstrans : ut nobis et unus Deus pater, et unus Dominus Jesus Christus in fide (*a*) esset. Non enim dictum ignorabat a Domino : *Hæc est enim voluntas patris mei, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam* (*Joan.* VI, 40). Sed fidei ecclesiasticæ ordinem ponens, et fidem nostram in Patre et Filio statuens, inseparabilis illius atque indissolubilis unitatis et fidei sacramentum locutus est, dicens : *Unus Deus, et unus Dominus.*

35. *Si Christus negatur Deus, quia unus Deus Pater; nec Pater Dominus, quia unus Dominus Christus.* — Ac primum extra apostolicum spiritum vivens, stultitiam tuam, hæretice, intellige. Si enim professionem unius Dei ad id usurpas, ne Christus Deus sit; quia ubi unus est, solitarius sit intelligendus, et id, (*b*) quod unus est, proprium ei sit ac singulare qui unus est : quid de eo profiteberis, quod Jesus Christus unus est Dominus? Si enim secundum te, quod unus Pater Deus est, Christo non (1) reliquit ut Deus sit : necesse est, ut etiam secundum te unus Dominus Christus Deo non relinquat ut Dominus sit; (2) quia quod unus est, proprium ei velis esse qui unus est. Si itaque unum Dominum Christum esse etiam Deum negabis, unum quoque Deum patrem esse negabis et Dominum : et quid erit in Dei virtute, nisi Dominus est, et in Domini potestate (3) (*c*), nisi Deus est; cum et Deum id perficiat esse quod Dominus est, et Dominum id constituat esse quod Deus est?

36. *Unus est uterque spiritu, non persona.* — Sed sacramentum dicti dominici Apostolus tenens, quod est :*Ego et Pater unum sumus* (*Joan*, X, 30), dum utrumque unum profitetur, unum utrumque (4) sic

(1) *Relinquit.*
(2) *Quia quod unum est.*
(3) *Proprietate.*
(4) Abest *sic* a nostro ms. Paulo post, *patitur* pro *patiuntur.*
(5) Lectio codicis Veronensis hæc est : *demonstratur in Domino, et uno Deo Patre unum significaret et*

significat, non ad solitudinem singularis, sed ad spiritus unitatem : quia unus Deus Pater et unus Christus Dominus, cum uterque et Dominus et Deus sit, **240** duos tamen in fide nostra nec deos (*d*) patiuntur esse nec dominos. Unus igitur uterque est : et unus cum sit uterque non solus est. Nec loqui sacramentum fidei nisi apostolica voce poterimus. Unus est enim Deus, et unus est Dominus : et per id, quod unus est Deus et unus est Dominus, in Deo demonstratur (*e*) et Dominus, sicut et Deus (5) demonstratur in Domino. (*f*) Non tenes unionem, ut Deus singularis sit : nec tamen dividis spiritum, ut uterque (*g*) non unus sit. Neque in uno Deo et in uno Domino discernere poteris potestatem : ne qui Dominus est, non sit et Deus; vel qui Deus est, non sit et Dominus. Cavit enim Apostolus, per eloquia nominum, duos vel deos prædicare vel dominos. Et idcirco usus est eo genere doctrinæ, ut in uno Domino (6) Christo unum significaret et Deum, et in uno Deo patre unum significaret et Dominum; (*h*) nec tamen (7) impiam nobis ad perimendam unigeniti Dei nativitatem inveheret unionem, et Patrem professus et Christum.

37. *Christum non modo Dominum, sed et Deum docuit Paulus.* — Nisi forte eo usque ultimæ desperationis furor audebit erumpere, ut quia Christum Dominum Apostolus dixerit, nemo aliud eum præter quam Dominum debeat confiteri, et habens Domini proprietatem, non habeat (*i*) Dei veritatem. Sed non ignorat Paulus Christum Deum, dicens : *Quorum patres, et ex quibus Christus*, (*k*) *qui est super omnia Deus* (*Rom.* IX, 5). Non hic creatura in Deum deputatur : sed creaturarum Deus est, qui super omnia Deus est.

38. *Distinxit illum a Patre, non divisit.* — Quam vero super omnia Deus (8) et inseparabilis sit (*l*) a

Dominum, non tenens unionem, ut Deus singularis sit; nec tamen dividens spiritum, ut uterque non unum sint.
paulo post, *poterit* pro *poteris.*
(6) *Jesu Christo.*
(7) *Impium*, mox *professus est.*
(8) *Et inseparabili a Patre sit Spiritu.*

(*a*) Lips. et Par. *essent :* renitentibus aliis libris.
(*b*) Unus codex Vatic. *quod unum.* Alter Sorbon. hic et infra, *quod unus est.* Verius in aliis, *unus*, quasi, *quod aliquis unus est.*
(*c*) In vulgatis ac pluribus mss. *proprietate.* Malumus cum Carnut. Martin. ac nonnullis aliis, *potestate;* cum hic non tam spectetur proprietas, quam natura.
(*d*) Ita mss. potiores : ubi in excusis et aliquot mss. *patitur.*
(*e*) Particulam *et*, quæ ut sæpe alibi perinde est ac *etiam*, restituimus ex mss. Hic verbum *demonstratur* idem sonat, quod *significatur.* Et plerumque infra eadem est verbi hujus vis.
(*f*) Editi, excepto Bad. nec non ms. Vat. bas. ac plerique alii hic adjiciunt, *ut* (vel *et*) *in uno Deo patre unum significaret et Dominum.* Quæ verba huc male interjecta sinceriores mss. Colb., Carn. et Germ. non habent, suumque infra locum recte obtinent.
(*g*) In Vulgatis ac pluribus mss. *non unum sint.* In Martin. *unum sint*, omissa particula negante. Rectius in aliis non inferioris notæ, *non unus sit*, supple *spiritus.*
(*h*) Editi, *ne tamen*, mox post verbum *professus* adjicientes substantivum *est.* Ex hoc alterove loco num. 55, ubi in edit. Bad. et vetustioribus mss. legere est *impium*, non *impiam*, nomen *unionis* Hilario masculini generis fuisse suspicamur.
(*i*) In antiquo codice Colbert. *Domini veritatem.* Proxime, *habens Domini proprietatem*, id est, cum proprium ei sit esse Dominum, quia scil. unus est. Ex hoc forsitan loco supra, n. 35, pro *potestate*, positum erat *proprietate* : sed non par ratio.
(*j*) In codice Vat. bas. ac Martin hic adjicitur, *secundum carnem.*
(*k*) Ita melioris notæ mss. At apud Bad. et Er. *a Patre spiritu :* apud Lips. et Par. *a Patris spiritu.*

Patre Spiritus, disce etiam hoc ipso de quo nunc agitur Apostoli dicto. Confessus enim unum Deum patrem ex quo omnia sunt, et unum Dominum Jesum Christum per quem omnia : quæro quid diversitatis attulerit, dicens ex **241** Deo omnia, et per Christum omnia (I *Cor.* VIII, 6) ? Anne (*a*) possit (1) separabilis a se naturæ et spiritus intelligi ex quo, et per quem omnia? Omnia enim per Filium ex nihilo substiterunt, et ad Deum *ex quo omnia*, ad Filium vero *per quem omnia* Apostolus (*b*) retulit. Et non invenio quid differat, cum per utrumque opus sit virtutis ejusdem. Si enim ad universitatis substantiam proprium ac sufficiens creaturis esset quod ex Deo sunt; quid habuit necessitatis memorasse, quod quæ ex Deo sunt, per Christum sint, nisi quod unum idem est, per Christum esse et ex Deo esse ? Sed quemadmodum (*c*) Dominum et Deum utrique eorum, ut mutuum esset, adscriptum est : ita *ex quo* et *per quem* relatum ad utrumque est, et ad demonstrationem unitatis utriusque, nec ad intelligentiam singularis. Non patet ad occasionem impietatis (2) ipsius (*d*) sermo, et apostolica fides non est extra prædicationis diligentiam. His enim se verborum proprietatibus temperavit, quibus nec duos deos intelligeretur significare, neque unicum : dum et unionem detestatur, nec separat unitatem, hoc enim *ex quo omnia*, et *per quem omnia*, licet non singularem constitueret in potestate virtutis, non tamen diversum demonstraret (3) in (*e*) efficientia ; cum *ex quo omnia*, et *per quem omnia*, ejusdem naturæ; ad id demonstraret auctorem. Utrumque autem ejusdem naturæ proprium esse declarat. Namque post illud divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei protestatum profundum, (4) et inscrutabilium judiciorum confessam (*f*) inintelligentiam (*Rom.*, XI, 33), et ininvestigabilium viarum demonstratam ignorationem, humanæ tamen fidei usus officio, hunc honorem investigabilium et inscrutabilium **242** cœlestium sacramentorum profundo reddidit, dicens : *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula* (*g*) *amen* (*Ibid.*, 36) : id nunc ad unius naturæ significationem referens, quod non nisi opus unius possit esse naturæ.

39. *Epilogus : ex prædictis Pauli locis quid confectum sit.* — Cum enim specialiter Deo id adscripserit, ut ex eo omnia ; et proprium Christo detulerit, ut per eum omnia ; et nunc honor Dei sit, quod ex ipso et per ipsum et in ipso sint omnia ; et cum Spiritus Dei idem sit et Spiritus Christi ; vel cum (*h*) in ministerio Domini et (5) in operatione Dei Spiritus unus operetur et dividat, non possunt non unum esse, quorum propria unius sunt ; cum in eodem Domino Filio, et in eodem Deo Patre, unus atque idem Spiritus (6) in (*i*) eodem Spiritu sancto dividens, universa perficiat. O dignus ille magnorum et cœlestium arcanorum conscientia, et assumptus secretorum divinorum electusque particeps, ea ipsa (*j*) illiciti eloquii silentio necessario tacens, et vere Apostolus Christi, quali humanæ perversitatis ingenia absoluti sermonis sui prædicatione conclusit, unum Patrem Deum, et unum Dominum Jesum Christum confitendo; ut inter hæc (7) nec duos (*k*) quisquam possit prædicare, neque unicum : cum tamen qui non unicus est, non

(1) *Separabili a se natura et spiritu.*
(2) *Pius sermo.* Paulo post, *ut nec duos* pro *quibus nec duos.*
(3) *In efficientiæ potestate.*
(4) *Et inexscrutabilium.* Mox *et ininvestigabilium*, quod prætulimus superiori lectioni, *investigabilium.* Deinde *imperscrutabilium.*
(5) *In spiritu Dei.*
(6) *In eo Spiritu sancto.*
(7) *Nec duos Deos quisquam posset.*

(*a*) Ms. Corb. ab antiqua manu secunda, *possint.* Deinde in excusis, *separabilis a se natura et spiritus.* In omnibus fere mss. *separabili a se natura et spiritu* : quibus verbis Carn. præpositionem *in* præfixam habet. Sequimur exemplar Vat. bas. quamvis cæterorum lectionem haud aliud sonantem non respuamus.

(*b*) Editi, *retulerit.* Melius mss. *retulit.* Has voces, *ex quo omnia*, ad Patrem, istas vero, *per quem omnia*, ad Filium retulisse Apostolus enarratur. Mox Bad. et Er., *cum utrumque apposuit* (duo mss. *cum per utrumque opposuit*) *virtutis ejusdem* : mendose.

(*c*) Vat. bas. ms. *per Dominum.* Malumus simpliciter *Dominum*, tacito verbo *esse.*

(*d*) Editi excepto Par. cum aliquot mss. *pius.* Retinemus cum vetustioribus *ipsius*, id est Apostoli : ubi pessime in mss. Vat. bas., *suæ.*

(*e*) Ita castigatiores mss. Editi vero, *in efficientiæ potestate.* Martin. ms. *in efficientiæ potestatem.*

(*f*) Bad., Par. ac plures mss., *intelligentiam* : castigantur ex Er., Lips. et mss. Corb. Mox reposuit Erasmus *ininvestigabilium*, cum in mss. et Bad. exstet *investigabilium.* Illi tamen suffragatur unus ms. Colb., lib. x, n. 69. Usu porro vel abusu experimur nomen *investigabilis* vim obtinere negandi, quamvis verbum *investigare* habeat affirmandi.

(*g*) Ita veterrimi mss. Vat. bas., Colb., Martin., etc., consentiente sacro textu græco et latino. At in excusis, *sæcula sæculorum*, omisso *amen.*

(*h*) In duobus mss. Colb., uno Remig. et Theod., *vel cum in ministerio Spiritus Domini, et in operatione Spiritus Dei Spiritus unus*, etc., quæ lectio, etiam ad limbum ms. Corb. ab antiqua manu adscripta, non displicet hoc sensu, ut licet in ministeriis dividendis Spiritus sit Domini, et in largienda operatione Spiritus Dei, unus tamen Spiritus et operetur et dividat. In vetustiore Colb. necnon Martin., Carn., Germ., Vind., Corb. et uno Vatic., *cum in ministerio Domini, et in Spiritu Dei Spiritus unus.* Ex quibus apud Par. positum est, *cum in ministerio Domini, et in operatione Dei, et in Spiritu Dei Spiritus unus.* Lectionem quam revocamus ex aliis edit. et aliquibus mss. confirmant hæc num. 31 : *Apprehende, si potes, Domini num in divisione ministeriorum, et Deum in divisione operationum hunc eumdem unum esse Spiritum, et inoperantem, et prout vult dividentem.*

(*i*) Bad., Er. et Lips. *in eodem Spiritu*, sine *sancto.* Carnut. codex, *in Spiritu sancto*, sine *eodem*, cujus vocis tres litteræ posteriores in antiquo Colb. prisco more expunctæ sunt, id est, punctis subjectis superfluæ indicantur. Unde Martin. et alii mss. prope omnes habent, *in eo Spiritu sancto.*

(*j*) Hoc est, quæ sunt illiciti eloquii, seu quæ non licet eloqui. Ne vero legeris cum cod. Vat. bas. *illicita eloqui*, neve deinde præferas cum Vind. necnon Bad. et Er., *statuens*, vel cum uno Colb. *parens*, pro *tacens.*

(*k*) In cod. Vat. bas., Martin., aliisque duobus Vatic. *duos deos.* Abest ab aliis *deos* : cum qua voce suppressum intelligere est *aut dominos*, puta, *nec duos deos aut dominos.*

in duos proficeret; nec qui duo non sunt, solitarius posset intelligi; et inter hæc perfectam Christi nativitatem pater demonstratus ostenderet!

40. *Hæreticis nec fides, nec spes, nec baptisma.* — Extendite nunc vibratas sibilis linguas, hæretici serpentes, sive Sabelli, sive Photine, sive qui nunc creaturam esse unigenitum Deum prædicatis. Audiet unum Deum patrem, quisquis negat filium: quia cum Pater non nisi per filium pater sit, Filius **243** per id significatur in Patre. Qui vero unitatem naturæ indifferentis Filio adimit, cognoscat unum Dominum Jesum Christum. Nisi enim per unitatem Spiritus unus est Dominus, Deo patri non relinquetur ut Dominus sit. At qui de tempore atque ex carne Filium deputat, cognoscat quia per eum omnia, et nos per ipsum; et extra (*a*) tempora sit condens omnia intemporalis immensitas. Et interea relegat, quia una spes vocationis est, et unum baptisma, et fides una. Et post hæc adversans prædicationi Apostoli ipse anathema constitutus, cum aliter ex sensu suo sapiat, nec vocatus, nec baptizatus est, nec fidelis: quia in uno Deo patre, et in uno Domino Jesu Christo unius spei atque baptismi fides una sit. Nec doctrinarum diversitas in his se esse poterit gloriari, quæ unius et Dei et Domini et spei et baptismi sint et fidei.

41. *Fides de Patre et Filio.* — Una igitur fides est Patrem in Filio et Filium in Patre per inseparabilis naturæ unitatem confiteri, non confusam, sed indiscretam: neque permixtam, sed indifferentem; neque cohærentem, sed exsistentem; neque incon- summatam, sed perfectam. Nativitas est enim, non divisio; et filius est, non adoptio; et Deus est, non creatio. Neque alterius generis Deus est, sed Pater et Filius unum sunt: non enim innovata est natura nascendo, ut ab originis suæ proprietate esset aliena. (*b*) Tenet hanc itaque manentis in Patre Filii et Patris in Filio fidem, unum Deum patrem et unum Dominum Christum sibi esse Apostolus prædicans: cum in Domino Christo et Deus esset, et in Deo patre esset et Dominus; et unum esset uterque quod Deus est, et unum esset uterque quod Dominus est: quia (*c*) imperfectum et Deo, nisi Dominus sit, et Domino intelligatur esse, nisi Deus sit. Atque ita cum uterque unus est, et unus significatur in utroque, et non est uterque sine uno; non excedit evangelicam prædicationem Apostolus docens, nec loquens in Paulo Christus diversus ab his est (*post ad-*

A *scensionem in cœlum*) quæ corporeus in mundo manens locutus est.

42. *Filius hominis vitam æternam dat, quia signatus a Patre.* — Dixerat enim in Evangeliis Dominus: **244** *Operamini escam, non quæ interit, sed escam quæ permanet in vitam æternam, quam filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater* (*d*) *signavit Deus. Dixerunt igitur ad eum: Quid faciemus, ut operemur opera Dei? Et dixit illis: Hoc est opus Dei, ut credatis* (1) *in eum*(*e*), *quem misit ille* (*Joan.*, VI, 27 *et seqq.*). Sacramentum et corporationis et divinitatis suæ Dominus exponens, fidei quoque nostræ et spei doctrinam locutus est: ut escam non intereuntem, sed permanentem in æternum operaremur, ut hanc æternitatis escam dari nobis a filio hominis meminissemus, ut fi- B lium hominis signatum a Deo patre sciremus, ut hoc esse opus Dei nosceremus, credere in eum quem misisset. Et quis est, quem Pater misit? Nempe quem signavit Deus. Et quis est, quem signavit Deus? Filius utique hominis, escam scilicet præbens vitæ æternæ. Et qui tandem sunt, quibus præbet eam? (*f*) Illi namque qui operabuntur escam non intereuntem. Atque ita quæ opera escæ est, eadem operatio Dei est, in eum scilicet credidisse quem misit. Sed hæc loquitur filius hominis. Et quomodo escam vitæ æternæ filius hominis dabit? Sed sacramentum salutis suæ nescit, qui nescit filium hominis dantem escam in vitam (2) (*g*) æternam, a Deo patre esse signatum. Hic nunc quæro, qui tandem intelligentiæ sensus sit, filium hominis a Patre signatum Deo?

C 43. *Deus sermonem suum sensui nostro accommodat. Filius æqualis Patri. Deus est incompositus.* — Ac primum cognosci oportet Deum non sibi, sed nobis locutum, et in tantum ad intelligentiam nostram eloquii sui temperasse sermonem, quantum comprehendere ad sentiendum naturæ nostræ (3) possit infirmitas. Namque cum superius increpatus a Judæis fuisset, cur se æqualem Deo, filium se Dei profitendo, fecisset (*Joan.*, V, 18); responderat omnia se, quæ faceret Pater, facere (*Ibid.*, 19 *et seqq.*); et omne se a Patre adeptum esse judicium; etiam se, ut Patrem, honorandum. Et in his omnibus, professus ante (4) se filium (*h*), Patri exæquaverat honore, potestate, natura. Dehinc dixerat, ut Patrem vitam in se habere, ita eum Filio vitam in se habendam dedisse (*Ibid.*, 26): D in quo significaverat naturæ ejusdem per sacramentum nativitatis unitatem. Per id enim, quod habet Pater, (*i*) ipsum illum **245** significavit in habendo:

(1) *Ei.*
(2) *Æternam* deest in ms. Veron.

(3) *Posset.* Mox, *increpitus.*
(4) *Se filium Patris*, etc.

(*a*) Post *tempora*, frustra additur in codice bas. Vat., *temporalis.*

(*b*) Sic mss. Editi vero hic, *tenens:* ac postea, *prædicat.*

(*c*) Editi, *imperfectum esset Deo;* et mox, *deesse* pro *esse:* castigantur auctoritate mss.

(*d*) In plerisque veteribus libris, *significavit:* librariorum lapsus ex affinitate vocum etiam in prius vulgatis infra non semel repetitus. In græco, ἐσφράγισεν.

(*e*) Ita Carnut. codex suffragante græco, εἰς ὃν. At in Martin., *ut credatis eum,* in aliis, *ut credatis ei:* infra autem in omnibus, *credere in eum.*

(*f*) Lips, et Par., *illis nempe;* et mox cum Bad. et Er., *quæ operatio escæ:* renitentibus mss.

(*g*) Abest *æternam* a plerisque mss.

(*h*) Editi, *se filium Patris:* emendantur ex mss.

(*i*) In vulgatis, *ipsum illud significat.* At in vetustioribus libris: *ipsum illum significavit.* Tum ex mss. Vat. bas., Martin., duobus Colb. et uno Sorbon. subjicimus *in habendo*, adjecta particula *in*, quæ deest

quia non humano modo ex compositis Deus est, ut in eo aliud sit quod ab eo habetur, et aliud sit ipse qui habeat : sed totum quod est, vita est, natura scilicet perfecta et absoluta et infinita, et non ex disparibus constituta, sed vivens ipsa per totum. Quæ cum qualis habetur, talis et data est, etsi nativitatem ejus intelligatur significare cui data est; non tamen diversitatem generis affert, cum talis data est, qualis et habetur.

44. *Quo sensu filius hominis a Patre signatus.* — Post hanc ergo tam multiplicem ac propriam demonstrandæ in se paternæ naturæ significationem (*a*) (1), usus hoc dicto est : *Hunc enim Pater signavit Deus* (*Joan.* VI, 27). Signaculorum natura ea est, ut omnem impressæ in se speciei explicent formam, et nihil minus ex eo in se habeant unde signentur : et dum totum accipiunt quod imprimitur, totum ex se præferunt quidquid impressum est. Verum hoc (*Istud* hoc *refer ad sequentia*) ad divinæ nativitatis non proficit exemplum, quia in signaculis et materies sit et diversitas et impressio, (2) per (*b*) quæ mollioribus naturis validiorum generum species imprimuntur. Unigenitus vero Deus, et per sacramentum salutis nostræ hominis filius, volens proprietatis nobis paternæ in se significare speciem, signatum se a Deo ait : et hoc ideo, quia vitæ æternæ escam filius hominis esset daturus ; ut per hoc potestas in eo dandæ ad æternitatem escæ intelligi posset, quia omnem in se paternæ formæ plenitudinem signantis se Dei contineret ; ut quod signasset Deus, non aliud ex se quam formam Dei signantis efferret. Hæc quidem ad Judæos Dominus ob infidelitatem suam dicti istius incapaces locutus est.

45. *Signatum a Deo exponit Paulus dicens in Dei forma.* — Sed nobis Evangelii prædicator proprietatis hujus intelligentiam Spiritu Christi per se loquentis insinuat, dicens : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est* (3) *esse se æqualem Deo, sed se exinanivit, formam servi accipiens* (*Philip.* II, 6, 7). Quem enim signaverat Deus, aliud præter quam Dei forma esse **246** non potuit : (*c*) et id, quod signatum in Dei forma est, hoc necesse est totum in se coimaginatum habere, quod Dei est. Et idcirco Apostolus eum, quem signavit Deus, in Dei forma manentem Deum prædicavit. Nam assumpti et connati in eo corporis sacramentum locuturus ait, *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed se exinanivit, formam servi accipiens.* Quod enim in forma Dei erat, per signantem se Deum Deus manebat. Sed quia suscipienda erat forma servi, et obediens esset futurus ad mortem ; non sibi rapiens esse se æqualem Deo, (4) ad susceptionem (*d*) se formæ servilis per obedientiam exinanivit. Exinanivit autem se ex Dei forma, id est, ex eo quod æqualis Deo erat : non tamen æqualem se Deo per rapinam existimans, quamvis in forma Dei, et æqualis Deo, per Deum Deus signatus exstaret.

46. *Christus verus Deus, etiam post assumptum hominem : quanto magis ante.* — (*e*) Hic nunc quæro, utrum alterius generis Deus est, qui in forma Dei Deus maneat, ut secundum consignatas consignantesque species (5) in (*f*) sigillis cernimus, cum impressum plumbo ferrum, et gemma ceræ, speciem vel concavæ in se imaginis fingat, vel exstantis de se exprimat formæ ? Sed si quis exstiterit tam stultus et vecors, ut putet quod aliud ex se Deus in Deum quam Deum formet ; et qui in forma Dei sit, aliud aliquid totus ipse quam Deus sit, post sacramenta hominis assumpti (*Vide tract. in Psal.* II, *n.* 27, *in notis*), et per obedientiam consummatæ usque ad crucis mortem humilitatis : audiet, cœlestium et terrestrium et infernorum et omnis linguæ confessione, Jesum in gloria Dei patris (*Ibid.*, 10). In hac igitur gloria, si cum jam (*g*) forma servilis fuerit, manebit ; tum

(1) *Ad Apostolos, usus.*
(2) *Per quas.*
(3) Verbum *esse* abest a nostro codice, ut et infra, ubi hic Pauli locus repetitur.
(4) *Ad adsumptionem.*
(5) *In signaculis.*

in aliis libris. Hoc porro sic videtur intelligendum : *significavit* Christus *illum*, puta Patrem, esse *ipsum in habendo*, seu non aliud esse in re quæ habetur, quam quod est in seipso : ut videlicet illud, *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, sic exponat Hilarius, quasi, sicut habet vitam in se ipso sitam, et quæ ipse sit : *quia non aliud sint, quam quod est ipse, quæ sua sunt*, ut vidimus supra, num. 24. Cum autem Filius eadem ratione vitam in semetipso habere dicatur ; eum pariter unum cum Patre Deum esse, postea non inepte concludit. Verum hic secum pugnare nonnullis videbitur sanctus Doctor, qui lib. II, n. 32, probare volens non unum esse Spiritum Dominum et Spiritum Domini, ait : *Non enim habere haberique unum est.* At in promptu est responsio, libro II, de personis sermonem esse, hic autem de natura, cujus summa simplicitas superius, num. 24, diserte propugnatur.

(*a*) In vulgatis hic præmittitur *ad Apostolos* : quod removimus auctoritate optimi codicis Colb. ac Germ. necnon evangelici textus, quo Christus hunc ad turbam sermonem habere perhibetur. Imo Hilarius ipse postremis hujus num. verbis hæc *ad Judæos* dicta affirmat.

(*b*) Editi cum ms. Corb. *per quam.* At in codice Vat. bas. *per quem* : ex quo legendum duximus *per quæ*, nisi quis malit cum plerisque aliis *per quas.*

(*c*) Editi, *et ideo :* dissidentibus potioribus mss.

(*d*) In prius vulgatis desideratur *se.* Mox apud Par. non repetitur verbum *exinanivit :* in aliis autem edit. repetitur quidem, sed præfixa particula negante ex unius dumtaxat recentioris ms. Colb. fide et contra sententiam Hilarii. Ut enim habet in Psal. LXVIII, n. 25 : *In forma servi veniens* (Christus) *evacuavit se a Dei forma :* et n. 4, *Porro autem hauriendæ fuit natura cœlestis* (hoc est, divina) *ut exinaniens se ex Dei forma, in formam servi hominisque decideret*, etc.

(*e*) Editi, *hic nunc non quæro :* emendantur ex scriptis.

(*f*) Sic ms. Vatic. bas. codex et Martin. favent-ibus aliis vetustioribus, in quibus mendose exstat *in singulis.* Alii vero præferunt *in signaculis :* cujus vocis usus exstat supra, n. 44, ubi jam præmonuit Hilarius sigilla cum divina nativitate minime eatenus esse comparata, quod inter consignatas consignantesque species intercedat naturæ diversitas.

(*g*) Aliquot mss. *formæ servilis.* Nil immutandum.

cum in forma Dei esset, quæro quid manserit? A utrumne in natura Dei, quæ significatur in gloria, (1) Christus (*a*) Spiritus fuerit; cum in gloria Dei patris Christus Jesus, id est, (*b*) homo natus exstabit?

47. *Deus unus, non unicus.* — Tenet in omnibus beatus Apostolus fidei evangelicæ indemutabilem prædicationem, **247** ita Dominum Jesum Christum Deum prædicans, ut neque per alterius generis Deum in deos duos fides apostolica depereat, neque inseparabilis a Patre Filius Deus unici (*c*) ac singularis Dei prædicandi occasionem impiam præbeat. Dicens enim, *in forma Dei, et in gloria Dei patris*, neque differre docuit, neque non exsistentem nos existimare permisit. Nam qui in forma Dei est, neque in alterum Deum proficit, neque etiam ipse non Deus est: quia nec separari potest a Dei forma, cum in ea sit; nec qui in Dei est forma, non Deus est. Sicut qui in gloria Dei est, non potest aliud esse quam Deus est; et dum in gloria Dei Deus est, alterius Dei atque a Deo diversi non habet prædicationem; quia per id, quod in gloria Dei est, ex eo in cujus gloria est, habet in se naturale quod Deus est.

48. *Christus ut imago Dei, non alterius est naturæ.* — Non periclitatur, per plures prædicationes fides una, ne una sit. Evangelista enim dictum a Domino docuerat, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Sed numquid doctor gentium Paulus virtutem dicti dominici aut ignoravit, aut tacuit, dicens: *Qui est imago Dei invisibilis* (*Coloss.* I, 15)? Interrogo (*d*) utrum visibilis imago est invisibilis Dei: et utrum infinitus Deus (*e*) per formæ circumscriptæ imaginem coimaginari possit ad speciem? Imago enim formam necesse est ejus reddat, cujus et imago est. Qui volunt autem alterius generis in Filio esse naturam, constituant cujusmodi Filium imaginem esse invisibilis Dei velint. Anne corpoream, et contemplabilem, et ex locis in loca motu incessuque circumvagam? Meminerint tamen (*f*), secundum Evangelia et prophetas, et Christum spiritum et Deum spiritum. Qui **248** si circumscribent hunc spiritum (*g*) Christum formabili et corporali modo; non erit invisibilis Dei (*h*) imago corporeus, nec indefiniti species definita moderatio.

49. *Imago Dei est, quatenus ei divinæ naturæ virtus.* — Sed neque Dominus incertum reliquit, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); neque Apostolus tacuit qualis esset, *Qui est imago Dei invisibilis* (*Coloss.* I, 15). Dominus enim dixerat, *Si non facio opera patris mei, nolite mihi credere* (*Joan.* XVI, 37), hinc videri in se Patrem docens, quod opera ejus efficeret; ut intellecta naturæ virtus naturam intellectæ virtutis ostenderet, per quod Apostolus hanc imaginem Dei esse significans, ait, (*i*) *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quia in ipso* (*j*) *constituta sunt omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Principatus, sive Potestates, sive Dominationes, omnia per ipsum et in ipso condita sunt, et ipse est ante omnes, et omnia* (*k*) *ipsi constant, et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est initium, primogenitus ex mortuis, ut fieret in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem* (*l*) *habitare, et per*

(1) In codice Veron. *Christus* a prima manu, sed secunda antiqui amanuensis emendavit *Christi.*

(*a*) Editi, *Christi spiritus:* renitentibus potioribus mss. Porro opponitur Christus Spiritus, id est, qualis fuit ante assumptum hominem, Christo homini jam facto. Ita hæc quæstio, lib. III, n. 19: *Quæris quomodo secundum Spiritum natus sit Filius*, aperte opponitur isti: *Quæris quomodo secundum hominem natus sit.* Sic Clemens Papa, epist. II, c. 9, T. I Concil. p. 186: *Jesus Christus*, inquit, *Dominus noster, qui nos servavit, cum primum esset Spiritus, caro factus est.*

(*b*) In ms. bas. Vat. desideratur *id est homo:* apud Bad. autem et Er. verbum *natus.* Tum Lips. et Par. post Er. retinuere *exstaret:* cum apud Bad. et in mss. concinnius legatur *exstabit*, ut paulo ante dictum est *manebit.* In memoriam revocandum ex cap. 4 in Matth. n. 14, quod *Jesus Domino nostro nomen ex corpore est.*

(*c*) Exemplar Carn. *ac solitarii Dei:* haud alio sensu.

(*d*) Apud Bad. *utrum visibilis Deus, et utrum*, etc., locus mutilus. In aliis edit., *utrum visibilis imago est invisibilis Dei Deus.* Abundat vox *Deus*, neque exstat in mss. Hæc interrogatio pulsat Arianos, qui Filium Patri inæqualem inde argutabantur, quod Filium visibilem, Patrem invisibilem animo fingerent: quorum ea de re deliria sigillat Augustinus, lib. II de Trin. c. 14, et Serm. VII, n. 4. Hoc porro hic sibi vult noster Hilarius: Vos qui Patrem invisibilem, Filium visibilem vultis, interrogo utrum qui visibilis est, Dei invisibilis imago esse possit.

(*e*) In vulgatis, *per formam circumscriptam et imaginem.* In vetustis exemplaribus Colb., Carn., Germ. ac pluribus aliis, *per formæ imaginem*, omisso verbo *circumscriptæ:* quod in Martin. exstat, et in Corb. secundis curis adjectum est, unde et in aliis obtinuit. Nil officit adjectum; cum proxime sequatur, *Qui si circumscribent*, etc., neque omnino necessarium est, ut liquet ex his num. 49, *Ac ne formæ potius, quam naturæ imago esse*, etc. Ex quibus intelligitur, eam dici *formæ imaginem*, quæ externæ tantum figuræ speciem repræsentet, eique opponi *imaginem naturæ.*

(*f*) Post particulam *tamen*, solus codex Carn. adjicit, *per Filium omnia:* minus ad rem. Responsio proximæ quæstioni hæc est, Christum non esse corpoream imaginem, ut pote qui spiritus est, quemadmodum Deus pater est spiritus.

(*g*) Editi excepto Par. omittunt *Christum.* Tum apud Lips. et Par. substitutum est *formali*, pro *formabili.*

(*h*) Ita meliores mss. quod confirmatur his lib. II, num. 5: *Incorporeus Pater est: si Filius secundum spiritum circumscriptus est corpore, jam incorporei non est forma corporeus.* At in vulgatis, *imago corporea:* ac deinde apud Bad., *nec indefinite species definitæ moderatio;* et in edit. aliis, *nec indefinita species definita moderatio.*

(*i*) Antiquus codex Colb. ac Germ. prima illa verba, *Qui est imago Dei invisibilis*, non habentes, aliis forsitan sinceriores sunt. Sed nihil nocet hæc adjectio.

(*j*) In ms. Carn. hic pro *constituta sunt*, et mox pro *condita sunt*, exstat *creata sunt.* Græce primo loco præfertur ἔκτίσθη, altero ἔκτισται.

(*k*) Editi, *in ipso constant*, favente græc. ἐν αὐτῷ συνέστηκε, sed renitentibus mss.

(*l*) In ms. Carn. hic et infra, *plenitudinem divinitatis:* cui favet illud lib. III, n. 15: *Quid Filio de-*

ipsum reconciliari omnia in eum (*Coloss.* I, 15 *et seqq.*). Per horum igitur operum virtutem imago Dei est. Nam utique invisibilium Conditor non est in ea naturæ necessitate, ut invisibilis Dei imago visibilis sit. Ac ne formæ potius, quam naturæ imago esse (1) intelligeretur; idcirco invisibilis Dei imago est, natura in eo Dei per naturæ suæ virtutem intelligenda, (*a*) non invisibili qualitate.

50. *Qui primogenitus, qui primatum in omnibus tenens.* — Primogenitus itaque omnis creaturæ est, quia in ipso creata omnia sunt. Et ne quod in ipso creata omnia sunt, non ad ipsum quisquam auderet referre, ait, *Omnia per ipsum et in ipso condita sunt, et ipse est* **249** *ante omnes, et omnia ipsi constant* (*Ib.*, 17). Omnia itaque ipsi constant, qui ante omnia est, et in quo omnia sunt. Et hæc quidem ad exordia pertinent creaturarum. Cæterum (*b*) ob dispensationem corporis nostri ait: *Et ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est initium, primogenitus ex mortuis, ut fieret in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem habitare, et per ipsum omnia reconciliari in eum* (*Ibid.*, 18 *et seqq.*). Reddidit Apostolus spiritalibus (*c*) sacramentis corporeas operationes. Namque qui imago Dei invisibilis est, (*d*) et ipse est caput corporis Ecclesiæ: et qui primogenitus omnis creaturæ est, idem initium, primogenitus ex mortuis est: ut in omnibus teneat primatum, dum nobis (*e*) corpus est, qui Dei imago est; dum qui primogenitus creaturæ est, idem primogenitus ad æternitatem est, ut cui spiritalia debent, (*f*) in primogenito creata, quod maneant; ei et humana debeant, quod in primogenito ex mortuis renascantur æterna. Ipse est enim initium, qui cum filius sit, imago (*g*) est; (2) cum imago est, Dei est. Primogenitus quoque (*h*) omnis creaturæ est, continens in se universitatis exordium. Et rursum ipse caput corporis Ecclesiæ est, et primogenitus ex mortuis, ut in omnibus teneat ipse (*i*) primatum. Et quia omnia ei constant, in ipso complacita plenitudo consistit; dum in eo per ipsum (*j*) in eum reconciliantur omnia, in quo per ipsum in ipso omnia sunt creata.

51. *Imago Dei est, quatenus omnia in eo creantur. Creatio ut reconciliatio et Patris et Filii est.* — Sentisne jam quid sit esse imaginem Dei? Creari utique omnia (3) in (*k*) eo per eum. Cum in eo creantur omnia, intellige etiam eum cujus imago est creantem in eo omnia. Cum autem quæ in eo creantur, per ipsum creantur; in hoc quoque, qui imago est, naturam ejus cujus imago est (*l*) inesse **250** cognosce. Per se enim creat, quæ in ipso creantur: sicuti per ipsum reconciliantur in eo omnia. Cum in eo reconciliantur, paternæ in eo (*m*) unitatis apprehende naturam reconciliantem sibi in eo omnia. Cum per eum reconciliantur omnia, ipsum Patri reconciliantem in se omnia quæ per se reconciliabat intellige. Ait enim idem Apostolus: *Omnia autem a Deo, qui reconciliavit nos sibi per Christum, et dedit nobis* (*n*) *ministerium invisibilis non referret.*

(1) *Intelligatur*; paulo post, *non visibili qualitate.* Cum his confer quæ leguntur libro XI, num. 5, scilicet, *qui in substantia conspicabili imaginem naturæ erat, in quo complacuerat omnem plenitudinem divinitatis habitare?* Vide et num. 17 ejusdem libri.

(2) *Cum imago, Dei est.*

(3) *In eo et per eum.*

(*a*) Vat. bas. ms., *non invisibilis qualitate.* Bad., *sed non visibilis qualitate.* Er., Lips. et aliquot mss., *non visibili qualitate.* Verius Par. cum potioribus, *non invisibili qualitate*: hoc est, invisibilis illa imago intelligi non debet in invisibili qualitate sita, sed in ipsa substantia ac natura Dei: *quia*, uti lib. V, n. 5, dicitur, *naturæ virtus præstat* ac probat *veritatem.* Nec dubium est imagini illi divinam inesse virtutem, cui omnia creandi potestas ab Apostolo attribuitur. *Imago itaque illa*, ut notitia illius ex Ambrosio, lib. I de Fide c. 7, suppleatur, *non vultus est corporalis, non fucis composita, non ceris; sed simplex de Deo, egressa de Patre, expressa de fonte.* Et post pauca: *Imago ista veritas est, imago ista justitia est, imago ista Dei virtus est; non muta, quia verbum est; non insensibilis, quia sapientia est; non inanis, quia virtus est; non vacua, quia vita est*, etc.

(*b*) In vetusto codice Colb. ac Germ., *ob dispositionem.*

(*c*) Editi excepto Par., *spiritalibus sacramentum concorporationis* (Lips. *corporationis*). *Namque*, etc. Rectius mss. *spiritalibus sacramentis*, etc., hoc est, operationibus, quæ spiritalem ac divinam Christi naturam spectant, subjunxit quæ ad corpoream et humanam attinent.

(*d*) Excusi, *ipse*, sine *et*, quod hic aptius significat naturarum in una eademque persona distinctionem.

(*e*) Ita omnes prope mss., quomodo supra, n. 32, *corpus omnium* Christus prædicatur. At in codice bas. Vat. et Martin. *corporeus*, in edit. Par., *corporalis*, in aliis *concorporalis.*

(*f*) Tres mss. Colb. *in primogenita*, mendose. Mox in aliquot recentioribus, nec non apud Er. et Bad., *vitæ renascantur æternæ*: minus sincere. *Spiritalia* intelligere est angelos vel etiam homines secundum animam, *humana* autem saltem hominum corpora. Angeli debent Christo *quod maneant*, id est, non intereant. Ut enim docet Ambrosius, lib. III de Fide, c. 3: *nec Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est Creatoris.*

(*g*) Ita mss. nisi quod in pluribus deest primum illud *est.* At in vulgatis desideratur præterea, *cum imago est.*

(*h*) In Martin. et aliquot veteribus libris omittitur *omnis.* Quod hic brevius, sic exponitur clarius Fragm. II, n. 30: *Idcirco primogenitus omnis creaturæ, quia in eodem jam a principio omnium quæ efecturus erat, omnia generationum initia constiterunt.*

(*i*) Apud Bad. et Er., *primatum capitis.* In uno e ms. Vatic. *primatum charitatis*: glossema. In Colb. et Germ., *teneat primatus.*

(*j*) In vulgatis, *et in eum.* Abest particula *et* ab omnibus mss. In pluribus autem desideratur *in eum.* Non prorsus displicet cum Colb. et Germ. *per ipsum eum.* Postea iidem mss. *in eo*, pro *in quo.* Tum editi, *per ipsum et in ipso*: ubi particula *et* abest a mss.

(*k*) Excusi, *in eo et per eum.* Tum ms. Colb., *cum in eum recreantur*; et mox, *quæ in eum creantur.* Utroque loco habet etiam Martin. *in eum.*

(*l*) Verbum *inesse*, quod in prius vulgatis desideratur exstat in omnibus mss. at corrupte *in se esse.*

(*m*) Er. et Lips. *virtutis*, duo mss. *nativitatis.*

(*n*) Bad. cum ms. Vat. bas. *musterium*, mendose.

reconciliationis; quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (I *Cor.* v, 18, 19). Confer cum his omne evangelicæ fidei sacramentum. Qui enim videtur in viso, qui operatur in operante, qui loquitur in loquente, idem in reconciliante reconciliat (*Joan.* xiv, 9, 10). Et idcirco in eo et per eum reconciliatio est, quia per indifferentem naturam Pater in eo manens, mundum sibi ipse per eum et in eo (*a*) reconciliatione reddebat.

52. *Unitatem suam cum Patre quam potuit aptius Christus declaravit.* — Consulens itaque humanæ infirmitati Deus non incerta verborum nuditate fidem docuit. Namque cum credendi necessitatem dicti dominici auctoritas sola præstaret, tamen sensum nostrum per intelligentiam editæ rationis instituit : ut id quod dixerat : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), per causam ipsam unitatis expositæ nosceremus. Dicens enim se per loquentem loqui, et per operantem operari, et per judicantem judicare, et per visum videri, et per reconciliantem (1) reconciliare (*b*), et manere se in eo qui in se maneret : quæro quo alio ad intelligentiæ nostræ sensum expositionis suæ uti potuerit (*c*) aptiore sermone, ut unum esse intelligerentur, quam isto, quo per nativitatis veritatem, et naturæ unitatem, quidquid Filius ageret ac diceret, id in Filio Pater et loqueretur et gereret? Non est hoc itaque naturæ (*d*) a se alienæ, neque per creationem **251** in Deum comparatæ, neque ex portione Dei in Deum natæ; sed perfecta nativitate in Deum perfectum genitæ divinitatis, cujus hæc naturalis conscientiæ fiducia est, ut dicat : *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* xiv, 11) : et rursum : *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt* (*Joan.* xvi, 15). Nihil enim ei ex Deo deest, quo operante et loquente et viso, Deus et operatur et loquitur et videtur. Non sunt duo (supple, *naturis distincti*) in unius vel operatione, vel sermone, vel visu. Nec solitarius Deus est, qui in operante et loquente et viso Deo, Deus et operatus et locutus et visus sit. Hoc Ecclesia intelligit, hoc Synagoga non credit, hoc philosophia non sapit, unum ex uno, et totum a toto, Deum et filium, neque per nativitatem Patri ademisse (*e*) quod totum est, neque hoc ipsum totum non secum nascendo tenuisse. Et quisquis in hac infidelitatis stultitia detinebitur, aut Judæorum sectator, aut gentium est.

53. *Sapientia humana. Elementorum mundi et Christi discrimen.* — Ut autem dictum Domini intelligas quo ait : *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt;* Apostoli et doctrinam et fidem disce dicentis : *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum : quia in ipso inhabitat* (2) *omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* ii, 8, 9). De mundo est, (*f*) et doctrinas hominum sapit, et philosophiæ præda est, quisquis Christum verum Deum nescit, quisquis in eo plenitudinem divinitatis ignorat. Humana mens hoc solum sapit quod intelligit, et mundus hoc tantum quod potest credit, secundum elementorum naturas id tantum possibile existimans, quod aut videret, aut ageret. Elementa enim mundi ex nihilo substiterunt : **252** sed Christus (*g*) non de non substantibus manet (*h*), nec cœpit ad originem, sed originem ab origine sumpsit æternam. Elementa enim mundi aut inanima sunt, aut ad animam profecerunt : sed Christus vita est, ex Deo vivente in viventem Deum natus. Elementa mundi a Deo sunt instituta, non Deus sunt : Christus ex Deo Deus hoc totum est ipse quod Deus est. Elementa mundi cum intra sint, non possunt (*i*) a se exstare ne intra sint : Deum sub sacramento in se habens Christus in Deo est. Elementa mundi cum ex se sui generis generant ad vitam, per corporales quidem passiones præbent ex se initia nascendi; cæterum non insunt viva ipsa nascentibus : omnis vero corporaliter plenitudo divinitatis in Christo est.

54. *Qui divinitatis plenitudo in Christo corporaliter habitet.* — Et interrogo, cujus in eo divinitatis plenitudo est? Quæ si non Patris est, quem mihi Deum alium unius Dei fallax prædicator imponis, cujus di-

(1) *Reconciliari;* mox, *permanere.*

(2) Hæc est lectio codicis Veronensis; nam antea *plenitudo divinitatis.* Græce, *πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος.* Sic infra Hilarius ait, *omnis vero corporaliter plenitudo divinitatis in Christo est.* Sic etiam legitur lib. i, num. 8, nec non lib. xii, num. 20.

(*a*) Erasmus conjectavit legendum esse *reconciliatum* : quod exinde a Lipsio arreptum, in aliis edit. obtinuit, renitentibus mss.

(*b*) In vulgatis, *reconciliari :* corrupte. Mox in mss. bas. Vat. et Martin. *qui in se ipse maneret*, addito *ipse.*

(*c*) Editi, *apertiori.* Concinnius mss. *aptiore.*

(*d*) Bad. et Er. cum recentioribus mss. *naturæ specie a se alienæ ;* ac deinde cum Lips. omittunt *neque.* Natura per creationem in Deum comparata ea est, quæ creata licet, ex quadam tamen prærogativa sibi comparat atque obtinet Dei nomen.

(*e*) Excusi, *quod totus est :* reluctantibus veteribus libris. Pater cum sit aliquod totum, post Filii nativitatem permanet illud omne quod erat, utpote a quo nulla pars divulsa sit.

(*f*) Er. post Bad., *qui doctrinam hominum sapit.* Par. post Lips. *et de doctrina hominum sapit :* castigant mss. Quod inde sequitur, puta *et Philosophiæ præda est*, indicio est non ignotam Hilario fuisse

(*g*) Apud Bad., *non de substantibus.* In edit. aliis, *non de exstantibus :* mendum quod castigant mss. Tum Lipsius pro *manet*, posuit *manat*, verbumque hoc retinuit Par. contra mss. fidem. Videsis notam f. pag. 197 (*not.* h *col.* 222 *nostræ editionis*).

(*h*) Ita potiores cod. Vat. bas., alter Vatic., Colb., Germ., etc. Alii vero, *nec cœpit ab origine.*

(*i*) Id est, non possunt intra simul et extra esse; cum contra Christus in Deo exsistens simul et Deum in se habens intra simul et extra Patrem exstet. Videsis initium lib. iii.

vinitatis plenitudo habitet in Christo? Si vero Patris est, edoce quomodo corporaliter hæc in eo habitet plenitudo. Si enim corporali modo Patrem in Filio (*a*) credis; Pater in Filio habitans non exstabit in sese. (1) Si vero, quod est potius, corporaliter in eo manens (*b*) divinitas naturæ in eo Dei ex Deo significat veritatem; dum in eo Deus est, non aut per dignationem aut per voluntatem, sed per generationem verus et totus (*c*) corporali secundum se plenitudine manens; dum quod ipse est, id etiam per nativitatem Dei in Deum (2) natum (*d*) est; neque diversum aut differens aliquid in Deo est, quam id quod corporaliter habitet in Christo; et quidquid (3) inhabitet corporaliter, id ipsum secundum divinitatis est plenitudinem : quid humana sectaris? **253** quid inanium deceptionum doctrinis inhæres? quid mihi affers unanimitatem, concordiam, creaturam? Plenitudo divinitatis in Christo est corporaliter.

55. *Alius habitans, alius habitatio; perfectus uterque Deus.* — Tenuit autem etiam in hoc Apostolus fidei suæ legem, ut corporaliter in Christo inhabitare plenitudinem divinitatis doceret : (4) ne ad unionem (*e*) impiam fidei sermo decideret, nec ad alterius naturæ intelligentiam furor irreligiosus erumperet. Habitans enim in Christo plenitudo divinitatis corporaliter, nec singularis nec separabilis est : dum (5) nec (*f*) se patitur a corporali plenitudine corporalis plenitudo discerni, nec habitans divinitas ea ipsa intelligi potest esse divinitatis habitatio. Atque ita Christus est, ut corporaliter plenitudo divinitatis in Christo sit; sic vero in Christo sit divinitatis corporaliter plenitudo, ut in eo inhabitans (*g*) plenitudo non aliud intelligatur esse quam Christus. Furare quas voles verborum occasiones, et irreligiosi ingenii aculeos excita. Ementire saltem cujus plenitudo divinitatis in Christo inhabitet **254** corporaliter. Est enim Christus, est et inhabitans in eo divinitatis corporaliter plenitudo.

56. *Quæ sit habitatio corporalis. Cujus sit.* — Et si quæras quæ sit habitatio corporalis; intellige quid sit loqui in loquente, et in viso videri, et in operante operari, et in Deo Deum, et ex toto totum, et ex uno unum : et ita corporalis divinitatis plenitudinem recognosce. Et cujus hæc divinitatis corporaliter inhabitans plenitudo sit, memento Apostolum non tacere dicentem : *Ea enim, quæ invisibilia sunt ejus,* (*h*) *a constitutione mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur æterna quoque ejus virtus et divinitas* (*Rom.* I, 20). Hujus itaque divinitas (*i*) corporalis in Christo est, non ex parte, sed tota; neque portio est, sed plenitudo : ita corporaliter manens, ut unum sint; ita unum sunt, ut a Deo non differat Deus; ita indifferens a Deo Deus, ut perfectum Deum (*j*) substituerit perfecta nativitas; ita autem perfecta nativitas subsistat, quia in Deo ex Deo nato corporaliter divinitatis inhabitet plenitudo.

255, 256 LIBER NONUS.

Assertam superiori libro Patris et Filii indifferentem naturam adversus hæreticorum objecta tuetur atque confirmat. Allatis hujus rei gratia, quas illi objectant, Scripturis quædam Hilarius jactat responsionum semina, primo genuinos Scripturarum sensus, non ex eo quod verba nuda et a cæteris divulsa sonant, sed ex antecedentibus et consequentibus et ex dicendi causis esse expetendos : deinde Christum ex unitis in idipsum neque tamen confusis naturis rem unam et eamdem esse; ita enim illum dicta gestaque sua semper temperasse, ut et Dei et hominis filium sese declararet : postremo distinguenda esse quæ dixit aut gessit nondum homo, quæ jam homo moriturus, quæ immortalis. Hinc duarum in uno

(1) *Sin vero.*
(2) *Natus est.*
(3) *Inhabitat.*
(4) *Et ne ad unionem impium.*
(5) *Nec separabitur.*

(*a*) Bad. et Er., *recludis*. Lips. et Par. cum recentioribus mss. *claudis*. At in potioribus mss. *credis*, vel *credes*. Sic supra, num. 24, ut Patrem ita et Filium dictum esse Spiritum observatur, *ne secundum corporales modos ita inesse Filium in Patre vel Patrem in Filio crederemus.*

(*b*) Vat. bas. codex, *divinitate :* male. Mox Bad., Er. et Lips., *significat unitatem.* Magis placet cum Par. et mss. *veritatem :* ut divinitatem in Christo corporaliter manentem interpretetur S. Doctor naturam Dei vere ac substantialiter in eo manentem. Ita Tertullianus adversus Prax., n. 7, ubi dixit : *Quis enim negabit Deum corpus esse, etsi Deus Spiritus est,* statim innuit *corpus* hoc se dixisse, quod non sit sine substantia, dum subjicit : *Sed et invisibilia illa quæcumque sunt, habent apud Deum et suum corpus et suam formam, per quæ soli Deo visibilia sunt : quanto magis quod ex ipsius substantia missum est, sine substantia non erit!* Quo sensu lib. de Carne Christi, n. 11, dixerit, *Omne quod est, corpus est sui generis. Nihil est incorporale, nisi quod non est.* Neque obscurum est corpus hic ab Hilario dici, quod plenum, quod verum ac substantiale est. Quo spectat illud in psal. CXXXI, n. 26 : *Cæterum nunc perfecta exsultatione exsultantes, non spe, sed veritate; non in imagine, sed corpore.*

(*c*) Excusi, *corporalis secundum sui plenitudinem :* emendantur ex mss.

(*d*) Editi excepto Par., *natus est.* Tum Bad. et Er., *neque diversum aut divisum aut differens aliquid in Deo Deus est :* ac deinde cum edit. aliis, *cum id quod est, corporaliter habitet*, etc., ubi in mss. *quam id*, etc., hoc est, in Deo Patre nihil est aliud, quam quod in Christo corporaliter.

(*e*) Vat. bas. ms., Martin. et aliquot alii, *impius.* Vetus Colb. cum Germ. ut supra, n. 36, *impium.* Postea in plerisque *decederet*, non *decideret.*

(*f*) In mss. Martin. et Vat. bas. *nec separatur;* et infra, *nec discernitur*, loco verbi *discerni :* minus vere.

(*g*) Apud Bad., Er. et Lips. desideratur *plenitudo :* quæ hic declaratur non aliud esse, quam quod Christus est. Mox cum optimo codice Colb. magis placuit *excita*, quam cum aliis *exagita.*

(*h*) Carnutensis codex, *a creatura mundi*, unus e Vatic. *a conditione mundi :* non alio sensu. *Constitutio* idem sonat lib. XI, n. 16.

(*i*) Vat. bas. ms. cum Martin. *corporaliter.*

(*j*) Hoc est, subsistentem effecerit.

Christo naturarum veritas diffuse adstruitur.

His positis, ad primum hæreticorum objectum, Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus, *reponit Christum his verbis non* boni *aut* magistri *nomen respuere, sed ejus reprehendere fidem, qui ipsum Deum non credens, sic tamen nuncuparet; imo sese Deum ac magistrum testari, cum se sequenti cœlestem thesaurum pollicetur. Tum pluribus demonstrat Christum, ubicumque Deum unum prædicat, se alium quidem a Patre, non tamen alterius naturæ significare.*

Objectum alterum, ut sciant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum, *ex superioribus ac continuatis huicce loco verbis diluit. Ubi enim Christus* (*Joan.* XIV) *docuit Patrem in se esse, in se loquente loqui, in se operante operari, in se viso videri* (*Joan.* XVI), *laudat fidem Apostolorum se exitionis nomine vere ex Deo natum credentium, ac tandem* (*Joan.* XVII), *honorem ita a Patre postulat, ut vicissim honoraturus sit honorantem; ita potestatem accipit, ut et possit omni carni vitam æternam largiri, nec habeat quidquam minus a Patre: his omnibus indicans se ex Patre natum, et cum eo natura unum. Deinde ex ipsismet objectis verbis conficit Christum a Patre non separandum esse natura, qui non separandus est fide, neque sine contumelia vocari Deum verum patrem, si credatur filium peperisse degenerem. Denique ex continuatis objecto loco verbis unam Patris et Filii gloriam esse copiose subtiliterque edisserit.*

Postea ex occasione, quæ locum dedit Christi dicto, Non potest Filius ab se facere quidquam, *evincit Filii cum Patre æqualitatem, nedum infirmitatem, ostendi. Cum enim violati sabbati reatum objicientibus Judæis hoc respondens, proxime antea præmittat*, Pater meus usque modo operatur, et ego operor; *sibi Patrique unam et communem esse operationem declarat: sicut se confirmat ei æqualem, cum iisdem indigne ferentibus quod æqualem se Deo faceret, statim subjicit*, Quæcumque enim ille facit, eadem et Filius similiter facit. *Una etiam utriusque voluntas subinde demonstratur.*

Ad id quod quarto objiciunt, Pater major me est, *hoc concedit vere dici, quia auctor Filii est, qui neque Patri æquandus est secundum formam servi. Si autem Pater major est Filio, quia ei dat quod est; Filius non est minor Patre, quia id omne accipit quod Pater est.*

Postremo ignorantiam, quam hæretici Christo affingunt, pluribus argumentis repellit. Non enim judicii diem ignorare potuit omnium conditor, diei hujus nominatim auctor ac Dominus, quem nihil Pater celat, in quo omnes thesauri scientiæ sunt. Quia tamen absconsi sunt, recte nescire se dicit, quod non est eloquendum. Solus itaque Pater diem judicii scit, quia solus illum Filio non tacet: nescit autem Filius, quia nulli revelat.

257 1. *Libro superiore quid confectum. Quid confutatum.* — Tractantes superiore libro de indifferenti natura Dei patris et Dei filii, et id quod dictum est, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 38), demonstrantes non ad solitarium Deum proficere, sed (1) ad unitatem (*a*) indiscretæ secundum generationem divinitatis; dum neque aliunde quam ex Deo Deus natus est, et ex Deo Deus non potest non id esse quod Deus est: percursisque, etsi non omnibus, tamen ad intelligentiam sufficientibus dictorum divinorum atque apostolicorum testimoniis, quibus inseparabilis natura ac potestas Patris ac Filii docebatur, usque ad hunc apostolicæ fidei locum venimus, quo ait: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem deceptionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 8, 9). In quo, per corporaliter habitantem in eo divinitatis plenitudinem, verum et perfectum et paternæ naturæ Deum demonstrari docuimus: ita ut habitans plenitudo nec diversum intelligeretur significare, neque unicum: cum et incorporalis Dei corporalis habitatio proprietatem naturalis unitatis in Deo qui ex Deo substitisset doceret; et habitans in Christo Deus, subsistentis (*b*) Christi nativitatem, dum ejus est habitator, ostenderet. Per quod impietati eorum satis superque arbitror fuisse responsum, qui id, quod a Domino dictum est: *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); et *Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* x, 38); et, *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.*, 30); et, *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15), (*c*) ad unitatem et concordiam voluntatis referrent: ut quia dicti fides maneret, dicti tamen intelligentiam fallacis doctrinæ religio ementita corrumperet; et cum negari non posset in his (*d*) voluntatum assensus, in quibus naturæ unitas prædicatur, ad abolendam tamen eam quæ secundum nativitatem est unitatem, societas tantum concordiæ crederetur. Sed beato Apostolo, post multa naturalis **258** veritatis non ambigua præconia, corporaliter habitantis divinitatis plenitudinem in Christo docente, abscissa est omnis impiæ temeritatis assertio, cum naturalem unitatem incorporalis divinitatis habitatio corporalis efficeret: ut id quod non solus est Filius, sed quod in eo manet Pater; neque solum manet, sed et operatur et loquitur; neque solum operatur et loquitur, sed et videtur (*e*), non sint nuncupativa, sed vera, dum habet in se per sacramentum nativita-

(1) *Ad divinitatem indiscretæ naturæ.*

(*a*) In vulgatis et nonnullis mss. *indiscretæ naturæ.* In solo codice bas. Vat., *discretæ*, cujus necnon Carnut., trium Colb., unius Sorbon., Martin. ac Germ. auctoritate sustulimus deinde vocabulum *naturæ.*

(*b*) Id est, subsistentia distincti. Neque vero hic per se ostenditur nativitas: sed cum alius sit qui habitatur, alius qui habitat; Patris habitantis, et Filii in quo habitat, subsistentia non una significatur: et consequenter ostenditur nativitas, qua sola Filius alius a Patre subsistit.

(*c*) Lips. et Par., *ad unanimitatem.*

(*d*) In ms. Martin., *voluntatis.*

(*e*) Par. post Lipsium præfixo hic puncto subjicit deinde, *Non sunt*, quasi hæc a superioribus absoluta

tis (*a*) et virtus virtutem, et potestas potestatem, et natura naturam; tenens per nativitatem ipsa quod suum est, et ex se (*b*) per imaginem referens quod in se est, dum et imago est auctoris et veritas; quia perfecta nativitas perfectam imaginem præstat, et plenitudo divinitatis corporaliter inhabitans naturalem obtinet veritatem.

2. *Scripturæ quibus abutuntur Ariani. Cur earum sensum non assequantur.* — Et hæc quidem quamvis (*c*) ita se ut sunt habeant, quia naturalis ex Deo Deus non potest nisi in ea nativitatis suæ natura esse (*d*) qua Deus est, et viventis naturæ indifferens unitas inseparabilis a se est sub viventis nativitate naturæ : tamen per fidei evangelicæ salutarem confessionem subrepunt hæretici (*e*) ad veritatis excidium, ut naturalem Filio detrahant unitatem, dum aliter atque ad aliud dicta, aliter atque in aliud intelligenda componunt. Negantes itaque Dei filium, utuntur ea auctoritate qua dixerit : *Quid me dicis bonum? Nemo est bonus nisi unus Deus* (*Marc.* x, 18) : ut quia unum Deum professio ejus locuta sit, quidquid illud (*f*) exinde in Dei nomine erit, jam non in natura Dei maneat, quia Deus unus est. Atque ut id, quod ipse Deus dicitur, nuncupatione potius quam veritate sit; hinc confirmare nituntur, quia dixerit : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te* (*g*) *solum verum Deum* (*Joan.* XVII, 3). Et ut extra proprietatem veri Dei sit, id adjiciunt : *Non potest Filius facere ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* v, 19). Tentant quoque et illud : *Pater major* **259** *me est* (*Joan.* XIV, 28). Postremo jam tamquam indissolubili abnegatæ divinitatis professione subvertisse se fidem Ecclesiæ gloriantur, cum legunt : *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli in cœlis, nec Filius, nisi Pater solus* (*Marc.* XIII, 32)! Non enim videtur exæquabilis per nativitatem esse natura, quæ ignorationis sit necessitate diversa; et Pater sciendo ac Filius nesciendo manifestent dissimilitudinem divinitatis : quia et ignorare Deus nihil debeat, et ignorans non comparandus sit ad scientem. Sed hæc omnia, nec ratione intelligentes, nec temporibus discernentes, nec (*h*) sacramentis evangelicis apprehendentes, nec dictorum virtutibus (*i*) sentientes, stulto atque imperito furore adversus divinitatis naturam loquuntur, ad implendas aures ignorantium sola hæc et nuda memorantes, aut absolutionibus eorum tacitis, aut causis : cum dictorum intelligentia aut ex præpositis aut ex consequentibus (*j*) expetatur.

3. *Christus et Deus est et homo. Attendant Nestorius et Eutyches.*— Atque horum quidem superius memoratorum rationem ex ipsis vel evangelicis vel apostolicis professionibus (*k*) præstituri, admonendos esse omnes communis fidei existimamus : ut in qua confessione æternitas vitæ est, in eadem sit intelligentia (*l*)æternitatis (*m*). Nescit plane vitam suam, nescit, qui Christum Jesum ut verum Deum ita et verum hominem (1) ignorat. Et ejusdem periculi res est, Christum Jesum vel Spiritum Deum, vel carnem nostri corporis denegare. *Omnis ergo* (*n*) *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Qui autem negaverit*

(1) Addidit e regione librarius, *de vera carne.*

essent : cum manifeste referantur ad verba, *id quod*, quæ licet non amplius repetita, facile tamen intelliguntur subinde repetenda, sicut et vocabula *in eo* : v. g., *et id quod non solum in eo manet, sed et in eo operatur; et id quod non solum in eo operatur et loquitur, sed et in eo videtur.*

(*a*) In uno e mss. Vatic., *virtutis virtutem, et potestatis potestatem, et naturæ naturam.* Virtus Filius habet in se virtutem quæ Pater est : quia, ut dicitur libro superiore, n. 24, non aliud sunt in Deo quæ sua sunt, quam quod est ipse : et num. 26 : *Res naturæ Filii est; sed eadem res et naturæ Patris est.*

(*b*) Apud Bad., Er. et in ms. Vat. bas., *per ipsius imaginem.* Hæc ita intelligenda : *tenens per nativitatem*, seu ut soboles Patris, *ipsa quod suum*, puta Patris, *est : et per imaginem*, seu quatenus imago, quæ *ex se*, id est, ex ipsa Patris substantia est, *referens quod in se*, scil. in ipso Patre *est.*

(*c*) Par. *ita ut in se habeant.*

(*d*) Duo mss. *quod Deus est.* Tum Vat. bas. codex, *ut viventis*, non *et.* Duæ hic tanguntur rationes, quibus Christum Deum esse doceamur : prima quidem, quod nascatur ex Deo, proindeque aut Deus, aut degener; altera vero, quod sicut Pater, ita et ipse vitam habeat in semetipso. Videsis librum superiorem n. 43.

(*e*) In uno e mss. Vatic. *ad veritatis diversitatis.* In altero, *ad diversitatis* : quod legendum suspicatus est Erasmus, ipse cum Bad. exhibens *ad adversitatis.* Retinendum cum aliis libris, *ad veritatis excidium*, id est, ut veram Filio naturam auferant.

(*f*) Particulæ *exinde* et *jam* in vulgatis omissæ restituuntur ope mss.

(*g*) In excusis, *solum et verum.* Abest *et* a græco et mss. in quorum plerisque mox *teneant*, non *tentant.*

(*h*) Vat. bas. ms., *sacramenta evangelica* : correctorem sapit non satis circumspectum, qui non advertit post *apprehendentes* subaudiri *hæc omnia*, videlicet Scripturæ testimonia Arianorum nomine proxime allata : quæ illi arguuntur non expendere secundum Evangelica sacramenta, hoc est, secundum ea quæ nobis Evangelium revelavit : in quibus præcipuum locum obtinet Christi tum æterna, tum temporalis nativitas.

(*i*) Vat. bas. codex, *scientes.* Bandinus autem post Latinium ex conjectura, *consentientes.* Retinendum omnino *sentientes*, hoc est verborum evangelicorum proxime allatorum vi haud satis probata perspectaque.

(*j*) Ita antiquiores libri (quorum plerique antea habent *propositis* non *præpositis*). Alii vero, *exspectetur.*

(*k*) Er. Lips. et Par. *præstaturi* : refragantibus hic Bad. et potioribus mss., etiamsi lib. IV, n. 7, et alibi hoc verbum in his etiam ea ratione enuntietur.

(*l*) Hoc est, ut quemadmodum Pater, ita et Filius in æterna seu divina intelligatur esse natura, si quidem hujus ut illius confessio vitæ nobis præstat æternitatem : quod clarius infra, n. 33, exponitur.

(*m*) Hæc citant Leo ad Leonem, Aug. epist. CXXXIV, c. 3, et Theodoret. II Dial. p. 106.

(*n*) Verbum *inquit* in vulgatis hic adjectum absque mss. auctoritate, supervacaneum esse constat ex subnexis.

me coram h minibus, negabo et ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Hæc Verbum caro factum loquebatur, et homo Jesus Christus Dominus majestatis docebat : Mediator ipse in se ad salutem Ecclesiæ constitutus, et **260** illo ipso inter Deum et homines mediatoris sacramento utrumque (1) unus exsistens, dum ipse ex unitis in idipsum naturis, naturæ utriusque res eadem est ; ita tamen, ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursum Deus manendo non esset. Hæc itaque humanæ beatitudinis fides vera est, Deum et hominem prædicare, Verbum et carnem confiteri : neque Deum nescire quod homo sit, neque carnem ignorare quod Verbum sit.

4. Quod natus homo Deus maneat, sensus jam non refugit.— Cum autem, contra naturam sensus nostri, Deus manens homo nascitur ; jam non est contra naturam spei nostræ, ut natus homo Deus maneat : cum potior natura in inferiorem nata fidem præstet, inferiorem in naturam nasci posse potiorem. Et quidem, secundum legem et consuetudinem mundi, (*a*) promptior magis spei nostræ, quam divini sacramenti effectus est. Namque mundus in his quæ nascuntur habet incrementi virtutem, non habet deminutionis potestatem. (*b*) Cerne arbores, sata, pecudes. Ipsum quoque participem rationis hominem contuere : semper proficit augmento, numquam vero deminutione contrahitur ; nec sese caret, quod excrevit (*c*) in sese. Nam tametsi aut ætate marcescat, aut morte perimatur ; habet quidem aut demutationem in tempore, aut finem (*d*) in constitutione vivendi : cæterum hoc quod sit non habet (*e*) in virtute non esse, ut novum se per imminutionem condat ex eodem, id est, ut ex sene decedat in parvulum. Naturæ ergo nostræ necessitas in augmentum semper mundi lege provecta, non (*f*) imprudenter profectum naturæ potioris expectat : cui et incrementum secundum naturam est, et imminutio contra naturam est. Deo itaque proprium fuit, esse aliud quam manebat, nec tamen non esse **261** quod manserat ; nasci (*g*) in homine Deum, nec tamen Deum esse desinere ; contrahere se usque ad conceptum et cunas et infantiam, nec tamen Dei potestate decedere. Hoc non sibi, sed nobis est (*h*) sacramentum. Neque assumptio nostra Deo profectus est : sed contumeliæ suæ voluntas, nostra provectio est ; dum nec amittit ille quod Deus est, et homini acquirit ut Deus sit.

5. Dei et hominis se filium dictis et gestis Christus ostendit. Unde occasio hæreseos. — Natus igitur unigenitus Deus ex Virgine homo, et secundum plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum (*i*) hominem, hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se filium Dei credi doceret, et hominis filium prædicari admoneret : locutus et gerens homo universa quæ Dei sunt, loquens deinde et gerens Deus universa quæ hominis sunt ; ita tamen, ut (2) ipso illo utriusque generis sermone numquam nisi cum significatione et hominis locutus et Dei sit ; uno tamen Deo patre semper ostenso, et se in natura unius Dei per nativitatis veritatem professo ; (*j*) nec tamen se Deo patri non et filii honore et hominis conditione subdente : cum et nativitas (*k*) omnis se referat ad auctorem, et caro se universa secundum Deum profiteatur infirmam. Hinc itaque fallendi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundum hominem dicta sunt, dicta esse secundum naturæ divinæ infirmitatem mentiantur : et quia unus atque idem est loquens omnia quæ loquatur, de (*l*) se ipso omnia eum locutum esse contendant.

262 *6. Alia sunt dicta Christi nondum nati, alia*

(1) *Unum.*

(*a*) Id est, facilius capimus hominem fore Deum, quæ spes nostra est, quam Deum factum fuisse hominem quod divinum sacramentum. Quibus consentiens S. Leo, Ser. 4 in Nat. Dom. c. 2 : *Minus mirum est*, inquit, *hominem ad divina proficere, quam Deum ad humana descendere :* Et Augustinus epist. nunc CXL, n. 11 : *Neque enim jam desperandum est participatione Verbi posse homines fieri filios Dei, quando filius Dei participatione carnis factus est filius hominis.* Ne vero cui suspecta sint, quæ noster Hilarius ea de re deinceps disserit ; præmonendum putamus, eum ita velle hominem fieri Deum per arctissimam cum eo conjunctionem, ut natura humana nequaquam aboleatur, uti diserte probat in Psal. II, n. 41, ubi tandem concludit : *Fit ergo demutatio, sed non affertur abolitio.*

(*b*) In ms. Vat. bas., *certe*. In vulgatis *gramen*, loco verbi *cerne*.

(*c*) Editi, *ex sese*.

(*d*) Vetus codex Colb. cum Germ., *in consuetudine vivendi*.

(*e*) Bad. et Er, *in veritate*. Verius alii libri, *in virtute*, hoc est, in potestate. Argumenti hujus scopus est, nos quidem posse proficere ad id quod non habemus, sed non esse id quod jam sumus non posse : ac senem v. g. annorum jam exactorum numerum augere posse, sed non ita imminuere.

(*f*) In mss. probæ notæ, *impudenter*. Mox Bad. et Er. cum ms. bas. Vat., *prioris*, loco *potioris*.

(2) *In illo ipso.*

(*g*) Sic mss., quomodo infra, num. 8, legimus *natum in homine*, et lib. v, n. 18, *Deus in homine nascendo*. At editi, *in homine*.

(*h*) Id est, hoc sacramentum assumptæ carnis nostræ salutis est causa, Deo autem nihil aut addit, aut demit. Cum his confer num. 48 et 49 lib. XI.

(*i*) Ambiguitas tolletur, si legeris, *provecturus hominem in Deum*.

(*j*) Ita mss. Editi vero, *et tamen*, omisso deinde *non*. Christus se Patri subditum significavit et secundum naturam divinam, quatenus filius ; et secundum humanam, quatenus infirmus.

(*k*) In codice Vat. bas. hic additur *Dei ;* quod rectius abest ab aliis : est quippe generalis propositio.

(*l*) Editi, *de semetipso*. Notandum illud *de se ipso*. Licet Hilarius in Christo Deum hominemque arctissime in unam personam conjunctum credat ; sic tamen hominem spectat velut ab ipso alienum, ut arguat hæreticos, quod quæ de homine assumpto loquatur, *de se ipso*, hoc est, de ipsa divinitate sua locutum eum esse velint. Quo loquendi modo Ambrosius, lib. X in Luc, n. 61, ait, *Tristis autem est, non ipse, sed anima*. Eodem spectat illud antiqui auctoris de Fide orthodoxa c. 8, apud Ambrosium, in append. Tom. II : *Homo ille passus est, quem filius Dei suscepit, quem induit, quem portavit : sed quia totum ad auctorem referebatur, quidquid homo ille patiebatur ; ideo mors et passio Domini judicatur.*

passiones Deo sociæ sunt, (1) et (*a*) spiritales nequitiæ ac malitiæ potestates triumpho carnis, Deo per carnem moriente, subduntur.

8. *Fideles Deo in Christo pleni.* — Hujus igitur sacramenti Apostolus conscius, et per Dominum ipsum fidei scientiam adeptus, cum non ignoraret incapacem ejus esse et mundum, et homines, et philosophiam, ait, *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem deceptionem secundum* (2) *traditionem* (*b*) *hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Jesum Christum : quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, et estis in illo repleti,* (*c*) *quod est caput omnis principatus et potestatis* (*Coloss.* II, 8 *et seqq.*). Exposita itaque habitantis corporaliter divinitatis in eo plenitudine, sacramentum assumptionis nostræ continuo subjecit, dicens : *Estis in eo repleti.* Ut enim in eo divinitatis **264** est plenitudo, ita nos in eo sumus repleti. Neque sane ait, estis repleti, sed; *in eo estis repleti :* quia per fidei spem in vitam æternam regenerati ac regenerandi omnes nunc in Christi corpore manent (*d*); replendis postea ipsis, non jam *in eo*, sed in ipsis, secundum tempus illud de quo Apostolus ait, *Qui* (3) *transfigurabit* (*e*) *corpus humilitatis nostræ, conformè corpori gloriæ suæ* (*Phil.* III, 21). Nunc igitur in eo repleti sumus, id est, per assumptionem carnis ejus, in quo divinitatis plenitudo corporaliter inhabitat. Et hujus spei nostræ non exigua in eo potestas est. Namque quod repleti in eo sumus, hoc est caput ac principium omnis potestatis, secundum illud : Ut in nomine suo omne genu (*f*) flectat, cœlestium, et terrestrium, et infernorum; et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus (4) in gloria Dei patris (*Philip.* II, 10, 11). Confessio itaque hæc erit : *Jesum in gloria Dei patris*, et natum in homine (*g*) jam non in infirmitate corporis nostri manere, sed in Dei gloria. Et hoc lingua omnis confitebitur. Et cum cœlestia et terrestria (*h*) genu flectent : hoc caput omnis principatus et potestatis est, ut ei universa genu flectendo subjecta sint, in quo sumus repleti, et qui per habitantem in se corporaliter divinitatis plenitudine, in Dei patris sit gloria confitendus.

9. *Deus idem auctor regenerationis nostræ et Christi resurrectionis.* — Demonstrato autem et naturæ suæ, et assumptionis nostræ sacramento, cum in eo plenitudine divinitatis manente, nos in eo per id quod homo natus est replcamur : reliquam dispensationem humanæ salutis exsequitur, dicens, *In quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta in exspoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi consepulti, ei in baptismate, in quo et* (5) *conresurrexistis per fidem operationis Dei, qui excitavit eum a mortuis* (*Coloss.* II, 1, 12). Circumcidimur itaque, non **265** circumcisione carnali, sed circumcisione Christi, id est, in novum hominem renati. Cum enim consepelimur (6) baptismate (*i*) ejus, mori nos necesse est ex vetere homine; quia regeneratio baptismi resurrectionis est virtus. Et hæc circumcisio Christi est, non exspoliari carne præputii, sed totos commori ei, et per id totos postea ei vivere. In eo enim (*j*) resurgimus per ejus Dei fidem, qui eum suscitavit a mortuis. Credendus ergo Deus est, cujus operatione Christus excitatus a mortuis est : quia fides ista conresurgit in Christo.

10. *Idem Christus ut homo moritur, ut Deus se suscitat.* — Consummatur deinde ita omne assumpti hominis sacramentum : *Et vos* (*k*) *mortui cum essetis in delictis et præputio carnis vestræ, vivificavit cum illo, donatis vobis omnibus delictis, delens quod adversum nos erat chirographum in sententiis, quod erat con-*

(1) *Et spiritalis nequitiæ ac malitiæ potestatis*, depravate.

(2) *Traditiones;* paulo post, *et non secundum Jesum*, omissa voce *Christum*

(3) *Transfiguravit ;* deinde, *corporis,* non *corpori.*

(*a*) Lips. et Par. *spiritalis nequitiæ :* renitentibus aliis libris. Mox Carnutensis codex, *in carne*, non *per carnem.*

(*b*) Omnes prope mss. *traditiones :* quamvis supra, n. 1, libro superiore n. 55, et l. I, n. 13, exhibeant *traditionem.*

(*c*) Sic plerique ac melioris notæ mss. favent subnexis, *Quod repleti in eo sumus, hoc est caput ac principium omnis potestatis.* Editi vero, *qui est caput,* quomodo legitur lib. I, n. 13.

(*d*) In codice Vat. bas., Martin., duobus Colb. et uno Sorbon. perperam hic adjicitur *repleti.* Ratio quippe hic subjicitur cur fideles in Christo sint repleti Deo, quia nimirum manent in ipsius corpore, quod gloriæ jam particeps factum, Deo proinde plenum sit. Manent porro in ejus corpore, quia ut dicitur in psal. LI, n. 16 : *Christus naturam in se universæ carnis assumpsit.* Unde cap. 4 in Matth. n. 12, caro Christi civitas nuncupatur, in qua *quædam universi generis humani congregatio continetur;* adeoque, ut ait Ambrosius ep. nunc LXXVI, ad Irenæum, n. 8 : *in illa carne Christi per consortium ejusdem naturæ caro omnis humani generis honorata est.* Replebuntur autem in se ipsis, cum gloriæ ejusdem in propriis corporibus consortes erunt.

(4) Ms. Veron. *in gloriam est Dei Patris*, græce, εἰς δόξαν θεοῦ πατρός; paulo post, *Jesum* substituimus ex nostro ms. Antea *Jesus.*

(5) *Consurrexistis.*

(6) Præfert exemplar Veron. *baptismati ejus.*

(*e*) Plures mss. *transfiguravit.* Martin. *transformavit :* quod et habet Vat. bas. codex, qui cum nonnullis aliis postea subjicit, *conforme faciens corpori*, vel *corporis.*

(*f*) Ita Bad. ac plerique mss. At apud Er., Lips. et Par., *flectatur.* In ms. Vat. bas. et altero Vatic., *ut in nomine Jesu omnes genu flectant :* ex quo sequi deberet, *cœlestes*, non *cœlestium.* Græce, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ.

(*g*) Editi hic addunt *Deum;* quæ vox abest a potioribus mss.

(*h*) In ms. Martin. hic adjicitur *et inferna.*

(*i*) Antiqui libri Martin. Vat., bas., Colb., etc., *baptismati ejus.* Remigianus, *baptismate ei :* quod satis arridebat. Sed quomodo supra dicitur *circumcisione Christi*, ita et nunc *baptismate ejus*, id est, susceptione baptismatis ab ipso instituti.

(*j*) Martinianus codex, *resurréximus :* et postea, *consurrexit in Christo*, non *conresurgit.*

(*k*) Ita mss. Editi vero particulam *cum* præfigunt verbo *mortui.* Quod lib. I, n. 13, a mss. abesse annotavimus. Mox ms. Martin. *donans vobis omnia delicta*, quomodo legitur lib. X, n. 47, secus autem lib. I, n. 13.

nati et morituri, alia æterni. — Nec sane negamus, totum illum, qui ejus (*a*) manet, naturæ suæ esse sermonem. Sed si Jesus Christus et homo et Deus sit; et neque cum homo, tum primum Deus; neque (1) tum (*b*) cum et homo, tum non etiam et Deus; neque post hominem in Deo non totus homo totus Deus : unum atque idem (*c*) necesse est dictorum ejus sacramentum esse, quod generis. Et cum in eo secundum tempus discernis hominem (*d*) a Deo, Dei tum atque hominis discerne sermonem. Et cum Deum atque hominem in tempore confiteberis, Dei atque hominis in tempore dicta dijudica. Cum vero ex homine et Deo rursum totius hominis, (*e*) totius jam Dei tempus intelligis, si quid illud ad demonstrationem ejus temporis dictum est, tempori coaptato quæ dicta sunt : ut cum aliud sit ante hominem Deus, aliud sit homo et Deus, aliud sit post hominem et Deum totus homo totus Deus; non confundas temporibus et generibus dispensationis sacramentum, cum pro qualitate generum ac naturarum, alium ei in sacramento hominis necesse est sermonem fuisse non nato, alium adhuc morituro, alium jam æterno.

7. *Christus qui hominem, qui Deum se egerit. Cur nasci voluerit, cur pati, cur mori.*— Nostri igitur causa hæc omnia Jesus Christus manens, et corporis nostri homo natus, secundum (2) consuetudinem naturæ nostræ locutus est : non tamen omittens (*f*) naturæ suæ esse quod Deus est. Nam tametsi in partu et passione et morte naturæ nostræ (3) res (*g*) peregerit; res tamen ipsas omnes virtute naturæ suæ gessit, dum sibi **263** ipse origo nascendi est, dum pati vult quod eum pati non licet, dum moritur (*h*) qui vivit. Et tamen cum hæc Deus per hominem agit, ex se (*i*) natus, per se passus, et ex se mortuus; non et hominem se non egit, dum et natus, et passus, et mortuus est. Hæc autem jam ante conditionem mundi sacramenta sunt cœlestium mysteriorum constituta, ut unigenitus Deus homo nasci vellet, mansuro in æternum in Deo (*j*) homine : ut Deus pati vellet, ne passionibus humanæ infirmitatis diabolus desæviens, legem (*k*) in nobis peccati Deo infirmitatem nostram assumente retineret : ut Deus mori vellet, ne qua insolens potestas adversus Deum esset, neque creatæ in se virtutis posset usurpare naturam, cum se immortalis Deus intra legem mortis (*l*) habuisset. Nascitur itaque Deus assumptioni nostræ, patitur vero innocentiæ, postremo moritur ultioni : dum et homo noster in Deo permanet, et infirmitatum nostrarum *omnibus*, omnino intelligendus est salva hominis veritate, ut sæpe jam demonstratum.

(1) *Tum cum homo.*
(2) *Constitutionem.*
(3) *Rem peregerit.*

(*a*) Id est, qui ejus est, seu quem nomine suo profert. Deinde *naturæ* vocabulo potest intelligi persona : quomodo *personæ* nomine non semel utitur Hilarius ad significandam naturam. Vel hoc ita intelligendum, totum illum sermonem esse naturæ quæ Christo propria ac sua est. Illi autem propria est, non solum quam nascendo accepit, sed quam in tempore assumpsit.

(*b*) In vulgatis, *neque cum homo*. Proxime τὸ *post hominem in Deo*, id est, post hominem glorificatum. In Christo distinguendum tempus quo nondum susceperat hominem, quo suscepit moriturum, quo non jam moriturum. In primo statu tantum Deus est, in altero Deus et homo, in postremo totus Deus sensu infra explicando.

(*c*) Verbum *necesse est* desideratur in vetustiore ms. Colb. Hic admonetur Christi dicta diversis illius naturis sub triplici statu spectatis debere esse consentanea.

(*d*) In vetere ms. Remig. *a Deo dictum atque hominis :* mendose. Hilarii mentem si bene capimus, hoc sibi vult : Cum secundum tempus, quod Christi corporationem præcessit, Deum filium spectas ut ab homine discretum, eique nondum conjunctum; ne tum sermonem ei attribuas, qui congruat homini, seu, ei tum, cum Deus sit, sermonem tribue discretum ac differentem ab eo, quem tribueres homini. Vel etiam hic notatur status, quando Deus unigenitus in specie assumpta ad tempus homo visus est : et monemur, ut quæ speciei assumptæ, quæ assumenti sint tribuenda discernamus.

(*e*) Editi, *totius etiam Dei*, ac deinde *si quid aliud*, pro *si quid illud :* corrupto Hilarii sensu. Illud, *Cum vero ex homine et Deo*, etc., id est, Cum ex statu Christi mortali, in quo Deus et homo erat, illum transiisse intelligis ad immortalem, in quo jam etiam secundum hominem totum totus est Deus; quia videlicet, uti declaratur infra, num. 13 : *totus Deo vivit, naturæ nostræ societate in communionem divinæ immortalitatis unita.* Qui loquendi modus expressus ad imitationem verborum Pauli, *ut sit Deus omnia in*

(*f*) In cod. Colb. et Germ. *non naturæ suæ :* lectio non spernenda eo sensu, quod Christus ut homo quæ humanæ infirmitatis sunt locutus, non omisit indicare hæc non naturæ suæ esse : quia nimirum ex natura sua Deus est, homo autem ex dispensatione, uti insinuatur lib. x, n. 22, 64 et 65. Unde est illud in psal. CXXXIX, n. 2 : *Quod enim Deus est, naturæ suæ est; quod autem homo fuit, naturæ nostræ assumptio est.* Imo in hoc ipso lib., n. 9 : *Demonstrato autem et naturæ suæ, et assumptionis nostræ sacramento.*

(*g*) In vulgatis, *rem peregerit*. Si Christus in passione ac morte res naturæ nostræ peregit, necesse est vere timuerit, doluerit, etc. Quod interim notandum.

(*h*) Hic respiciuntur verba Pauli num. 13, enarranda, *Etsi crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Hinc quoque avertitur suspicio eorum, qui Hilarium sensisse opinantur, Christum hominem, priusquam moreretur, a Verbo fuisse derelictum atque desertum. Nam si mortuus est qui vivit, mortuus est Deus : adeoque non secessit a Christo prius quam moreretur. Hinc *se immortalis Deus intra legem mortis* habuisse mox prædicatur, *Deo per carnem moriente :* quod multis in hocce numero inculcatur.

(*i*) Filius *ex se natus*, quia *id, quod alienum a se erat, vi sua ac potestate præsumpsit*, uti enarratur lib. II, n. 26, ubi nomine Spiritus sancti in Virginem supervenientis Filium ipsum, qui idcirco hic sibi ipse origo nascendi esse memoratur, ab Hilario intellectum esse ostendimus.

(*j*) Id est, quo homo maneret in æternum in Deo. Quibus similia sunt hæc lib. XI, n. 42 : *ipso vero in Dei gloriam, id est, in Deum omnia in omnibus ex subjectionis dispensatione mansuro :* et paulo ante, *toto jam in Deum ex ea qua homo est dispensatione mansuro.*

(*k*) Alluditur hic ad verba Pauli, *Delens quod adversum nos erat chirographum*, de quibus infra, n. 10. et lib. I, n. 13, tractatur.

(*l*) Vat. bas. ms., *habitasset*, omisso antea *se*.

trarium nobis : et ipsum tulit e medio, affigens illud cruci : (1) *exutus carnem, et potestates ostentui esse fecit, triumphatis his* (*a*) *in semetipso* (*Ibid.* 13 *et seqq.*). Apostolicam fidem sæculi homo non capit, et (*b*) sensus sui dicta alius præter quam ipsius sermo non explicat. Deus Christum a mortuis excitat, et Christum in quo corporaliter divinitatis plenitudo inhabitat. Sed convivificavit nos cum illo, donans nobis peccata, et delens chirographum (*c*) legis peccati, quod per sententias anteriores contrarium nobis erat hoc tollens de medio, et cruci affigens, mortis lege carne sese spolians, potestates ostentui reddens, triumphatis his in semetipso. Et de triumphatis potestatibus in semetipso, atque ostentui redditis, deletoque chirographo, vivificatisque nobis, jam superius (*lib.* 1, *n.* 13) tractavimus. Hoc vero sacramentum quis vel apprehendet, vel **266** eloquetur? Suscitat operatio Dei Christum a mortuis, et hæc eadem Dei operatio nos vivificat cum Christo, et hæc eadem (*d*) operatio donat peccata, chirographum delet, et affigit cruci : carnem se exuit, potestates ostentui reddit, ac de his in semetipso triumphat. Habes operationem Dei Christum a mortuis excitantis : habes et Christum hæc ipsa in se quæ Deus operatur (*e*) operantem. Christus enim mortuus est, carne se spolians. Tene ergo Christum hominem a Deo ex mortuis excitatum, tene Deum Christum salutis nostræ (2) operationem cum esset moriturus operantem : ut cum hæc Deus operatur in Christo, (*f*) operans licet Deus, spolians se tamen Christus carne moriturus sit : et cum mortuus est Christus, operans ante mortem Deus, mortuum tamen Christum operatio Dei excitet ; cum ipse sit (idem sit) (*g*) Christum a mortuis excitans, qui est ante mortem Christus operatus, et idem sit spolians se carne moriturus.

11. *Caro spoliata et carne se spolians unus est Christus.*—Jamne apostolicæ fidei sacramentum intelligis ? Jamne Christum cognitum habes? Quæro enim a te, quis sit carne se spolians, et quæ sit caro illa spoliata ? Duplicis enim intelligentiæ ab Apostolo teneo significationem, spoliatæ carnis, seque carne spoliantis : et inter hæc Christum audio per operationem Dei a mortuis excitatum. Et cum sit Christum a mortuis excitans Deus, sitque et Christus excitatus a mortuis : interrogo quis est carne se spolians, et quis est Christum a mortuis excitans, nosque vivificans cum Christo? Si enim non idem est Christus mortuus, qui est caro spoliata ; carnis spoliatæ nomen ostende : et rursus naturam ejus, qui se carne spoliavit, expone. **267** Eumdem enim esse invenio Deum Christum a mortuis excitatum, qui carne se spoliavit, et rursum spoliatam carnem Christum esse a mortuis excitatum : deinde principatus et potestates ostentui reddentem et triumphantem reperio in semetipso. Intelligisne hunc triumphantem potestates in semetipso? Sentisne quod a se non differat caro spoliata, et carne se spolians? In semetipso enim triumphat, id est, in ea qua se carne spoliavit. Videsne ita Deum et hominem prædicari : ut mors homini, Deo vero carnis excitatio deputetur ; non tamen ut alius sit qui mortuus est, et alius sit per quem mortuus resurgit ? Spoliata enim (*h*) caro Christus est mortuus : et rursus Christum a mortuis excitans, idem Christus est carne se spolians. Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige : dispensationem hominis in morte cognosce. Et cum sint

(1) *Exutus carne.*

(*a*) In ms. Carnut. hic additur *cum fiducia :* quod etiam exstat lib. 1, n. 13, et lib. x, n. 47, ubi idem ille locus non eodem prorsus modo exhibetur. In ms. Vat. bas. et Martin. *exutus carnem, et principatus et potestates dehonestans, et cum fiducia triumphans.* Hic autem diligenter observandum, quod *exutus carnem,* non passive, sed active sumatur, quasi *spolians se carne,* quomodo legitur infra, lib. x, n. 47, imo etiam hic ubi eadem illa verba explicantur. Et in hac quidem significatione activa stat tota vis argumenti subsequentis. Quamquam pro *exutus carnem et potestates,* modo in latinis codicibus legere est, *exspolians principatus :* consentiuntque græca exemplaria, etiam Germanense, quod Pauli epistolas græce et latine complectitur, ab annis saltem mille exaratum, in quo ut in aliis exstat ἀπεκδυσάμενος τὰς ἀρχάς. Verum ex vocabulo τὰς ἀρχὰς facile confici potuit τὴν σάρκα. Et certe Augustinus de Peccat. mer. et remiss. c. 27, et lib. XVI contra Faustum c. 29, necnon de Agone Christ. c. 2, cum nostro Hilario legit *exuens se carnem.* Sic et Ambrosius lib. V in Lucam, n. 107 : *Exuens se carnem principatus et potestates omnes traduxit,* et libro III de Fide c. 2 : *Qui affixit illud* (chirographum) *cruci, carnem se exuit : sed Pater non se exuit carnem,* etc. Demum apud eumdem Ambrosium auctor Tract. in Symbolum Apostolorum : *Non ergo cujusquam jure ac potestate exutus est carne, sed ipse se exuit. Nam qui potest non mori si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est. Quod ita esse comprobans Apostolus ait, spolians se carne, principatus et potestates exemplavit.* Hoc tamen illi ab Hilario differunt, quod post *exuens se carnem,* adjiciunt *principatus,* quod verbum Hilarius omittere solet : quamvis tamen eadem lectio non ignota ei fuerit, ut liquet ex n. 11.

(2) *Operatione.*

(*b*) In ms. Vat. bas., *sensus ejus.* Non est audiendus Erasmus, qui *excessus* loco *sensus* legendum esse conjectat. Hoc sibi vult : Pauli fidem homo sola sæculi sapientia instructus non assequitur, neque dictorum illius interpretatio aliunde repetenda est, quam ex aliis ipsius dictis.

(*c*) Quod hic Hilarius *chirographum legis peccati,* et supra, num. 7, simpliciter *legem peccati ;* vocat l. 1, n. 13 : *sententiam mortis,* favente Tertulliano, l. de Pudicitia n. 19, ubi legit : *donato chirographo mortis.*

(*d*) Rursum hic apud. Er., Lips. et Par., *Dei operatio :* Bad. et ms. dissidentibus.

(*e*) Solus codex Vat. bas., *operatum.*

(*f*) Excusi, *operetur licet* : contra fidem mss.

(*g*) Editi excepto Par. *Christus a mortuis excitatus:* refragantibus scriptis.

(*h*) Apud Leonem epist. novæ editionis CXXXIV ad Leonem Augustum c. 3, ubi hæc aliaque Hilarii dicta laudantur, *spoliata enim carne :* male. Quidquid hoc libro hactenus disputatum est, sed hæc maxime sententia, in eum non convenit, qui verbum a carne Christi mortua separatum senserit. Unde Hilarius ab ea opinione non immerito creditur alienus. Cum enim carne se spolians, caro spoliata, et carnem spoliatam excitans ipsi unus et idem Christus sit, nec sit unus unitate naturæ, sed personæ : sequitur eum sensisse personam Verbi carni spoliatæ unitam.

utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum Jesum eum memento esse, qui utrumque est.

12. *Christus sua virtute suscitatur : cur hoc opus cum Paulo tribuat Patri.* — Quamquam enim meminerim frequenter ad Deum patrem per Apostolum referri, Christum a mortuis esse excitatum : sed non est Apostolus extra evangelicam fidem (*a*) dictis suis ipse contrarius, maxime Domino dicente, *Propter hoc me Pater diligit, quod ego pono animam meam, (b) ut iterum accipiam eam. Nemo* (1) *tollet eam a me, sed ego pono eam a me. Potestatem habeo ponendi eam; et potestatem habeo iterum accipiendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre* (*Joan.* x, 17, 18). Vel cum postulatum ab eo esset, ut signum ad fidem de se ostenderet, ait de templo corporis sui, *Solvite hoc templum, et ego in triduo suscitabo illud* (*Joan.* II, 19; *vid. tract. Psal.* CXLI, *num.* 6). Cum enim et per accipiendæ animæ potestatem et per suscitandi templi virtutem ipsum se sibi resurrectionis suæ Deum doceat, **268** totum hoc tamen ad mandati paterni (*c*) referens auctoritatem : non contrarie intelligitur Apostolus, Christum Dei virtutem et Dei sapientiam (*d*) prædicans, omnem operis sui magnificentiam (*e*) per id ad Patris gloriam retulisse, quia quidquid Christus gerit, virtus Dei et sapientia gerit ; et quidquid virtus Dei et sapientia gerit, sine dubio Deus gerit, cujus et sapientia est Christus et virtus. Denique nunc per operationem Dei excitatus Christus a mortuis est : quia opera Dei patris ipse (*f*) natura a Deo non differenti operatus est. Et in eo Deo resurrectionis fides est, qui Christum suscitavit a mortuis.

13. *Naturæ in Christo duæ ex Paulo.* — Hanc igitur beatus Apostolus geminæ in Christo significationis tenuit prædicationem ut et infirmitatem in eo hominis, et virtutem Dei ac naturam doceret, secundum illud Corinthiis dictum : *Nam etsi crucifixus est* (2) *ex infirmitate* (*g*), *sed vivit ex virtute Dei* (II *Cor.* XIII, 4), mortem infirmitatis humanæ, vitam vero Dei virtutis ostendens : et illud ad Romanos, *Quod enim* (*h*) *mortuus est peccato, mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo. Sic et vos deputate vosmetipsos mortuos quidem esse peccato, vivere autem Deo in Christo Jesu* (*Rom.* VI, 10, 11) : mortem peccato, id est, corpori nostro adscribens, vitam autem Deo, cui est naturale quod vivit, et per id nos corpori nostro mori oportere, ut Deo vivamus in Christo Jesu, qui peccati nostri corpus (*i*) assumens, totus jam Deo vivit, naturæ nostræ societate (3) in communionem (*j*) divinæ immortalitatis unita.

14. *Alia Dei, alia servi forma : idem Christus. Dei forma latuit, non periit.* — Hæc igitur demonstranda a me paucis fuerunt, ut utriusque naturæ (*k*) personam tractari in Domino Jesu Christo meminissemus: quia qui in forma Dei manebat, **269** formam servi accepit (*l*), per quam obediens usque ad mortem fuit. Obedientia enim mortis non est in Dei forma, sicuti nec Dei forma inest in forma servi. Per sacramentum autem evangelicæ dispensationis non alius est in forma servi, quam qui in forma Dei est : cum tamen servi formam accipere, et in forma Dei manere non idem sit ; cumque accipere formam servi, nisi per evacuationem suam, (*m*) non potuerit qui manebat in Dei forma, non conveniente sibi formæ utriusque

(1) *Tollit* græce etiam habetur *αἴρει*. *Tollit* quoque legitur lib. x, num. 57.

(*a*) In plerisque ms. *dicti sui*. Paulo ante in Carn., *memineris*, non *meminerim*.

(*b*) Editi, *et iterum recipiam :* dissidentibus mss.

(*c*) Bad., Er. et Lips., *refert :* absque auctoritate mss. Tum pro *contrarie*, Latinius atque Bandinus legendum conjectarunt, *contraire :* nil necesse ut quidquam immutetur.

(*d*) Lips. et Par., *prædicasse :* ac deinde cum editis aliis, *omnemque operis*, etc. Castigantur ex mss.

(*e*) Vat bas. ms. *per id quod ad Patris gloriam retulisset ;* depravate, cum hæc sibi velint : Non intelligitur Apostolus sensu proximis Christi verbis contrario ad Patris gloriam retulisse omnem operis Christi magnificentiam.

(*f*) Ita mss. Vat. bas. et Martin. faventibus aliis. At editi, *naturæ a Deo non differentis operatus est. Et in eo*, omisso *Deo*. Jam supra audivimus Christum *resurrectionis suæ Deum.*

(*g*) In vulgatis, *ex infirmitate nostra*. Abest *nostra* a sincerioribus mss. et a græco, ut et lib. x, n. 65. Mox etiam abest *humanæ* a Colb. ac Germ.

(*h*) Editi excepto Par., *mortuum est peccato, mortuum est.* Postea ms. Martin., *reputate*, non *deputate.*

(*i*) Sic lib. I, n. 15 : *Carnem enim peccati recepit :* quia nimirum veram ex Virgine de Adam peccatore propagatam carnem assumpsit; quamvis, ut plane declaratur lib. x, n. 25 : *neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati.*

(*j*) Mss. Vat. bas., Corb., Prat., etc., *in communione substantiæ immortalis.*

(2) *Ex infirmitate nostra.*

(3) *In communione substantiæ immortalis.*

(*k*) Potest hoc ita intelligi, ut in Christo duplici licet natura constante, unam tamen esse personam admoneamur ; cui intelligentiæ favent subnexa. Proxime tamen dicta postulant, ut *personæ* vocabulo non tam subsistentiam, quam naturæ utriusque conditionem ac proprietates intelligamus. Quo sensu Ambrosius, lib. II de Fide c. 8, n. 61, dicit : *Miraris si ex persona hominis Patrem dixit majorem, qui in persona hominis se dixit vermem :* et epist. XLVIII, n. 4 : *qui in persona hominis formam servi accepit :* quasi diceret, qui ut homo formam servi habuit Vide Hilarium ipsum in psal. LXIII, n. 3.

(*l*) Cum apud Leonem prædicta epistola CXXXIV Hilarii nomine legitur, *qui in forma Dei manebat, formam servi accepit, ipse divinitatem nequaquam amisit ;* probabile est postremis illis verbis, quæ in nullis mss. exstant, neque exstare debent, summatim perstringi, quod postea diffusius demonstratur.

(*m*) In pervetustis mss. Carn., Colb. ac Germ., *non sit :* haud incommode, si deinde tacitum intelligatur *ejus.* Huc spectat quod Augustinus epist. XI, n. 4, Incarnationis necessitatem confirmaturus ait : *Nemo enim quemquam erigit ad id in quo est, nisi aliquantum ad id in quo est ille, descendat.* Cui simile est illud Hilarii nostri lib. XII, n. 6 : *Decedere autem ex Deo in hominem nisi se ex forma Dei Deus evacuans non potuit*, etc. In eo autem quod hic sequitur, non convenire sibi formæ utriusque concursum, patet *formæ* nomine exteriorem tantum naturæ utriusque habitum designari. Unde intelligere est qua ratione Hilarius Christum post resurrectionem totum Deum,

concursu. Sed non alius atque diversus est, (*a*) qui se exinanivit, et qui formam servi accepit. Accepisse enim non potest ejus esse qui non sit; quia ejus sit, qui subsistat, accipere. Ergo evacuatio formæ non est abolitio naturæ : quia qui se evacuat, non caret sese; (1) et qui accipit, manet. Et cum (idem) ipse sit evacuans et accipiens, habet quidem in eo sacramentum, quod se evacuat et accipit; non tamen habet interitum, ne non exstet evacuans, et ne non sit accipiens. Itaque evacuatio eo proficit, ut proficiat forma servi, non ut Christus, qui in forma Dei erat, (*b*) Christus esse non maneat; cum formam servi non nisi Christus acceperit. Qui cum se evacuaverit, ut manens Spiritus Christus idem Christus homo esset; in corpore demutatio habitus et assumptio naturæ, naturam (*c*) manentis divinitatis non peremit : quia unus atque idem Christus sit, et demutans habitum, et assumens.

15. *Expenduntur objecta hæreticorum. Christus non arguit quod dicatur bonus.*—Ostensa itaque sacramentorum dispensatione, per quam hæretici ignorantes quosque fallerent, ut ea, quæ per assumpti hominis naturam dicta gestaque sunt, omnia infirmitati divinitatis adscriberent, et formæ Dei deputarent, quidquid formæ servi propriæ(*d*) aptum est: nunc ipsis propositionibus eorum respondendum est. Tuto enim jam dictorum singulorum genera dijudicabuntur, cum Verbum et carnem, id est, Deum et hominem Jesum Christum sola fides sit confiteri. Deum igitur Dominum nostrum Jesum Christum ex eo negandum per naturam hæretici existimant, quia dixerit : *Quid me* **270** *dicis bonum? Nemo est bonus nisi unus Deus* (*Marci* x, 18). Omnis responsionum ratio necesse est, ut ex interrogationum causis proficiscatur. Ad id enim respondebitur, unde quæretur. Et primum requiro a dicti hujus calumniatore, utrumne id arguere Dominum existimet, cur bonus dictus sit, seque maluerit malum dici. Id enim significari videtur hoc dicto, *Quid me bonum dicis?* Non opinor quisquam tam vecors erit, ut malitiæ professionem ei velit adscribere, qui dixerit : *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve est* (*Matt.* xi, 28 *et seqq.*). Mitem se profitetur atque humilem : et irasci credetur, (*e*) cur bonus dictus sit? Professionum hæc diversitas dissidet, ut bonitatis suæ testis nomen in se bonitatis accuset. Non ergo irasci intelligitur se bonum dici. Et quærendum est quam aliam de se professionem arguat, qui non credendus est nomen in se bonitatis arguere.

16. *Fidem interrogantis arguit, non dicta.*—Videamus itaque, quid præter bonum interrogans dixerit : ait enim, *Magister bone, quid boni faciam* (*Marci* x, 17)? Duas igitur res connuncupavit : et bonum, et magistrum. Et quia non arguit bonum se dici; hoc necesse est arguat, quod magister bonus dictus sit. Ita autem arguit se magistrum bonum dici, ut fidem interrogantis potius, quam vel magistri in se vel boni nomen argueret. Juvenis enim insolens per observantiam legis (*f*), et finem legis qui Christus est nesciens, et justificatum se in operibus existimans, et non intelligens venisse eum ad oves perditas domus Israel (*Matth.* xv, 24), et impossibile esse legi per fidem justificationis salvare credentes (*Rom.* viii, 3), tamquam communium præceptorum et in lege scriptorum magistrum interrogat Dominum legis et unigenitum Deum. Detestatus itaque Dominus hanc de se irreligiosæ fidei professionem, quod tamquam magister legis interrogaretur, respondit, *Quid me vocas bonum?* Atque ut significaret quatenus **271** intelligendus et profitendus bonus esset, subjecit, *Nemo bonus, nisi unus Deus;* non respuens bonitatis nomen, si sibi hoc tamquam Deo deputaretur.

17. *Et bonum et magistrum sese ostendit.*—Denique ostendens se magistri in se boni, per fidem ejus qui tamquam hominem interrogabat, nomen arguere, post jactantiam juvenis et gloriam legis impletæ, ita respondit : *Unum tibi deest : vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me* (*Marc.* x, 21). Non refugit bonitatis de se nomen, qui cœlestem thesaurum pollicetur : nec magistrum se non vult videri, qui ducem se perfectæ hujus beatitudinis præstat. Terrenæ autem de se opinionis fidem arguit, bonitatem in solo Deo docens esse. Et ut se et Deum et bonum significaret, bonitatis est usus officiis, cœlestes thesauros pandens, et se ad eos prævium tribuens. Ita et quæ sibi tamquam homini tantum deferebantur, detestatur; neque se ab his, quæ Deo deputabat, professus alienum est : cum unum Deum bonum confitens, ea ipse loqueretur atque ageret, quæ unius Dei virtutis, bonitatis atque naturæ sunt.

18. *Magistri cum fide nomen accepit.*—Quam igitur non bonitatis nomen refugerit, sed neque magistri honorem recusaverit, sed fidem ejus qui in se nihil nisi corporeum et carnale sapuisset, arguerit; hinc

(1) *Et qui accepit.*

ante autem totum in forma servi nuncupet. Confer hunc locum cum tract. Ps. lxviii, n. 25.

(*a*) Hoc est, qui se exinanivit, non alius est ab eo qui servi formam accepit, seu post evacuationem suam non alius est atque erat ante.

(*b*) Editi, *Christus ex se non maneat* : castigantur ex mss. Sic infra, n. 39, *ut maneret esse Dei forma.* Idem Christi exinaniti mysterium egregie explicatur lib. xi, n. 48, et in Psal. cxliii, n. 7. Hic obiter advertere est vocabulum *Christi* ad naturam divinam significandam non semel usurpatum.

(*c*) In ms. Corb. et aliquot aliis, *manentis in corpore* : glossema.

(*d*) Ita plerique mss. At editi, *aptatum.* Mox in codice Vat. bas. *toto enim..... genere*, non *tuto enim....., genera.*

(*e*) Vetus codex Colb. *cum bonus.*

(*f*) *Cui tamen obsecutus ex nullo est*, ut dicitur et ostenditur cap. 19 in Matth. n. 5 : *Puto enim*, inquit Augustinus epist. nunc clvii, n. 25 : *quod se arrogantius quam verius servasse responderat.*

intelligitur, quod aliter ad Apostolos magistrum se confitentes locutus est, dicens : *Vos me vocatis magistrum et Dominum, et bene dicitis; sum etenim* (*Joan.* XIII, 13), et cum alibi dixisset : *Ne vocemini magistri, quia magister vester Christus est* (*Matt.* XXIII, 10). Ubi cum fide magister est, ibi adeo laudat, ut et profiteatur hoc nomen : hic vero boni magistri nomen non recognoscit, ubi nec Dominus intellectus est esse, nec Christus : solum unum Deum bonum prædicans, non se utique a Deo (1) secernens, qui et Dominum se professus et Christum, ducem thesauri cœlestis ostendat.

19. *Ubique Dominus nec eumdem cum Patre nec diversum se profitetur. Fidei honore, adeoque natura patri se æquavit.*—Tenuit autem hunc semper Dominus fidei ecclesiasticæ modum, ut patrem Deum unum prædicans, a sacramento se Dei non separaret unius, dum per naturam nativitatis neque alium se Deum profiteretur esse, neque ipsum : quia eum nec diversi generis Deum esse natura in eo unius Dei patitur, neque nativitas admittit non perfectum **272** ei esse quod filius est. Ita nec separabilis a Deo potest esse, neque ipse est. Per quod ita omnem sermonis sui significationem temperat, ut quidquid Deo patri honoris protestaretur, id modestissima confessione etiam sibi proprium esse monstraret. Cum enim ait, *Credite in Deum, et in me credite* (*Joan.* XIV, 1), quæro (*a*) in quo se in natura discreverit, qui non discrevit in honore? Dicens enim, *Et in me credite*, cum dixisset, *Et in Deum credite :* anne per id quod ait, *in me*, non et suam intelligitur significasse naturam ? Naturam plane separa, si fidem separas. Si credidisse sine Christo in Deum vita sit, Christum a Dei et nomine et proprietate divelle. Quod si vitam perficit credere (*b*) in Christo eos, qui in Deum credant; verbi virtutem diligens lector expendat, *Credite in Deum, et in me credite.* Cum enim ait, *Credite in Deum, et in me credite*, uniens se fidei Dei, et naturæ ejus univit, (2) cum memorato Deo, in quem credi oporteret, et in se docuerit esse credendum : Deum se per id docens, cum credendum (3) in eum sit ab his, qui in Deum credant. Occasionem tamen irreligiosæ unionis exclusit : quia cum et in Deum, et in se credendum professus sit, fidem de se (4) solitario non reliquit.

20. *Pater de Filio testatus et non auditus quid.* Quamquam igitur in plurimis ac pene omnibus dictis sacramenti hujus præstiterit absolutionem, ne quando confessus Deum patrem, ab ejus se unitate discerneret; neque se in unitate ipsius collocans, eumdem tamen unum et solitarium profiteretur : tamen etiam ex hoc vel maxime intelligitur sacramentum et unitatis et nativitatis doceri, cum ait, *Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me, quoniam Pater me misit. Et qui misit me Pater, ipse testificatus est de me. Neque vocem ejus unquam audistis, neque figuram ejus vidistis, et verbum ejus non habetis in vobis manens : quoniam quem misit ille, huic vos non creditis* (*Joan.* V, 36 *et seqq.*). Patrem testatum esse de Filio quomodo vere intelligitur, cum nec ipse visus sit, nec vox ejus audita sit? Memini quidem de cœlis auditam vocem fuisse, dicentem : Hic est filius meus dilectus, in quo (5) (*c*) bene **273** complacui : hunc audite (*Matth.* III, 17). Et quomodo vox Dei audita non est, cum paternæ vocis significationem (6) in se vox audita contineat? Sed forte in Jerosolymis manentes non audierunt, quia in desertis Joannes solus audierit. Quærendum ergo in Jerosolymis quomodo testatus est Pater? Non enim testimonio jam Joannis utitur vocem e cœlo audientis, sed habet testimonium majus Joanne, et quod hoc esset, continuo subjecit : *Opera enim quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera quæ facio, testimonium perhibent de me, quoniam Pater me misit.* Agnosco testimonii auctoritatem : neque enim quisquam nisi Filius a Patre missus hæc ageret. Opus ergo suum testimonium est. Sed quid tandem sequitur? *Et qui me misit Pater, ipse testificatus est de me. Neque vocem ejus unquam audistis, neque figuram ejus vidistis, et verbum ejus non habetis in vobis manens.* Extra crimen ergo sunt ignorantes testimonium Patris, qui in his numquam auditus ac visus sit, et in his non maneat verbum ejus? Sed non sunt sub venia incogniti sibi testimonii : quia testimonium de se Patris operum suorum testimonium esse profitetur. Opera igitur de eo testantur quod a Patre sit missus; sed hoc operum testimonium Patris est. Et cum operatio Filii Patris testimonium sit, eam necesse est operari in Christo naturam (*d*) intelligendam esse, per quam testis et Pater est. Atque ita

A B C D

(1) *Secernit.*
(2) *Cum commemorato.*
(3) *In eo sit.* Sic antea dixerat Hilarius, *credere in Christo.* Exinde, *inreligiosi unionis*, ut vel hinc confirmetur conjectura doctissimi editoris Benedictini, suspicantis vocabulum *unionis* masculini generis Hilario esse. Ejusdem generis fuit id nominis apud omnes, cum pro *margarita* adhibitum est.
(4) In anteriori erat, *solitarii.*
(5) *Bene placui.*
(6) *In se ipsa.* Postea, *audierant.*

(*a*) Aliquot recentiores mss. *in quo se natura.* Solus codex Vat. bas. *in qua se natura.* Retinendum cum aliis *in quo*, hoc est, quatenus.

(*b*) Mallemus *in Christum*, si mss. accederet auctoritas. Subinde in mss. Vat. bas., *verborum virtutem.*

(*c*) Colbertinus codex, *bene placui.* Nullum hic incommodum, quod verba *hunc audite*, non ad Joannem in desertis, sed ad Apostolos in monte facta sint : cum in his, *Hic est filius meus*, vis argumenti sita sit. Sed mirum qui sanctus Doctor verba a Joanne audita lib. VI, n. 19, proferat, uti ea habemus in Vulgata Matth. III, 17, libro autem VIII, n. 25, et alibi, qualia psal. II, 7, exstant, ac tandem hic uti jacent Matth. XVII, 5. Deinde paternæ vocis significationem in audita voce, quæ Filium demonstrarit, contineri docet : quia filius significari nequit, quin simul significetur et pater.

(*d*) In Tractatu de unitate Patris et Filii, in quo

Christus operans, (*a*) et in ejus opere Pater testans, (1) ostenduntur inseparabilis secundum nativitatem esse naturæ; cum Dei de Christo testimonium, ea ipsa Christi esse significetur operatio.

21. *Judæi Patrem non viderunt aut audierunt, quia Christo non crediderunt. Hinc natura utriusque una.* — Non sunt itaque extra reatum non cogniti sibi testimonii; cum opus Christi testimonium de eo Patris sit. Neque in eo, quod testantis vocem non audierint, et figuram non viderint, et verbum ejus manens non habuerint, ideirco sine testimonii sunt conscientia. Ad id enim (*b*) quod dictum est: *Neque vocem ejus audistis, neque figuram ejus vidistis, et verbum ejus non habetis in vobis manens* (*Joh* v, 37 *et* 38); (*c*) ut cum testatus de eo Pater fuisset, causa tamen neque vocis auditæ, neque visæ figuræ, et verbi in his non manentis posset intelligi, continuo subjecit, **274** *Quoniam quem misit ille, huic vos non creditis* (*Ibid.* 38): se credito, et vocem Dei audiendam, et figuram Dei videndam, et verbum ejus in his qui crederent inesse demonstrans; cum per naturæ unitatem in se Pater et loqueretur, et videretur, (*d*) et haberetur. Numquid non et Patrem significat, cum missus ab eo est? Numquid se per aliquam naturæ differentiam a Patre discernit, cum (*e*) hinc Pater testans de eo, neque auditus, neque visus sit, nec intellectus sit, quia misso a Patre sibi non creditum sit? Non se ergo unigenitus Deus a Deo separat, patrem Deum confitens: sed per significationem patris Deo patre demonstrato, se quoque in Dei honore constituit.

22. *Honor a Deo quærendus. Dei dilectione carent Christum in nomine Dei non suscipientes.* — Namque in hoc ipso eodemque sermone, in quo operibus suis testari se ipsum a Patre missum esse docet, et Patrem testantem quod ab eo missus sit significat, cum dixisset: *Et honorem ejus, qui est solus Deus, non quæritis* (*Ibid.* 44), (*f*) non tamen dictum hoc nudum, et non antea ad unitatis fidem præparatum reliquit. Superius enim ita ait: *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis. Honorem ab hominibus non accipio; sed cognovi vos, quoniam dilectionem Dei non habetis in vobis. Ego veni in nomine patris mei, et non accepistis me: si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Quomodo potestis vos credere, qui honorem ab hominibus accipitis, et honorem ejus, qui est solus Deus, non quæritis* (*Ibid.* 40 *et seqq.*)? Honorem improbat hominum: quia honor potius quærendus a Deo est, et infidelium est honorem ab alterutro accipere. Quid enim homo homini honoris impertiet? Cognitum itaque sibi ait, dilectionem Dei in his non esse: et non manentis in his dilectionis Dei hanc docet causam, quia se venientem in nomine patris sui non accipiunt. Quid rogo est, in nomine Patris eum venire? Numquid aliud, quam in nomine Dei? Aut numquid non ideirco in his dilectio Dei non est, quia non susceptus sit in nomine Dei veniens? Aut numquid in se non et naturam Dei significaverat, dicens: *Non vultis venire ad me, ut vitam habeatis*? Nam et in eodem ipse sermone jam dixerat: *Amen, amen dico vobis, quoniam venit hora, et nunc est, in qua audient mortui vocem filii* **275** *Dei; et qui audierint, vivent* (*Ibid.* v, 35). Cum in nomine Patris venit; neque ipse Pater est, nec tamen non in ea est divinitatis natura qua Pater est: quia et Filio et Deo proprium est in nomine Dei patris venire. Deinde accipiendus est alius in nomine eodem veniens. Sed hic homo est, a quo sibi (*g*) honorem homines sperabunt, et cui honorem reddent vicissim; cum tamen se idem in nomine Patris venisse fallet. Et hic quidem (*h*) antichristum significari non obscurum est, mendacio paterni nominis gloriantem. Et cum hunc honorabunt, atque ab eo honorabuntur (hunc enim spiritum erroris excipient); honorem ejus qui est solus Deus non quærent.

23. *Dei et Christi honor inseparabilis.* — Anne cum ob hoc dilectionem Dei non habeant, quia venientem se in nomine Patris non acceperint, et rursum venientem alium in eodem nomine recipientes, et honorem ab alterutro accipientes, honorem ejus qui solus Deus est non requirant, separare se Christus ab honore unius Dei poterit intelligi; cum ideirco non quæratur honor solius Dei, quia antichristum suscipiendo non sit ille susceptus? Nam cujus repudiatio, honoris solius Dei prætermissio est; in hujus honore necesse est honorem solius Dei esse, in cujus si susceptione mansissent, honorem solius

(1) *Ostendunt.*

hic liber fere totus exscriptus est, *intelligendum esse.* In ms. Vat. bas., *ea... natura intelligenda.* Hæc absque obscuritate ita legeris: eam necesse est intelligamus naturam operari in Christo.

(*a*) Vetustior ms. Colb., *et in ejus opera.* Tres alii, *et ejus opera.* Mox plerique, pro *ostenduntur*, habent *ostendunt*: cui verbo in lib. de unit. subjicitur vocula *se.*

(*b*) Erasmus temere hic de suo adjecit verbum *refertur*, quod postea ab aliis editoribus retentum est., At perspicuum est voces *ad id* referendas esse ad sequentes, puta ad *continuo subjecit.*

(*c*) Editi, *Et cum testatus... ut causa tamen*, Hilarii oratione abrupta prorsus atque confusa. Sic posset tota illa phrasis ordinari: *Ut cum testatus de eo Pater fuisset, causa tamen neque vocis auditæ*, etc., *posset intelligi: ad id quod dictum est: Neque vocem ejus audistis*, etc., *continuo subjecit: Quoniam quem misit ille, huic vos non creditis.*

(*d*) In ms. Colb., deest *et haberetur*: cujus loco male præferunt bas. Vat. ac Martin., *et audiretur.* Sicut enim *loqueretur* ad *vocem ejus audistis*, et *videretur* ad *neque figuram ejus vidistis*: ita ad *verbum ejus non habetis* rectus referas *haberetur.* Mox in eodem Vat. bas. codice, *numquid separabile aliqua naturæ differentia*: in Martin. *numquid separabili quam naturæ*, etc.

(*e*) Illud *hinc* aptius cohæreret verbis *neque auditus*: puta, *cum Pater testans de eo, hinc* (seu *ideo*) *neque auditus, neque visus, neque intellectus sit, quia*, etc.

(*f*) Vat. bas. ms. *non tamen nesciendum hoc dictum, et non*, etc., corrupte.

(*g*) Lips. et Par., *honorem hominis.*

(*h*) Scribitur constanter in antiquis libris, *antechristum.*

Dei quæsissent. (*a*) Et hic idem ipse sermo testis est nobis, in cujus exordio continetur : *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant patrem. Qui non honorificat filium non honorificat Patrem qui misit illum* (*Joan.* v, 23). (*b*) Numquam nisi naturalia exæquantur in honore : neque exæquatus honor separat honorandos. Cum sacramento tamen nativitatis poscitur honoris æqualitas. (*c*) Cum Filius ita honorandus ut Pater sit, et cum ejus, qui solus est Deus, honor non quæritur ; non est extra solius Dei honorem, cujus honor idem atque unus et Dei est : quia ut non honorificans Filium, non honorificat et Patrem (*Ibid.*) ; ita et solius Dei honorem non quærens, non quærit et Christi. Inseparabilis itaque est a Dei honore honor Christi. Et quam unus, atque **276** idem utriusque sit, etiam ex eo docet, cum ait nuntiata sibi Lazari infirmitate : *Infirmitas ista non est usque ad mortem, sed pro gloria Dei est, ut honorificetur filius Dei per eum* (*Joan.* xi, 4). Pro gloria Dei Lazarus moritur, ut filius Dei glorificetur per Lazarum. Numquid ambigitur, in gloria filii Dei esse gloriam Dei ; cum mors Lazari, quæ Deo sit gloriosa, gloriam sit Dei filio (1) paritura (*d*) ? Atque ita et naturalis per nativitatem unitas Dei patris in Christo docetur, cum infirmitas Lazari pro Dei gloria est ; et sacramentum fidei retinetur, cum per Lazarum glorificandus est Dei filius : (2) Deo (*e*) per id Dei filio intelligendo, neque ita Deo intelligendo, ut non etiam Dei filio confitendo ; cum glorificando per Lazarum Deo, Dei sit filius gloriosus.

24. *Christus ibi se Deum, ubi nonnisi unum esse profitetur. Deus unus. Scriba assentitur.* — Inseparabilis sacramento divinæ naturæ est viventis a vivente nativitas, nec demutationem generis accipit filius Dei, ne non in eo paternæ naturæ veritas maneat. Nam et his ipsis significationibus, quibus confesso uno tantum Deo, abnegasse in se Dei naturam videtur sub solius demonstratione, in unitate se tamen paternæ naturæ, unius Dei fidem non convellens, locavit. Interrogatus enim ab Scriba, quod in lege esset principale mandatum, respondit : *Audi, Israel, Dominus* (3) *Deus* (*f*) *noster Dominus unus est : et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis visceribus tuis, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum simile illi : Diliges proximum tuum tamquam te ipsum. Majus autem horum mandatum non est* (*Marc.* xii, 29 *et seqq.*). Alienasse se a natura et religione unius Dei existimatur, cum principalis mandati hæc sit professio : *Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est :* deinde (*supple*, cum) ne in consequentis se quidem mandati religione constituat, cum ad proximi nos dilectionem lex, sicut ad unius (*g*) Domini fidem, vocaret. Et quidem responsio Scribæ non est negligenda, dicentis : *Bene dixisti, magister in veritate, quod* (4) *unus sit Deus, nec est alius præter illum : ita diligendus ex toto corde et ex totis* **277** *viribus et ex tota anima : et diligere proximum tamquam se ipsum. Hoc majus est omnibus holocaustomatis et sacrificiis* (*Marc.* xii, 32 et 33). Responsio Scribæ videtur cum dictis Domini convenire, unius Dei charitatem intimam internamque profitentis, (5) sed (*h*) dilectionem proximi secundum propriæ dilectionis veritatem pollicentis, et supra sacrificiorum holocaustomata charitatem in Deum atque in hominem esse intelligentis. Sed quid sequatur, videndum est.

25. *Hic non longe a regno Dei, dum tendit ad charitatem. — Videns autem Jesus quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longe a regno Dei* (*Ibid.* 34). Quid sibi vult tam moderatæ responsionis professio (*supple*, ut), cum hominem ad cœlorum regnum fides ista consummet, unum Deum credere, et cum tota anima et totis viribus et toto corde diligere, proximum quoque ita ut se ipsum amare, Scriba hic non jam in regno Dei sit, sed non longe a regno Dei sit ? Alia istud significatione nudum vestientibus, et

(1) *Paratura.*

(2) Hunc locum ita exhibet codex Veronensis, *Deum per id in Dei filio intelligendo, neque ita Deum intelligendo, ut non etiam Dei filium confitendo.*

(3) *Deus tuus*, et ita infra. Deinde, *viribus*, non *visceribus*.

(4) *Unus est Deus;* postea, *totis virtutibus* ; et ita legit inferius num. 25.

(5) *Et dilectionem.*

(*a*) Quinque probæ notæ mss. *etsi hic idem.*

(*b*) Excusi, *numquam enim natura alia.* Tum Bad. et Er., *exæquatur.* Castigantur ex mss. Idipsum alio modo sic enuntiatur lib. xii, n. 7 : *Numquam diversitas rerum nisi et in honore diverso est : res enim eædem venerationis ejusdem sunt*, etc.

(*c*) Hæc sententia, *cum Filius* etc. videri potest superioris probatio : et perinde ab illa separari non debere. Interpunctionem tamen vulgatam, qua copulabatur cum præcedente, et a subsequente disjungebatur, mutandam duximus, quo magis perspectum sit Hilarii argumentum ex duobus Scripturæ locis acute collectum. Et ex uno quidem conficit Patris et Filii honorem esse inseparabilem ; ex altero autem honorem utrique delatum vel negatum, soli Deo delatum esse aut negatum. Unde sequitur Patrem et Filium unum esse ac solum Deum, licet non solitarium.

(*d*) In lib. de unit. Patris et Filii, *operatura.* In Colb., Germ., Martin., Corb. etc., *paratura.*

(*e*) In vulgatis, *perinde.* At in mss. *per id :* quod magis Hilarianum. Deinde nonnulli codices, *in Dei filio.* At vero bas. Vat. : *Deum per id in Dei filio intelligendo, neque ita Deum intelligendo, ut non etiam Dei filium confitendo.* Etsi dura, vera tamen est lectio quam retinemus, quæ ita planior efficietur : Ex quo fit, ut Dei filius intelligendus sit Deus, neque ita intelligendus Deus, ut non etiam confitendus sit Dei filius.

(*f*) Editi hic et infra cum plerisque mss. *Deus tuus :* corriguntur auctoritate mss. Germ. et Colb. consentiente græco Marci textu : ex quo deinde reponimus *Dominus unus*, quomodo infra legitur in pluribus mss. cum utrobique in vulgatis obtineat *Deus unus :* et in ms. Martin. tantum *unus.*

(*g*) Editi, *ad unius Dei fidem :* reluctantibus mss.

(*h*) Editi, *et dilectionem.* Præferimus cum mss. Colb. et Germ. *sed*, qua particula aptius significatur amoris utriusque discrepantia.

esurientem alentibus, et sitientem potantibus, et ægrotum visitantibus, et clausum carcere frequentantibus datur : *Venite, benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* xxv, 34). Vel illis quibus hæc (1) pauperis (*a*) spiritus merces est : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* v, 3). Perfectus hic fructus est, et absoluta possessio est, et præparati regni non incerta traditio (*Marc.* x, 20). Aut numquid adolescens minus aliquid horum confitebatur? Nam exæquata ad amorem suum dilectione proximi, quid de boni operis consummatione non egerat? Interdum enim indulgentem officiosumque esse, non perfectæ est charitatis : perfecta autem charitas omne (*b*) cujusque modi indulgentiæ implevit officium, cum non reliquerit quod alteri debeat, qui tantum alteri quantum sibi reddat. Sed ignoratione consummati sacramenti detentum Scribam, (2) professionem (*c*) fidei Dominus collaudans, et non longe eum a Dei regno esse respondens, non tamen eum in ipsa jam beatæ spei possessione constituit. Tendebat enim (*d*) felici cursu, etsi ignorantia, et prælata omnibus dilectione Dei, et charitate proximi suæ ipsius dilectioni exæquata. Cum tamen ei ipsi proximi charitati amorem Dei prætulisset, jam **278** non holocaustomatum et sacrificiorum præscriptis continebatur. Non erat longe istud ab evangelico sacramento.

26. *Nondum est in regno Dei, quia nondum in fide Christi Dei.* — Et cur non longe a Dei regno sit, (*e*) quam futurus magis in Dei regno sit, ex ipsis dictis Domini intelligendum est. Sequitur enim : *Et nemo jam audebat eum interrogare. Et respondens Jesus dixit docens in templo : Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David? Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum* (*Psal.* cix, 1). *Ipse David dicit eum Dominum; et unde est filius ejus* (*Marc.* xii, 34)? Non longe igitur a Dei regno est Scriba unum Deum confitens, qui ultra omnia esset diligendus. Sed admonetur sua ipsius professione, cur sacramentum legis ignoret, et Christum Dominum filium Dei nesciat per nativitatis naturam in fide unius Domini confitendum. Et quia per unius Domini secundum legem professionem, Dei filio, ut in (*f*) unius Domini sacramento maneret, non relinqui videbatur ; Scribam admonet, quomodo Christum David filium esse diceret, cum David eum Dominum suum esset professus ; nec natura sineret, ut qui tanto patriarchæ esset filius, esset et Dominus. Hoc ideo, ut (*g*) se Scriba, secundum carnem et partum Mariæ quæ ex David esset solum eum intelligens, Dominum potius, secundum Spiritum, David meminisset esse, quam filium ; et id quod dictum est : *Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est* (*Marc.* xii, 29), a Domini unius sacramento Christum non separaret, cum tantus patriarcha et prophetes eum, qui ex utero Domini ante luciferum genitus fuisset, Dominum sibi profiteretur : non utique immemor legis, neque ignorans Dominum alium non confitendum, sed eum, qui naturalis sacramento nativitatis ex incorporalis Dei utero substitisset, absque violatæ legis fide Dominum esse intelligendum ; cum unus ex uno, per unius Domini naturam, haberet in se naturale quod Dominus est.

27. *Epilogus.* — Quis ergo est (3) jam nunc relictus ambigendi locus? Dominus ipse præcipuum mandatum legis in unius Domini confessione ac dilectione docens esse, non suo ad **279** Scribam, sed Prophetæ testimonio usus est, esse se Dominum : Dominum se tamen semper per id, quod Dei filius est, esse significans. Per id enim in sacramento Dei unius per nativitatem manet, quia Dei in se naturam Dei nativitas tenens, in Deum alterum non (4) excedat diversitate naturæ ; et veritas generationis nec Patri adimat ne non (*h*) Dominus sit, nec Filio non perficiat ne non sit et Dominus. Atque ita neque auctoritatem Pater amittit, nec naturam Filius non tenet : per quod nec Deus pater non Dominus unus est, neque unigenitus. (*i*) Deus Dominus separatur ab uno ; cum ex uno Domino unus ipse subsistat in Dominum : Dominum unum ita ex lege docens, ut se quoque Dominum Propheta (5) teste confirmet (*David Psal.* cix).

28. *Ex ipsis hæreticorum objectis confirmatur Dei in Christo natura. Hæreticorum objectum.* — Tendat per cæteras impii furoris propositiones fidei evangelicæ responsio, et his ipsis quibus impugnatur repugnet : et armis excidii sui vincens, unius Spiritus dicta, unius quoque fidei demonstret esse doctrinam. Neque

(1) *Pauperis spiritu mercis est.*
(2) *Per professionem.*
(3) *Etiam nunc.*
(4) *Excidat.*
(5) *Testante.*

(*a*) Aliquot mss. *pauperis spiritu.* Nonnulli alii, *pauperibus spiritu.*

(*b*) Excusi, *hujuscemodi indulgentiæ implebit :* castigantur ex mss.

(*c*) In vulgatis, *per professionem :* expunximus *per* ex fide mss.

(*d*) Sola editio Par., *fideli cursu.* Tum mss. Vat. bas. et Martin. *etsi ignorata.* Magis placeret cum Colb. *etsi ignorati*, si hæc duo vocabula post *prælata dilectione Dei* exstarent. Verum ideo ignorans ille cursus, quia hominis ignorantis Deum, secundum illud, lib. iii, n. 17 : *Deum nemo noscit, nisi confiteatur et Patrem patrem unigeniti Filii, et Filium*, etc. Illa enim Patris et Filii cognitio consummatum sacramentum est, cujus ignoratione detentus Scriba modo dicebatur.

(*e*) In excusis, *qui futurus :* prave. Sensus est, *cur magis*, seu cur potius, *non longe a regno, quam futurus in regno* dicatur.

(*f*) Codex Vat. bas. cum Martin., *unius Dei :* minus concinne.

(*g*) Vocabulum *se* in vulgatis omissum restituitur ex mss.

(*h*) Editi, *ne non Deus sit :* reluctantibus mss. Tum Vat. bas. codex, *nec Filio non proficiat.*

(*i*) Mss. Colb. et Germ., *unigenitus Dominus*, omissa voce *Deus*. Vat. bas., *unigenitus Deus Domino.*

enim alius Christus, quam qui est prædicatus, Deus scilicet verus, et in Dei unius veri gloria manens: et sicut se Dominum ex lege, dum negare videretur, professus; ita et in Evangeliis verum se Deum, dum non confiteri existimatur ostendens. Hoc enim se dicto ejus, ne eum verum Deum esse hæretici confiteantur, excusant: *Hæc est autem vita æterna, ut sciant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). In eo namque quod ait, *te solum verum Deum*, separare se a veritate Dei per exceptionem solitarii existimatur; cum solus verus Deus nisi se tantum solitarium Deum non patiatur intelligi. Et vere istud fides apostolica non patitur, duos veros deos credi; quia naturæ unius Dei nihil alienum naturæ ejusdem exæquandum sit veritati. Non erit enim in Dei unius veritate Deus unus, si extra naturam unius Dei veri, alterius generis et non secundum nativitatem naturalis sibi Deus verus exsistat.

29. *Ex adjunctis verbis diluitur. Deum ex Deo natura Christum agnoscunt Apostoli.* — Sed ut hoc ipso eodem dicto non ambigue ipse se in unius Dei veri natura Deum verum professus esse intelligatur, a superioribus, huic tamen dicto continuatis atque junctis, professionibus responsionis nostræ sermo descendat: ut per gradus demonstratæ fidei, jam in ipso apice veri Dei Christi libertatis nostræ fiducia conquiescat. Post **280** sacramentum itaque sermonis ejus, quo dixerat: *Qui me vidit vidit et Patrem; et: Non creditis mihi, quod ego in Patre, et Pater in me?* (1) *Verba, quæ ego loquor vobis, non a me loquor; sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua. Credite mihi, quoniam ego in Patre, et Pater in me est: sin autem, vel propter opera ipsa credite* (*Joan.* XIV, 9 *et seqq.*). Post multiplicem ergo hunc ingentium mysteriorum sermonem, sequitur respondentium discipulorum sermo iste: *Nunc ergo scimus quia nosti omnia, et non habes necesse ut aliquis te interroget; in hoc credimus quoniam a Deo existi* (*Joan.* XVI, 30 *et* 31). Virtutibus in eo Dei, naturam quoque Dei intellexerunt: neque enim nosse omnia, et cordium cogitationes scire, missi potius a Deo posset esse, quam nati. In hoc ergo se credere profitentur quod a Deo exierit, quia naturæ in eo Dei esset potestas.

30. *Exitionis nomine id apte significant. Exitio illa nativitatem dicit, non alienationem a Patre.* — Intelligentiam (*a*) autem eorum collaudans Dominus respondit, non utique quod missus esset, sed quod a Deo exisset, profectum nativitatis ex incorporali Deo sub exitionis significatione testatum (*V. lib.* VI, *n.* 30). Nam et ipse nativitatem suam sub exitionis demonstratione fuerat elocutus, dicens: *Vos me amatis, et creditis quoniam a Deo exivi, et a Patre veni in hunc mundum* (*Ibid.* 27 *et* 28). A Patre enim in hunc mundum venerat, (2) quia a Deo exierat. Nam ut nativitatem suam in exitione significasse intelligeretur, subjecit se a Patre venisse. Et cum per id a Patre venerit, quia a Deo exierit; exitio ejus a Deo absoluta nativitas est, quam paterni nominis est confessio consecuta. Intelligentibus itaque Apostolis hoc exitionis sacramentum, hæc locutus est: *Modo creditis. Ecce venit hora, et* (3) *nunc* (*b*) *venit, ut dispergatur unusquisque in sua, et me solum relinquatis: sed non sum solus, quoniam Pater mecum est* (*Ibid.* 32 *et* 33). Ut exitionem illam, non alienationem a Deo patre doceret esse, sed nativitatem naturam in se Dei patris nascendo retinentem; subjecit non se solum esse, sed Patrem secum esse, virtute utique atque unitate naturæ: cum secum Pater in se manens esset, in loquente se atque operante et operans et loquens. Deinde ut causam totius hujus sui sermonis ostenderet, adjecit: *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In hoc autem sæculo tribulationem habebitis: sed* (*c*) *animæqui estote, quia vici ego* **281** *mundum* (*Ibid.* 33). Locutus ergo ista est, ut pacifici in eo manerent, neque dissensionum studio super fidei disceptationibus dissiderent; cum qui solus relinqueretur, non solus esset; et qui a Deo exisset, cum a quo exisset Deum in se haberet: deinde in sæculo vexati, patientes promissionum ejus essent, qui mundum a Deo exeundo et Deum secum habendo vicisset.

31. *Filium infirmum non probat gloriæ petitio, non potestatis acceptio. Potestas omnis Filio est congenita.* — Postremo totius mysterii fidem locuturus, elevatis in cœlum oculis ait: *Pater, venit hora, honorifica filium tuum, ut filius* (4) *tuus honorificet te. Sicut dedisti illi potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti illi, det ei vitam æternam* (*Joan.* XVII, 1 *et* 2). Anne tibi infirmus videtur, cum honorificari se rogat? Sit plane infirmus, nisi honorificari se idcirco postulat, ut ipse honorificet honorantem. De honore accipiendo et reddendo, libro alio (*Lib.* III, *n.* 12) tractavimus, et eadem revolvere admodum (*d*) otiosum est. Certe non ambigitur gloriam idcirco posci, ut glorificetur impertiens. Sed forte in eo imbecillus est, quod potestatem omnis carnis accepit. Sit quoque acceptio potestatis imbecilla, nisi potens est illis, quos accepit, vitæ tribuere æternitatem. Sed in eo ipso quoque, quod accepit, naturæ aliqua infirmitas arguitur. Sit plane acceptio infirmitas, nisi Christus ex nativitate potius, quam ex innascibilitate Deus verus est.

(1) *Et verba.* Paulo post, *et Pater in me* sine verbo *est*, juxta græcum, *καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί.*

(2) *Qui a Deo.*

(*a*) In ea scil. sitam fide, qua eum a Deo exisse se credere profitentur, Dominus collaudat et confirmat, cum statim respondet, *Modo creditis.* Quocirca verba, *non utique quod missus esset, sed quod a Deo exisset*, non ad *respondit*, sed ad *intelligentiam collaudans* referenda sunt.

(3) Vox *nunc* abest a codice nostro. Paulo post, *dispargatur.*

(4) Deest *tuus.*

(*b*) Lips. et Par. *veniet hora*, refragantibus aliis libris et græco *ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐλήλυθεν.* Unde particulam *nunc* revocamus ex Bad., Er. et ms. bas. Vat.

(*c*) Ita Lips. cum mss. At Er. post Bad., *animi æqui.* Par. *animæquiores.*

(*d*) In ms. Vat. bas., *odiosum.*

Quod si acceptio potestatis, sola est significatio nativitatis, in qua accepit id quod est; non est infirmitati datio deputanda, quæ totum hoc nascentem consummat esse quod Deus est. Cum enim innascibilis Deus ad perfectam divinæ beatitudinis nativitatem unigenito Deo auctor sit, auctorem nativitatis esse sacramentum (*a*) paternum est. Cæterum non habet contumeliam, (*b*) quæ se auctoris sui esse imaginem genuina nativitate consummat. Dedisse enim potestatem omnis carnis, et ad id dedisse ut det ei vitam æternam, habet et in dante quod pater est, et in accipiente quod Deus est : cum et in eo significetur Pater esse, quod dederit; et in eo Filius Deus maneat, quod vitæ æternæ dandæ sumpserit potestatem. Naturalis igitur filio Dei et congenita omnis potestas est : quæ cum data sit, (*c*) non alienat eum per id ab auctore qua data est; cum quod sit auctoris, hoc datum sit, dare scilicet vitam æternam, et corruptionem **282** (*d*) in incorruptionem mutare. Dedit itaque Pater omnia, et accepit Filius omnia : neque ambiguum est, cum dixerit : *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15). Et hic quidem non creationum species, neque elementorum diversas substitutiones præsens sermo significat (*V. infra n.* 72) : sed beatæ atque absolutæ divinitatis nobis gloriam pandens, Deum in his ostendit intelligendum esse quæ sua sunt, in virtute, in æternitate, in providentia, in potestate : non quod hæc Deus ita habeat, tamquam aliud quid extra ista esse (*e*) credendus sit : sed quod in his ad aliquantulam sensus nostri opinionem significatus sit ipse quæ habeat. Unigenitus igitur in his se docens substitisse quæ Patris sunt, cum ex se sumpturum esse sanctum Spiritum dixisset, adjecit : *Omnia quæ Patris sunt, mea sunt; propterea dixi, de meo accipiet* (*Ibid.*). Omnia quæ Patris sunt, sua sunt, tradita utique et accepta. Sed data non infirmant (*f*) divinitatem, quæ in his eum constituunt esse quibus Pater est.

32. *Inseparabilis est a Patre.* — His igitur nunc gradibus præmissæ de se intelligentiæ usus est, ut cum se a Deo exisse docuisset, secumque esse Patrem professus esset, seque mundum vicisse testatus esset (*Joan.* XVI, 28, 32, 33), et honorandus a Patre Patrem esset honoraturus, et accepta potestate in danda universæ carni vitæ æternitate esset usurus, tum postremo omnia hæc tali absolutione concluderet : *Hæc est autem vita æterna, ut sciant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Ibid.* XVII, 1-3). Vitæ æternæ fidem vel loqui, hæretice, disce, vel credere. Et separa a Deo Christum, si potes, a Patre Filium, a Deo vero super omnia Deum, a solo unum (unus enim Dominus est Jesus Christus, I *Cor.* VIII, 6); si vita æterna est in Deum solum verum credidisse (*g*) sine Christo. Si vero separato Christo a solo Deo vero, in confessione solius Dei veri vita æterna non capitur; non intelligo quomodo nobis a Deo vero separandus ad fidem sit, qui non sit separabilis ad salutem.

33. *Objecto loco Christus innuitur verus Deus.* — Quamquam igitur sciam morosas difficilium quæstionum absolutiones legentium desideriis graves esse; tamen (1) dilata ad modicum totius veritatis demonstratione, indulgeri mihi existimo non sine aliquo fidei profectu, his ipsis dictis evangelicis tecum, hæretice, luctanti. Audis professionem Domini **283** dicentis : *Hæc est autem vita æterna, ut sciant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Quæro, quid sit quod sensum moveat, ne verus Deus Christus sit? Non enim tibi nunc quid de Christo (*h*) crederes, significatio aliqua alia subjecta demonstrat. Non habes quidquam præter quam *Jesum Christum;* non filium hominis, ut de se solet dicere; non filium Dei, ut profiteri ei de se usitatum est; non descendentem panem vivum de cœlis, quod cum multorum scandalo de se (*i*) frequentat (*Joan.* VI, 61). Sed dicens : *te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3), omnem prænominum et cognominum suorum, vel naturalium, vel assumptorum consuetudinem prætermisit : ut cum confitendus solus verus Deus et Christus Jesus æternitatem præstarent, sine dubio in ea Jesus Christus esset significatione, qua Deus est.

34. *Nec repugnat quod Pater dicatur solus verus.* — Sed forte quod ait *te solum*, communionem atque unitatem suam a Deo separat. Separet sane, si non ad id quod ait, *te solum verum Deum*, continuo subjecit, *et quem misisti Jesum Christum.* Et sensum audientis interrogo, quid credendus sit Jesus Christus; cum ad id, quod Pater solus Deus verus credendus sit, credendus et Christus sit? Sed solus

(1) In edi ione præcedente, *dilatata.*

(*a*) Id est, proprietas est, qua sola pater a filio distinguitur.

(*b*) Apud Par. *qui.* Præferimus cum mss. *quæ*, scil. acceptio. Nonnulli deinde omittunt *se*, quod ad Deum unigenitum refertur. In tribus Vatic., *quem auctoris sui imaginem.* At apud Bad., Er. et Lips., *quæ auctoris sui exprimit imaginem : quod enim Pater dedit potestatem, in hoc filium genuit; quod Filius accepit, nativitatem consummat :* glossema.

(*c*) Excusi, *non alienata est per id* : emendantur ex mss.

(*d*) In nonnullis probæ notæ mss. omittitur *in incorruptionem.*

(*e*) Par. cum vetere ms. Colb. *credendum sit.* Mox eadem editio post Er. et Lips., *ipse qui habeat.* Magis placet cum Bad. et mss. *quæ*, puta, *sed quod in his quæ habeat, ipse significatus sit.* Hic docetur Deus ita simplex, ut in eo nequaquam more nostro aliud sint habens et habita. Quocirca lib. VIII, n. 24, dicitur : *Se omnem per sua edocet, et sua non aliud quam se esse significat, ut ubi sua insint, ipse esse intelligatur.*

(*f*) Bad. et Er. cum uno e mss. Vatic., *nativitatem :* minus bene.

(*g*) Editi, *sed non sine Christo separato Christo a Deo vero*, etc., lectione minus sincera et interpunctione vitiosa. Castigantur ope mss.

(*h*) Bad. et Er. cum ms. Remig., *credideris.* Lips. et Par. cum Corb. et aliquot aliis, *credere debeas.* Reponimus cum sincerioribus *crederes.*

(*i*) Recentior ms. Colb. quem Bad. et Er. secuti sunt, *frequenter asserit :* reluctantibus aliis libris.

forte Pater Deus verus Christo non relinquit ut Deus sit. Non relinquat (1) sane, si unus (*a*) Deus pater Christo, ut unus sit Dominus, non reliquit (I *Cor.* VIII, 6). Quod si unus Deus pater Christo non adimit ut unus sit Dominus, ita solus Deus pater verus Christo Jesu non aufert ut Deus verus sit : cum ad vitæ æternæ meritum hoc proficiat, ut cum credatur solus verus Deus, credatur et Christus.

35. *Nec locus est, ut Christus aliud a Deo credatur.* — Quid nunc, (2) rogo, stultitiæ tuæ sensu Christo deputas, hæretice, (*b*) ut esse credatur; et Christo, qui vitam æternam tribuit, qui honorificandus a Patre Patrem honorificavit, qui mundum vicit, qui solus relinquendus non solus est, sed secum habet Patrem, qui a Deo exivit atque a Patre venit? Quid ei in tantis Dei virtutibus nato naturæ ac veritatis imperties? Solum enim verum Deum patrem inutiliter **284** (3) credimus, nisi credamus et quem misit Jesum Christum. Quid hæres? quid Christus confitendus sit doce. Nam qui quæ scripta sunt negas, quid restat, nisi ut quæ non scripta sunt credas? O infelix voluntas, et veritati obnitens falsitas! Cum in fide et confessione veri Dei patris Christus unitus est, rogo qua fide verus Deus negatus creatura esse dicetur, cum fides nulla sit in solum verum Deum credidisse sine Christo? Sed angustum te, hæretice, et divini Spiritus incapacem, cœlestium dictorum non adit sensus : et vipereo inspiratus errore, Christum verum Deum nescis in fide solius veri Dei ad vitæ æternitatem confitendum.

36. *Eo quod solus Deus verus Pater, verus etiam Deus est Christus. Aliud eum dicere Patri est injuriosum.* — Sed Ecclesiæ fides solum verum Deum patrem confessa, confitetur et Christum. Neque verum Christum Deum confitendo, non et solum verum Deum patrem confitetur : neque rursum solum verum Deum patrem confessa, non confitetur et Christum. Per id enim Christum confessa Deum verum est, quod solum verum Deum confessa sit Patrem. Ita quod solus Deus pater Deus verus est, Deum verum esse confirmat et Christum. Non enim unigenito Deo naturæ demutationem naturalis nativitas intulit : (*c*) nec qui ex subsistente Deo secundum divinæ generationis naturam Deus (4) subsistit, ab eo, qui solus verus Deus est, separabilis est veritate naturæ. Tenuit autem natura veritatis suæ ordinem, (*d*) ut nativitatis veritatem veritas naturalis inveheret, nec alterius ex se generis Deum Deus unus (5) efferret. Atque ita sacramentum Dei nec in solitudine, nec in diversitate consistit : cum neque alter Deus deputetur, qui ex Deo cum naturæ suæ proprietate substiterit; neque in unione maneat, quem patrem nativitatis veritas doceat confitendum. Non deseruit igitur natus Deus naturæ suæ proprietatem : et naturali in eo virtute est, cujus in se tenet naturali nativitate naturam. Non enim in eo Deus aut demutatus, aut degener est; cum si quod vitium nativitas intulisset, ei potius naturæ contumeliam, per quam nativitas subsistebat, (*e*) inveheret, dum quod ex se est desineret **285** esse quod suum est : atque ita non eum demutatio (6) (*f*) corrumperet, qui in substantiam novam nativitate substiterat; sed eum, qui in nativitate filii impotens naturæ suæ tenere constantiam, externum aliquid a se alienumque genuisset.

37. *Unitas Patris et Filii non humano more cogitanda. Filii nativitas.* — Non est autem, ut sæpe jam commemoravimus, in unitate Dei patris et Dei filii humanarum vitium opinionum : ut sit vel extensio, vel series, vel fluxus; ut aut rivum fons effundat ab origine, aut ramum arbor teneat in caudice, aut calorem ignis emittat in spatium. Hæc enim (*g*) ab se inseparabili protensione manent potius detenta, quam (*h*) sibi sunt : dum et calor (7) in igne est, et

(1) *Plane;* mox, *non relinquit.*
(2) *Ergo.*
(3) *Credemus.* Postea, *quid hæres? quid moraris?*
(4) In ms. nostro, *substitit.* Paulo post, *inseparabilis.*

(5) *Ecferret.* Atque ita sæpe scribitur hoc verbum in eodem codice.
(6) *Corrumpebat.*
(7) *In igni est.*

(*a*) Sola editio Par., *unus Dominus Pater :* male. Respicitur hic locus Apostoli I Cor. VIII, 6, libro superiore, cujus num. 35 videsis, copiose tractatus.

(*b*) Bad. cum. aliquot mss., *ut cum credatur et Christo :* quorum loco Erasmus, oblitus quantum præfatione sua in interpolatores declamasset, substituit, *ut cum creditur Deo Patri, credatur et Christo.* Lipsius tandem de suo restituit, *cum esse credatur et Christus :* quod postea obtinuit. Locum hunc resarcimus ad fidem mss. in quorum tribus desideratur, *et Christo :* quæ repetitio quamdam habet emphasim, hoc nimirum sensu : Tu qui non vis ut Christum Deum esse credamus, quam ei naturam deputas? ei, inquam, qui vitam æternam tribuit, qui, etc.

(*c*) In vulgatis, *et* pro *nec;* et infra, *inseparabilis* pro *separabilis.* Concinnior est lectio mss.

(*d*) Antiqui cod. Colb., Carn. et Germ. *ut nativitatem veritas,* etc.

(*e*) Editi, *inferret.* At mss. Corb., Mart., Vat. bas. ac plures alii, *inveheret.* Quinque ex antiquioribus, *inhæreret* : qui quidem antea habent *id potius,* non *ei potius.* Quocirca non displicet cum Carnut. *id potius naturæ contumelia.... inhæreret.* Non male hic Pater nuncupatur natura per quam nativitas subsistit; cum adversus hæreticos sermo sit, qui Filio diversam ab eo naturam adscribebant. Quam hoc Patri sit contumeliosum, demonstrat August. Serm. CXXXIX, n. 3, et 4. *Vid. sup. col.* 103, *not.* a, *et* 126, *not.* i *hujus editionis.*

(*f*) Par. *corruperat*; editi alii, *corrumpebat :* emendantur ex mss. Colb. et Germ.

(*g*) Bad., Er. et unus e mss. Vatic. omittunt *ab se:* pro quo alter codex Vatic. habet *in se.* Utrumque potest admitti. Nam ab arbore ramus, a fonte rivus protenduntur, et in iis nihilo minus indivulsi manent.

(*h*) Martin. ms. *sibi insunt :* quod Erasmus ad limbum adscripsit, ac postea Lips. et Par. in textum

in arbore ramus est, et rivus in fonte est. Et hæc ipsa res sola sibi est potius, quam res ex re substituta est: quia non aliud (*a*) arbor quam ramus, neque ignis quam calor, neque fons possit esse quam rivus. At vero unigenitus Deus ex perfecta atque inenarrabili nativitate subsistens Deus est, et vera progenies innascibilis Dei est, et incorporalis naturæ generatio incorporalis, et Deus vivus et verus a vivente Deo vero, et inseparabilis a Deo naturæ Deus: dum **286** subsistens nativitas non alterius naturæ Deum (1) perfecit, neque generatio, quæ substantiam provehebat, substantiæ naturam demutavit in genere.

38. *Unitas paternæ naturæ Christo ut homini negata. Per gloriam ei redditur.* — Sed dispensatione assumptæ carnis, et per (*b*) exinanientis se ex Dei forma obedientiam, naturæ sibi (2) novitatem (*c*) Christus homo natus intulerat, non virtutis naturæque damno, sed habitus demutatione. Exinaniens se igitur ex Dei forma, servi formam natus acceperat: sed hanc carnis assumptionem ea, cum qua sibi naturalis unitas erat, Patris natura (*d*) non senserat: et novitas temporalis, licet maneret in virtute naturæ, (3) amiserat (*e*) tamen, cum forma Dei, naturæ Dei secundum assumptum hominem unitatem. Sed summa (*f*) dispensationis hæc erat, ut totus nunc Filius, homo scilicet et Deus, per indulgentiam paternæ voluntatis, unitati paternæ naturæ inesset: et qui manebat in virtute naturæ, maneret quoque in genere naturæ. Id enim homini acquirebatur, ut Deus esset. Sed manere in Dei unitate assumptus homo nullo modo poterat, nisi per unitatem Dei in unitatem Dei (*g*) naturalis evaderet: ut per **287** hoc, quod in natura Dei erat Deus Verbum, Verbum quoque caro factum rursum in natura Dei inesset: atque ita homo Jesus Christus maneret in gloria Dei patris, si in Verbi gloriam caro esset unita: rediretque tunc in naturæ paternæ etiam secundum homi-

(1) *Perficit.*
(2) *Novitatem.* A secunda manu, *nativitate.*
(3) Sic et a prima manu codicis nostri; sed ex emendatione, *non amiserat.*

male transtulere. Nam illud, *sibi sunt*, hoc sonat, ea non esse sui juris, nec per se subsistere; adeo ut ramus cum caudice non sint duæ res integræ et perfectæ, quarum una substituta sit ex altera, sed una sola tantum substantia, quæ ex duabus partibus simul junctis suam subsistentiam obtineat.

(*a*) Puta in subsistendi ratione, quæ una hic consideratur. Nam quod proxime antea *res ex re substituta* ea dicatur, quæ ex re subsistente subsistentiam suam consecuta sit; patet ex postremis lib. VIII verbis, quibus Filius asseritur ita *indifferens a Deo Deus, ut perfectum Deum substituerit perfecta nativitas.*

(*b*) Ita mss. At excusi, *exinaniendi.*

(*c*) Mss. Remig., Germ., Martin. ac vetus Colb., *nativitatem.* Malumus cum libris aliis *novitatem*, hoc est, novam hominis naturam: quod confirmare licet his num. 14: *Qui cum se evacuaverit, ut manens Spiritus Christus, idem Christus homo esset; in corpore demutatio habitus et assumptio naturæ* (en naturæ novitas), *naturam manentis divinitatis non peremit:* en quid sibi velit, *non virtutis naturæque damno.* Sed et initio num. 53, non obscure datur, quod *nativitas hominis naturam novam intulit.*

(*d*) Bad. et Er. cum recentiore ms. Colb., *non sineret.* Quid hic significetur, planum est ex his num. 50: *Ignorandum existimas, Patrem extra hanc humanarum passionum assumptionem..... sine carnis susceptione mansisse?*

(*e*) In mss. Corb. ab antiqua manu secunda Cisterc. aliisque recentioribus, *non amiserat;* et mox apud Par., *nativitatem*, non *unitatem:* corrupte. Qui prædictum codicem Corb. annis ab hinc circiter 800 emendavit, hic ad oram adscripsit, *Nota novum dogma:* non capiens quid unitatis Dei naturalis jacturam vel recuperationem diceret Hilarius, cujus nova potius et inusitata nobis est loquendi ratio, quam dogma. Non enim negat in Christo, ex quo carnem suscepit, naturalem inter humanam divinamque naturam unitatem: quam constanter adeo propugnavit, ut supra n. 11, et carnem spoliatam et carne se spoliantem unum eumdemque Christum negari non permitteret. Longe minus sentit Christum ab unitate naturæ paternæ excidisse: *cum qua sibi*, etiam post assumptum hominem, *naturalis unitas erat*, uti proxime ab ipso audivimus, ac fuse probatur toto libro superiore, et aliis passim. Quæ est igitur naturalis illa unitas, quam Christus secundum hominem amiserit? Non alia sane, quam ipsamet gloria: cujus nondum consors facta humana ipsius natura, quodam modo dissidebat a divina, utpote passibilis ab impassibili, mortalis ab immortali, infirma ab omnipotente. At ubi per gloriam redditur incorruptibilis, immortalis, æterna, etc., tum perfecta gaudet, quantum creatæ substantiæ licet, cum Dei natura consensione: quam quidem consensionem, ut ex sequentibus magis perspicuum erit, vocat Hilarius unitatem naturalem. Neque est quod quis quærat, cur Christus illam dicatur amisisse, quam ante gloriosam resurrectionem secundum assumptum hominem numquam habuerit. Ea enim ratione vere affirmatur amisisse, qua vere dicitur de ipsius carne, *Hic est panis qui de cœlo descendit.* Ut enim docet S. Leo epist. nunc XXIV, c. 5, Augustini verba mutuatus ex lib. contra Serm. Arian. c. 8: *Propter hanc unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et filius hominis legitur descendisse de cœlo, cum filius Dei carnem de ea Virgine de qua est natus assumpsit*, etc. Enim vero Christus, ante carnis susceptionem, prædictam illam unitatem simpliciter et absolute habuerat, postea vero secundum assumptum hominem non habebat: at aliquid habuisse simpliciter, et post non item habere, quid est nisi amittere? Negotium facessere hic posset, quod etiam formæ Dei jacturam facere hic prædicetur, nisi *formæ* nomine externum habitum intelligendum esse jam supra, num. 14, ostensum esset.

(*f*) Hoc est, consummatio atque perfectio: quæ ut in psal. II, n. 27, exponitur, in hoc sita erat, *ut quod tum filius hominis est, ad perfectum Dei filium, id est, ad resumendam indulgendamque corpori æternitatis suæ gloriam, per resurrectionis potentiam gigneretur.* Ubi ad perfectum Dei filium gigni idem omnino est, quod hic *totus nunc filius*, vel quod supra, num. 6, *totus homo totus Deus:* ac proinde quod hic dicitur, *per indulgentiam paternæ voluntatis unitati paternæ naturæ inesse*, idem sit necesse est, quod laudato loco corpori æternitatis gloriam per resurrectionem indulgere. Confer utrumque locum.

(*g*) Sic mss. At editi, *naturalem:* hac mutatione Hilarii scopum ac subtile argumentum prorsus obscurantes. Volens enim demonstrare Christum esse Deum naturalem, hoc eo conficit, quod ipsius caro in gloriam ac naturam Verbi Dei unita, insit in unitate paternæ naturæ; quod fieri non possit, nisi una et eadem sit Patris ac Verbi Dei natura, qua mediante caro cum natura Verbi Dei unita, unita sit et cum natura Patris; proindeque nisi Christus sit naturalis Deus.

nem unitatem Verbum caro factum, cum gloriam Verbi caro assumpta tenuisset. Reddenda igitur apud se ipsum (*a*) Patri erat unitas sua, ut naturæ suæ nativitas in se rursum glorificanda resideret: quia dispensationis novitas offensionem unitatis intulerat; et unitas ut perfecta antea fuerat, nulla esse nunc poterat, nisi glorificata apud se fuisset carnis assumptio.

39. *Gloria Patris gloria Filii, idque sonat* apud te. *Hæc homini assumpto non concessa, peracta dispensatione rogatur.* — Et idcirco tanto antea præparato ad fidei hujus intelligentiam sensu, cum dixisset: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3); subjecit secundum dispensationis suæ obedientiam, *Ego te glorificavi super terram, opus consummavi, quod dedisti mihi ut facerem* (*Ibid.* 4). Post quæ, ut meritum obedientiæ et sacramentum totius dispensationis intelligeremus, adjecit, *Et nunc* (*b*) *glorifica me tu Pater apud temetipsum gloria quam habebam, antequam sæculum esset, apud te* (*Ibid.* 5). Qui manere Christum in natura Dei denegat, et inseparabilem esse atque indifferentem a solo Deo vero non credit; respondeat quæ hujus petitionis sit ratio, *Et nunc glorifica me tu Pater apud temetipsum.* Quid enim causæ est, ut eum Pater glorificet apud semetipsum? aut quæ verbi hujus significatio est? quive significationis effectus est? Pater namque non eget gloria, nec se exinanierat de forma gloriæ suæ. (1) Quomodo autem apud semetipsum glorificaturus est Filium, et ea gloria quam habuit apud eum ante mundi constitutionem? Sed apud eum habere qui sensus est? Non enim ait gloriam, quam habebam antequam sæculum esset, (*c*) cum essem apud te; sed gloriam, quam habebam apud te. Esse enim apud te, consistentem significat: habere autem apud te, naturæ sacramentum docet. *Glorifica* (2) vero (*d*) *me apud te*, non idem est quod glorifica me. Non enim semetipsum glorificari tantum **288** ita, ut sibi aliquid sit (*e*) proprium gloriæ, rogat: sed apud semetipsum Patrem glorificari se ab eo precatur. Ut enim in unitate sua maneret ut manserat, glorificaturus eum apud se Pater erat; quia gloriæ suæ (3) unitas (*f*) per obedientiam dispensationis excesserat: scilicet ut in ea natura per glorificationem rursus esset, in qua sacramento erat divinæ nativitatis unitus, (*g*) esseque Patri apud semetipsum glorificatus: ut quod apud eum ante habebat maneret, neque alienaret ab eo formæ Dei naturam, formæ servilis assumptio; sed apud semetipsum glorificaret formam servi, ut maneret (*h*) esse Dei forma: quia qui in Dei forma manserat, idem erat in servi forma. Et cum servi forma glorificanda esset in Dei forma, apud eum ipsum glorificanda erat, in cujus forma formæ servilis erat habitus honorandus.

40. *Verba Dei qualia. Gloriam carni non Verbo quæsivit Christus.* — Non nova vero hæc, neque nunc primum evangelicis doctrinis (*i*) consignata vox Domini est: et hoc ipsum (*j*) glorificandi Filii apud semetipsum Dei patris sacramentum pulcherrima illa spei suæ gratulatione testatus est tum, cum Juda ad proditionem exeunte, gaudio consummandæ suæ dispensationis elatus hæc dixit: *Nunc honorificatus est filius hominis, et Deus honorificatus est in eo. Si Deus honorificatus est in eo, et Deus honorificavit eum in se, et Deus protinus honorificavit eum* (*Joan.* XIII, 31, 32). Quid limosi corporis graves animæ, et sordente peccatis conscientia fœtidæ cœnosæque (*k*) mentes usque ad judicium divinæ de se professionis inflamur? et arbitros nos naturæ cœlestis (*id est*, divinæ) deputantes, impiis ad Deum calumniæ nostræ disputationibus (*l*) rebellamus? Quanta potuit enim Dominus verborum simplicitate evangelicam fidem locutus est: et in tantum ad intelligentiam nostram sermones aptavit, in quantum naturæ nostræ ferret infirmitas; non tamen ut aliquid minus dignum naturæ suæ majestate loqueretur. Et primam quidem dicti sui significationem non ambiguam existimo, cum ait: *Nunc honorificatus est filius hominis.* Gloria enim omnis non Verbo, sed carni acquirebatur: id est, non nativitati **289** Dei, sed nati hominis dispensationi. Hoc vero quod sequitur, quid significet interrogo, *Et Deus honorificatus est in eo.* Honorificatum enim in eo Deum audio: et quid istud sit secundum intelligentiam tuam, hæretice, ignoro. Deus in eo honorificatus est, in filio utique hominis: et

(1) *Quomodo ergo.*
(2) Abest *vero.*
(3) *Unitatem.*

(*a*) Seu *a Patre*, tacita voce *Filio*: qui *nativitas naturæ suæ* postea vocatur.

(*b*) Carnut. codex, *Clarifica me.... gloria quam habui.* Tum mss. Vat. bas. *antequam mundus esset apud te.*

(*c*) Hæc verba, *cum essem apud te*, omittit codex Vat. bas., sed omitti non debent.

(*d*) Illud *me* adjecimus ex ms. Vat. bas. et altero Vaticanæ bibliothecæ.

(*e*) Id est, non rogat ut aliquid gloriæ sibi proprium obveniat ac peculiare, quod cum gloria Patris non prorsus commune sit.

(*f*) Sic potiores mss. At editi, *unitatem.*

(*g*) Codex Vat. bas. cum Martin., *essetque Pater*: quod non placet.

(*h*) In vulgatis deest *esse*, quod suppletur ex mss. Sic supra n. 14: *non ut Christus, qui in forma Dei erat, Christus esse non maneat.* Male autem apud Bad. et Er., *ut maneret Dei forma, quia qui in forma servi manserat, idem erat in forma Dei.*

(*i*) Par. cum vetere ms. Colb., *confirmata.*

(*j*) Mss. Vat. bas. et Martin., *glorificari*: tum solus Vat. bas., *Filium apud semetipsum de Patris sacramento*: mendose. Hic vox *sacramentum* perinde intelligenda est, ac si repetita esset in hunc modum: Filii apud semetipsum glorificandi sacramentum, quod Dei Patris sacramentum est, id est, propria illius ratio: quo sensu num. 31 dictum est, *Auctorem nativitatis esse, sacramentum paternum est.*

(*k*) Adjecimus *mentes* ex mss.

(*l*) Bad. et Er. cum uno ms. Vatic. *fallimus*, quod et habuit Corb. a prima manu. Par. cum mss. Colb. ac Germ. *repugnamus.* Præferimus cum Lips. et aliis mss. *rebellamus.* Sic lib. II ad Constant. n. 6: *sub rejiciendis novitatibus novis ipsi ad Deum vocibus rebellamus.*

quæro an filius hominis idem sit et filius Dei. Et cum non (*a*) alius sit filius hominis, neque alius filius Dei (Verbum enim caro factum est); et cum qui Filius Dei est, ipse et hominis sit filius; requiro quis in hoc filio hominis, qui et filius Dei est, glorificatus sit Deus (*b*).

41. *Quam mutua Patris et Filii gloria. Glorificari in filio hominis Deum quid. Glorificatum in filio hominis Deum qui Deus glorificet in se.* — Quia in filio hominis, qui et filius Dei est, glorificatus Deus est, videamus quid sit hoc, (*c*) quod tertium subditur: *Si Deus glorificatus est in eo, et Deus glorificavit eum in se.* Quod istud, rogo, sacramenti mysterium est? Deus in filio hominis glorificato glorificatum Deum glorificat in sese. In filio hominis Dei gloria est, et gloria Dei in gloria filii hominis. Deus (*d*) glorificat in sese. Homo utique non per se glorificatur. Neque rursum qui in homine glorificatur Deus, licet gloriam accipiat, non tamen aliud ipse quam Deus est. At vero cum, glorificato filio hominis, glorificans Deum Deus glorificet in sese; invenio (*e*) naturæ gloriam in gloriam naturæ naturam glorificantis assumi. Non enim se Deus glorificat: sed glorificatum in homine Deum glorificat in sese. Quod autem glorificat in sese, licet non se glorificet, tamen in naturæ suæ gloriam naturam (*f*) glorificans assumit. Et cum glorificans Deum Deus, quia glorificatus in homine sit, glorificet in sese; eum quem glorificavit (*g*) Deum in se inesse demonstrat, cum eum glorificet in sese. Affer nunc quisquis es, hæretice, flexuosæ **290** doctrinæ tuæ inevolubiles quæstiones: quæ cum se nodis suis A illigent, in nullo tamen agmine hærendi molestiam continebunt. Filius enim hominis glorificatur, et glorificatur in eo Deus: et Deus glorificatum eum in homine glorificavit in sese. Non enim idipsum est glorificari filium hominis, quod et glorificari in filio hominis Deum, vel (*h*) glorificare in sese glorificatum in homine Deum. Loquere hoc secundum impietatis tuæ sensum verbis tuis, quid velis esse glorificari in filio hominis Deum. Utique aut Christum necesse est esse qui glorificatur in carne, aut Patrem qui glorificetur in Christo. Si Christus est; Deus certe Christus est, qui glorificatur in carne. Si Pater est, sacramentum unitatis est, cum Pater glorificetur in Filio. Aut Christum confitendo, Deum etiam invitus loqueris: aut (*i*) Patrem Deum intelliger.do, naB turam Dei patris non negabis in Christo. Atque hæc de glorificato filio hominis, et glorificato in eodem Deo dicta sint. De eo vero, quod glorificatum in filio hominis Deum Deus glorificat in sese, in quo tandem tibi relictam facultatem exserendæ impietatis existimas, ne secundum naturæ veritatem verus Deus Christus sit? Christum enim Deus natum hominem glorificat in sese: numquid extra se est, quod glorificat in sese? Reddit enim in se Christo gloriam, quam apud se habuit: et cum (*j*) in formam Dei assumptio formæ servilis assumitur, in se glorificatur glorificatus in homine Deus, qui ante (*k*) vacuitatis dispensationem in sese erat, et (*l*) per formam servi et per naturam nativitatis unitus. Nativitas enim non novæ neque alienæ naturæ Deum fecerat, sed naturalis filius patri naturali generatione **291** substiterat.

C

(*a*) In vetustissimis codicibus Vat. bas., Colb. ac Germ. necnon Bad. et Er. hic et mox, *aliud*: qua loquendi ratione, quamvis nobis minus accurata, pro suo tamen tempore minime suspecta usum esse Hilarium vix dubitamus ad significandam in Christo personæ unitatem.

(*b*) Pendet quæstio instituta; quia supervacanea videtur responsio: cum Pater Filio honorem impertiens, et ab eo rursum recipiens, jam non semel inde ostensus sit natura cum eo unum esse. Aut certe dilata solutio his habetur subsequentis numeri verbis: Glorificatus Deus *si Christus est; Deus certe Christus est, qui glorificatur in carne: si Pater est, sacramentum unitatis est, cum Pater glorificetur in Filio.*

(*c*) Sic mss. At editi, *quod tertio*. Sequentium, quæ intricata valde nonnullis videbuntur, intelligentia maxime pendet ex perceptione superiorum, quibus Christus, post consummatam dispensationem, in gloriam Dei, eoque nomine in naturam et unitatem Patris assumptus prædicatur.

(*d*) In vulgatis, *glorificat eum*. Abest *eum* a mss. et abesse debet. Mox sic intelligendum est *neque rursum*; quasi, *et rursum*; ut sit hellenismus Hilario familiaris.

(*e*) Hoc est, naturæ paternæ gloriam assumi in gloriam naturæ illius, qui cum homo sit, glorificatur; quatenus autem Deus, eamdem naturam glorificat. Ex quo sit, ut propter artissimam filii Dei ac filii hominis unitionem, glorificato filio hominis glorificetur filius Dei; ac rursum propter naturalem Dei patris ac filii unigeniti unitatem, glorificato filio Dei Deus pater glorificetur.

(*f*) Editi, *glorificantis*: reluctantibus potioribus mss. Vat. bas., Colb., Martin., Carn., etc., ex quibus hic præstatur sensus, ut quamvis alium a se glorificet Pater, tamen in naturæ suæ gloriam redundet quod glorificat in se.

(*g*) Addimus *Deum* ex plerisque ac potioribus mss. ex quibus Colb., Germ., Vind., Remig. subjiciunt deinde, *in se*, *in sese demonstrat*. Unde non displicet cum altero Colb. et uno Sorbon. *in se*: *in se esse demonstrat*.

(*h*) Apud Erasmum, *glorificari*: quem male secuti sunt alii editores. In mss. Colb. et Germ. legitur *glorificans*.

(*i*) Lips. et Par., *Patrem et Deum*: prave; hoc enim sibi vult: Si verba *Et Deus glorificatus est in eo*, de Christo in carne glorificato dicta confitearis, Christum confiteris Deum: si vero ad Deum patrem referas, jam non negabis Christo Patris naturam, ob quam ipse in illo glorificato glorificetur.

(*j*) Editi, *in forma Dei*. Rectius mss., *in formam Dei*: hoc est, cum in gloriam Dei etiam homo assumitur, unitur ac transformatur, tunc glorificatur, etc.

(*k*) In vulgatis *nativitatis*, ubi ex mss. restituitur *vacuitatis*, hoc est, exinanitionis. Quæ supra n. 14, verbo *evacuandi* et nomine *evacuationis*; et lib. XI, n. 48, *vacuefaciendi* verbo enuntiatur.

(*l*) Editi cum tribus mss. Colb., duobus Remig., Vind. etc., *per formam sui*. Præferendum cum Corb., Vat. bas., Pratel., Martin. etc., *per formam servi*, hoc est non solum secundum naturam, quam æterna nativitate accipit, sed et secundum humanam in Deo unitus: *dum homo et Deus jam Deus totum est*, ut loquitur lib. XI, n. 41: *forma videlicet servili in gloriam ejus cujus in forma ante manebat proficiente, corruptionis scilicet natura per profectum incorruptionis absorpta*, ut apertius explicat in psal. CXXXVIII, n. 19. Itaque verbum *unitus*, non ad *in sese erat*, sed ad *glorificatur* referendum est.

Et cum post nativitatem hominis glorificatus in homine, in naturæ suæ rursum gloriam clarescit; in se eum Deus clarificat, cum in naturæ paternæ gloriam, ab ea per dispensationem evacuatus, assumitur.

42. *Non alia Patris et Filii gloria. Vita non est Deum nosse sine Christo, qui et Deus verus est.*—Concludit autem audacissimum impietatis tuæ furorem apostolica fides, ne quo licentia liberæ intelligentiæ evageris, cum ait : *Et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus* (1) *in gloria Dei patris* (*Philip.* II, 11). Quem enim in sese Pater glorificavit, in ejus gloria confitendus est. Et qui in Patris gloria confitendus est, (*a*) et quem in se Pater glorificavit, in his sine dubio intelligendus est esse, quibus Pater est; cum et in se eum glorificaverit, et in gloria ejus sit confitendus. Non enim hic nunc tantummodo in gloria Dei est, sed in gloria Dei patris est. Neque glorificavit gloria exteriore, (2) sed glorificavit (*b*) in sese. In eam eum quæ sua est gloriam resumendo, et eam gloriam quam apud eum habuit, cum et apud se glorificat et in sese. Atque ita inseparabilis a fidei hujus conjunctione intelligitur etiam sub hominis humilitate, sic dicens: *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3) : cum et sine Christo, solo Deo patre cognito, vita æterna non sit, et Christus glorificatus in Patre sit. Si autem ea demum vita æterna est, solum verum (*c*) Deum nosse, et quem misit Jesum Christum ; non existimetur plane verus Deus Christus, si vita sit in Deum credidisse sine Christo. Et quod solus Deus pater Deus verus est; non pertineat ad Deum Christum, nisi gloria (*d*) Christi omnis in solo vero Deo patre est. Si enim in sese eum glorificat Pater, et solus Pater Deus verus est, non extra solum verum Deum Christus est : quia glorificatum in Deum Christum, glorificet Pater verus Deus solus in sese. Et quod a solo vero (*e*) glorificatur in sese, non alienatur a solo vero; quia in se solo glorificatur a vero.

43. *Objectum III contra Filii deitatem.* — Sed forte piæ huic fidei nostræ, impiæ perfidiæ tuæ occurrat assertio; ut aliena **292** ab intelligentia Dei A veri sit hæc necessitatis confessio: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* v, 19). Nisi duplicem responsionem duplex Judæorum indignatio (3) exigit; sit hæc plane infirmitatis professio, nihil ab se facere Filium posse, nisi quod viderit Patrem facientem. Quod si Judæis et violati sabbati reatum objicientibus, et æqualitatem in Christo Dei (*f*) per professum sibi Deum patrem non ferentibus, sub eodem dicto ad utrumque responsum est; putasne per confessionem responsionis posse dictorum oculi veritatem? Et quamquam in alio libello (*Lib.* VII, *n.* 7) tractatus hic a nobis locus fuerit : tamen quia non modo non obest, sed etiam ad religionem proficit, fidem retractari, eumdem ipsum, quia causa B postulat, revolvamus.

44. *Sabbati violati crimen. Qui amoveatur. Non aliud Patris ac Filii opus. Crimen alterum ob præsumptam Dei æqualitatem.* — Hinc autem primum responsionis necessitas orta est: *Et propter hoc persequebantur Judæi Jesum, et quærebant eum interficere, quoniam hæc faciebat sabbato* (*Joan.* v, 16). Ira itaque eorum usque ad cupiditatem interficiendi cum accendebatur, propter opera sabbato gesta. Sed et videamus quid Dominus responderit: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Ibid.* 17). Quod rogo istud opus Patris est, hæretice, demonstra. Per Filium enim et in Filio omnia sunt, et visibilia et invisibilia. Et tu, qui ultra Evangelia sapis, necesse est ut (*g*) aliis aliquibus arcanorum doctrinis cognitionem paterni operis adeptus sis, ut operantem (*h*) nobis Patrem ostendas. Quod si Pater operatur in C Filio, secundum quod ipse ait: *Verba, quæ ego loquor vobis,* (4) *non ego* (*i*) *loquor ; sed Pater, qui in me manet, ipse facit opera sua* (*Joan.* XIV, 10). Videsne quid hoc sit : *Pater meus usque modo operatur?* Hoc enim ideo ait, ut paternæ in se naturæ (*j*) intelligeretur potestas, in sabbati opere potestatis suæ usa natura. Cum enim (5) in se operetur operante Pater, ipse necesse est Patre operante operetur : atque ideo ait: *Pater meus usque modo operatur* (*Joan.* v, 17), ut ipsum illud hoc præsens dictorum atque gestorum

(1) *In gloria est Dei Patris.*
(2) *Sed glorificavit gloriam in sese.* Paulo post, *et in eam gloriam*, non *et eam gloriam.*

(3) *Exegit.*
(4) *Non a me loquor.*
(5) *In se operante operetur.*

(*a*) In prius vulgatis deerat particula *et.*

(*b*) Auctoritate mss. removimus hinc vocabulum *gloria.* Quæ sequuntur, majoris perspicuitatis ergo ita disponenda sunt: *Eum et apud se glorificat et in sese, in eam eum quæ sua est*, etc. quod notamus, quia prius vitiosa interpunctione perturbata erant.

(*c*) In vulgatis, *Deum patrem :* redundat postrema vox, et abest a mss.

(*d*) Lips. et Par. ex margine Erasmi, *Christi hominis*: reluctantibus aliis libris. Nec sane Christi tantum ut hominis, sed maxime ut Dei, gloria in solo Deo semper fuit. Et quia omnis ex Deo et in Deo patre semper fuit; non alia fuit Christi Patrisque gloria, non alia divinitas: ac proinde ubi Pater solus verus Deus prædicatur, non excluditur Christus.

(*e*) Vat. bas. codex hic addit *Deo:* citra necessitatem. Tum apud Par. *non alienat a solo vero, quia in* D *se solo glorificatur in vero* : mendose; hæc enim ita intelligere est : non alienatur ab eo, qui solus verus est; quia ab eo, qui verus est, in se solo glorificatur.

(*f*) Tres mss. Vatic., *professo sibi Deum.* Sensus sic perspicuior erit : non ferentibus in Christo æqualitatem Dei, quam sibi profitendo Deum patrem attribuerat.

(*g*) In editis desideratur *aliis*, nec non verbis *sis* cum sequente particula *ut*, post *adeptus.*

(*h*) Duo mss. Colb. *nobis postremo ostendas.*

(*i*) Solus codex Vat. bas. cum Martin. *non a me loquor*, consentientibus quidem supra n. 29, et infra n. 55, editis et scriptis, necnon sacro textu græco et latino: sed ideo minus suspecta hic videtur eorumdem consensio.

(*j*) Editi, *intelligeretur majestas*, refragantibus mss.

per se opus, paternæ in se naturæ **293** existimaretur operatio. Id enim, quod *usque modo operatur*, unum atque idem dicti temporisque momentum est; ut non aliud aliquod opus esse Patris, quam suum hoc quod agit, crederetur: cum per id, quod usque modo Pater operatur, hæc ipsa esset Patris sub eodem tempore sermonis operatio. Ac ne fides, intra cognitionem tantum Patris relicta, a vitæ æternæ spe abesset; continuo subjecit: *Et ego operor:* ut hoc ipsum, quod (*a*) modo operatur Pater, operetur et Filius. Ac sic perfectam fidem docuit, cum id, quod modo est, ejusdem temporis opus sit; et id, quod operatur Pater operatur et Filius, extra singularis sit unionem. Sed geminatus est audientium dolor: id enim sequitur: *Propter hoc magis quærebant eum Judæi interficere, quoniam non solum solvebat sabbatum, sed et quod patrem suum proprium dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Ibid.* 18). Et hic rursum admonebo, et Evangelistæ judicio, et communi humani generis assensu, filium in paternæ naturæ æqualitate esse: æqualitatem autem non nisi ex eadem esse natura; quia nativitas non habeat aliunde quod maneat, et omnis generatio a generante se non sit aliena; dum ad id quod manet, subsistit (*b*) ex eodem. Huic igitur duplicatæ indignationi videamus quid Dominus responderit: *Amen, amen dico vobis, non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille facit, eadem et Filius similiter facit* (*Joan.* v, 19).

45. *Responsio ad sabbati violati crimen. Illud* non potest *auctoritatem ostendit, non infirmitatem. Quid significet* nisi videat. *Responsio ad alterum crimen.* —Nisi dicta (*c*) propositioni propria sunt; vim dictis præsumptione propriæ et infidelis intelligentiæ afferimus. Si autem irarum causis subjecta responsio est; fides potius nostra loquitur quod docetur, quam irreligiosa perversitas impietatis suæ defendit errorem. Quæramus ergo an (*d*) ad sabbati opus hæc propria responsio sit: *Non potest filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ait enim superius: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Ibid.* 17). Si paternæ in se naturæ auctoritate quod gerit, gerente Patre agit, qui usque modo operatur in sabbato; extra crimen operis est Filius, in quo paternæ operationis præfertur auctoritas. Non enim ad infirmitatem retulit, *non potest*, sed ad auctoritatem; **294** nam ab se non potest, (1) (*e*) nisi viderit.

A Neque enim præstat vidisse virtutem: et cum non præstet visus virtutem, naturam non infirmat non posse sine visu, sed auctoritatem ostendit ex visu. Id enim quod ait, *nisi videat*, conscientiam significat in visu, sicuti ad Apostolos ait: *Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte regiones, quoniam albæ sunt ad messem* (*Joan.* IV, 35). Conscientia igitur in se naturæ paternæ, quæ in se operatur operante, ne violasse sabbatum Dominus sabbati crederetur, ait: *Non potest filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* v, 19): ut id quod operaretur, ex conscientia naturæ in se operantis ostenderet, cum et se sabbato operante, usque modo Pater operaretur in sabbato. Ad alterius vero (2) indignitatis (*f*) dolorem, consequentis dicti retulit causam: *Quæcumque enim Pater facit, eadem et Filius facit similiter* (*Ibid.*). Exprobra infirmitatem Dei filio, adime quoque naturæ æqualitatem, si non quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter, si discrimen aliquod paternæ virtutis atque operationis admittitur, si, quod (*g*) æqualitati virtutis naturæque proprium est, honoris æqualitas non postulatur. Ipse enim in continuis ait: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Ibid.* 23). Discerne æqualitatem in honore non dispari: infirma naturam in eadem operatione virtutis.

46. *Epilogus.* — Quid responsionis causam ad contumeliam divinitatis invadis? Ad operationem sabbati respondit, non se quidquam facere posse, nisi quod Patrem facientem vidisset: ad demonstrationem vero æqualitatis, quæcumque Pater faceret, facere se professus est. Tene (*supple*, responsum) quod ad sabbatum pertinet ad opprobrium infirmitatis, si non quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter. Si autem (*h*) sunt sine exceptione *quæcumque* sunt; in quo tandem infirmitas reperietur, cum (*i*) in nullo quæ Pater possit non possit et Filius? Aut in quo tandem per intercessionem infirmitatis negatur æqualitas, cum unus atque idem honor postuletur ad utrumque? Quod si eadem est virtus operandi, et eadem est religio honorandi; **295** non intelligo in quo tandem naturæ infirmis contumelia relinquatur, cum eadem sit in Patre et in Filio et virtutis potestas, et honoris æqualitas.

47. *Quid sit*, Nihil potest Filius facere a se, *alio loco*

(1) *Nisi videat.*

(2) *Indignationis.* Sic numero superiori dixerat: *Huic igitur duplicatæ indignationi.*

(*a*) Vat. Bas. ac Martin. mss., *modo usque operatur.*

(*b*) Solum exemplar Martinianum, *sub eodem.*

(*c*) Editi, *propositionis.* At mss., *propositioni*, scil. Judæorum, cui aptata sunt dicta Christi. Mox unus ms. Vatic., *et fidelis intelligentiæ*: non probandus.

(*d*) Sic mss. Editi vero, *de sabbati opere.*

(*e*) Soli editi hic, *nisi videat.* At ms. Vat. bas., *Nam quod ab se non potest, nisi viderit; quid enim præstat*, etc., corrupte. Hilarii ad mentem Augustinus contra Serm. Arian. c. 14: *Quod ait se non posse, non deficientis est, sed in eo quod de Patre natus est permanentis;* et hoc ait: ut paulo ante habet idem Augustinus, *quia videt ex ipso faciendi se habere potentiam, ex quo se videt existendi habere naturam.* Unde et concludit: *Non deficienter non potest, sed potenter.*

(*f*) Editi, *indignationis:* renitentibus magno consensu mss.

(*g*) In vulgatis, *ad æqualitatem.* In plerisque mss. *æqualitate.* Malumus cum codice Vat. bas., *æqualitati.*

(*h*) Verbum *sunt* restituimus ex mss.

(*i*) Editi, *nulla.* At mss. *in nullo*, tacita voce *eorum.*

confirmatur. Meritum. — Et hæc quidem quamvis cum ipsa rerum absolutione tractata sint; tamen ne quid in eo quod ait Dominus: *Non potest filius facere ab se quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* v, 19), ad infirmandæ naturæ ejus impietatem proficiat potius, quam ad demonstrandæ paternæ in se naturæ conscientiam, per quam ex auctoritate operatus in sabbato est; dicti quoque dominici ad id pertinentis demonstranda cognitio est, quo ait: *Et a me facio nihil, sed ut docuit me Pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est*, (1) *et non reliquit me solum, quoniam ego quæ sunt ei placita facio semper* (*Joan.* VIII, 28 *et* 29). Sentisne quid sit, non posse quidquam facere Filium, nisi videat Patrem facientem? et quo sacramento dictum sit, *et a me facio nihil;* et rursum, *Non reliquit me solum, quoniam ego quæ sunt ei placita facio semper* (*Ibid.* 29)? Si enim ideo nihil ab se facit, quia in se manet Pater; quomodo rursum ideo se solum Pater non reliquit. quia quæ sunt ei placita facit? Non concordat secundum sensum tuum, hæretice, dictorum diversitas, ut nihil faciat a se nisi doctus a manente in se Patre: et rursum idcirco in se Pater maneat, quia quæ ei sunt placita gerit. Si enim nihil ab se facit propter manentem in se Patrem; quomodo hinc ut in se Pater maneat meritus est, quod ea quæ ei placeant agit? Non est enim meritum aliquod, non ab se (2) gerere (*a*) quæ agat. Et contra, quomodo Patri quæ Filius agat placita sunt, cum ea ipsa agat manens in Filio Pater? In angusto es, impietas, et te munitissima fidei nostræ pietas concludit. Agit aliquid Filius, aut non agit: si non agit, quomodo in his quæ agit placet? si autem agit, quomodo agit in his quæ ab se non agit? cum et proprium sit egisse quæ placeant, et sine merito sit non ab se egisse quæ gesserit.

48. *Filius qui per se, qui non ab se agat.* — Sed naturæ, (3) qui contradicis, hæc unitas est, ut ita per se agat, ne a se agat; et ita non ab se agat, ut per se agat. Intellige agentem Filium, et per eum agentem Patrem. Non ab se agit, cum Pater in eo manere (*b*) monstrandus est. Per se agit, cum secundum Filii nativitatem agit ipse quæ placita sunt. Infirmis sit non a se agendo, nisi adeo ipse agit, ut quæ agit placeant. Non sit vero in unitate naturæ, si non quæ ipse **296** agit, et in quibus placet, non per se agit, sed manens in eo ad agendum Pater edocet. Ita et manendo docet Pater, et Filius agendo non ab se agit, et non ab se agens Filius, cum quæ placita sunt facit, ipse agit. Ac sic unitas naturæ retinetur in agendo: dum et ipse operans non operatur ab se, et ipse ab se non operatus operatur.

49. *Ait non se suam, sed Patris facere voluntatem. Non ob agendi necessitatem, sed ob unitatem.* — Adjunge quoque huic illud, quod ad opprobrium infirmitatis usurpas: *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit, et venientem ad me non apello; quia descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem Patris qui me misit* (*Joan.* VI, 37 *et* 38). Sed forte sine voluntatis libertate sit Filius, ut ei naturæ infirmitas imperet necessitatem. Ideo autem necessitati sit subditus, non voluntati, ut datos sibi venientes a Patre non apellat. Sed sacramenti unitatem in his Dominus significans, dum non repellit sibi datos, dum non suam, sed mittentis se agit voluntatem, post repetitam hanc eamdem Judæis murmurantibus vocem, intelligentiæ nostræ sensum confirmat, dicens: *Omnis, qui audit a Patre et discit, venit ad me, non quod viderit Patrem quisquam, nisi qui est a Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam* (*Ibid.* 45 *et seqq.*). Et quæro primum, ubi auditus sit Pater, ubi docuerit audientes. Sed Patrem nemo vidit, nisi qui a Deo est. Et quomodo cum quisquam audierit, quem nemo vidit? Audiens ergo a Patre, ad Filium venit. Et cum Filius (4) auditur et docet, naturæ in eo paternæ proprietas (*c*) et auditæ et docentis ostenditur: ut hoc, quod docet Filius et auditur, paternæ doctrinæ intelligatur auditio. Nam cum nemo viderit Patrem, et ad Filium veniens, a Patre audiat atque discat ut veniat: admonemur intelligere quid sit et in loquente Filio Patrem docere, et in conspecto Filio Patrem, qui a nemine sit visus, audiri; quia naturæ paternæ proprietatem nativitas Filii in se perfecta contineat. Volens igitur unigenitus Deus auctoritatem paternam, salva in se naturæ unitate, testari, et datos sibi a Patre non apellit, et voluntatem non suam, sed ejus qui se misit, efficit, non quod non velit, quæ agit, aut quod non ipse audiatur qui docet: sed ut et eum qui se mittat, et se qui missus est, sub proprietate naturæ indifferentis ostenderet: cum quæ vult, agit, et loquitur, ea et voluntatem et opera et dicta Patris esse significet.

297 50. *Christo libera voluntas. Nec a Patris voluntate dissidens.* — Quod autem sit liberæ voluntatis, non ambigue ostendit cum ait: *Sicut enim Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat* (*Joan.* v, 21). Cum æqualis in Patre et Filio et virtutis potestas et honoris dignitas manifestatur, ibi et libertas voluntatis ostenditur: cum autem (*d*) unitas demonstratur, ibi paternæ voluntatis significatur affectio. Quæ enim vult Pater, ea Filius facit. Facere autem plus est, quam voluntati obedire: quia obe-

(1) *Non relinquit*, atque ita infra bis.
(2) *Facere.*
(3) *Cui contradicis.* Mox *ne ab se agat.* Quod repetitur infra, *ab se agendo.* Ubi etiam *infirmus*, non *infirmis.* Paulo post, *mandando* pro *manendo*: corrupte.
(4) *Et audiatur et doceat.*

(*a*) Bad. cum aliquot mss *quæque agat.* Editiones aliæ, *quæ quis agat.* Sincerius mss. potiores, *quæ agat*, quomodo inferius, *non ab se egisse quæ gesserit;* quod ad Filium refertur.
(*b*) Ita vetustiores libri. Alii vero, *monstratur.*
(*c*) In duo ms. Vatic., *et audientis:* male. Defendit Hilarius Patrem numquam audiri vel docere, nisi quatenus loquitur ac docet Filius (qui ut Augustinus contra Serm. Ar. c. 24, scribit, *Patris doctrina* est). Ex quo non male sumit in Filio esse naturæ paternæ proprietatem, seu eamdem esse Patris et Filii naturam.
(*d*) In mss. Vat. bas. et Martin. *auctoritatis unitas:*

dire voluntati, habet exterioris necessitatem; (*a*) facere voluntatem, proprium est unitati, cum factum sit voluntatis. Et cum Filius voluntatem Patris facit, docet per naturæ indifferentiam, naturalem sibi voluntatem esse cum Patre : cum voluntas ejus sit omne quod faciat. Vult plane Filius omnia quæ Pater vult, nec naturalis dissentit voluntas. Namque cum hæc voluntas Patris sit, quam ostendit dicens : *Hæc est enim voluntas patris mei, ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et suscitem eum in novissima die* (*Joan.* VI, 39) : audi nunc an Filii a Patre dissentiens sit voluntas, cum ait : *Pater, quos mihi dedisti, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum* (*Joan.* XVII, 24). Non ergo ambigitur Filium velle. Nam cum Pater velit credentes in Filio vitam æternam habere, Filius vult illic ubi ipse sit esse credentes. Nisi forte cohabitare Christo non sit æternitas (vita æterna) : aut non perfecta et beata in se credentibus tribuat Christus, hæc dicens : *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 25). Anne non in libertate est voluntatis volens nobis secreti illius paterni tribuere conscientiam? Et adeo voluntas ei libera est, ut cognitionem sui atque Patris quibus voluerit impertiat? Atque ita inter Patrem et Filium et nativitatis et **298** unitatis demonstrata natura est : cum sic liber in voluntate sit Filius, ut quod volens agit, factum paternæ sit voluntatis.

51. *Spes sine fide nulla. Qui Pater et Filius in sese. Pater ut auctor, major Filio, qui et minor ut homo. In Christo mansit natura Dei forma exinanita.* — Nesciens plane dispensationem fidei, extra intelligentiam sacramentorum est : et doctrinam Evangelii non adeptus, (1) ab spe Evangelii peregrinatur. Credendus est Pater in Filio, et Filius in Patre, per naturæ unitatem, per virtutis potestatem, per honoris æqualitatem, per nativitatis generationem. Sed contraria forte huic nostræ professioni est Domini (*b*) testatio, cum ait : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Hocne, hæretice, impietatis tuæ telum est? hæc furoris tui arma sunt? Exciditne tibi Ecclesiam duos innascibiles nescire, et duos patres non confiteri? Oblitus es Mediatoris dispensationem, et in ea partum, cunas, ætatem, passionem, crucem, mortem? Et renascens non confessus es (in Symbolo) ex Maria filium Dei natum? Si in his omnibus Filius manens ait : *Pater major me est;* ignorandum existimas hanc dispensationem salutis tuæ exinanitionem formæ Dei esse? et Patrem extra hanc humanarum passionum assumptionem, in illa incontaminatæ naturæ suæ beata æternitate sine carnis nostræ susceptione mansisse? Nos enim unigenitum Deum in forma Dei manentem (*c*) in natura Dei mansisse profitemur, neque unitatem formæ servilis in naturam divinæ unitatis statim refundimus : neque rursum corporali insinuatione Patrem in Filio prædicamus, sed ex eo ejusdem generis (2) genitam (*d*) naturam naturaliter in se gignentem se habuisse naturam : quæ in forma naturæ se gignentis manens, formam naturæ atque infirmitatis corporalis acceperit. Erat enim (*e*) naturæ proprietas : sed (*f*) Dei forma jam non erat, quia per ejus exinanitionem servi erat forma suscepta. Neque **299** enim defecerat natura, ne esset : sed in se humilitatem (*g*) terrenæ nativitatis manens sibi Dei na-

(1) *A spe.*

(2) *Genitam in se naturam.*

perperam adjectum est *auctoritatis* vocabulum, quo apud Hilarium Patris et Filii distinctio significari solet, non unitas. Haud displiceret simpliciter *cum autem auctoritas*, vel *cum autem nativitas*. Sed lectio magno codicum cæterorum consensu recepta eo sensu retinenda est, ut dum unitas simul cum paternæ voluntatis affectione significatur, et Patri debita servetur reverentia, et personarum singularitas excludatur : hoc quippe membrum superiores Scripturæ locos potius spectat, quam proximum.

(*a*) Clarius hoc habetur postremis hujus numeri verbis, nisi quis malit ita intelligi : facere autem voluntatem alterius proprium est unitati, quando factum est etiam propriæ voluntatis illius qui facit.

(*b*) Lips. et Par. *contestatio.*

(*c*) Apud Bad. et Er., *in natura hominis mansisse :* cui depravationi Lipsius alteram subinde adjecit, pro *in naturam divinæ unitatis statim*, substituens *in naturæ divinæ unitatis statum :* neque apud Par. emendatus fuit. Profitetur Hilarius Christum secundum formam Dei semper mansisse in natura, unitate et gloria Dei, etsi secundum formam servi non statim ab ipsa hominis assumptione naturæ divinæ assecutus est unitatem, sed tantum per resurrectionis gloriam, modo superius exposito.

(*d*) Editi, *genitam in se naturam.* Rectius abest *in se* a potioribus mss. Filium appellat Hilarius *genitam naturam*, Patrem vero *naturam gignentem :* ex eoque conficit utriusque naturam ejusdem esse generis, et in se invicem esse cum diverso respectu gignentis et genitæ. Eodem loquendi modo dixit Fulgentius ad Ferrand. resp. 2 : *Naturam Filii de se ipso genuit Pater*, et lib. de Incarn. et gratia Christi c. 3 : *Neque enim in utero sanctæ illius matris et virginis illa spiritalis et ex Deo patre sine initio genita Verbi Dei natura poterat absque carne temporaliter concipi.*

(*e*) Editi hic præfigunt *humanæ.* Tolerabilius præfixissent *divinæ :* quæ vox etsi non expressa, intelligenda tamen est.

(*f*) In vulgatis, *sed non Dei forma*, addita particula negante contra fidem mss. et Hilarii sententiam, qua pro more suo prædicat in Christo dispensationis tempore Dei naturam integram permansisse, sed formam fuisse exinanitam. Ex quo liquet eum formæ nomine aliud a natura ipsa intellexisse. Neque obscurum est quid intellexerit. Formam quippe dixit habitum quem præ se tulit Christus. Habitu autem non ut Deus, sed ut homo inventus ab Apostolo prædicatur, Phil. II, 7. Unde cum supra num. 38 docet Christum in homine nascendo novitatem sibi intulisse, *non virtutis naturæque damno, sed habitus demutatione*, cumque infra num. 54, largitur quod *nativitas hominis naturam novam intulit, et humilitas formam demutavit sub assumptione servili ;* satis indicat promiscua sibi esse formæ et habitus vocabula : quibus sane intellexit gloriam Unigenito quidem congenitam, sed quam carni assumptæ ad tempus negavit, atque eatenus amisit, *non conveniente sibi formæ utriusque concursu*, ut loquitur n. 14. Apertius in his num. 40 : *Pater non eget gloria, nec se exinanierat de forma gloriæ suæ*, id ab eo *gloria* ac *forma gloriæ* vocatur, quod hic *Dei forma.*

(*g*) Hic *terrena nativitas* humanam naturam sonat : sicut supra in his n. 40 : *Gloria omnis non Verbo acquirebatur, sed carni, id est, non nativitati Dei*, etc., nativitatis nomine natura divina significatur. Deinde

tura susceperat, generis sui potestatem in habitu assumptæ humilitatis exercens. Et ex Deo Deus natus, (*a*) in forma servi homo repertus, Deum se virtutibus agens, (*b*) neque Deus non erat, quem gestis suis docel **at**; neque homo, in cujus habitu repertus est, non manebat.

52. *Pater in Filio visus.* — Et idcirco in hoc eodem superiore sermone, naturæ sibi cum Patre unitatem contestatus dixerat : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9) ; et, *Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* X, 38). Quæ utique differentiam non habent (*c*) ex æqualitate naturæ; cum contemplatio Filii visum compenset et Patrem, et unus in uno manens unum non discernat ab uno. Ac ne per corporalem contemplationem referre ex se paternæ contemplationis visum existimaretur, subjecerat : *Credite mihi, quoniam ego in Patre, et Pater in me : sin autem, vel propter opera credite* (*Joan.* XIV, 11 *et* 12) : ut cum virtus naturæ res esset, et operatio ipsa virtutis sit potestas; per virtutis potestatem, naturæ in se paternæ unitas nosceretur : cum (*d*) in quantum se quisquam Deum cognovisset in virtute naturæ, in tantum Deum Patrem cognosceret in potestate naturæ : et cum tantus, quantus est Pater, Filius videndum in se Patrem præstaret in gestis, indifferens per id Pater (*e*) a Filio nosceretur, per intelligentiam indifferentis pro potestate naturæ.

53. *Cur, et quod salva naturæ æqualitate dixit Christus*, Pater major me est. — Impleturus itaque unigenitus Deus carnis dispensationem, et acceptæ formæ servilis sacramentum consummaturus, usus est demonstrandæ fidei nostræ professione, dicens : *Audistis quoniam dixi vobis, Vado, et venio ad vos.* (*f*) *Si diligeretis me, gauderetis quoniam vado ad Patrem; quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). His itaque, quæ ad naturam divinitatis (1) spectant (*g*), explicitis hoc eodem superiore sermone, numquid professio hæc aufert Filio naturæ æqualitatem, quam nativitas genuina consummat? Aut **300** numquid unigenito Deo contumelia est Patrem sibi innascibilem Deum esse; cum ex innascibili Deo (*h*) nativitas unigenita in naturam unigenitam subsistat? (*i*) Non enim suæ originis est Filius, neque nativitatem sibi non exstans ipse conquisivit ex nullo : sed ex vivente natura vivens natura exstans, tenet in se naturæ potestatem, (*j*) professa auctoritate naturæ, ut et honorem testetur, et gratiam sumptæ nativitatis in honore. Et hoc quidem Patri debitum reddens, ut obedientiam suam mittentis deputet voluntati, non tamen ut naturæ unitatem obedientia humilitatis infirmet; factus obediens usque ad mortem, non tamen post mortem non super omne nomen est.

54. *Pater ut auctor doni, major : Filius, cui totum dat quod est, non minor.* — Sed si forte hinc inæqualis videtur, quia ei post evacuationem formæ Dei donatur hoc nomen, calumnia hæc sacramentum assumptæ humilitatis ignorat. Si enim nativitas hominis naturam novam intulit, et humilitas formam demutavit sub assumptione servili; nunc donatio nominis, (2) formæ (*k*) reddit æqualitatem. Quid enim donatum sit quære. Si enim hoc donatum, quod Dei est; naturæ hujus donum ignobilitatem divinæ illi non invehit naturæ. Denique hoc nunc, quod donatur ei nomen, etsi habeat doni sacramentum, non tamen habet in dono nominis nomen alienum. Donatur enim Jesu, ut ei cœlestia et terrestria et inferna (3) genu flectant, omnisque lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria Dei patris (*Philip.* II, 10). Confessionis ergo hujus honor donatur ut in gloria Dei Patris sit confitendus. Audis itaque : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28)? Scito eum, de quo ob meritum obedientiæ dictum est : *Et donavit ei nomen quod est super omne nomen* (*Phil.* II, 9). Audi rursum : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30);

(1) *Exspectant.*
(2) *In formæ.*
(3) *Genum flectant.*

manens sibi Dei natura, id est, persona Verbi manens sui juris, ac salva natura sua divina, quam manifestam fecit gestis generis sui, ac naturæ suæ potestatem exercens : quasi diceret, manens sibi integra, vera ac propria. Vel etiam mansit sibi, cum latuit intra se. Quod illustratur simili loco lib. XI, n. 48 : *In forma enim Deus manens formam servi assumpsit, non demutatus, sed se ipsum exinaniens, et intra se latens, et intra suam ipse vacuefactus potestatem :* et paucis interjectis, *Quod autem se ipsum intra se vacuefaciens continuit, non detrimentum attulit potestati; cum... virtute omnis exinanitæ intra se usus sit potestatis.*

(*a*) Bad. et Er. post. ms. Vind. et unum Vatic., *in forma Dei :* Alter Vatic. *in forma servi Dei :* prave. Non enim ob formam Dei, sed ob formam servi homo repertus est Christus.

(*b*) In vulgatis, *neque enim.* Abest *enim* a mss.

(*c*) Sic mss. At editi, *ex qualitate.* Mox apud Bad. et Er. *complesset*, loco verbi *compenset :* quo significatur, visionem filii vicem præstare visionis Patris.

(*d*) Er., Lips. et Par., *in quantum quisque*, omisso *se*, unde pendet totius orationis intelligentia.

(*e*) Excusi, *in Filio.* Rectius mss., *a Filio*, scilicet indifferens.

(*f*) In mss. Vat. bas. et Martin. hic præfertur, *et contristati estis :* quod neque in aliis exstat, neque in sacro textu græco vel latino.

(*g*) In veteribus libris, *exspectant*, non alio sensu.

(*h*) Ita melioris notæ mss. At editi, *nativitas unigeniti.*

(*i*) Hoc est, non sua sibi origo est.

(*j*) Id est, ita his verbis, *Pater major me est*, professo auctore ac principio naturæ suæ, ut cum honore ac reverentia testetur honorem et gratiam nativitatis acceptæ. Ut enim notat etiam Cyrillus lib. thesauri pag. 91 : *Solius decori causa ut filius majorem honorem Patri tribuit.*

(*k*) Vat. bas. ms. *in formæ redit æqualitatem :* mendose. Neque melius Martin. *in formæ redit æternitate.* Formam Dei ut per humilitatem carnis assumptæ amissam dixit Hilarius n. 38, ita nunc redditam prædicat per carnis ejusdem gloriam et exaltationem. Quod vero hoc loquendi modo nihil aliud intelligat, patet cum ex dictis, tum maxime ex his num. 56 : *Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur ut reddat : Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem.*

et, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); et, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Ibid.* 11). Honorem donatæ confessionis intellige, quia Dominus Jesus (1) in gloria Dei Patris. Quando igitur illud est, *Pater major me est?* Nempe tum, cum donatur ei nomen super **301** omne nomen. At contra quando est, *Ego et Pater unum sumus*? (2) Nempe (*a*) cum omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus in gloria Dei Patris. Si igitur donantis auctoritate Pater major est, numquid (*b*) per doni confessionem minor Filius est? Major (3) itaque donans est; sed minor jam non est, cui unum esse donatur. Si non hoc donatur Jesu, ut confitendus sit in gloria Dei patris; minor Patre est. Si autem in ea gloria donatur ei esse, qua Pater est; habes et in donantis auctoritate (*c*) quia major est, et in donati confessione quia unum sunt. Major itaque Pater Filio est: et plane major, qui tantum donat esse, quantus ipse est; cui innascibilitatis esse imaginem sacramento nativitatis impertit, quem ex se (*d*) in formam suam generat, quem rursum de forma servi in formam Dei renovat; quem in gloria sua (4) secundum (*e*) Spiritum Christum Deum natum, donat rursum esse in gloria sua secundum carnem Jesum Christum Deum (5) mortuum (*f*). Causam igitur ostendit, cur si eum diligerent, gauderent quod ad Patrem vadit, quia Pater major esset.

55. *Quo sensu Pater dictus sit major, conficitur ex ante et post dictis.* — Gaudium hoc itaque ex dilectione docens esse, quia lætaretur dilectio Jesum esse in Dei Patris gloria confitendum: et gloriæ hujus resumendæ meritum continuo subjecit, dicens, *Venit enim princeps hujus mundi, et in me* (6) *habet nihil* (*Joan.* XIV, 30). Nihil in eo princeps hujus mundi habet: quia ut homo habitu repertus, extra peccatum carnis manebat in similitudine carnis peccati, de peccato peccatum in carne condemnans (*Rom.* VIII, 3). Totum autem hoc ad paterni mandati referens obedientiam, subjecit: *Sed ut sciat mundus quoniam ego diligo Patrem, et sicut mandatum mihi dedit* (7) *Pater, sic facio; surgite, eamus hinc* (*Joan.* XIV, 31). (*g*) Ad consummandum corporeæ passionis sacramentum, per dilectionem efficiendi mandati paterni, festinat exsurgens: corporeæ tamen assumptionis statim mysterium pandens, per quam ei tamquam in vite **302** modo palmitis inessemus, fructum nobis ut palmitibus, nisi ille vitis esset effectus, utilem non daturis (*Joan.* XV, 1 *et seqq.*). Atque idcirco manere nos in se per fidem assumpti corporis monet, ut quia Verbum caro factum est, naturæ carnis suæ tamquam viti palmites inessemus: a corporeæ hujus humilitatis assumptione formam paternæ majestatis alienans tum, cum se (*h*) ad unitatem palmitum vitem professus, agricolam Patrem (*i*) curiosum hujus vitis ostendit, cujus inutiles atque inferaces palmites (*j*) desecans deputaret arsuros. Dicens itaque, *Qui me vidit, vidit et Patrem;* et, *Verba quæ ego loquor, non a me loquor, sed Pater qui in me manet, ipse facit opera sua* (*Joan.* XIV, 9 *et* 10); et, *Credite mihi, quoniam ego in Patre, et Pater in me* (*Ibid.* 11), ut et sacramentum nativitatis et mysterium assumpti corporis manifestaret, per continentiam dictorum ad id veniens ait, *Quia Pater major me est* (*Ibid.* 28). Et confestim, ut absoluta dicti ratio subesset, et agricolæ et vitis et palmitis subjecit exemplum, assumptionem per id corporeæ humilitatis ostendens. Et hinc causam eundi ad Patrem, et dilectionis lætitiam cum ad Patrem iret, docens esse oportere, quia major se Pater esset: a quo scilicet esset gloriam resumpturus; apud quem et in quo glorificandus, non novello honore, sed pristino; neque alieno, sed quem apud eum habuit. Si itaque non (*k*) in ipsum glorificandus est, id cum cæteris *ad unitatem*. Ut enim habetur in psal. LI, n. 16: *Naturam in se universæ carnis assumpsit, per quam effectus vera vitis genus in se universæ propaginis tenet.* Quod proxime dictum est, *a corporeæ hujus humilitatis assumptione formam paternæ majestatis alienans*, potest ad Christum ipsum referri, qui cum palmitibus congruere volens, carni propriæ paternam gloriam negaverit, et ita a formæ illius unitate se alienaverit. Verius tamen hoc de membris Christi, de toto scil. hominum genere interpretari est: qui licet a Christo assumpti, in eo velut in vite palmites sint, a paternæ tamen gloriæ consortio alienandi tum demonstrantur, cum ostenduntur eradicandi a Patre, *aut ob infidelitatem, aut ob inutilitatem fructuum negatorum*, ut rursum declaratur loco memorato in psal. LI, quem videsis.

(1) *In gloria est Dei Patris.*
(2) *Neque* pro *nempe.*
(3) *Utique.*
(4) *Secundum carnem Jesum Christum Deum natum.*
(5) *Natum mortuum.*
(6) *Non habet nihil;* hellenismus juxta græca Joannis, οὐκ ἔχει οὐδέν.
(7) Non exstat *Pater* in codice Veron.

(*a*) In antiquioribus mss., *namque.*

(*b*) Id est, per donatam confessionem, seu per donum nominis, cui omnis lingua confiteri teneatur. Mox. in ms. Martin. *utique*, pro *itaque.*

(*c*) In vulgatis, *quia pater major.* Abest *pater* a mss. et ad donantem recte refertur *major.*

(*d*) Editi, *in forma sua;* et mox, *in forma Dei:* castigantur ex mss. *Generat* porro in æternitate gloriosam tribuendo naturam; *renovat* autem in tempore, assumpto homini indulgendo divinam gloriam.

(*e*) Mss. Martin., Corb. et aliquot alii, *secundum carnem:* male. Colb., Carn. et Germ., *secundum Christum*, omissa voce *spiritum.* Mallemus omitti *Christum.* Et in iis quidem mss. non semel occurrit *Christus* loco *Spiritus.*

(*f*) Editi ex deterioris notæ mss. hic addebant, *natum.* Quidam hic verborum ludus est inter Deum natum, et Deum mortuum; natum in gloria secundum Spiritum, seu prout Verbum est, et donatum rursum esse in gloria secundum carnem post quam mortuus est: adeo ut gloria Christi Dei a nativitate sit, hominis autem a morte.

(*g*) Ms. Colb. cum Germ., *ad confirmandum.*

(*h*) Tellerianus codex, *ad utilitatem.* Unus Colb. cum altero Sorbon., *ad humilitatem.* Retinendum

(*i*) Vetustior e mss. Colb. *gloriosæ.* Magis placet cum aliis *curiosum*, id est, qui curam gerat.

(*j*) In ms. Vat. bas., *desecandos.* Deinde in vulgatis, *deputaret arsuros dicens ita, Qui me*, etc., perturbate.

(*k*) Editi hic, *in ipso*, et ad calcem numeri subsequentis, *glorificatur in Patre.* Reponimus *in ipsum* et *in Patrem* auctoritate mss.

est, ut sit in gloria Dei patris; contumeliam adscribe naturæ : si vero, quod ab eo glorificatur, auctoritas est; Patrem majorem in glorificandi auctoritate cognosce.

56. *Qui Pater major, nec Filius minor.*— Quid dispensationem ad impietatem rapis? Quid sacramentum nostræ salutis invadis ad mortem? Glorificaturus Filium Pater major est : glorificatus in Patre Filius minor non est Aut quomodo minor est, qui in gloria Dei patris est? Aut numquid Pater major non est? Major itaque Pater est, dum pater est : sed Filius, dum filius est, **303** minor non est. Nativitas Filii patrem constituit majorem : minorem vero Filium esse nativitatis natura non patitur. Major Pater est, dum gloriam assumpto homini rogatur ut reddat : Filius minor non est, dum gloriam resumit apud Patrem. Atque ita et sacramentum nativitatis, et dispensatio corporationis impletur. Nam et Pater, dum et pater est et glorificat nunc filium hominis, major est : et Pater et Filius unum sunt, dum ex Patre natus Filius, post assumptionem terreni corporis glorificatur in Patrem.

57. *Innascibilitatis et nativitatis non alia natura. Filius natus non cœptus.* — Non habet itaque nativitas naturæ ignobilitatem : quia in forma Dei est, quia ex Deo nascitur. Et cum differre significatione ipsa existimetur innascibilitas a nativitate; nativitas tamen non est extra innascibilitatis naturam, quia non sumpsit aliunde quod substitit. Nam tametsi non consecuta sit, ut coinnascibilis effecta sit; accepit tamen ex innascibili Deo esse quod Deus est. Fides igitur nostra, etsi initium nativitatis non apprehendens, unigenitum Deum semper (*supple*, esse) profitetur; quia natura non ferat, ut cœpisse cum aliquando confiteatur, cujus nativitas omne initii tempus excedat. Sed quem semper esse et ante tempora confitetur, natum tamen (*a*) intemporali infinitate non ambigit, eum tamen (1) ex ininitiabilis intelligentiæ nativitate confessa.

58. *Objicitur contra eum ignoratio dici.* — Sed hoc hæretici ad naturæ contumeliam sumunt, quia dictum est, *Pater major me est :* vel illud, *De die autem et hora nemo scit, neque Angeli in cælis, neque Filius, nisi Pater solus* (*Marc.* XIII, 32). Ignoratio ergo diei atque horæ objicitur unigenito Deo : ut Deus ex Deo natus non sit in ea naturæ perfectione qua Deus est, cum nesciendi necessitate dominante, jam vis aliqua exterior eo potior sit, quæ tamquam adversum se imbecillum in ignorantiæ cum infirmitate detineat. Quin etiam ad hujus nos intelligentiæ impietatem hæreticorum furor jure quodam **304** necessariæ confessionis compellit, ut ita credendum sit; quia et a Domino ita dictum sit, et videri irreligiosissimum possit, professionis ejus de se protestationem diversæ intelligentiæ nostræ opinione corrumpi.

59. *Auctor omnium nil potest nescire. Qui quæ nec in se nec per se sint scit, multo magis quæ in se et per se. Dies Domini per ipsum et in ipso constituta est.* — Ac primum ante quam dicti ratio et causa memoretur, sensu communis judicii (*b*) sentiendum est, an credibile esse possit, ut aliquid ex omnibus nesciat, qui omnibus ad id quod sunt atque erunt auctor est. Si enim omnia per Christum et in Christo, et ita per ipsum, ut omnia in ipso sint; id quod neque extra eum neque non per eum est, quomodo non etiam in scientia ejus sit, cum plerumque (*c*) scientia ejus ea, quæ neque in se neque per se sint, per virtutem naturæ (*d*) non nesciæ apprehendat? At vero quod causam nisi ex eo non sumit, (*e*) et motum ad id, (2) quod est eritque, nisi intra se non capit; quomodo extra ejus naturæ scientiam est, per quam et in qua id quod efficiendum sit continetur? Cogitationes namque humanas non solum præsenti motu incitatas, sed etiam instinctu futuræ voluntatis agitandas, Dominus Christus non ignorat, Evangelista testante : *Sciebat enim Jesus ab initio, qui essent non credentes* (3) *et qui esset traditurus eum* (*Joan.* VI, 65). Naturæ ergo ejus virtus, quæ cognitionem rerum non exstantium capit, et quiescentium adhuc animorum subituras inquietudines non ignorat, id

(1) *Ex initiabilis.*

(2) Prius quidem legebatur in codice Veron., *quod est eritque;* sed secunda manu emendatum fuit, *quod est exteriorque.*

(3) *Et quis esset.*

(*a*) Bad., *in temporali.* Editiones aliæ, *in intemporali.* Mox Er. post Bad., *ex innitiabilis.* Par. post Lips., *ex initiabilis.* Sequimur mss. Non ambigit fides, *natum intemporali nativitate*, quem scit *natum ab æterno, nativitatem videlicet ex paterna æternitate sumentem,* ut dicitur lib. IV, n. 6. Eum etiam *ex ininitiabilis intelligentiæ nativitate* confitetur, utpote *initium nativitatis non apprehendens,* ut proxime dicebatur : clarius autem lib. XII, n. 31, *quia si quid de Filio mens retroacta scrutabitur, nihil aliud scrutantis sensui, quam natum esse et semper esse, semper occurret.*

(*b*) Vat. bas. ms., *sensum communis judicii interrogo, quid sentiendum est :* glossema subolet, sicut et Martin. in quo legitur, *interrogo an sentiendum est.*

(*c*) Excusi, *scientia ea etiam*, omisso *ejus*, quod probe exhibent mss. Christus ut causa generalis, proxime *omnibus ad id quod sunt atque erunt auctor* assertus est : hic vero ut causa particularis, apprehendere dicitur quæ *neque in se neque per se sint*, puta, cogitationes alienas. Rursum movere potest cur *plerumque :* an non omnia apprehendit? Apprehendit quidem omnia, sed suam de nonnullis duntaxat scientiam manifestam fecit. Hic enim vocabulum *plerumque*, non majorem partem, sed indefinite aliquam significat : qua intelligentia aliis etiam Patribus, sed maxime Gregorio Papæ familiare est.

(*d*) Apud Bad. et Er., *non nesciens.* In uno ms. Vatic. et altero Sorbon., *non nesciat et apprehendat.*

(*e*) Duo mss. Colb. cum Germ., *et ne motum.* Tum apud Bad., *ad id quod est exterior eritque*, in uno codice Vatic., Tell. et Vind., *ad id quod est exteriorque;* in Sorbon., *ad id quod est exterioraque* : mendose. Hoc ipsum argumentum sic paucis perstringit et explicat Cyrillus lib. Thesauri pag. 218 : *Proprium est Verbo, quatenus Verbum est, nosse eorum quæ ab ipso condita sunt principia et fines. Unum vero eorum, quæ ab ipso condita sunt, est tempus : et qui tempus condidit, quam diu duraturum sit novit.*

quod ner se intraque se est, nescisse existimabitur? Et alieni potens, impotens sui est; de quo dictum meminerimus, *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt, et ipse est ante omnes* (*Coloss.* I, 16); vel illud, *Quia in ipso complacuit omnem* (1) *plenitudinem inhabitare, et per ipsum reconciliari omnia* (*a*) *in eum* (*Ibid.*, 19)? Cum igitur omnis in eo sit plenitudo, et omnia per ipsum et in ipso reconcilientur, et dies illa reconciliationis nostræ exspectatio sit : hanc ille diem ignorat, cujus et in se tempus est, et per sacramentum (*b*) ejus est? Etenim adventus sui dies ista est, de qua Apostolus ait, *Cum autem* **305** *Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos cum eo apparebitis* (2) *in gloria* (*Coloss.* III, 4). Nemo itaque quod per se et intra se est, nescit : Christus aderit, et adventus sui diem ignorat? Dies suus est, secundum eumdem Apostolum, *quia dies Domini sicut fur nocte adveniet* (I *Thess.* V, 2) : et ignoratione ejus detineri intelligendus est? Humanæ naturæ quod agere definiunt, quantum in se est, præsciunt, et sequitur gerendorum cognitio voluntatem agendi : Deus vero natus quod in se et per se est nescit? Per eum enim tempora, et in eo dies est; quia et per ipsum futurorum constitutio est, et in ipso adventus sui dispensatio est : et erit in ea hebetudine, ut quod sibi constat, sensu naturæ torpentis ignoret, ferarum belluarumque modo, quæ extra rationem consilii providentis animatæ, ipsum quod agunt nesciunt, cum quodam motu stupidæ voluntatis agitatæ, fortuito ad aliquid et incerto feruntur ingressu?

60. *Patri injuriosum est Filio ignorantiam affingere quasi ei inviderit.* — Quomodo etiam Dominus gloriæ, adventus sui ignorabili die, naturæ esse incompositæ imperfectæque credetur, quæ et necessitatem habeat adveniendi, et scientiam adventus sui non adepta sit? Per quod potior sit ignoratio (*c*) Deo, quæ ei auferat cognitionis habere virtutem. Jam vero quanta impietatis (*d*) geminatur occasio; si præter infirmitatem Christi etiam Deo patri vitium deputabitur; ut unigenitum Deum, et dilectionis suæ filium, diei hujus cognitione fraudaverit, malignitatisque (*e*) affectu scientiam futuræ consummationis inviderit : et cum non ignorabilem ei esse passionis et diem et horam voluerit; diem virtutis ejus, et clarificandi in sanctis suis horam negaverit, et ademerit beatitudinis cognitionem, cui mortis indulserit

A præscientiam? Humanæ istud conscientiæ non potest ferre trepidatio, ut hoc sibi de Deo arbitrium præsumat, et ei vitia humanæ demutationis adscribat; ut aut aliquid Filio Pater deneget, aut aliquid Deus natus ignoret.

61. *Ut Deus, invidia vacat; ut Pater, nil non dat quod habet, præsertim cum sit simplex. Ut Deo, ita Dei filio, proprium est futura præscire.* — Nescit autem Deus aliud aliquando quam dilectio esse, neque aliud quam pater esse. Et qui diligit, non invidet : et qui pater est, non etiam non pater totus est. Non enim admittit hoc nomen portionem, ut ex aliquo pater sit, et ex aliquo pater **306** non sit. Pater enim universitatis (*f*) ejus quæ in se est pater est, omnem se in eo habens, cui non sit ex portione

B quod pater est : non quod sibi eorum quæ sua sunt pater ipse sit, sed quod in his quibus ipse est, ei qui ex se est, pater totus sit. Et cum secundum humanorum corporum naturas, quæ ex disparibus conveniunt et ex compositis consistunt, non possit nisi omnium suorum quis (*g*) pater pater esse, dum quod in unoquoque est generum ac partium, id in filiis nativitas perfecta conservet : omnium ergo suorum quis pater pater est, dum ex omnibus nativitas et in omnibus manet. Et cum in Deo non sint corporalia, sed absoluta; neque particulata, sed tota et universa; non vivificata, sed viva; totus vivens, et unum (3) (*h*) totus Deus est, dum non ex portione compositus est, sed ex simplicitate perfectus est : necesse est, ut secundum quod est pater, ipse sit

C omnium suorum ei quem ex se genuit pater totus, dum eum patrem ex suis omnibus nativitas filii perfecta consummat. Si igitur proprius Filio Pater est; in ea necesse est Filium manere proprietate qua Pater est. Manere autem quomodo existimabitur, si extra præscientiæ naturam sit, et aliquid nativitati ejus (*i*) ex auctore defuerit? decrit enim prope totum, si quod proprium Deo est, non habeat. Proprium autem Deo quid aliud, quam cognitio futurorum est; ut res nondum manentes, mansuraque posterius, invisibilium ac nondum exstantium generum capax natura contineat?

62. *Nil latet eum in quo omnes scientiæ thesauri, quamvis tamen latentes.* — Non patitur autem in nobis doctor gentium Paulus hanc impii erroris profes-

D sionem, ut ignorasse aliquid unigenitus Deus existi-

(1) *Plenitudinem divinitatis.*
(2) *In gloriam.*
(3) *Totum.*

(*a*) Ita mss. quomodo et lib. VIII, n. 5, consentiente græco εἰς αὐτόν. At editi, *in ipso.*

(*b*) Scilicet dispensationis et assumptæ carnis, in qua venturus est judicare vivos et mortuos. Quocirca dies illa Christi est ut hominis; si quidem Pater omne judicium dedit Filio, quia filius hominis est, ut scriptum est Joan. V, 22, 27. Diei quoque tempus est in ipso ut Verbo temporum conditore.

(*c*) In duobus mss. deest *Deo :* qua voce intelligitur Pater, cui omnium cognoscendorum virtus neganda, et ignoratio attribuenda sit potius, quam ea invidiæ labes, qua dilecto filio cognitionem aliquam subtrahere credatur.

(*d*) Bad. et Er., *generatur occasio per infirmitatem Christi.* In aliis quoque editis desideratur sequens particula *si.*

(*e*) In duobus mss. *effectu.*

(*f*) id est, Pater Filium generando dat ei universa quæ in se sunt.

(*g*) In vulgatis hic et infra non repetitur *pater :* moxque habetur *in filio*, non *in filiis.*

(*h*) Ita optimus codex Colb. cum Martin. et Germ. Alii vero, *totum.*

(*i*) In uno e mss. Vat. et Carn., *ex auctoritate :* lectio non spernenda; id enim Hilario est, *auctoritas*, quod nobis *principium.*

metur; ait enim : *Instituti in dilectione, in omnes* A *et* 21). Habemus ergo nescientem Deum, quod tamen *divitias adimpletionis intellectus, in agnitionem sacramenti* (*a*) *Dei Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ* (1) *absconsi.* Deus Christus sacramentum est, et omnes sapientiæ et scientiæ in eo thesauri latent. Portioni vero, et universitati non potest convenire : quia neque pars omnia intelligitur, et omnia partem non patiuntur intelligi. Filius enim si diem nescit, jam non omnes in eo scientiæ thesauri sunt : (2) (*b*) diem non ignorat, omnes in se scientiæ thesauros continens. Sed meminisse nos convenit, **307** occultos in eo istos scientiæ thesauros esse, neque idcirco, quia occulti sint, non inesse : cum per id, quod Deus est, in eo insint; per id vero quod sacramentum est, occultantur. Non occultum autem, neque ignoratum nobis est sacramentum B Dei Christi, in quo absconsi omnes scientiæ thesauri sunt. Et quia sacramentum (*c*) ipse est; videamus an in his, quæ nescit, ignorans sit. Si enim in cæteris professio ignorandi non (*d*) habet nesciendi intelligentiam; ne nunc quidem quod nescit ignorat. Nam (*e*) cum ignoratio ejus, secundum quod omnes thesauri in eo scientiæ latent, dispensatio potius quam ignoratio sit; habes causam ignorandi sine intelligentia nesciendi.

63. *Deus qui nescire aut jam scire quid dicatur.* — In omnibus enim, quæ ignorare se Deus loquitur, ignorantiam quidem profitetur, sed (*f*) ignoratione tamen non detinetur : dum ad id quod nescit, non nesciendi infirmitas est, sed aut tempus est non loquendi, aut dispensatio est non agendi. Loquitur ad C Abraham Deus dicens : *Clamor Sodomæ et Gomorrhæ impletus est, et peccata eorum magna valde. Descendam ergo et videbo, si secundum clamorem eorum* (*g*) *consummantur; quod si non, ut sciam* (*Gen.* XVIII, 20 et 21). Habemus ergo nescientem Deum, quod tamen non nesciat. Nam cum peccata magna valde sciat esse, et rursum descendit ut videat (*h*) an consummata sint, et si nondum consummata sunt, ut sciat : intelligimus eum (3) non nescire, quia nesciat; (*i*) sed tum scire, quia tempus ad agendum sit. (*j*) Scire ergo Deum, non est ignorantiæ demutatio, sed temporis plenitudo. Exspectatur enim adhuc ut sciat : et cum non possimus id de eo intelligere quod nesciat; cum tamen adhuc exspectet ut sciat, necesse est, ut id quod sciens nescit, et nesciens scit, (*k*) nihil aliud quam vel loquendi dispensatio sit, vel gerendi.

64. *Deus dicitur id modo scire, quod modo profert.* — Non ergo ambigi licet, Dei scientiam ex tempore potius esse quam ex demutatione, cum ad id quod B Deus scit, profitendæ **308** potius scientiæ tempus sit, quam adeptæ : ut etiam ex hoc docemur, quod ad Abraham dictum est : *Ne injicias manum tuam in puerum, et ne facias illi quidquam : nunc enim cognovi quia times* (4) (*l*) *Deum tuum, et non pepercisti filio tuo dilecto propter me* (*Gen.* XXII, 12). Deus itaque modo scit : modo autem scire, anterioris ignorantiæ professio est. Quod cum in Deum non cadat, neque (*m*) ut ignoraverit antea fidelem sibi esse Abraham, de quo dictum est, Credidit Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam (*Gen.* XV, 6; *et Rom.* IV, 3) : hoc quod nunc cognovit, tempus est quo Abraham testimonium accepit, non etiam (quo) scire Deus cœpit. Abraham enim, holocausto filii, dilectionem quam ad Deum habebat docuerat : Deus tum cognovit, cum loquitur. Et quia ante nescire non intelligendus est; necesse est idcirco tunc intelligatur cognosse, quia loquitur. Et de plurimis quidem, quæ de scientia Dei Testamento Veteri continentur, hæc tantum exempli causa demonstrata a

(1) *Absconditi.* Porro *thensauri*, littera *n* interjecta, constanter in Veron. codice scribitur.

(2) Ante verba *diem non ignorat*, hæc habet codex : *Quod si in eo omnis scientiæ thensauri sunt.* Paulo post *omnem... thensaurum;* deinde, *sint* pro *insint.*

(3) *Sed tunc scire, cum tempus.*

(4) *Dominum Deum tuum.*

(*a*) Lips. et Par. *Dei patris et Christi;* consentientibus nostris sacri textus exemplaribus : sed renitentibus Bad., Er. et mss. nec non subjecta verborum illorum expositione.

(*b*) Removimus hinc, *Quod si in eo omnes scientiæ thesauri sunt*, potiorum mss. auctoritate.

(*c*) In duobus mss. *in se est* : quod non placet. Superius enim Christus *sacramentum* non semel prædicatur, hoc est, Deus absconditus, cujus forma per susceptionem humilitatis corporeæ fuit exinanita. Postea mss. Martin. *quæ ex se sunt*, pro *quæ nescit.*

(*d*) Id est, non ea est, ut intelligatur ignorare. Sic infra, *Habes causam ignorandi sine intelligentia nesciendi*, hoc est, habes cur se agat ut ignorans, nec tamen intelligatur nescire.

(*e*) Particulam *cum* omittunt duo mss. Colb., unus Sorbon. et Germ.

(*f*) German. codex, *ignoratio tamen non datur.* Deinde Lips. et Par. *dum id*, expuncto *ad* absque ulla auctoritate.

(*g*) Unus ms. Vatic. cum Remig. et Theod. hic addit, *ad me venientem.* Tum in solis Martin. et Vat. bas., *consummabuntur.*

(*h*) Potiores mss., *an consummati sint, et si nondum consummati sint.* Martin., *an consummandi sint, etsi non consummandi sint.*

(*i*) Sic mss. uno excepto Vind. in quo exstat, *non ea scire, quia nesciat.* Excusi, *non ea tunc scire, quia prius nesciat.* Pro *quia nesciat*, sensus exigere videtur *quia nunc sciat.* Et quidem cum veteres libri *nunc* duabus litteris *nc* exhibeant, nec verba ullo modo a sese separent, ex *nesciat* facile confectum sit *nesciat.* Deinde ms. Martin. *sed tum scire, cum est tempus ad agendum.*

(*j*) Loco verbi *scire* prætulit Erasmus *nescire*, quod D deinde arripuerunt Lipsius et qui in postrema editione Par. corrigenda operam navarunt : omnibus prope mss. reluctantibus. Hoc sibi vult : cum Deus *scire* dicitur, non fit in eo *demutatio* (male apud Bad., Er. et in mss. Martin., *diminutio*) ab ignorantia ad scientiam, sed *indicatur temporis plenitudo.*

(*k*) In plerisque mss. et apud Par. repetitur hic particula *ut.*

(*l*) In vulgatis, *Dominum Deum tuum.* abest *Dominum* a mss. Abest præterea *tuum* a græco et latino Scripturæ textu.

(*m*) Post *neque* reticetur *cadat;* adeoque particulam *ut* subsequentem a Lipsio perperam expunctam restituimus ex Bad., Er. et mss.

nobis sunt : ut id, quod nescit Deus, non ignorationis causa intelligeretur esse, sed temporis.

65. *Dicitur nescire cognitione sua indignos, operarios iniquitatis, virgines stultas.* — In Evangeliis vero Dominum multa scientem nescire invenimus. Operarios iniquitatis, in virtutibus multis et in nomine ejus gloriantes, non novit dicens : *Et tunc jurabo, quia non novi vos. Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem* (*Matt.* VII, 23). Etiam cum jurejurando eos non novit, quos tamen iniquitatis operarios esse non nescit. Nescit ergo, non idcirco quia nesciat, sed quia cognitione ejus (*a*) per iniquitatem operationis indigni sint : fidem dicti etiam jurisjurandi religione confirmans, et habens in naturæ virtute ne nesciat, et retinens in sacramento voluntatis ut nesciat. Nescit quoque unigenitus Deus virgines stultas : et comparandi sibi olei incuriosas, gloriosi adventus sui thalamum ingressus, ignorat. Namque et adeunt et rogant, (1) et usque (*b*) adeo non ignorantur, ut his respondeatur : *Amen dico vobis, quia nescio vos* (*Matth.* XXV, 12). Nam et occursus **309** et deprecatio non ignorabiles esse eas patitur : sed nesciendi responsio non naturæ potius quam voluntatis est; dum ab eo, qui nihil (*c*) non nescit, indignæ sunt quæ sciantur. Denique ne per infirmitatem ignorare existimaretur, continuo Apostolis ita locutus est : *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam* (*Ibid.*, 13) : ut cum vigilare eos ob ignorationem diei atque horæ monet, per id nesciri ab eo virgines noscerentur, quod consopitæ et negligentes, indignæ aditu thalami sui (2) oleo indigendo mansissent.

66. *Christus nil nesciens dispensationis ergo loquitur quasi nesciens. Diei scientia occulta : ideo quasi ignorata.* — Non est igitur Dominus Jesus Christus, qui scrutans corda et renes Deus est, in ea naturæ infirmitate, (ut) ne nesciat, cum hoc ipsum ex naturæ scientia intelligatur esse, (*d*) quod nescit. Quod si qui forte ignorationem ei deputabunt, ab eo qui sciat cogitationes eorum dici sibi metuant, *Quid cogitatis mala in cordibus vestris* (*Matth.* IX, 4)? Nam cum cogitationum gestorumque non ignarus cognitor interdum de cogitatis gestisque quasi ignarus interrogat, velut de tactu fimbriæ mulierem, vel de dictorum dissensione Apostolos, vel de sepulcro Lazari flentes : non nesciens intelligendus est nescire, sed loquens. Neque enim natura fert, ut qui absens Lazarum mortuum sepultumque sciat, sepulcri locum nesciat; et qui (*e*) cogitationes videt, mulieris fidem non cognoverit, et qui necessitatem non habet de aliquo interrogandi (*Joan.* XVI, 30), dissensionem Apostolorum ignoraverit. (3) (*f*) Sed ei, qui novit omnia, ea ipsa quæ non nescit, dispensatio est aliquando nescire se loqui : dum aut apud Abraham (*g*) scientia dissimulatur in tempus, aut apud stultas virgines et iniquitatis operarios cognitio negatur indignis, aut in sacramento filii hominis, interrogatio ignorantis ex homine est : in his se omnibus (*h*) veritati corporeæ nativitatis accommodans, quibus naturæ nostræ infirmitas detinetur; non (ita) ut (4) infirmis esset ex **310** natura qui Deus est, sed ut infirmitates sibi hominum Deus homo natus assumpserit, assumpserit autem ita, non ut in naturam infirmam natura indemutabilis sit redacta, sed ut (*i*) in natura indemutabili susceptionis esset sacramentum : dum et qui erat Deus, homo est; nec Deus destitit manere, qui homo est. Agens itaque se atque (*j*) confirmans hominem natum, manens Deus Verbum, sæpissime in ea est professione, qua homo est, cum (*k*) tamen et protestatio Dei ea sit sæpe quæ hominum : cum ea nescit, quæ aut non sint in tempore confitenda, aut non agnoscuntur (*l*) ad meritum.

67. *Quam sapienter absconsa sit.* — Intelligendum itaque est, cur professus sit diem se nescire. Si omnino nescire (5) (*m*) creditur, Apostolus ita contradicit : *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ*

(1) *Et usque eo.*
(2) *Oleum.*
(3) *Sed et qui.*
(4) *Infirmus.*
(5) *Credetur, Apostolus itaque.*

(*a*) Unus ms. Vatic., *per iniquitatis operationem.* Mox potiores *jurandi*, non *jurisjurandi.*

(*b*) Sic mss. At Editi, *usque eo.*

(*c*) In vulgatis desideratur particula *non*, quæ exstat in omnibus mss. quæque hic non negandi, sed græcorum more Hilario familiari amplius affirmandi vim habet, quasi *nihil prorsus nescit.*

(*d*) Editi, *quod nesciat.* Mss. autem, *quod nescit*, v. g. virgines stultas, operarios iniquitatis, etc., hoc non proficiscitur ex ignorantia, sed ex scientia qua hos novit iniquos, illas stultas.

(*e*) Vetus codex Colb. *cognitiones.*

(*f*) In pluribus mss. *sed et qui.* Mox in uno Colb. *aliquando nescire sed loqui.* Magis placet, *nescire se loqui*, hoc est, ei, qui novit omnia, dispensatio est aliquando sic loqui, quasi nesciat ea ipsa quæ non nescit.

(*g*) Plerique mss. *apud Abraham est.*

(*h*) Editi *veritate.* Rectius mss. *veritati.* Hunc Hilarii locum sic intelligere est : interrogatio ejus, qui ignorare videtur, ex homine est : qui veritati corporeæ naturæ se accommodat in his omnibus, quibus, etc. Id ipsum variis modis inculcat Cyrillus lib. Thesauri. Sic porro habet pag. 220 : *Ignorare se dicit, quatenus hominibus, in quos ignorantia cadit, similis factus est :* et paulo ante, *Non quod ignoret Verbum quatenus Verbum est et Sapientia Patris ; dicit se nescire : sed humanam in se naturam ostendens, cui præcipue convenit ignorare.*

(*i*) Ita mss. At excusi, *in naturæ demutabilis susceptione* : corrupta Hilarii sententia, qua vult sacramentum susceptæ carnis factum esse salva et indemutabili permanente Verbi natura.

(*j*) In vulgatis, *conformans.* Melius in mss. *confirmans.*

(*k*) Id est, quamquam ipsius etiam Dei ad nostrum captum sese accommodantis ea sæpe locutio sit quæ hominum.

(*l*) Hoc est, quia carent merito ; sicuti, v. g., operarii iniquitatis et virgines fatuæ ob inopiam meriti nesciuntur.

(*m*) Apud Par. deest *creditur.* Deinde in pluribus mss. *Apostolus itaque*, non *ita.* Quam hic interpretationem adhibet Hilarius, sic laudat Augustinus epist. ad Ocean. CLXXX, n. 3 : *Beatus Hilarius cum obscuram quæstionem obscuro hoc genere tropicæ quæstionis aperuit, ut intelligeremus in eo se nimirum dixisse nescientem, in quo alios facit occultando nescientes,*

absconsi (*Coloss.* II, 3). Est ergo absconsa scientia : quæ quia abscondenda est, interdum et nescientia confitenda est, ut esse possit absconsa. Nam si erit in protestatione, non etiam in secreto manebit. Negat ergo se scire : ut scientia possit esse abscondita. Quod si idcirco nescit, ut scientia maneat absconsa ; non per naturam nescit omnia sciens, quod idcirco tantum, ut absconsum sit, nescit. Cur autem diei scientia absconsa sit, non in obscuro est. Namque monens nos irremissa fide intentos semper manere, securitatem cognitionis (*a*) definitæ ademit : ut pendulæ exspectationis incerto mens sollicita, festinans et adventus diem semper exspectans, semper exspectando speraret ; curamque pervigilem incertum ipsum, non ambigendi tamen temporis, detineret. Ita enim Dominus ait : *Ideo et vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est* (*Matth.* XXIV, 44). Et rursum : *Beatus ille servus quem veniens Dominus ejus* (*b*) *invenerit sic facientem* (*Ibid.*, 46). Ignoratio non ad errorem fuit necessaria, sed ad perseverantiam. Nec negatum id ad detrimentum est, quod ignoratum **311** tribuit incrementum, ne scientiæ securitas negligentiam fidei dissimulatæ (*c*) excitaret, sed præparationem irremissam exspectatio indefinita retineret : (*d*) quæ modo furis metuendum semper caveret (1) adventum, illo eligente somni tempus ad furtum : patrefamilias vero domus, damni semper timore, vigilante.

68. *Christum, etsi humana penetret ut potior, paterna penetrare nolunt ut inferiorem.* — Quamquam igitur non obscurum sit, ignorationem Dei non ignorationem esse, sed sacramentum : dum per dispensationem aut agendi, aut protestandi, aut demonstrandi sic nescit, ut sciat ; et sic non nescit, ut nesciat : tamen videndum est, ne forte et ita infirmus sit, ut ea, quæ Pater scit, scire non possit : potente quidem eo cogitationes humanorum cordium nosse : quia natura potior motibus se naturæ inferioris admisceat, eamque tamquam imbecillam vehementi virtute transcurrat : sed impotens sit vehementiorem (*e*) sui naturam infirmior ipsa penetrare ; quia ut levia gravibus, et rara densis, et liquida solidis sunt pervia ; ita contra et gravia levibus, et densa raris A et solida liquidis (2) non cedant ; quia cum non pateant valida infirmibus, validis tamen infirma penetrantur. Ob id ergo cogitationes Dei patris ignorare Filius ab impiis dicitur, quia infirmus ipse cum sit, non adeat ineundo potiorem, nec valentem invalidus transcurrat.

69. *Christum Patre inferiorem dici non sinunt Scripturæ. Pater et Filius speculum mutuum.* — Quæ si quis non modo ore temerario loqui audebit de unigenito Deo, verum etiam corde impio cogitare ; Apostolum ita de Spiritu sancto ad Corinthios scribentem credidisse cognoscat : *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, et alta Dei. Quis enim scit hominum quæ sunt hominis, quæ in ipso* (*f*), *nisi spiritus qui in ipso est ? Ita et* B *quæ in Deo sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei* (1 *Cor.* II, 10, 11). Sed hæc inania corporalium rerum exempla spernentes, Deum de Deo, et Spiritum de Spiritu, virtutibus suis potius, quam (*g*) terrenis conditionibus æstimemus. Æstimemus autem, non sensu nostro, sed professione divina : et credamus ei qui ait, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9). Nec ignoremus eum qui dixit, *Vel operibus* (3) *meis credite, quia Pater in me, et ego in Patre* (*Joan.* X, 38). Nec ignoremus eum, qui locutus est, **312** *Ego et Pater unum sumus* (*Ibid.* 30). Si enim sensum nostrum rerum nomina secundum humanam intelligentiam commemorata confirmant : non habet ab eo naturæ differentiam, in quo per intelligentiam (*h*) quis videtur ; nec differt in genere, qui manentem in se habens, inest in manente ; nec diversi sunt, qui unum C sunt. Intellige unitatem, dum non dividua natura est. Naturæ vero rursum individuæ sacramentum apprehende, dum tamquam speculum unus unius est. Speculum autem ita, ut non imaginatam speciem naturæ exterioris splendor emittat ; sed dum vivens natura naturæ viventi indifferens est, quippe quæ ex tota tota sit, quæ et dum unigenita est Patrem in se habeat, et maneat in Patre dum Deus est.

70. *De naturæ unitate dicta male ad unitatem voluntatis detorquent hæretici.* — Hæc itaque, ad significandum nativitatis sacramentum a Domino prædi-

(1) Vox *adventum* deest in nostro codice. Mox, *omne tempus*, non *somni tempus*.

(2) *Non cedunt*. D *non excusavit mendacium, sed non esse monstravit.* Eamdem ipse sequitur lib. I de Trin., c. 12, n. 23, sicut et Gregorius Papa lib. VIII, epist. 42. Nec dissentit Cyrillus, lib. Thesauri p. 222, Christi sermonem ita ab ipso temperatum enarrans, *quia discipulorum captum ejus rei notitia superabat.* Longe magis ad eamdem sententiam accedit Eustachius Antioch. apud Facundum lib. XI, ubi hoc a Christo adinventum ostendit utilitatis hominum causa.

(*a*) Verbum *definitæ*, in prius vulgatis omissum, restituitur ex scriptis.

(*b*) Editi, *invenerit vigilantem* : dissidentibus mss. et sacro textu.

(*c*) Excusi, excepto. Par., *non excerceret*. Alii vero libri, *excitaret*, hoc est, pareret ac foveret.

(*d*) Hanc lectionem uni Vatic. et alteri Remig. ms. habemus acceptam, aliis etiam faventibus, in quibus tamen vox *adventum* omittitur, quæ et salvo sensu omitti potest. At in vulgatis, *quæ modo furis metuendo semper caveret, illo eligente omne tempus.*

(*e*) Editi, *se* ; renitentibus mss.

(*f*) In vulgatis hic additur *sunt*, quod abest a mss., e quibus unus Colb. et alter Sorbon. omittunt *quæ in ipso*, ut et vulgata sacri textus exemplaria græca et latina.

(*g*) Duo mss. *terrenis cogitationibus* : male.

(*h*) In vulgatis, *quisque*. Rectius in plerisque mss. *quis* : hoc est, in quo quis viso atque intellecto videtur atque intelligitur, non habet ab eo naturæ differentiam. Tum Lips. et Par. *nec differt a genere* : emendantur ex Bad, Er. et mss.

(3) Vox *meis* desideratur in codice Veronensi ; nec occurrit in græco textu, et omittitur lib. VII, num. 24 et 26, ubi ter hic locus repetitur.

cata, hæretici quia negare non possunt, ita conantur eludere, ut ad voluntatis concordiam referant; ut in Deo patre et in Deo filio non divinitatis sit unitas, sed voluntatis : tamquam divinæ doctrinæ inops sermo sit, neque aut dici a Domino potuerit, Ego et Pater unum volumus ; aut ejusdem intelligentiæ sit, *Ego et Pater unum sumus :* vel loquendi imperitus non dixerit, Qui vidit voluntatem meam, vidit et voluntatem Patris mei : et id ipsum sit, *Qui me vidit, vidit et Patrem :* vel certe non fuerit in usu eloquii divini, Voluntas Patris mei in me est, et voluntas mea in Patre meo est ; sed conveniens huic dicto sit, *Ego in Patre, et Pater in me* (*Joan.* XIV, 11). Quæ quamquam omnia fœda et inepta et impia sint, neque sensus humanus in hanc stultæ opinionis sententiam concedat, ut aut non potuerit Dominus loqui quod volebat, aut aliud locutus sit quam locutus est : (*a*) qui quamquam reperiatur parabolicis et allegoricis dictis usus esse, sed aliud est vel exemplis dicta (1) firmare, vel proverbiorum significationibus rerum satisfacere dignitati, vel temporum professionibus se coaptare : tamen hic idem unitatis, de qua tractatur, locus non patitur in dictis aliud, quam sonant verba, esse credendum. Si enim per id unum sunt, quia unum volunt ; unum autem velle naturæ separabiles non possunt, quæ (*b*) diversitate generis dissidentis in diversas **313** necessario voluntates naturæ diversitate dissentiunt : quomodo unum velle possunt, quibus scire non unum est ; cum scientia, et ignoratio voluntatis unius (2) impediant unitatem ? Cum itaque scientiæ (*c*) inscientia adversa sit, unum velle adversa non possunt.

71. *Pater ideo solus diem scit, quia soli Filio non tacet : Filius nescit, quia nulli revelat.*—Sed forte id, quod solum Patrem Filius ait scire, Filium, qui se nescire dixerit, nescire confirmet. Nisi plane Patrem solum scire dixisset, maximi periculi res intelligentiæ nostræ relinqueretur, ne forte existimaretur ipse nescire. Nam cum in eo, quod nescit, dispensatio ei potius absconditæ scientiæ, quam natura sit nesciendi; per id quoque nunc, quod solus Pater scit, non ignorasse credendus est : quia, sicut superius docuimus, scientia apud Deum, non cognoscendi id quod nescierit (*d*) intelligentia est, sed loquendi. Et per id, quod solus Pater scit, Filius non intelligitur nescire ; cum Filius idcirco nescire se dicat, ne et alii sciant : et Patrem (*e*) ob id solum dicat scire, ne et ipse non nesciat. Si enim tunc cognovisse Deus dicitur, amari se ab Abraham, cum hoc non celavit Abrahæ (*Gen.* XXII, 12) ; necesse est, ut et Pater diem ob id scire dicatur, quia non celaverit Filium, Deo scientiam non de repentina cognitione sumente, sed in tempore protestante. Si itaque et diem Filius secundum sacramentum nescit, ut taceat; e contrario necesse est, ideo diem Pater solus ostendatur scire, quia non tacet.

72. *Deus simplex, et humano modo minime cogitandus. Non mutatur. Omnia potest.* — Absit autem corporalium demutationum novitates in Patre et Filio existimari, ut aliquando Pater Filio aut loquatur, aut taceat. Nobis quidem nonnunquam missam vocem de cœlo meminimus ; ut sacramentum apud nos Filii, paterni dicti significatio firmaret, sicut Dominus ait : Non propter me vox hæc venit de cœlo, sed propter vos (*Joan.* XII, 30). Cæterum natura Dei non eget compositis humani officii necessitatibus, linguæ **314** motu, temperamento oris, spiritus nisu, aeris pulsu. Deus simplex est, religione nostra intelligendus est, pietate profitendus est : sensu vero non persequendus est, sed adorandus; quia natura moderata (*f*) et infirmis, naturæ infinitæ et potentis sacramentum intelligentiæ opinione non occupet. (3) (*g*) Non est

(1) Erat in anteriori, *infirmare*.
(2) Antea legebatur, *impediat*.

(*a*) Er., Lips. et Par., *et quamquam*.
(*b*) Editi, *diversitatem generis :* castigantur ex mss.
(*c*) In aliquot mss. *inscitia*. In Martin., *scientia :* male.
(*d*) In vulgatis, *intelligentiæ*. Rectius in mss., *intelligentia :* hoc est, cum dicitur Deus scire, non intelligitur seu non significatur cognoscere quod nescierit, sed quod non locutus sit loqui, uti jam attigimus num. 62, ac declaratur num. 64.
(*e*) Particulam *ob*, male a Lipsio expunctam, restituimus ex Bad., Er. et mss. Tum *ne et ipse non nesciat*, id est, ut et ipse intelligatur non nescire. Id ipsum apertius sic exprimitur, num. 73 : *Filius itaque diem idcirco quia tacet, nescit : et Patrem solum idcirco scire ait, quia solus uni sibi non tacet*. Non tacet autem Filio Pater; alioquin qui eum intelligeret scire. Filius vero tacet, quia sic a Patre didicerat, ut simul tacendum didicerit, quod expediebat ignorari. Huc spectat illud Augustini Serm. nunc XCVII, n. 1 : *Ne carnaliter sapientes putemus aliquid Patrem scire quod nesciat Filius. Nam utique cum dixit, Pater scit, ideo hoc dixit, quia et in Patre Filius scit. Quid enim est in die, quod non in Verbo factum est, per quod factus est dies?*
(*f*) Hoc est, modo finito coangustata. Erasmi in Hilarium paulo iniquioris ea hactenus obtinuerat ad

(3) *Non est itaque diversis compositæ substantiæ partibus.*

marginem nota : *Cur ergo tam multa definivit?* Quænam porro illa *tam multa* definivit, qui vix ab hoc uno scopo declinat, quo demonstrare studet, nec Deum solitarium esse, nec Filium a Patre aliud seu alterius esse substantiæ? Hæccine vero ipse definivit? Annon potius utrumque Scripturis aperte traditum ab Ecclesia didicit? Primum enim jam longe ante definierat Ecclesia Sabellii, Noeti, Praxeæ similiumque hæreticorum doctrinam proscribens. Alterum vero proxime confirmarant Nicæni Patres : quod pridem contra Paulum Samosat. declaraverat Antiochena synodus, imo contra Artemam aliosque constanter propugnarant Apostolici viri, uti testis est Eusebius, qui lib. v hist. c. 28, recenset scripta ætate Victoris et Artemæ antiquiora, quæ fratres tum contra gentes tum contra temporis sui hæreticos pro divinitatis Christi defensione scripserunt. Verum judicet quisque in quem cadat inconstantiæ labes, in Hilariumne, an in Erasmum; qui, lib. II, illius in scribendo summam modestiam admiratus, eam his verbis imitandam proposuit : *Audi, definitor temerarie.* Nobis vero pius Præsul nusquam visus est immemor quam imbecilla sit humana ratio. Infirmitatem illius constanter ob oculos ponit, ut discat homo non suis sensis, sed Dei dictis credere.
(*g*) Aliquot mss. cum Bad., *Non est itaque diversis com-*

itaque diversus compositæ divinitatis partibus : ut sit in eo aut post stuporem voluntas, aut post silentium sermo, aut post otium opus : ut aut velle aliquid, nisi ad volendum motus sit, non putetur; aut loqui quid, nisi post silentium sonent verba, non possit; aut agere aliquid, nisi in opus exeat, non intelligatur. Non subjacet naturæ legibus, a quo legem omnis natura sortitur : neque in aliquo, infirmitate aut demutatione efficiendi detinetur, qui extra modum est potestatis, secundum Domini dictum : Pater, possibilia tibi omnia sunt (*Marc.* XIV, 36) : ut quantum sensus humanus non capit, tantum Deus possit. Sed ne ipsum quidem se omnipotentiæ virtute fraudavit, dicens, Omnia quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter (*Joan.* V, 19). Non est difficultas, ubi non est infirmitas; quia difficultati subjacet impotens efficiendi potestas. Difficultatis enim natura (*a*) in infirmitate virtutis est : quæ cum modum non habet potestatis, non tenetur lege infirmitatis.

73. *Diem non potuit aliquando nescire. Filii cum Patre natura una.* — Hoc idcirco demonstratum a nobis est, ne aut Deus post silentium locutus ad Filium, aut Filius post ignorationem scire existimaretur : sed intelligentiam nostram naturæ nostræ esse significationibus instruendam, quæ demonstrari aliquid nisi per loquentem non intelligeret, et non nesciri aliquid (*b*) nisi sciendo non existimaret. Filius itaque diem idcirco, quia tacet, nescit : et Patrem solum idcirco scire ait, quia solus uni sibi non tacet. Sed non exspectat, ut dixi, **315** has naturæ difficultates, ut tunc sciat cum ignorare destiterit, ut tunc audiat cum loqui Pater cœperit. Naturæ suæ cum eo, tanquam unigeniti, unitatem non ambigue docuit dicens : *Omnia, quæ Patris sunt, mea sunt.* Non enim ille nunc de (*c*) obtinendo locutus est; quia aliud est extrinsecus (*d*) subsistentia sua esse, aliud est in suis atque (*e*) ipsum se esse : quorum unum est possidere cœlum, terras, mundumque totum, aliud est se ipsum in his significare quæ sua sunt, sua autem ita, non tamquam externa subjaceant, sed quod ex suis ipse subsistat. Nunc ergo cum omnia, quæ Patris sunt, sua sunt; divinitatis significat naturam, non obtentorum (*f*) communionem. Nam ad id, quod de suo accepturum sanctum Spiritum loquebatur, ait, *Omnia, quæ Patris sunt, mea sunt; et ideo dixi, de meo accipiet :* ut dum de suo accipit, non etiam non de Patris accipere existimaretur; vel cum de Patris sumeret, non etiam non de suo sumere intelligeretur. Neque enim de creaturis sumebat Spiritus sanctus, (*g*) qui Dei Spiritus est; ut ex his videatur accipere, quia ea omnia Dei sunt. (*h*) Sed non ideo omnia, quæ Patris sunt, sua sunt, ut quod sumit ex Filio, ne etiam non de Patris sumere videretur; cum omnia, quæ Patris essent, esse intelligerentur et Filii.

74. *Cui voluntas, adeoque scientia, cum Patre eadem.* — Hæc igitur natura non eguit vel demutatione, vel interrogatione, vel allocutione, ut post ignorantiam sciat, post silentium interroget, post interrogationem audiat : sed perfecta in sacramento unitatis suæ manens, ut habuit de Deo nativitatem, ita habuit et universitatem. Universitatem autem habens, non etiam non quæ universitatis sunt tenuit, (*i*) scientiam scilicet, aut voluntatem : ne quod scit Pater, per interrogationem **316** Filius sciret; vel quod vult Pater, per significationem Filius vellet. Sed cum omnia, quæ Patris sunt, sua essent; in ea (*j*) fuit proprietate naturæ, ne aliud aliquid, quam Pater, aut vellet, aut sciret. Ad demonstrationem

posita substantia (vel *compositæ substantiæ*) *divinitatis partibus.* Martin. *diversis compositæ substantiæ partibus.*

(*a*) Hoc est, in virtutis inopia sita est : quæ virtus cum, etc. Hinc quod in tribus Vat. et aliis recentioribus mss., *in infirmitate virtutis est. Dei autem natura quæ modum non habet*, etc., interpolatori tribuendum.

(*b*) In recentioribus mss. *nisi sciendo existimaret :* male. Illud *nisi sciendo*, id est, nisi discendo, ac more hominum ab inscitia ad scientiam transeundo.

(*c*) Id est, non de illis bonis, quæ non tenentur natura, sed gratia aut labore postmodum obtinentur.

(*d*) Martin. ms., *substantiæ suæ*. Colb. cum Germ. *subsistenti :* quod ad Filium referri potest. Unus Vatic. ac pauci alii, *subsistentis :* quod et de Patre dictum commode interpretari licet. Verius tamen alii, ut liquet ex num. 31, *extrinsecus subsistentia*, hoc est, res externas, ut sunt, v. g., cœlum, terra, mundus; vel ut habetur supra, n. 31, elementa et creationum variæ species. Defendit Hilarius Christum non sola Patris bona externa et creata sua esse dicere : idque ex eo probat, quod subjicit, ideo Spiritum de suo accepturum. Cum enim constet, Spiritum Dei de creaturis nihil sumere; restat ut interna Patris bona, virtutem scil., æternitatem, providentiam, etc., omnia sua dicat : quæ quidem non aliud sunt ab ipso, quamvis imperfecto nostro loquendi more dicamus ea *Patris*, quasi aliud sit habens Pater, aliud quod habet. Ex quo facile sequitur, Filii et Patris unam esse naturam. Confer num. 31.

(*e*) Editi, *atque id ipsum*. At mss. *atque ipsum*, non alio sensu : qui clarior fiet, si post *atque ipsum se esse*, suppleatur *quæ sua sunt*.

(*f*) Rursum hic Erasmus in Hilarium censoriam virgulam laxans, *Cur fugis*, inquit, *communionis nomen?* Cui ille non immerito respondeat : Cur mihi calumniam struis? Non fugio communionem simpliciter, sed *communionem obtentorum*, communionem adventitiam bonorum quorumdam externorum, quæ naturæ jam constitutæ adjiciantur, communionem denique naturæ unitate destitutam : recordare mea verba, lib. IX, n. 34.

(*g*) Sic mss. At editi, *quia Dei Spiritus*. Mox aptius legeretur, *quia eæ omnes Dei sunt*, quam *quia ea omnia Dei sunt*. Hoc enim ad creaturas refertur. Hic spiritus sanctus perspicue ostenditur Patri et Filio consubstantialis.

(*h*) Excusi, excepto Par., *sed ideo*, expuncto *non*, quod exstat in mss. quorum auctoritate mox, pro *non etiam non de Patre*, restituimus *ne etiam non de Patris*. Horum autem sensus est : Non ideo quæ Patris sunt Filii sunt, quasi omnia sua Pater ita refuderit in Filium, ut sibi ea non retinuerit; ac sic quod sumit Spiritus a Filio, non accipiat et a Patre.

(*i*) In mss. Vat. bas. et Martin., *ut sciat scilicet aut velit*.

(*j*) Editi, *in ea esset ;* castigantur ex potioribus mss.

vero nativitatis plerumque demonstratio est adhibita personæ, cum dicitur : *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38). Patris voluntatem, non suam facit : dum per voluntatem ejus, qui se misit, significat et Patrem. Quod autem id ipsum velit, non ambigue ostendit dicens : *Pater, quos mihi dedisti, volo ut ubi ego sum, et illi sint mecum* (*Joan.* XVII, 24). Cum ergo Pater velit nos cum Christo esse, in quo secundum Apostolum elegit nos ante constitutionem mundi, et ipsum illud Filius velit, scilicet esse nos secum (*Ephes.* I, 4); voluntas ad naturam eadem est, quæ ad nativitatis significationem distinguitur (1) (*a*) in voluntate.

75. *Eum non nescientem, sed ex dispensatione tacentem intellexerunt Apostoli.* — Non itaque ignorat Filius, quod non ignorat Pater; neque quia solus Pater scit, idcirco nescit et Filius : cum in unitate naturæ Pater et Filius maneant; quod autem Filius nesciat, in quo omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi sint, tacendi dispensatio sit : sicut ipse Dominus testatus est, cum quærentibus Apostolis de temporibus respondit : *Non est vestrum scire tempora* (2) (*b*) *vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate* (*Act.* I, 7). Cognitio negatur : neque solum negatur, sed et sollicitudo cognitionis inhibetur, cum scire hæc tempora non est eorum. Ipsi certe nunc post resurrectionem de temporibus interrogant, quibus ante interrogantibus dictum est, ne Filium quidem scire : nec videri possunt secundum aurem intellexisse nescire Filium; cum ipsi eum tamquam scientem rursus interrogent. Sed sacramentum nesciendi, dispensationem esse intelligentes **317** tacendi, nunc post resurrectionem loquendi tempus jam arbitrantes esse, interrogant. Atque illis Filius non jam se nescire ait; sed quod scire non sit eorum, (*c*) quia Pater in potestate sua posuerit. Si itaque Apostoli hoc, quod nescit Filius diem, dispensationem esse intelligunt, non infirmitatem; nos Filium ob id tantum diem dicimus nescire, ne Deus sit? cum diem Pater Deus idcirco in potestate sua posuerit, ne ad scientiam humanæ cognitionis evaderet : et Filius ante interrogatus, nescire se dicens nunc rursum non se nescire respondeat, sed eorum esse nescire; Patrem vero tempora non in scientia sua, sed in potestate posuisse? Nam cum dies et momentum intra temporum nomen sit; non potest videri **318** diem et momentum restituendi in regnum Israel ipse ille, qui restituturus eum est, ignorare. Sed nos ad intelligentiam nativitatis suæ per exceptionem paternæ potestatis erudiens, neque se nescire respondit : et facultatem ipsis scientiæ non concessam esse demonstrans, id ipsum in sacramento paternæ potestatis consistere est professus.

(3) (*d*) Non ergo, quia nescire se diem et momentum Filius dicit, nescire credendus est, sicuti neque cum secundum hominem aut flet, aut dormit, aut tristis est, Deus obnoxius esse aut lacrymis, (*e*) aut timori, aut somno est confitendus : sed salva Unigenito in prædicto codice sancti Petri exscribendo magna usum esse licentia constat, hæc verba ad Græcorum imitationem expressa addidisse. Sane non longe ab eis dissident hæc Cyrilli lib. Thesauri pag. 221 : *Quemadmodum hoc in se recepit Christus, ut homo factus una cum hominibus esuriret, sitiret, reliquaque pateretur, quæ de ipso dicta sunt; eadem plane ratione non est quod quem offendat, si ut homo una cum hominibus ignorasse dicatur.* Eadem doctrina licet ab Athanasio asserta videatur Or. IV contra Ar., p. 494 et 495, neque Gregorio Naz., Or. XXXVI, n. 62, aliisque magnis viris displicuisse; a Leporio tamen in libello, cui cum aliis subscripsit Augustinus, tom. II Concil., non modo retractata, sed et anathemate damnata est : *quia dici non licet, etiam secundum hominem, ignorasse Dominum prophetarum.* Imo Cyrillus, Athanasius, aliique Patres, si eorum sententia propius inspiciatur, non tam asserunt Christum ut hominem revera nesciisse diem judicii, quam ipsi ut homini licuisse singulari quodam consilio dicere se nescire; neque ab humana natura, cujus infirmitates suscepit, alienam esse ignorantiam : quam præ se quodam modo tulerit, ut nobis congrueret. Atque ita cum Hilario nostro, num. 66, potius facere videntur, quam cum iis, qui Justiniano imperante Christum ut hominem ignorasse defendebant, et ab auctore suo *Themistiani*, ab errore *Agnoitæ* cognominati sunt : contra quos S. Eulogii Commentarium approbat Gregorius Papa I, lib. VIII, epist. 42. Exstat quoque opus Agobardi contra Felicem, qui diem judicii, Lazari sepulcrum, sermones pergentium in Emmaus, etc., Christo latuisse existimabat. Vide notata ad lib. X, n. 8.

(1) *In volente.*

(2) Non exstat *vel momenta* in nostro codice.

(3) Quæ subsequuntur usque ad finem, perspicue exhibentur a vetustissimo Ecclesiæ Veronensis codice.

(*a*) Ita optime notæ mss. duo Colb., Carn., Germ., Sorbon., Vict. faventibus aliis sex, in quibus tamen male exstat, *non distinguitur in voluntate.* At Corb. ac pauci alii cum vulgatis, *in volente.* Quamquam salvo et integro sensu removere liceret sive in *voluntate*, sive *in volente.*

(*b*) A mss. constanter abest *vel momenta*, sicut et apud Augustinum epist. CXCVII et CXCIX ad Hesych., qui quidem epist. CXCVII, n. 2, observat græce legi χρόνους ἢ καιρούς : *Nostri autem*, inquit, *utrumque hoc verbum tempora appellant, cum habeant hæc inter se non negligendam differentiam, καιρούς quippe appellant tempora quæ in rebus ad aliquid opportunis vel importunis sentiuntur, ut messis, pax, bellum; χρόνους autem ipsa temporum spatia.* Hesychius tamen epistola apud eumdem Augustinum prædictis intermedia legit *tempora vel momenta :* quam lectionem Hilario non ignotam fuisse palam fit ex subjectis.

(*c*) Sic mss. At editi, *quæ Pater.*

(*d*) Male cohæret illud *non ergo :* cum aliud prorsus concludatur, quam in superioribus fuerit confectum. Imo pugnare videtur hæc conclusio cum dictis num. 58, ubi Hilarius diem illum a Christo ignorari posse negat, non solum quia temporum auctor est ut Verbum, sed quia secundum mysterium assumptæ carnis ad eum pertinet, et ipsius dies est, in qua venturus est judicare vivos et mortuos. Quocirca minutiori charactere distinguenda censuimus quæ sequuntur, maxime cum non exstent in mss. optimæ notæ Colbertinus tribus, Carnutensi, Germ. et Sorbon. Ea tamen suo e loco non movimus prorsus : quia et in perantiquo codice basilicæ Vaticanæ, Martiniano, Corbeiensi, aliisque habentur, et ab aliis Hilarii verbis per se sunt satis discreta. Si simile quid lib. X, n. 8, haberent, suspicaremur librarium, *aut timori.*

(*e*) In codice Vat. bas. et Martin., *aut morti*, non

niti in se veritate, secundum carnis infirmitatem, A fletum, somnum, inediam, sitim, lassitudinem, metum, pari necesse est secundum hominem natura, diei atque horæ professus esse intelligatur inscientiam.

319-320 LIBER DECIMUS.

Totus est adversus eos, qui nullam in Christo volentes esse substantiam, quæ non in passione doluerit, nullam quæ ab esurie, siti, tristitia, timore aliena fuerit, divinæ professionis naturæque immemores, ad argumentum impietatis suæ, dispensationis gesta et dicta tenuerunt (*Lib.* I, *n.* 32). *Quorum alii Christum asserebant merum esse hominem*, in cujus animam, *non simplex*, *sed* DOMINANS metus tristitiæ imminentis inciderit, *qui* consternatus fuerit passionis NECESSITATE, *et quem* obtinuerit vis B doloris (*Ibid.*, *n.* 33). *Alii Verbum cum carne confundentes, officio animæ functum esse prædicabant. Nec deerant qui ipsum ab homine prorsus separantes, nullam illius in Christo præsentiam fatebantur, nisi quam in prophetis agnoscimus. Rursum discrepantes complectebantur sententias, cum Christi non modo carnem, sed et animam ab Adam propagatam sentientes, ut Scripturas eluderent, quibus de cœlis descendisse significatur, descensum illum non de persona Verbi carnem sibi assumente, sed de ipsa carne e cœlis advecta interpretabantur.*

Contra illos hæreticos Hilarius eo ut plurimum utitur argumenti genere, quo in suis ipsorum sententiis non succurrat eis quod reponant. Quod autem aliorum Operum initio rogat, id ei maxime in hoc libro con- C *cedendum, ne scilicet de ipso ante finem judicetur. Si quid enim offendiculi pariunt initia, finis levabit. Quamquam exposita adversariorum sententia facile judicatur, vel solam a dolore, metu, tristitia eximere Christi divinitatem; vel humanam illius naturam a dominantibus dumtaxat et coactis hujusmodi affectionibus vindicare. Illud etiam attendendum quod Gregorius Nyss. Or.* V *contra Eunom. a Theodoreto, Dial.* III, *laudatus ait:* Cum enim duplex et ambigua sit opinio, divinitasne, an humanitas passa sit: unius rejectio, alterius prorsus erit confirmatio.

Itaque Hilarius, num. 9, *insanas hæreticorum contra Christi divinitatem opiniones exponere simul ac persequi incipiens, deinceps, usque ad num.* 36, *de mira-* D *bili illius conceptione ita disserit, ut ex ea naturæ nostræ veritatem a Verbo sine sui abolitione, sine nostris vitiis susceptam esse demonstret. Ex quo conficit, Christum unum eumdemque, etsi non humana lege conceptum, tamen et verum hominem exstitisse, et verum Deum: ut verum hominem,* passionum naturis *permissum esse: ut absque originis nostræ vitiis conceptum,* passionum *nostrarum non confectum esse* injuriis; *ut verum Deum, ab iisdem prorsus fuisse alienum.*

Exinde usque ad num. 43, *tristitiæ ipsius, orationis, et angelici ministerii expendens causas, eum non sibi, sed Apostolis tristem fuisse, orasse, et ab Angelo confortatum esse propugnat. Tum quinque numeris sequentibus enarrat quæ Christus in passione præbuerit divinæ omnipotentiæ suæ signa: quibus facile appareat, doloris necessitatem, vim ac dedecus in eum non convenire, qui tanta potuerit; et eum quidem* secundum hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundum Deum in his omnibus triumphare (*num.* 47).

Hinc adversarii vocem Christi objiciunt se derelictum clamantis. Quæ autem illorum de Christo fides sit, declarat numerus 49. *Ac subinde multis oppositis quæstionibus de Christi ortu temporali, fletu, animæ ponendæ ac resumendæ potestate, spiritus commendatione et traditione, quæ cum hæreticorum doctrina conciliari nequeant, nodum earum solvit num.* 61, *ex fide Ecclesiæ, quæ cum Christi naturas non confundat, nec dividat personas, in uno eodemque Christo habet* conquerentem ad mortem relictum se esse, quia homo est, *et* eum qui moritur profitentem se in paradiso regnare, quia Deus est. *Interea Hilarius fidei necessitatem more suo commendat: quo arrogantiam retundat hæreticorum,* **321-322** *qui Christi mysteria se comprehendere jactitabant. Ut enim tradit Athanasius ad calcem l. de Salutari Adv. J. C.* qui divinitati ejus passionem adscribunt, aut qui humanitati ejus fidem non habent, aut qui unum in duo separant, *ii* carnis ejus dimensionem faciunt, et QUANTUM et QUOMODO præter sacras Scripturas definiunt, τὸ πόσον ἢ πῶς παρὰ τὰς γραφὰς λέγειν τολμῶντες.

1. *Dissidentium sententiarum quæ causæ. Doctrinam placiti, non rationis sectantes.* — Non est ambiguum, omnem humani eloquii sermonem contradictioni obnoxium semper fuisse: quia dissentientibus voluntatum motibus, dissentiens quoque sit sensus animorum; cum adversantium judiciorum (*a*) affectione compugnans, assertionibus his, quibus offenditur, contradicit. Quamvis enim omne dictum veri ratione perfectum sit; tamen dum aliud aliis aut videtur, aut complacet, patet veritatis sermo adversantium responsioni: quia contra veritatem aut non intellectam aut offendentem, vel stultæ vel vitiosæ voluntatis error obnititur. Immoderata enim est omnis susceptarum voluntatum pertinacia: et indeflexo motu (*b*) adversandi studium persistit, ubi non rationi voluntas subjicitur, nec studium doctrinæ impenditur, sed his quæ volumus rationem conquirimus, et his quæ studemus doctrinam coaptamus. Jamque nominis potius, quam naturæ, erit doctrina quæ fingitur: et non jam veri manebit ratio, sed placiti; quam sibi voluntas magis ad defensionem placentium coaptaverit, non quæ voluntatis instinctum per intelligentiam veri rationabilis incitabit. Per hæc igitur vitia studiosarum voluntatum omnes adversantium

(*a*) Ms. Martin. et alii nonnulli, *assertione.*
(*b*) Vat. bas., Martin. ac pauci alii mss. *adversandi studio.*

intentionum emergunt contradictiones : et inter veri assertionem, et placiti defensionem, pertinax pugna est : dum se et veritas tenet, et tuetur voluntas. Cæterum si non præiret rationem voluntas, sed per veri intelligentiam ad velle id quod verum est moveretur : numquam doctrina (1) (*a*) voluntatis quæreretur, sed voluntatem omnem doctrinæ ratio commoveret ; esseteque omnis sine contradictione veritatis sermo, cum unusquisque non quod vellet, id verum esse defenderet, sed quod verum est, id velle cœpisset.

2. *Quos magistros quærant.* — Harum itaque vitiosarum voluntatum non ignarus Apostolus, inter multa contestandæ fidei et prædicandi verbi præcepta, ad Timotheum scribens ait, *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros* (*b*) *prurientes aures : et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (II *Tim.* IV, 3). Ubi enim per impietatis studium extra sanæ doctrinæ patientiam erunt, tunc his quæ desiderant coacervabunt magistros, apta scilicet cupiditatibus suis doctrinarum instituta cumulantes, neque doceri se desiderantes, sed doctores ad id quod desiderant congregantes : ut cumulus ipse conquisitorum et coacervatorum magistrorum, æstuantium desideriorum satisfaciat doctrinis. Et hic tantus (*c*) stultæ irreligiositatis furor quo tamdem spiritu, sanam doctrinam non sustinens, corruptam desiderabit, si ignorat ; ab eodem Apostolo ad hunc eumdem Timotheum scribente cognoscat : *Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus recedent quidam a fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmoniorum in hypocrisi* (2) (*d*) *mendaciloquiorum* (I *Tim.* IV, 1). Qui enim doctrinæ profectus est, placita magis quam docenda conquirere? Aut quæ doctrinæ religio est, non docenda desiderare, sed desideratis coacervare doctrinam? Sed hæc seducentium spirituum incentiva suppeditant, et simulatæ religionis falsiloquia confirmant. Sequitur enim fidei defectionem hypocrisis mendax, ut sit vel in verbis pietas, quam amiserit conscientia. Et ipsam quidem simulatam pietatem omni verborum mendacio impiam reddunt, falsæ doctrinæ institutis corrumpentes (3) sanctitatem fidei : dum secundum desideria studiorum potius, quam secundum evangelicam fidem, coacervata doctrina est. Auribus enim prurigine incitatis, dum per audiendi impatientem oblectationem sub novella desiderii sui prædicatione scalpuntur, ipsi penitus ab auditu veritatis alieni, totos se fabulis destinant : ut his, quæ loquantur, veritatis speciem acquirant, dum quæ vera sunt et loqui et audire non possunt.

3. *Arianis conveniunt prædicta.* — Incidimus plane in hoc prophetiæ apostolicæ molestissimum tempus. Conquisitis enim nunc creaturæ potius quam Dei prædicandi magistris, desideriis humanis potius quam (4) sanæ fidei doctrinis studetur : et eo usque eos prurigo aurium ad ea quæ desiderant audienda excitavit, ut coacervatis doctoribus sola hæc nunc interim prædicatio polleat, per quam unigenitus Deus a potestate et veritate Dei patris alienus, aut alterius generis Deus sit in fide nostra, aut Deus non sit : mortifera ex utroque impietatis professione, aut duos deos sub diversitate divinitatis (5) eloquentes, aut Deum omnino, cui natura ex Deo per nativitatem sit, abnegantes. Hoc alienatis ab auditu veritatis, et conversis ad fabulas auribus placet : hujus sanæ doctrinæ audientia non sustinetur, et ipsa omnis cum prædicatoribus suis exsulat. **323**

4. *Hilarius in exsilio liber ac lætus.* — Sed licet (6) (*e*) nunc a multis, coacervantibus sibi secundum desideria sua magistros, sana doctrina exsulet ; non tamen a sanctis quibusque prædicationis veritas (*f*) exsulabit. Loquemur enim exsules per hos libros, et sermo Dei, qui vinciri non potest, liber excurret, de hoc eodem apostolicæ prophetiæ admonens tempore : ut cum auditus veritatis impatiens deprehenditur, et secundum desideria humana coacervati magistri reperiuntur, jam de tempore non ambigatur ; sed in eo coexsulare, exsultantibus sanæ fidei prædicatoribus, veritas intelligatur. Ac de temporibus non queremur : quin etiam gaudebimus, quia iniquitas se per hoc exsilii nostri tempus ostenderit, quo veritatis impatiens sanæ doctrinæ prædicatores, ut secundum desideria sua (7) coacervet sibi magistros, relegat : exsilio nostro lætantes et exsultantes in Domino, constitisse in nobis plenitudinem apostolicæ prophetiæ.

5. *Quam caute se gesserit superioribus libris. Solemnes Arianorum calumniæ in Catholicos.* — Superioribus igitur libellis sinceræ, ut arbitror, fidei et incontaminatæ veritatis professionem tenentes, quamquam secundum humanæ naturæ consuetudinem nullus sermo non sit obnoxius contradictioni, eam tamen nos arbitror totius responsionis nostræ moderatos esse rationem, ut contradicere quisquam nisi

(1) *Voluntati.*
(2) *Mendacioloquentium.* Græce, ψευδολόγων.
(3) *Sanitatem.*
(4) *Sanctæ fidei.*
(5) *Loquentes.*
(6) *Licet cum.*
(7) *Coacervaret.*

(*a*) In excusis, *voluntati quæreretur*. Tum in pluribus mss. *si voluntatem.*

(*b*) Sic plerique mss. favente græco κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν. Solus Vat. bas. codex cum Martin. *scalpentes aures*, quomodo legitur lib. in Constant., n. 1. Editi vero, *prurientes auribus.*

(*c*) Editi, *stultæ religiositatis ;* emendantur ex mss.

(*d*) Aliquot mss. cum vulgata, *mendacium loquentium.* Alii cum Bad., Er. et Lips., *mendaciloquorum.* Quam cum Par. ac veteribus mss. Colb. et Germ. præferimus lectionem, confirmant subsequentia.

(*e*) In mss., *licet cum*, non *licet nunc.*

(*f*) In vulgatis, *exulavit :* cui verbo non satis modeste subjungeret Hilarius, *Loquemur enim*, se unum ex omnibus sanctis memorans. Ab hoc jactantiæ vitio sermonem illius purgat lectio mss. *exsulabit :* ut τὸ *sanctis* ad fideles veritatis amantes referatur, quibus veram doctrinam, librorum suorum subsidio, minime exsulaturam pollicetur.

cum impietatis professione non possit. Eorum enim A dictorum, quæ secundum falsiloquii sui artem ex Evangeliis hæretici præsumunt, ita demonstrata veritas est, ut jam in contradictione ignorantiam **324** excusare non liceat, sed irreligiositatem necesse sit confiteri. Eam quoque nunc, secundum sancti Spiritus donum, temperavimus totius fidei demonstrationem, (*a*) ut ne quid ementiri saltem adversum nos criminis possent. Solent enim ita de nobis implere aures ignorantium, ut nos asserant negare nativitatem, cum unitatem divinitatis prædicamus : et dicant solitarium a nobis per hoc, (*b*) *Ego et Patrem unum sumus* (*Joan.* x, 30), significari Deum : ut innascibilis Deus descendens in Virginem homo natus sit, qui (*c*) ad dispensationem carnis id quod ita cœperit, *Ego*, ad divinitatis suæ vero demonstrationem subjecerit, B *et Pater*, tamquam hujus hominis sui pater esset ; ex duobus vero consistens, homine scilicet et Deo, de se locutus sit, *unum sumus*.

6. *Quid hactenus dictum de æterna Filii generatione.* — Sed nos nativitatem subsistentem sine tempore protestantes, prædicavimus Deum filium non alienæ a Deo patre naturæ Deum : neque ex innascibilitate Innascibili coæqualem, sed ex generatione (*d*) Unigeniti non disparem : neque unum eos esse ex geminatis nominibus (*e*) unionis, sed ex nativitate naturæ : neque duos deos per diversitatem generis in fide esse, neque rursum singularem (1) (*f*) quia solum Deum, ubi sacramentum Dei unigeniti est confitendum ; sed in Patre significari atque esse Filium, dum in eo et natura Patris et nomen (*scil.* naturæ) est, in C Filio vero Patrem intelligi ac manere, dum filius neque dici potest nisi ex patre, neque esse : viventis quoque naturæ esse viventem imaginem, et consignatam naturaliter Dei in Deo formam usque adeo indifferentis potestatis et generis, ut in eo nec opus, nec sermo, nec visus alienus a Patre sit : sed cum naturaliter in se habeat auctoris sui imago naturam, per naturalem quoque imaginem suam auctor et operatus, et locutus, et visus sit.

7. *Quid de temporali.* — Atque (*g*) hanc quidem et intemporalem, et inenarrabilem, et omnem humanæ intelligentiæ sensum excedentem Unigeniti generationem prædicantes, nati quoque in hominem ex partu Virginis Dei sacramentum docuimus : demonstrantes secundum **325** dispensationem carnis assumptæ, tum cum se ex forma Dei evacuans formam servi accepit, infirmitatem habitus humani Dei non infirmasse naturam, sed salva divinitatis in homine virtute acquisitam esse Dei ad hominem potestatem. Namque cum (*h*) in hominem Deus natus sit ; non idcirco natus est, ne non Deus maneret, sed ut manente Deo homo natus in Deum sit. Nam et (2) Emmanuel nomen ejus est (*Matth.* I, 23), quod est nobiscum Deus : ut non defectio Dei ad hominem sit, B sed hominis profectus ad Deum sit (*Joan.* XVII, 5). Vel cum glorificari se rogat, non utique naturæ Dei, sed assumptioni humilitatis hoc proficit. Nam hanc gloriam postulat, quam ante constitutionem mundi apud Deum habuit.

8. *Quid de hora ignorata.* — Respondentes quoque stultissimis eorum professionibus, usque ad ignoratæ horæ descendimus demonstrationem : quæ etiamsi, secundum illos, a Filio apprehensa (percepta) non esset, tamen id ad contumeliam divinitatis unigenitæ non pertineret ; quia natura non ferret, ut eum nativitas retroageret ad innascibilitatis (*i*) ininitiabilem substitutionem, potestati suæ Patre momentum definiendi adhuc diei ad demonstrationem auctoritatis innascibilis reservante : neque in eo infirmam intelligi posse naturam, in qua tantum inesset ex nativitate naturæ, quantum implere posset perfecta nativitas : neque ad differentiam divinitatis unigenito Deo ignorationem diei et horæ deputandam, cum ad demonstrandam adversum hæreticos Sabellianos **326** innascibilem in Patre atque ininitiabilem potestatem, innascibilis hæc in eo sit potestatis exceptio. (*j*) Sed quia hanc nescitæ diei professionem, non ignorationis esse infirmitatem, sed tacendi dis-

(1) Verba *quia solum* desunt in codice Veron.

(2) *Immanuel* pro *Emmanuel*.

(*a*) Ita mss. Editi vero, *ut ne quidem mentiri... criminis aliquid possint*.

(*b*) In vulgatis hic additur *quod scriptum est :* refragantibus mss.

(*c*) Hæc lectio, quæ est plerorumque ac sinceriorum mss. integra erit, si verbum *referat* hic suppleatur. In tribus mss. exstat, *quia ad dispensationem carnis sit quod ita*, etc. At in vulgatis absque ulla auctoritate habetur, *quia ad dispensationem carnis pertineat id quod ita*, etc. Hic notatur Sabellii doctrina, cujus invidiam in Catholicos Ariani conferebant. D

(*d*) Editi, excepto Par. *unigenitum :* male. Nam vocabulum *disparem* refertur ad *nativitatem subsistentem*, id est, subsistentia a gignente distinctam : quæ Patri æqualis prædicatur ratione generationis, non ratione innascibilitatis.

(*e*) Hoc est, neque unum eos esse ob singularitatem personæ, cui nomina geminata sint. Hinc confirmatur quod observavimus (*col.* 165, *not.* c *nostræ edit.*), Sabellium in Virgine unionem eatenus dividere, quatenus incipiebat Dei ejusdem nomina geminare.

(*f*) Restituimus *quia solum* ex potioribus mss. Colb., Carn., Remig., Germ., etc., ubi τὸ *solum* non solitarium significat, sed unum : hoc est, neque quia prædicavimus unum ac solum Deum, ideo prædicavimus singularem ac solitarium ; si quidem unigeniti Dei confessio, ut non duos genere diversos, ita nec solitarium recipit.

(*g*) Aliquot optimæ notæ mss. *atque in hanc.*

(*h*) In vulgatis, *in homine ;* sicque alias legit Hilarius, puta lib. v, n. 18, et lib. IX, n. 4. Hic tamen auctoritate mss. restituimus *in hominem*, quod et paulo ante habent editi, ac magis congruit cum subnexis *natus in Deum sit.*

(*i*) Aliquot mss., *initiabilem substitutionem :* mendose. *Ininitiabilem substitutionem* vocat eam subsistendi rationem, quæ omnis principii expers sit. Concedi nequit Patrem potestati suæ quidquam reservasse, nisi filius ipsi inæqualis concedatur. Verum hic Hilarius non tam ex sua quam ex Arianorum sententia loquitur : in qua Filius non simpliciter negetur scire, sed eatenus nescire dicatur, quatenus non innascibilis esse intelligitur.

(*j*) Erasmus hic inseruerat : *Per quam patuit Verbi*

pensationem docuimus : (*a*) expurganda etiam nunc est omnis impiæ assertionis occasio, et omnes hæreticæ blasphemiæ transcurrendæ sunt prædicationes, ut veritas Evangelii per ea ipsa quibus (1) obscurari videtur eluceat.

9. *Passionis timor ac dolor contra Filii æqualitatem objicitur.* — Volunt enim plerique (*b*) eorum ex passionis metu et ex infirmitate patiendi, non in natura eum impassibilis Dei fuisse : ut qui timuit et doluit, non fuerit vel in ea potestatis securitate quæ non timet, vel in ea Spiritus incorruptione quæ non dolet ; sed inferioris a Deo patre naturæ, et humanæ passionis trepidaverit metu, et ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem atque hac impietatis suæ assertione nitantur, quia scriptum sit : *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.*, XXVI, 38) ; et rursum : *Pater, si possibile est, transeat calix iste a me* (*Ibid.*, 39) ; sed et illud : (2) *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Matth.*, XXVII, 46) ? hoc quoque adjiciant : *Pater, commendo in manus tuas spiritum meum* (*Lucæ* XXIII, 46). Has enim omnes piæ fidei nostræ professiones ad impietatis suæ rapiunt usurpationem : ut timuerit, qui tristis est, qui et transferri a se calicem deprecatus sit ; ut doluerit, qui derelictum se a Deo in passione conquestus sit; ut infirmus quoque fuerit, qui spiritum suum Patri commendaverit, nec anxietas admittat similitudinem exæquatæ ad Deum in Unigeniti nativitate naturæ quæ infirmitatem diversitatemque suam et deprecatione calicis, et desolationis querela, et (*c*) commendationis confessione testetur. **327**

10. *Mortem haud recte dicitur timuisse, quam docuit non timendam.* — Ac primum ante quam ex his ipsis dictis demonstremus, nec metuendi de se in eum infirmitatem incidisse aliquam, nec dolendi : quærendum est quidnam videatur timere potuisse, ut in eum formido intolerandi doloris (*d*) inciderit. Et puto non alia hic ad timendum, quam passionis et mortis, causa prætenditur. Et interrogo eos, qui hoc ita existimant, an ratione subsistat, ut mori timuerit, qui omnem ab Apostolis terrorem mortis apellens, ad gloriam eos sit martyrii adhortatus, dicens : *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus : et qui invenit animam suam, perdet illam : et qui perdiderit eam propter me, inveniet eam* (*Matth.* x, 38, 39). Cum enim pro eo mori vita sit ; quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, qui pro se morientibus vitam rependat? Et cum non timendos esse qui corpus occiderent monet (*Ibid.*, 28) ; ipsum illum mors (*e*) ad timorem passionis corporalis exterruit ?

11. *Quam et sponte oppetiit cum reviviscendi potestate.* — Tum (*f*) deinde quem dolorem mortis timeret, potestatis suæ libertate moriturus ? Humano

(1) *Quibus obscura videbatur.*

(2) *Deus, Deus meus.*

(*a*) Lips. ex Erasmi margine, *expugnanda :* minus concinne.

(*b*) Non jam quod omnes ; sed quod plerique Arianorum sentiant, refellendum proponitur. Sentiunt porro illi, ut hic satis dilucide declaratur, Christum, quem secundum hominem timuisse ac doluisse Hilarius confitetur, naturæ alterius impassibilis prorsus expertem esse. Sed de his Leontius audiendus. *Exstitit autem*, inquit lib. de Sectis, act. III, *statim ipso Constantino imperante Arii hæresis, qui et circa divinitatem, et circa naturam humanam errabat : circa divinitatem, quia Filium dicebat esse Dei creaturam, itidemque Spiritum sanctum : circa incarnationem, quia Christi corpus aiebat inanimum esse, in quo animæ loco sermo principatum obtinuerit. Hoc autem propterea dicebat, quoniam conduceret ad stabiliendum ipsius de Trinitate dogma.* Qui autem conduceret, post nonnulla sic explicat : *Idcirco Arianum dogma Christi corpus inanimum esse tradebat, ut humiles ejusmodi voces Christo non ut homini tribueremus, sed ut Dei filio, deque ipsius sententia Filius Patre minor deprehenderetur.* Quod Athanasius, lib. de Incarn. Christi, pag. 628, confirmat his verbis : *Frustra igitur cavillantur Ariani, qui carnem tantummodo statuentes, ea, quæ de passione intelligitur, ad impatibilem deitatem impie referunt.* Hac sententia sic explicata, scopoque Hilarii perspecto, facilius capientur quæ subjiciet, aut certe suspicionem non ita facile movebunt.

(*c*) Vat. bas. mss., *commendationis spiritus.*

(*d*) Excusi hic addunt *vel terroris*, non mss.

(*e*) Sic mss. At editi, *a timore.* Hic timor ab eo arcetur, pro quo mori vita sit : ac proinde ab hoc animi affectu vindicatur Christus quatenus Deus est, non quatenus homo.

(*f*) In vulgatis, *denique.* Et hic denuo ostenditur in Christo esse natura aliqua timoris expers : neque hoc nisi de divina prædicatur, quæ nimirum sola habet ponendæ atque iterum sumendæ animæ potestatem. Quod illustratur his Athanasii sermone ma-

professionem ad consummandi hominis sacramentum pertinere : ut qui infirmitates nostras portabat, infirmitatem quoque sibi humanæ ignorationis assumeret ; atque ita diem nescire se diceret, ut sepulcrum Lazari nesciebat, et attrectantem vestis suæ fimbriam mulierem ignorabat : tam infirmus ad sciendum, quam infirmus ad flendum, sub lassitudinis et sitis et inediæ officio, nescientiæ etiam non dedignatus errorem : maxime cum ex mortuis resurgentem et ingressurum supergressurumque cœlos Apostoli non jam nescientem, sed hujus ipsius diei suæ potentem ac scientem interrogassent, nihil aliud percontantes quam id quod sub dispensatione hominis tacebatur : ut in eo quod nescire se dixerat, dum rursum interrogant, assumptionem potius quam necessitatem ignorantiæ intelligere viderentur. Quæ in quodam codice adsuta se reperisse admonet. In uno tantum ms. Remigiano ann. circiter 700, in quo multa passim truncata aut perturbata sunt, ea ipsa reperimus initio hujus numeri adsuta proxime post verba : *Usque ad ignoratæ horæ descendimus demonstrationem.* In aliis autem mss. nullum est additamenti hujus vestigium. Sicut in appendice ad calcem libri IX adjecta ; ita etiam hic ignorantia Christi aliter explicatur, quam in toto libro IX exposita est ; in quo præterea cum diei ignorantia dispensationi tacendi tribuitur, *dispensationis* vocabulo non quemadmodum hic intelligitur mysterium assumptæ carnis, sed abstrusum Dei consilium, quo prudenter judicavit hanc diem hominibus a Christo non esse revelandam. Dubitari vix potest, quin hoc merum adsumentum sit. Et vel ex hoc confirmatur, quod cum non exstet nisi in duobus mss. quos sciamus, eorum unus uno loco, altero alter illud collocat. Probabile etiam est, illud ejusdem esse, cujus est additamentum libri IX, quamvis exstet in longe pluribus mss.; Hilarium vero utriusque auctorem esse ea tantum ratione cogitare licet, ut post absolutum opus annotaverit novum quemdam explicandæ prædictæ ignorantiæ modum Patribus aliis satis communem.

enim generi vitæ mortem aut vis exterior, id est, febris, vulneris, casus, ruinæ, degrassata in corpus accelerat ; aut ipsa natura corporis nostri senio in eam ipsam mortem victa concedit. Unigenitus autem Deus ita potestatem habens ponendæ animæ, (1) ut resumendæ, ad peragendum in se mortis sacramentum, cum poto aceto consummasse se omne humanarum passionum opus (*a*) testatus esset, inclinato capite spiritum tradidit (*Joan.*, XIX, 30). Si hoc naturæ hominis jus relictum est, ut per se exhalans spiritum requiescat **328** in mortem, et non dissoluto corpore labefactata anima decedat, vel abruptis aut perfossis aut collisis membris spiritus tamquam in sede sua violatus crumpat aut effluat : incidat in (*b*) Dominum vitæ mortis metus, si quod emisso spiritu mortuus est, non libertatis suæ ad moriendum usus est potestate. Quod si ex se mortuus est, et per se spiritum reddidit ; non est terror mortis in potestate moriendi.

12. *Nec corpori nec spiritui mors fuit terribilis.* — Sed forte humanæ ignorantiæ timiditate hanc ipsam (2) (*c*) moriendi in se timuit potestatem ; ut licet ab se (3) mortuus sit, tamen hoc ipsum, quod moriturus esset, timuerit. Et si forte erunt, qui ita existimabunt ; constituant cui rei existiment mortem fuisse terribilem, Spiritui, an corpori. Si corpori ; anne ignorant, quod Sancto corruptionem non visuro (*Ps.* XV, 10), intra triduum corporis sui templum esset suscitaturus? Si vero Spiritui mors terribilis est ; (4) (*d*) Lazaro in Abrahæ sinibus lætante, infernum chaos Christus timeret ? Hæc stulta atque ridicula sunt, ut in potestate ponendæ animæ ac resumendæ mori timeret, ad sacramentum vitæ humanæ sub voluntatis suæ libertate moriturus. Non est in voluntate (5) (*e*) morientis et potestate non diu mori timor mortis : quia et voluntas moriendi et potestas reviviscendi extra naturam timoris est, dum timeri mors non potest et in voluntate moriendi et in potestate vivendi.

13. *An pœnas timuerit.* — Sed forte penduli in cruce corporis (6) pœnæ et colligantium funium violenta vincula, et adactorum clavorum (*f*) cruda vulnera sunt timori ? Et videamus cujus corporis homo Christus sit ; ut in suspensam, et (*g*) nodatam, et transfossam carnem dolor manserit.

329 14. *Unde in corporibus sensus.* — Ea enim natura corporum est, (*h*) ut ex consortio animæ in sensum quemdam animæ sentientis animata, non sit hebes inanimisque materies : sed et attacta sentiat, et compuncta doleat, et algens rigeat, et confota gaudeat, et inedia tabescat, et pinguescat cibo. Ex quodam enim obtinentis se penetrantisque animæ transcursu, secundum ea in quibus erit, aut oblectatur, aut læditur. Cum igitur compuncta aut effossa corpora dolent, sensum doloris transfusæ in ea animæ sensus admittit. Denique vulnus corporis usque ad hos dolet, et digiti excidentium (*alias*, excedentium) ex carne unguium præsegmina nesciunt. Et si quando accedente vitio pars aliqua corrupta membrorum, sensum vivæ carnis amiserit ; ea cum vel desecabitur vel uretur, dolorem quisquis esse potuisset, non manente in ea animæ permixtione, non sentiet. Aut cum gravis necessitas recidendi corporis manet, medicato potu consopitur vigor animæ, et in emortuam sensus sui oblivionem mens (7) succis (*i*) violentioribus occupata conficitur. Ac tum

(1) *Vel resùmendæ.*
(2) In ms. Veron. hic additur *suam.*
(3) In aliis, *moriturus.*
(4) *Eleazaro.*
(5) *Morientis mors.*
(6) *Pœna ;* mox, *crura*, non *cruda.*
(7) *Scis.*

jore de fide apud Theodoretum Dialogo III : *Homo autem Dominicus, nec vi morbi superatus, nec invitus mortuus est : sed sua sponte venit ad mortis dispensationem, corroboratus ab inhabitante in ipso Deo Verbo, qui dixit, Nemo tollit animam meam a me*, etc. *Divinitas ergo Filii est, quæ et ponit, et rursus sumit animam hominis quem gestavit.*

(*a*) Aliquot mss. probæ notæ, *testatus est.*

(*b*) Vetus ms. Colb., *in Deum vitæ.* Magis placet *Dominum*, quamvis hoc verbo divina natura significetur, quæ hinc in Christo demonstratur, quod ex se moriens jure nulli hominum naturæ relicto sese gaudere palam fecerit.

(*c*) In vulgatis hic additur *suam :* vox abest a potioribus mss. ac verbis *in se* satis exprimitur, puta, *ac moriendi potestatem*, quæ *in se* sita erat, timuit.

(*d*) Vetustiores mss. *Eleazaro* habent, non *Lazaro.* Vocabulo *Spiritus* naturam divinam hic intelligi liquet ex num. 34, estque adæquata Christi divisio in corpus et Spiritum, id est, in hominem et Deum ; et ea quidem accommodata sententiæ Arianorum, corpus in Christo dumtaxat et sermonem vices animæ supplentem agnoscentium. Quibus ostendit Hilarius, non neutram illam naturam timori esse obnoxiam, sed nihil esse causæ cur Christus alterutri timeat : juxta quæ Augustinus in ps. XCXIII, n. 19 : *Te præsignavit Dominus in sua infirmitate, non se : non enim timebat tertio die resurrecturus.* Prætera non hic respuitur simpliciter timor, sed is tantum qui ex humana ignorantia proficiscatur. Demum hoc argumentum iis potest accenseri, quæ *ad hominem* vocant, et ex adversariorum sententia conficiuntur.

(*e*) Vat. bas. ms. *in voluntate mortis.* In vulgatis, *morientis mors :* corrupte. Tum apud Er. et posteriores editiones, *et in potestate non diu in morte manendi timor.* In duobus mss. Colb. et uno Sorbon., *et potentis non diu mori*, etc. In antiquiore Colb. : *Non est in potestate moriendi morientis et potentis non diu esse mortuum, et potentem non diu mori timor mortis.* Cæteros sequimur mss. quorum lectio clarius ita potest reddi : Non est timor mortis in eo, qui sponte atque ex voluntate moritur et potest non diu mori, seu cito ad vitam redire.

(*f*) Pratellensis codex *dura vulnera.*

(*g*) In mss. Corb. et quibusdam aliis, *nudatam*, male. Hac et superiori sententia docetur corpus Christi non solis clavis, sed violentis funium vinculis cruci fuisse colligatum. Tum ad marginem Erasmi, *dolor invaserit :* quod a Lipsio absque alia auctoritate arreptum, deinde obtinuerat. Jam legimus in ps. LVIII, n. 7 : *Quæ in impietatem populi essent mansura.* Quocirca non placet quod in uno e mss. Vatic. *ut suspensa et nodata et transfossa carne*, etc.

(*h*) Solus codex Vat, bas., *ut nisi ex consortio* : et mox *non sentiant hebes*, pro *non sit hebes* : et post pauca, *ex cujusdam enim*, pro *ex quodam enim.*

(*i*) In veteribus mss. *sucis ;* cum unico. In optimo

doloris nescia membra cæduntur, et omnem (*a*) alti vulneris plagam sensus carnis emortuus, sensu animæ in se torpentis evadit. Affert itaque dolorem per animæ infirmis admixtionem, in infirmum sensum suum corpus animatum.

15. *Unde Christi corpus et anima.*— Si igitur homo Jesus Christus per initia corporis atque animæ nostræ vixit in corpore, et non ita ut corporis sui, sic et animæ suæ princeps Deus, (1) in similitudinem **330** hominis constitutus, et habitu repertus ut homo natus est; (*b*) dolorem senserit corporis nostri, animæ nostræ et corporis, ut conceptu, ita et initio animatus in corpore. Quod si assumpta sibi per se ex Virgine carne, ipse sibi (2) (*c*) et ex se animam concepti per se corporis coaptavit; secundum animæ corporisque naturam, necesse est et passionum fuisse naturam. Evacuans se enim ex Dei forma, et formam servi accipiens, et filius Dei etiam filius hominis nascens, ex se suaque virtute non deficiens, Deus Verbum (*d*) consummavit hominem viventem.

(1) *In similitudine;* græce, ἐν ὁμοιώματι. Sic infra, num. 25, *in similitudine hominis constitutus.*
(2) Codex Veron. *per se*, absque particula *et.*

codice Colbertino quaternione hic avulso, desiderantur quæ ab hinc usque ad num. 31 intercedunt.

(*a*) Tres mss., *acti;* et mox Pratel., *emortuo*, non *emortuus.*

(*b*) In vulgatis, *parem dolorem.* Abest *parem* a mss. Tria hic adversus Arianos Appollinaristarum parentes asseruntur : primum, humanam Christi naturam non hominum more, sed solo auctore Verbo de Virgine fuisse conceptam; alterum, Verbum animæ vices non supplevisse, sed animam simul cum corpore assumpsisse; postremum, ita totum hominem a filio Dei assumptum, ut a divina sua virtute ac natura nullatenus defecerit. Hinc Christus etiam ut homo recte negatur sensisse *dolorem corporis nostri;* quia corporis nostri dolor peccati pœna est, eique inniti subjacemus : at Christus alia lege conceptus, nec peccati reus fuit, nec pœnæ obnoxius, cui neque nisi sponte sua subjacuit. At vero si conceptio illius ideo hic consideretur, ut ex singulari conceptionis modo præter humanam naturam ostendatur habere divinam, secundum quam dolorem non senserit corporis nostri; in iis quæ hic disputantur nulla erit difficultas. Erit quippe refutatio eorum, qui in Verbum ut animæ munere fungens dolorem cadere existimant. Neque vero apparet quorsum in his : *Tenuit in hominis nativitate quod matris est, cum tamen haberet in originis virtute quod Deus est,* aliisque tanto studio exponatur humanæ divinæque Christi naturæ veritas ac distinctio, nisi ut divina sola a dolore aliena demonstretur.

(*c*) Particulam *et*, quæ perinde est ac *etiam*, adjecimus ex mss. duobus Colb. et uno Sorbon. qui cum vulgatis subjiciunt *ex se*, ubi aliis in mss. legitur *per se*, non alio sensu. Nam illud *ex se* non materialem causam sonat, sed efficientem : quo sensu rursum, num. 22 habetur : *Ut per se sibi assumpsit corpus, ita ex se sibi animam assumpsit.*

(*d*) Id est, condidit et assumpsit hominem, qui corpore et anima constans, vivens, perfectus et consummatus homo erat. Nihil enim hic cum Apollinario, qui sentiebat Verbum carni conjunctum consummasse hominem viventem, in quantum præstitisset ei vitam, ac vices animæ supplevisset.

(*e*) Aliquot mss. *Verbo Dei.... assumeret.... tribueret.* Hominem perfectum a Verbo assumptum esse, hinc proxime probatum est, quia Christus est

A Nam quo modo filius Dei hominis filius erit natus; vel manens in Dei forma, formam servi acceperit : si non potente (*e*) Verbo Deo ex se et carnem intra Virginem (3) assumere, et carni animam tribuere, homo Christus Jesus ad redemptionem animæ et corporis nostri perfectus est natus; et corpus quidem (*f*) ita assumpserit, ut id ex Virgine conceptum, formam eum esse servi effecerit? Virgo enim non nisi (4)(*g*) ex suo sancto Spiritu genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent; non tamen Jesus Christus per humanæ conceptionis coaluit naturam. Sed omnis causa nascendi invecta per Spiritum, tenuit in hominis nativitate quod matris est; cum tamen haberet (5) (*h*) in originis virtute (*i*) quod Deus est.

B 16. *Christus qui et de cælo, et filius hominis, et in cælo.* — Hinc igitur maximum illud ac pulcherrimum **331** suscepti hominis sacramentum Dominus ipse ostendit, dicens : *Nemo* (*j*) *adscendit in cœlum,*

(3) *Adsumeret;* exinde, *tribueret.*
(4) *Ex Sancto Spiritu.*
(5) *In originis nativitate.*

filius hominis : nunc id ipsum inde confirmatur, quod non carnis tantum, sed et animæ sit redemptor. Utroque illo argumento adversus Apollinaristas sic utitur Gregorius Naz., Or. LI, n. 13 : *Quod assumptum non est, curationis est expers.... Si dimidiata tantum ex parte Adamus lapsus est, dimidiatum quoque sit quod assumptum est,* et post pauca : *Si ipse inanimatus est* (Christus), *quo tandem modo hominis nomen sustinebit?*

C (*f*) Sic Bad., Er. et mss. At Lips. et Par., *ita assumpsit.* Neque hoc Hilario insolens, ut duo verba eadem conjunctione copulata non uno modo enuntiet : ut hic primum ponit *natus est*, ac deinde *assumpserit*, quamvis utrumque verbum ad eamdem particulam *si* referatur. Hic altera adjicitur conditio, ut Christus vere hominis filius sit, necessaria, scil. ut non undecumque allatam carnem, sed ex Maria acceptam assumpserit : sicque transitur ad refellendum alium Apollinaristarum errorem, quo, uti credere par est, post Arianos dicunt Christi carnem de cœlo fuisse allatam.

(*g*) Ex duobus mss. Colb. et uno Sorbon. hic addimus *suo*, id est, ex Spiritu Christi, seu non nisi ex Verbo genuit : quod perspicuis verbis ad calcem numeri sequentis sic declaratur : *Caro non aliunde originem sumpserat, quam ex Verbo.* Hæc magis spectant ad declarandas propositiones superiores, quibus Christum per initia nostra natum esse negatum est, quam ad confirmandas proxime præcedentes.

D (*h*) Editi, *in originis nativitate.* Tres mss., *in origine.* Remig. *virtutem in originis nativitate.* Magis placet cum codice Vaticanæ basilicæ, *in originis virtute*, id est, quatenus animæ et corporis sui princeps atque auctor est. Quo loquendi modo habes num. 25, nostra in eo *per virtutem profectæ ex se originis* vitia non inesse.

(*i*) In vulgatis, *quo Dei est.* Melius in omnibus fere mss. *quod Deus :* hoc est, ea virtute, qua corpus suum ex virgine condidit, sese Deum patefecit.

(*j*) Ut confirmet Hilarius, quod superius probavit, Christum esse Deum simul et hominem perfectum; ita Verbi virtute, et non humana lege conceptum, ut tamen de Mariæ carne natus sit : hunc ac duos subsequentes Scripturæ locos sano sensui reddit, quibus hæretici abutebantur. Sic enim eos Ariano-

nisi qui de cœlo descendit, filius hominis qui est in cœlo (*Joan.* III, 13). Quod de cœlo descendit, conceptæ de spiritu originis causa est. Non enim (*a*) corpori Maria originem dedit : licet ad incrementa partumque corporis omne, quod sexus sui est naturale, contulerit. Quod vero hominis filius est, susceptæ in Virgine carnis est partus. Quod autem in cœlis est, naturæ semper manentis potestas est (*Vid. Tract. in psal.* II, *n.* 11) : quæ initiata conditaque per se carne, non se ex infinitatis suæ virtute intra regionem definiti corporis coartavit. Spiritus virtute ac Verbi Dei potestate in forma servi manens, ab omni intra extraque cœli mundique circulo cœli ac mundi Dominus non abfuit. Per hoc ergo et de cœlo descendit, et filius hominis est, et in cœlis est : quia Verbum caro factum non amiserat manere quod Verbum est. Nam dum verbum est, et in cœlis est; dum caro est, et hominis filius est: dum Verbum (*b*) caro factum est, et de cœlo est, et hominis est filius, et in cœlo est : quia et Verbi virtus non corporalibus modis **332** manens, nec decrat unde descenderat; et caro non aliunde originem sumpserat, quam ex Verbo; et Verbum caro factum, cum caro esset, non tamen non erat et Verbum.

17. *De terra est, ut ex Virgine; ut ex Verbo, de cœlo.* — Absolute autem beatus Apostolus etiam hujus inenarrandæ corporeæ nativitatis sacramentum locutus est, dicens : *Primus homo* (*c*) *de terræ limo, secundus homo de cœlo* (I *Cor.* XV, 47). Hominem enim dicens, nativitatem ex Virgine docuit : quæ officio usa materno, sexus sui naturam in conceptu et partu hominis exsecuta est. Et cum ait secundum hominem de cœlo, originem ejus ex supervenientis in Virginem sancti Spiritus aditu testatus est; atque ita cum et homo est, et de cœlis est; hominis hujus et partus a Virgine est, et conceptus ex Spiritu est. Et hæc quidem Apostolus ait.

18. *Quæ caro filii hominis quia ex Virgine, panis de cœlo est quia ex sancto Spiritu.* — Ipse autem Dominus hujus nativitatis suæ mysterium pandens sic locutus est : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi : si quis manducaverit de pane meo, vivet in æternum* (*Joan.* VI, 51, 52), se panem dicens; ipse enim corporis sui origo est. Ac ne Verbi virtus atque natura defecisse a se existimaretur (*d*) in carnem, **333** panem suum rursus esse dixit : ut per hoc, quod descendens de cœlis panis est, non ex humana conceptione origo esse corporis

rum discipuli Apollinaristæ apud Gregorium Naz. Or. XLVI, interpretantur, *tamquam prius quam descendisset, filius hominis esset, ac descendens carnem suam secum advexerit, quam in cœlis habebat* (προαιώνιόν τινα καὶ συνουσιωμένην) *ante sæcularem quamdam atque essentiæ suæ insitam.* Quæ opinio Athanasii ad Epictetum epistolæ locum dedit, atque a Gregorio Naz., Or. LI, n. 12, damnatur his verbis : *Si quis carnem descendisse de cœlo, non autem hinc atque a nobis esse dixerit, anathema sit. Illud enim, secundus homo de cœlo... et, Nemo adscendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo*, etc., *propter cœlestem unionem dici existimandum est.* Quo spectat illud Eusebii Emeseni apud Theodoretum sub finem Dial. III : *Quoniam Potentia, quæ assumpsit, descendit de cœlis, id quod habet Potentia, carni tribuitur.* Quamvis enim hic Eusebius Arianæ labis contagione nonnihil infamatus sit, non erat tamen ex perditis illis Arianis, quorum hic errores confutantur.

(*a*) Erasmus hic inseruit *ex se*, quod postea retentum est, quamvis neque apud Bad. exstet, neque in mss. Hunc locum ita a se interpolatum notare videtur præfatione Hilarii Operibus præfixa, ubi de eo ait : *Libro* III, *sed magis libro* X, *sic loquitur de corpore Christi, ut sentire videatur Mariam virginem præter concipiendi, gestandi, et pariendi, ministerium nihil addidisse de suo.* Hanc censuram multis explosimus in generali præfatione, § 1, ac satis refellunt proxime dicta num. 15, puta Virginem *ex se* dedisse, *quantum ex se fœminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent :* nec non illud num. 35 : *Genuit etenim ex se corpus.* Neque suspectum esse debet quod mox subjicitur : *Quod vero hominis filius est, susceptæ in* (non *ex*) *Virgine carnis est partus.* Ut enim observat Tertullianus lib. de carne Christi n. 20, utramque loquendi rationem permittit Evangelium, in quo non tantum habes : *Joseph virum Mariæ de qua natus est Jesus;* sed et, *Concipies in utero*, non ex utero : et, *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Unde Leo Papa, Serm. V de Nat. Domini scribit Filium Dei venisse in hunc mundum per uterum Virginis, *in qua et ex qua ædificavit sibi Sapientia domum.* Neque attendit Erasmus se in sanctum virum illius ipsius erroris injicere suspicionem, quem hic data opera conatur in hæreticis sanare. Illi si quidem volebant Christi carnem allatam de cœlo; ipse propugnat eam ita esse de Maria, ut propterea Christus filius hominis nuncupetur. Objiciebant illi Scripturas, in quibus descendisse de cœlo prædicatur. Quibus reponit, descensum illum non ad carnem, sed ad Verbum esse referendum : Verbum autem ideo dici descendisse, tum quia superveniens in Virginem corpus ex ea condidit, tum quia corpus illud a se conditum sibi assumpsit. *Non enim Maria corpori originem dedit*; hoc est, cum virgo esset, non propria, sed Spiritus sancti virtute corpus ipsius concepit. *Virtus enim Altissimi et obumbratio Spiritus sancti fecit ut Maria pareret Salvatorem*, inquit Leo Papa Serm. V in Nat. Dom. c. 5. Id duntaxat in Hilarii sententia advertendum, quod iis in locis Spiritus nomine Verbum ipsum intelligat.

(*b*) Hoc est, dum caro a Verbo in unitatem personæ suscepta est, tum de cœlo est, etc. Quo spectat illud Augustini Serm. contra Arian. c. 8 : *Propter istam unitatem personæ in utraque natura intelligendam, et filius hominis dicitur descendisse de cœlis, quamvis sit ex ea quæ in terra fuerat virgine assumptus, et filius Dei dicitur crucifixus et sepultus*, etc., quæ verba exscribit Leo Papa epist. alias X, nunc XXIV, ad Flavianum, c. 5.

(*c*) Exemplar Carnut. *de terra terrenus.* Ab re non erit hic observare, non hanc proprie hujus testimonii partem in subjectis explicari, sed alteram : de qua illud consideratur, cur Christus, qui est secundus Adam, dicatur *homo* simul et *de cœlo;* respondeturque dici hominem, quia de Maria, de cœlo autem, quia de sancto Spiritu. Sic in psal. CXXII, n. 3 : *Cœlestis ergo est secundus Adam, et idcirco cœlestis, quia verbum caro factum est, ex Spiritu scilicet et Deo homo natus :* ubi *ex Spiritu et Deo homo natus* id sibi vult, quod in hocce lib., num. 22, *ante hominem Deus, suscipiens hominem homo et Deus.*

(*d*) Excusi cum pluribus mss. *in carne.* Verius Corbeiensis codex et nonnulli alii, *in carnem.* Hic enim Arianos Apollinarii atque Eutychis præcursores pergit refellere, verbis nonnihil intricatis, sed ad confirmandam nostram de Eucharistiæ sacramento

existimaretur, dum cœleste esse corpus ostenditur. At vero cum suus panis est, assumpti per Verbum corporis est professio; subjecit enim : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis* (*Ibid.*, 54) : ut quia id, quod filius hominis est, et (*a*) panis de cœlis ipse descendit : per panem suum de cœlo descendentem, et per carnem ac sanguinem filii hominis, et conceptæ ex Spiritu sancto, et natæ ex Virgine carnis intelligatur assumptio.

19. *Christus perfectus Deus, perfectus homo.* — Hujus igitur corporis homo Jesus Christus et Dei filius, et hominis est filius, et ex forma Dei se exinaniens formam servi accepit. Non alius filius hominis, quam qui filius Dei est : neque alius in forma Dei, quam qui in forma servi perfectus homo natus est : ut sicut per naturam constitutam nobis a Deo originis nostræ (1) principe (*b*), corporis atque animæ homo nascitur, ita Jesus Christus per virtutem suam (*c*) carnis atque animæ homo ac Deus esset, habens in se et totum verumque quod homo est, et totum verumque quod Deus est.

20. *Adæ carnem et animam Christum accepisse docentes. Anima opus Dei.* — Quamquam multi confirmandæ hæreseos suæ arte, ita aures imperitorum soleant illudere, ut quia et corpus et anima Adæ in peccato fuit, (*d*) carnem quoque Adæ atque animam Dominus ex Virgine acceperit, neque hominem totum ex Spiritu sancto Virgo conceperit. Qui si intelligerent sacramentum carnis assumptæ, intelligerent etiam sacramentum ejusdem et hominis filii et **334** Dei filii. Quasi vero si tantum ex Virgine assumpsisset quoque ex eadem et animam : cum (*e*) anima omnis opus Dei sit, carnis vero generatio semper ex carne sit.

21. *Christum volentes esse vocis sonum, et Catholicis quasi hominem negent affingentes.* — Sed volentes unigenitum Deum, qui in principio apud Deum erat Deus Verbum, non substantivum Deum esse, sed (*f*) sermonem vocis emissæ, ut quod loquentibus est suum verbum, hoc sit patri Deo Filius ; argute subrepere volunt, ne subsistens Verbum Deus et manens in forma Dei Christus homo natus sit : ut cum hominem illum humanæ potius originis causa, quam (*g*) spiritalis conceptionis sacramentum animaverit, non Deus Verbum hominem se ex partu Virginis efficiens exstiterit, sed (*h*) ut in prophetis Spiritus prophetiæ, ita in Jesu Verbum Dei fuerit, et arguere nos soleant, quod Christum dicamus esse natum

(1) *Principem.*

fidem luculentis, quibus perspicuitas ex superioribus accedit. Ait igitur Verbum *se panem* dicere, nimirum propter corpus quod sibi coaptavit et assumpsit : corpus autem illud a Verbo *suum* dici, ut res assumpta et assumens persona distinguantur, adeoque Verbum in carnem defecisse, non existimetur : demum corpus illud et *cœleste* vocari, propter personam cœlestem ac divinam quæ illud condidit et assumpsit; rursumque *carnem et sanguinem filii hominis*, quia caro illa assumpta vere de Virginis carne nata est. Cum autem hæc dicat sanctus Doctor in eum Joannis locum, quem de Eucharistiæ sacramento interpretatum eum esse liquet ex lib. VIII, n. 14 et 16, ubi ad venerandum illud sacramentum refert, quæ eidem loco connectuntur, sequitur eum sensisse unam eamdemque esse Christi carnem de Virgine natam, et in Eucharistia a nobis sumptam. Totum illud confirmat et illustrat Eusebius Emesenus apud Theodoretum ad calcem Dial. III : *Dicit Dominus panem Dei descendisse de cœlo : et interpretans* (*quamquam apertius dicere non possum propter mysteria* Eucharistiæ), *hoc dicit, Caro mea est. Caro Filii descenditne de cœlis? Quomodo ergo dicit, Panis Dei vivit, et descendit de cœlis, et* (hoc de carne sua) *interpretans? Quoniam Potentia quæ assumpsit, de cœlis descendit, id quod habet Potentia, carni tribuitur.* Ubi vides etiam ab Eusebio non aliam existimari carnem quæ in mysteriis sumitur, et quæ a Verbo in Virgine suscepta est.

(*a*) Id est, *etiam panis.* Hoc quippe sibi vult : ut quia id, quod filius hominis vocatur in his, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, dicitur etiam panis de cœlis descendens in illis, *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.*

(*b*) In aliquot mss. *principem.* In tribus, *princeps.* Nil immutandum.

(*c*) Vulgati hic addunt *admixtione :* quod verbum abest a mss. Sicut proxime omnis homo, ita nunc Christus *carnis atque animæ* homo esse dicitur contra Arianos, qui carnem sine anima ab ipso susceptam esse sentiunt.

(*d*) Hoc, Hieronymo teste epist. LXXXII ad Marcell. et Anaps. post Tertullianum sensit Apollinarius, quod *quomodo corpus ex corpore, sic anima nascatur ex anima.* De eodem Nemesius cap. 2 : *Apollinarius putat animos ab animis gigni, ut a corporibus corpora; progredi enim ut propagationem primi hominis in omnes, qui ex illo generantur.* Quibus favet Athanasius, lib. de salutari Adventu Jesu Christi, qui contra Apollinarium vulgo inscribitur, ubi hæreticos animam carnalem sentientes sic refellit : *Si, ut vestra fert opinio, anima carnalis est; cur non una cum corpore et moritur et perit?*

(*e*) Editi, *anima hominis.* Rectius mss. *anima omnis.* ex quibus apte jam concludere est : si omnis, ergo et Christi. Nemo non videt, nullam Hilario fuisse dubitationem circa originem animæ, cujus inquisitio Augustinum tam diu fatigavit.

(*f*) Vat. bas. codex, *sed sonum vocis.* Mox in eodem ms. *argute serpere*, pro *argute subrepere ;* ubi in aliis mss. antiquo scribendi more, *subripere.* Hic hæretici notantur, qui conantur efficere, ne Verbi Dei subsistentis corporatio credatur. Hunc locum cum libro de Synod., n. 46, contulisse juverit.

(*g*) Hoc est, quam conceptionis, cujus causa sit Spiritus Deus Verbum. Identidem observare est, omnem hæreticorum conatum in hoc esse, ut Christum divinitatis expertem esse insinuent ; Hilarium autem id omnino laborare, ut quem verum ac perfectum hominem probat, verum etiam Deum esse demonstret ex ipsa conceptionis suæ ratione.

(*h*) Huic opinioni locum inter Corinthios patuisse conqueritur Athanasius epist. ad Epictetum, sub cujus finem paucis eam perstringit. Eamdem in Apollinario Gregorius Nazianz., Or. LI, n. 8, hoc anathematismo damnat : *Si quis divinitatem in eo velut in prophetis per gratiam operatam fuisse, non autem secundum essentiam copulatam fuisse atque copulari dixerit, a præstantiori afflatu vacuus sit*, etc., et in Carm. de vita sua : *Dei totius particeps facta est hominis natura : non ut propheta vel quispiam alius divinitus afflatorum : qui non tam Dei particeps fuit, quam eorum quæ Dei sunt; verum substantiatus sic tamquam radiis sol.*

(*a*) non nostri corporis atque animæ hominem : cum nos Verbum carnem factum, (*b*) et se ex forma Dei evacuantem Christum, et formam servi assumentem, perfectum secundum habitum conformationis humanæ, et nostræ similitudinis natum hominem prædicemus : ut (*c*) vere Dei filius verus hominis filius verus sit : neque non natus ex Deo homo, neque quia natus ex Deo homo, ideo Deus esse deficiens.

22. *Christi anima a Deo. Unus est in duabus naturis perfectis.* — Sed ut per se sibi assumpsit ex Virgine corpus, ita ex se sibi animam assumpsit; quæ utique numquam ab homine gignentium originibus præbetur. Si enim conceptum carnis nisi ex Deo Virgo non habuit; longe magis necesse est, anima corporis, nisi **335** ex Deo, aliunde non fuerit. Et cum ipse ille filius hominis ipse sit qui et filius Dei, (*d*) quia totus hominis filius totus Dei filius sit; quam ridicule præter Dei filium, qui Verbum caro factum est, alium nescio quem tamquam prophetam Verbo Dei animatum prædicabimus, cum Dominus Jesus Christus et hominis filius et Dei filius sit? Per id vero, quod tristis est anima sua usque ad mortem, et quod potestatem habet animæ suæ ponendæ et resumendæ, volunt extrinsecus (*e*) animam, non ex Spiritu sancto, ut et corpus ex eo conceptum est, deputare : cum Verbum Deus, in sacramento naturæ suæ manens, homo natus sit. Natus autem est, non ut esset alius atque alius : sed ut ante hominem Deus, suscipiens hominem (1) homo (*f*) et Deus posset intelligi. Nam quo modo Jesus Christus Dei filius natus ex Maria est, nisi quod Verbum caro factum est : scilicet quod filius Dei, cum in forma Dei esset, formam servi accepit? Accepisse autem formam servi eum, qui esset in Dei forma, de contrariis (*g*) comparatur : ut quanta veritas est manere in Dei forma, tanta veritas sit accepisse formam servi. Ad proprietatem enim naturæ intelligendam, significatione verbi ad id communis impellimur. In forma enim servi est, qui et in forma Dei est. Et cum hoc (2) (*h*) naturæ, illud vero dispensationis sit; in ejusdem tamen est veritatis proprietate, quod utrumque est : ut tam verus sit in Dei forma, quam verus in servi. Ut vero assumpsisse formam servi non aliud est, quam hominem natum esse; ita in forma Dei esse non aliud est, quam **336** Deum esse, unum tamen eumdemque, non Dei defectione, sed hominis assumptione, profitentes et in forma Dei per naturam divinam, et in forma servi ex conceptione Spiritus sancti secundum habitum hominis repertum fuisse. Itaque cum Jesus Christus et natus, et passus, et mortuus, et sepultus sit; (*i*) et resurrexit. Non potest in his sacramentorum diversitatibus ita ab se dividuus esse, ne Christus sit : cum non alius Christus, quam qui in forma Dei erat, formam servi acceperit; neque alius, quam qui natus est, mortuus

(1) *Homo Deus possit.*

(2) *Naturale.*

(*a*) Deest particula negans in duobus mss. Colb. et uno Sorbon. Prorsus retinenda est. Hujus calumniæ repellendæ gratia tanto studio hic inculcat Hilarius, Christum esse perfectum hominem natura nobis similem, licet ex singulari illius conceptione maxime velit divinitatem ipsius comprobare : sicut toto hoc libro in unos Arianos intentus, pari fere studio contra Sabellium pugnat, ut nullum usitatæ illorum calumniæ locum permittat.

(*b*) Solus codex Vat. bas., *et formam Dei evacuantem :* minus sincere. Obiter observare est, qui Christi vocabulum ad naturam divinam referatur. Sic paulo ante synonyma sunt, *subsistens Verbum Deus*, et, *manens in forma Dei Christus*.

(*c*) Editi, *ut verus*. Majore quadam energia mss. *ut vere*, scil. *natus sit*, qui *vere filius Dei* est. Tota illa gradatio sic potest explicatius exponi, ut Dei filius ex Virgine verus hominis filius vere natus sit; ita autem ex Virgine hominis filius natus sit, ut non nisi ex Deo homo sit; ac demum ex Deo, hoc est, cum Deus esset, ita natus sit homo, ut Deus esse non desierit.

(*d*) Scilicet, *ut per eumdem totum hominem simul ac Deum totus homo in peccatum lapsus refingatur* ac reformetur, inquit adversus Apollinarium Gregorius Nazianz., Or. LI, n. 5. De verbo *totus* vide annotata ad psal. I, n. 27.

(*e*) Hoc est, neque a Verbo conditam, sed a causa aliena atque externa propagatam, ut dictum est n. 20, neque eidem Verbo intrinsece et in unitatem personæ conjunctam. Eosdem quippe hæreticos personas in Christo divisisse, et humiles Christi voces humanæ, divinæ autem gloriosos titulos tribuisse, testis est laudatus Gregorius Nazianz. præsertim sub finem Or. LII.

(*f*) Particulam *et* in vulgatis omissam rectius mss. retinent, ne naturarum confusio intelligatur. Rursum his concinens adversus Apollinarium Gregorius Naz., Or. LI, n. 5, ait : *Neque enim hominem a divinitate separamus : sed unum et eumdem profitemur, prius quidem non hominem, sed Deum*, etc., *in fine autem etiam hominem.*

(*g*) Atque adeo duæ illæ naturæ contrariæ post conjunctionem perseverant inconfusæ. Sic Gregorius Nazianz., Or. XLII, carnis vocabulo humanam naturam, divinam vero spiritus nomine appellans ait : *Progressus autem Deus cum assumpta humanitate, unum* (nunc diceremus *unus est*) *ex duobus inter se contrariis, carne nimirum et Spiritu, quorum alterum deitatem dedit* (ἐθέωσεν), *alterum accepit*, ἐθεώθη.

(*h*) Vat. bas. ms. cum quibusdam aliis, *naturale :* minus concinne. Ex hoc loco, necnon ex num. 64, 65 et aliis planum est, uti jam observavimus, Hilario quoties de Christo sermo est, *naturæ* vocabulum semper ad divinitatem referri. *Quod enim*, inquit in psal. CXXXIX, n. 2, *Deus est, naturæ suæ est; quod autem homo est, naturæ nostræ assumptio est.* Cujus rei rationem sic reddit in ps. LXVIII, n. 25 : *Neque formæ servilis assumptio tamquam genuinæ originis natura est; cum id quod assumptum est, non proprietas interior sit, sed exterior accessio.* Sic Cyrill. 11 in Joan. naturam humanam ad Verbi unitionem σχετικῶς, non φυσικῶς ascendisse docet, *quod ex se et suapte conditione non habet hoc, ut cum Deo unum sit.* At caute omnino Hilarius subinde demonstrat, assumptam servi formam nihilo minus propriam Christi esse, quam ipsam formam Dei.

(*i*) Excusi, *et resurrexit, et in cœlos adscenderit, non potest*, etc. Simplicius ac verius mss. *et* (pro *etiam*) *resurrexit* : hoc est, si mihi objicitis Christi in nativitate, passione, etc., infirmitatem; ego opponam ejusdem in resurrectione gloriam. Pergit Hilarius viam præcludere errori hæreticorum, quorum imitatores Apollinaristæ Christos duos inducentes apud Gregorium Naz., Or. LII : *verba illa, Anguore affectus est,*

sit; neque alius, quam qui est mortuus, resurrexerit; neque alius, quam (*a*) qui resurrexit, sit in cœlis; in cœlis autem non alius sit, quam qui descendit ante de cœlis.

25. *Christus passioni obnoxius, num et dolori. Christi in carne prærogativæ.* — Homo itaque Jesus Christus unigenitus Deus, per carnem et Verbum ut hominis filius ita et Dei filius, hominem verum secundum similitudinem nostri hominis, non deficiens a se Deo, sumpsit: (*b*) in quo, quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent: ut telum aliquod aut aquam perforans, aut A ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulnerel; sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aerem vulnerari, quamvis naturæ teli sit et vulnerare et compungere et forare. Passus quidem est Dominus Jesus Christus, dum **337** cæditur, dum suspenditur, dum crucifigitur, dum moritur: sed in corpus (1) Domini (*c*) irruens passio, nec non fuit passio, nec tamen naturam passionis (*d*) exseruit: dum et pœnali ministerio desævit, et Virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit. Habuerit sane illud Domini corpus (*e*) doloris nostri naturam, si corpus

(1) Vox *Domini* abest.

et cruci affixus, ac sepultus, externi integumenti esse affirmant; hæc autem, Confidit, et resurrexit, atque adscendit, interni thesauri.

(*a*) Ita mss. At editi, *qui resurrexit, adscenderit in cœlos, in cœlos autem.* Ex hoc loco aliisque similibus in generali præfat. § 4, ostendimus, Hilarium longe abfuisse ut divinitatem Christi a corpore umquam separatam sentiret. Si enim ante mortem secessit, alius dicendus est natus, alius mortuus, alius in cœlis.

(*b*) Er., Lips. et Par. *in quem:* dissidentibus Bad. et mss. quos inter Corbeiensis ab antiqua manu ad marginem habet, *Caute lege.* Ad cautelam recolendum contra quos hactenus disputarit Doctor catholicus: cujus verba omnia ad id exigenda sunt, quod ab Apollinario assertum esse conqueritur Gregorius Nazianz. ad Nectarium Or. XLVI: *Ipsum unigenitum Deum omnium judicem, vitæ auctorem, mortis exstinctorem, mortalem esse docet, propriaque sua divinitate passum esse, atque in triduana illa corporis morte divinitatem quoque simul cum corpore mortuam fuisse, sicque rursus Patris opera a morte ad vitam revocatam:* maxime cum Hilarius supra num. 9 contra erroris hujusmodi assertores toto hoc libro agendum sibi proponat.

(*c*) Abest *Domini* a Bad., Er. et plerisque mss.

(*d*) In vulgatis, *exercuit.* At in mss. *exseruit:* post quod verbum recte intellexeris *respectu divinitatis.* Proxime enim *Virtus corporis* idem est, quod Verbum in assumpto subsistens corpore, quasi, Virtus corporata. Quo sensu Eusebius Emesenus apud Theodoretum Dial. III, p. 172, Christum secundum divinitatem passionum nostrarum nescium fuisse defendens, Verbum *Virtutis* nomine constanter designat. *Non enim,* inquit, *clavum excepit Virtus, ut timeret: quamvis,* ut paucis interjectis declarat, *corporis passiones suscepit.* Ita Hilarius, ubi ei de Christo sermo est, *virtutis* vocem semper ad Verbum refert. Verbum autem hic *Virtus corporis,* quomodo supra ad calcem num. 15, *Virtus originis,* merito ab eo nuncupetur; quia ipsum propria virtute, uti jam sæpe notavimus, corpori suo originem præbuisse censuit. Forte etiam Verbum corporis virtutem appellarit accommodata ad sententiam adversariorum loquendi ratione. Illi enim infra n. 49 de Christo sic sensisse memorantur, *ut Deus Verbum tamquam pars aliqua virtutum Dei quodam se tractu continuationis extendens, hominem illum qui a Maria esse cœpit, habitaverit, et virtutibus divinæ operationis instruxerit.* Hic igitur pœnæ sensus a sola rejicitur natura Verbi, cujus personæ attribuitur. At ne commodam hanc interpretationem de nostro excogitasse videamur, afferendus est alius Hilarii locus, in quo cum Christi passionem eadem ratione explicet, quod hic *virtutem corporis,* jam perspicue appellet *naturam divinitatis.* Hunc habemus in Psal. LIII, n. 12: *Quamquam,* B inquit, *passio illa non fuerit conditionis et generis, quia indemutabilem Dei naturam nulla vis injuriosæ perturbationis offenderet; tamen suscepta voluntarie est, officio quidem ipsa satisfactura pœnali, non tamen pœnæ sensu læsura patientem: non quod illa lædendi non habuerit pro ipsa passionis qualitate naturam; sed quod dolorem* DIVINITATIS NATURA *non sentit. Passus est ergo Deus; quia se subjecit voluntarius passioni: sed suscipiens naturales ingruentium in se passionum (quibus dolorem patientibus necesse est inferri) virtutes, ipse tamen a naturæ suæ virtute non excidit ut doleret.* Hinc facile intelligitur quid sibi velit proxime allata teli in aquam aut ignem aut aerem immissi similitudo.

(*e*) Erasmus testatur se in quodam exemplari reperisse hic adsutum, *ex peccato;* ac rursum, *suapte natura sine mirabili adjutorio Dei,* post verba *ut calcet undas.* Hic uno argumento videtur Hilarius corpori Christi et naturam dolendi negare, et virtutem tribuere miracula per se patrandi. At ut corpori C Christi miracula patrandi virtutem tribuat longe abest, qui eam vim ne in animam quidem illius convenire pro certo ponit infra num. 55: *Non convenit,* inquit, *ut anima de sepulcro Lazarum vocet, et ad animæ innexæ corpori præceptum atque virtutem in mortuum suum anima jam ex eo dissoluta revocetur.* Sic lib. de Synod. n. 48, ex miraculis probat Verbum in carnem non esse translatum: *Alioquin unde carni in operibus virtutes, in monte gloriam, in passione securitatem, in morte vitam? Sed demutationem Deus nesciens, nihil ex substantiæ suæ bonis caro factus amisit.* Non igitur carnis, sed substantiæ divinæ proprium bonum est virtus miraculorum. Quod non minus perspicue docet lib. VII de Trin. n. 36, ubi ait: *Cum enim ea, quæ gereret, propria Deo essent, calcare undas, jubere ventis,* etc., *hinc querelæ omnis orta conquestio est, quod... gessisse hæc in homine assumpto Dei non intellecta natura est.* Sed et id ipsum confirmat in Psal. LV, n. 5, cum primo ponit divi- D nam in eo remansisse naturam: *Factus enim caro Deus etiam in assumptione carnis Deus esse permansit, utens virtutis suæ sub consortio nostri corporis potestate.* Tum ex miraculis dictum suum sic probat: *Non enim carne est degravatus, ne super undas ambularet,* etc. Ac demum concludit: *Non ergo metuit a carne... sub assumptione carnis Deus opera divina consummans.* Itaque Christi carni sicut miraculorum virtutem non tribuit, ita nec negat dolendi naturam: sed eos, qui nullam in Christo recipiunt naturam a dolore immunem, tacite inducit, ut ex iis, quæ mirabiliter gessit in corpore, singularem in eo naturam exstare, eamque divinam esse cogitent. Nec male subinde eorum animos ad id refert, ut considerent an ex inflictis corpori Christi pœnis recte opinentur, Verbum ac Spiritum assumentem expertum esse doloris nostri naturam. Negari etiam

nostrum id naturæ habet, ut calcet undas et super fluctus eat, et non degravetur ingressu, neque aquæ insistentibus vestigiis cedant, penetret etiam solida, nec clausæ domus obstaculis arceatur. At vero si dominici corporis sola ista natura sit, ut (*a*) sua virtute, sua anima feratur in humidis, et insistat in liquidis, et exstructa transcurrat : quid per naturam humani corporis (*b*) conceptam **338** ex Spiritu carnem judicamus ? Caro illa, id est, panis ille de cœlis est ; et homo ille de Deo est. Habens ad patiendum quidem corpus, et passus est ; sed (*c*) naturam non habens ad dolendum. Naturæ (*d*) enim propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam (*e*) conformatur in monte, quod attactu suo fugat febres, quod de sputo suo format oculos.

24. *Passiones humanæ an in Christo.* — Sed forte in quo affectio flendi, sitiendi, esuriendique mansit, cæterarum quoque humanarum passionum in eo necesse sit inesse naturam. Qui sacramentum fletus, sitis atque esuritionis ignorat, sciat et vivificare flentem, nec mortem Lazari flere (*Joan.* II, 15), (*f*) quam gaudeat, et flumina aquæ vivæ ex se præbere sitientem (*Joan.* VII, 38), neque (*g*) arere siti, qui **339** potens sit potare sitientes, (*h*) et esurientem eam quæ fructus suos esurienti non præbuerit damnare arborem (*Matth.* XXI, 19), nec naturam eam vinci inedia, quæ naturam viriditatis jussa ariditate demutet (*Ibid.*). Quod si, præter fletus et sitis et esuritionis mysterium, assumpta caro, id est, homo totus, passionum est permissa naturis : nec tamen ita, (1) ut passionum (*i*) conficeretur injuriis ; ut flens non sibi fleret, ut sitiens sitim non potaturus depelleret, et esuriens non se cibo escæ alicujus expleret. Neque enim tum, cum sitivit aut esurivit aut flevit, bibisse Dominus aut manducasse aut doluisse monstratus est : sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est, ita ut naturæ nostræ consuetudine consuetudini (*j*) sit corporis satisfactum. Vel cum potum et cibum accepit, non se necessitati corporis, sed consuetudini tribuit.

25. *In Christo corporis humani veritas, non vitia. Non caro peccati, sed similitudo.* — Habuit enim corpus, sed originis suæ proprium ; neque ex vitiis humanæ conceptionis exsistens, sed in formam corporis nostri virtutis suæ potestate subsistens : gerens quidem nos per formam servi, sed a peccatis et a vitiis humani corporis liber ; ut nos quidem in eo

(1) *Ut passionis*, mox, *non potatura.*

potest corpus Domini habuisse doloris nostri naturam : quia noster dolor etiam invitos pungat ac mordeat. Vel certe hoc argumentum ex iis est, quæ adversarios ita premant, ut in sua sententia eis non suppetat quod reponant.

(*a*) An primum ait *sua virtute*, quasi divina virtute quæ dicti prodigii primaria causa sit ; ac tum *sua anima*, ut quæ a divina natura hanc vim proxime excipiat, et corpori communicet : quia ut loquitur Gregorius Naz. sub finem Or. 35 : Deus *per intermediam mentem cum carne conjunctus est ;* et Rufinus in expositione Symboli : *Filius ergo Dei nascitur, non principaliter soli carni sociatus, sed anima inter carnem Deumque media generatus.*

(*b*) Ita mss. Editi vero, *concepta ex Spiritu sancto caro judicatur.* Caro illa de cœlis dicitur, quia persona assumens est de cœlis.

(*c*) In uno exemplari reperit Erasmus hic insertum, *imbecillem ut nostra ex peccato.* Cum *habens* sit Verbum, nec Verbi ea natura sit, ut possit dolere ; facile expeditur difficultas, quæ ex hoc loco oritur. Quod illustrare licet ex Tract. Psal. LIII, n. 8, ubi Judæos *animam hanc* (Christi) *humanæ naturæ et infirmitatis esse existimantes* cum reprehendit Hilarius, prædicare videretur Christi animam non similis cum nostra fuisse naturæ, nisi adversam sententiam ante et post tueretur ; patereturque hoc eum tantum velle, Christi animam pertinere ad personam filii Dei, qui natura Deus sit et omnis infirmitatis expers ; idque Judæis latuisse.

(*d*) Illud *naturæ enim propriæ*, etc., idem est quod initio num. 25, *Habuit enim corpus, sed originis suæ proprium*, etc., quod significat Christi corpori naturam fuisse singularem, propriam, ac Dei filio consentaneam ; *ipse enim corporis sui origo est*, ut dictum est num. 18. Quo sensu ita intelligendum est Christi corpus *naturæ propriæ*, ut naturæ nostræ vitiis fuerit vacuum, non ut nostræ carnis corpus non fuerit. Nam et lib. I, n. 11, *nostræ carnis Deus caro factus* prædicatur, ut *et in suis perfectus sit, et verus in nostris ;* et hic ipse liber supra et infra nihil quidquam magis resonat. In hac natura a vitiis nostris libera dolor non potest esse nisi spontaneus : ex cujus sensu nihil contra Christi divinitatem ac virtutem habetur, sicut neque ex ipsius siti aut esurie, ut mox declaratur. Potest etiam ita explicari *corpus naturæ et originis suæ proprium*, ut corpus illud Verbi proprium fuerit eique intime conjunctum, et non, ut supra volunt hæretici, in eo tamquam in prophetis habitarit. Cui explicationi favet, quod de gloria ac virtute hujus corporis proxime subjicitur. Hanc quippe probationem lib. de Synod. num. 48, et in Ps. LV, n. 5, Hilarius adhibet, ut Verbum post carnis assumptionem a se non defecisse demonstret. Hoc sensu non corpus, non homo, sed Verbum habens corpus a dolore vindicatur. Cum his confer quæ infra num. 26, habentur.

(*e*) Editi, *transformatur.* At mss. magno consensu, *conformatur :* quod Gregorius Naz. Or. LI, factum esse explicat *divinitate carnem superante*, ὑπερνικώσης τὸ σαρκίον τῆς θεότητος.

(*f*) Præpositionem *ob* hinc removimus auctoritate mss.

(*g*) Editi, *carere siti :* emendantur ex mss.

(*h*) Bad. et Er., *et esurientes ;* Lips. et Par., *et esuriente se.* Rectius mss. *et esurientem*, hoc est : sciat eum etiam dum esurit cum auctoritate damnare arborem. In his manifestum est, hoc Hilarium tantum velle, naturam in Christo exstitisse aliquam ab affectione flendi, sitiendi, esuriendique alienam ; etiam cum easdem affectiones secundum carnem pateretur. Eodem modo de doloris sensu locutum eum esse sentiendum est.

(*i*) Supple *permissa est.* Tum vulgati, *ut passionis ;* ac mox, *et sitiens sitim non potatura :* corriguntur ex mss. Non est hic negligenter transeundum, quod *assumpta caro* ab ipsomet Hilario exponatur *totus homo :* quem deinde concedit permissum esse *passionum naturis*, non *passionum injuriis.* Quippe ex his perspicuum est, eum sensisse Christum secundum hominem totum, id est, tam secundum animam quam secundum carnem, passionibus permissum esse ; non quidem quatenus Verbo injuriosæ et contumeliosæ sunt, sed quatenus homini naturales.

(*j*) In ms. Vat. bas., *sit corpori satisfactum*, perperam omisso prius verbo *consuetudini.*

per generationem Virginis inessemus, sed nostra in eo per virtutem profectæ ex se originis vitia non inessent : dum homo natus, non vitiis humanæ conceptionis est natus. Tenuit enim Apostolus demonstrandæ nativitatis hujus sacramentum, cum ait : *Sed humiliavit se formam servi accipiens, in similitudine* (*a*) *hominis constitutus, et habitu repertus ut homo* (*Phil.* II, 7) : ut dum formam servi accepit, natus esse in forma hominis intelligatur; dum autem in similitudine hominis constitutus et habitu repertus ut homo est, species quidem et veritas corporis hominem testetur, sed (*b*) naturas vitiorum, qui ut homo sit habitu repertus, ignoret. In similitudine enim naturæ, non **340** in vitiorum proprietate (*c*) generatio est. Nam quia in eo, quod formam servi accepit, nativitatis videbatur significata esse natura, subjecit in similitudine hominis constitutum et habitu ut hominem repertum : ne nativitatis veritas naturæ quoque per vitia infirmis proprietas crederetur, cum et in forma servi esset vera nativitas ; et in (*d*) habitu repertum ut hominem, esset similitudo naturæ. Ipse quidem per virginem ex se natus homo, (1) et in similitudine (*e*) vitiosæ peccati carnis inventus. Quod id ipsum ad Romanos scribens testatus est Apostolus, cum ait : *Quod enim impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit* (2) *in similitudine carnis peccati, et de peccato condemnavit peccatum* (*Rom.* VIII, 3) (*f*). Non fuit habitus ille (3) tamquam (*g*) hominis, sed ut hominis : neque caro illa caro peccati, sed similitudo carnis peccati : dum et habitus carnis in nativitatis est veritate, et similitudo carnis peccati a vitiis humanæ passionis aliena est. Ita homo Christus Jesus et in veritate nativitatis est dum homo est, et non est in peccati proprietate dum Christus est : quia et qui homo est, non potuit non homo esse quod natus est ; et qui Christus est, non potuit amisisse quod Christus est. Atque ita dum homo Christus Jesus est, habet et nativitatem hominis, (*h*) qui homo est ; nec est in vitiosa hominis infirmitate, qui Christus est.

26. *Christus verus homo sine hominis vitiis Deus verus permansit. Passionis gesta expenduntur.* — Quamquam igitur nos ad hujus sacramenti intelligentiam apostolica fides instruat, quæ et habitu ut hominem repertum, et in similitudine carnis peccati missum hominem Christum Jesum esse testata sit : ut cum habitu ut homo est, sit in forma servi, et non sit in vitiis naturæ ; et cum in similitudine carnis peccati est, sit quidem Verbum caro, sed in similitudine carnis peccati sit potius, (*i*) quam caro ipsa peccati sit : et cum homo **341** Christus Jesus est, sit quidem homo, sed in homine non possit aliud esse quam Christus est : atque ita et ex corporis nativitate homo natus sit, nec sit in hominis vitiis, qui non sit in origine ; quia Verbum caro factum non potuit non caro esse quod factum est, et Verbum licet caro factum sit, non tamen amisit esse quod Verbum est ; et dum Verbum caro factum originis suæ non potest carere natura, (*j*) non potuit nisi in naturæ suæ origine permanere quod Verbum est, neque non vere intelligi Verbum caro esse quod factum est ; ita tamen, ut (*k*) quia habitavit in nobis, non caro illa Verbum sit, sed Verbi caro sit habitantis in carne : quæ cum ita sint, tamen videamus an peractus universus ille passionis ordo infirmitatem in Domino corporalis doloris permittat intelligi. Dilatis enim ad modicum eorum dictorum causis, ex quibus

(1) *Et in similitudinem vitiose peccatis.*
(2) *In similitudinem.*

(3) *Tantum hominis, sed et ut hominis.*

(*a*) Ita constanter mss. At editi etiam constanter, *in similitudine hominum.*

(*b*) In vulgatis, *naturam.* Magis placet cum mss. *naturas.* Vitiorum autem naturas intelligere est perturbationes rationi adversas et repugnantes, quas num. 24, passionum injurias vocari audivimus.

(*c*) Apud Er., Lips., et Par., *ejus generatio est.* Abest *ejus* a Bad. et mss. sicque fit absoluta propositio de omni generatione, ad cujus veritatem nil opus est ut vitia propagentur.

(*d*) Particulam *in* omittit Bad. Sic autem illud intelligendum videtur : et in eo, quod Apostolus ait cum habitu repertum ut hominem.

(*e*) Bad. cum nonnullis mss., *vitiosæ peccatis :* mendose.

(*f*) Hic subjiciunt Er. et Lips., *in carne*, Par., *in cruce.* Neutrum exstat in Bad. et mss.

(*g*) Ita Vat. bas. et potiores mss. Alii vero cum vulgatis, *tantum hominis, sed et ut hominis.* Inter *ut* et *tamquam* hoc ponit Hilarius discrimen, quod *tamquam* externam dumtaxat rei speciem, et conjunctio *ut* veritatem significet.

(*h*) Editi, *quia homo est ;* et mox, *quia Christus est :* renitentibus potioribus mss. Nemo non videt qui Christus a Jesu et homine distinguatur. Sed ex numero subsequenti liquidius patebit *Christum* et *Verbum* synonyma esse : et utrumque vocabulum ad naturam divinam ab humana distinctam referri.

(*i*) Sic mss. At editi, *quam ipse caro peccati.* Huc spectant quæ ex Hilario citat Augustinus lib. I cont. Julian. c. 3 : *Ergo cum missus est in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit et peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, a peccato scilicet Adam parente deducta, in similitudine peccati carnis est missus, existente in eo non peccato, sed peccati carnis similitudine.*

(*j*) In pervetustis exemplaribus Vat. bas. et Carn. *non oportuit.* In hoc numero summam habemus eorum quæ hactenus demonstrata sunt, Verbum scil. assumendo carnem non amisisse quod erat, et humanæ naturæ veritatem assumpsisse, non vitia. Nec videtur, cur Hilarius tanto studio propugnarit in Christo divinæ simul et humanæ naturæ distinctionem, nisi ut infirmitates nostras, quas hæretici divinæ male adscribebant, in unam humanam cadere evinceret. Sed quia non decebat hominem Deo unitum passionum dominatui subjacere, apposite ostendit, Christum turpia conceptionis nostræ initia nesciisse, adeoque nostris passionibus obnoxium non fuisse, quatenus injuriosæ ac vitiosæ sunt, nostrique dominantur.

(*k*) In vulgatis, *qui.* Melius mss., *quia.* Redditur enim ratio cur Verbum, quamvis caro factum, nequeat dici mutatum in carnem : quia scilicet ita factum est caro, ut in carne habitasse prædicetur, *ut dum habitat, non aliud quam Deus maneret*, inquit Hilarius lib. I, num. 11. Videsis tract. Psal. CXXXVIII, num. 3.

metum Domino hæresis adscribit; res ipsas ut gestæ sunt conferamus. Neque enim fieri potest, ut timor ejus significetur in verbis, cujus fiducia contineatur in factis.

27. *An metus Passionis in Christo.* — Timuisse tibi, o hæretice, Dominus gloriæ passionem videtur? Sed ei ob ignorantiæ hujus errorem et satanas Petrus et scandalum est (*Matth.* XVI, 23). Et ille quidem per charitatem Christi, quem ei non caro neque sanguis, sed Pater qui in cœlis est revelaverat, detestatus passionis sacramentum, tali severitatis sententia confirmatus ad fidem est. Tu quid sectaberis spei, Christum Deum negando, et metum ei passionis addendo? Anne timuit, qui armatis ad corripiendum se obvius prodiit (*Joan.* XVIII, 6)? et in corpore ejus infirmitas fuit, ad cujus occursum consternata persequentium agmina conciderunt, et majestatem ingerentis se ad vincula non ferentes **342** supinatis corporibus reciderunt? Quam igitur infirmitatem dominatam (*a*) hujus corpori credis, cujus tantam habuit natura virtutem?

28. *An doloris.* — Sed forte dolorem vulnerum timuit. Quem, rogo, penetrantis in carnem clavi habuit (1) horrorem (*b*), qui excisæ auris carnem solo restituit attactu (*Luc.* XXII, 51)? Expone nobis tu, dominicæ infirmitatis assertor, hoc in ipso passionis tempore infirmatæ opus carnis. Exserente enim Petro atque adigente gladium, truncus aure servus sacerdotis adstabat. Quomodo (2) ex decisæ (*c*) auris vulnere, contingente Christo, restituta caro auris est? Unde inter fluentem sanguinem et post ipsa discindentis (*d*) gladii vestigia, et in ipsa trunci corporis calumnia, (3) exiit quod non est, et sequitur quod non exstat, et rependitur (*e*) quod caretur? Producens hæc ergo aurem manus, clavum dolet? et sentit sibi vulnus, qui alteri dolorem vulneris non relinquit? Compungendæ carnis metu tristis est, cujus attactui licet carnem donare post cædem? Quod si hæc in Christi corpore virtus fuit, qua, rogo, fide naturaliter (*f*) infirmus fuisse defenditur, cui naturale fuit omnem humanarum infirmitatum inhibere naturam?

29. *An inde tristis.* — Sed forte stulta atque impia perversitate hinc infirmis in eo naturæ præsumetur assertio, quia tristis sit anima ejus usque ad mortem (*Matth.* XXVI, 38). Nondum te, hæretice, cur virtutem dicti non intelligas, arguo. Interim tamen a te requiro, cur exeunte ad proditionem Juda non memineris dictum fuisse: *Nunc honorificatus est filius hominis* (*Joan.* XIII, 31). Si enim passio honorificatura eum erat; quomodo tristem eum metus passionis effecerat? Nisi forte tam irrationabilis fuerit, ut pati timuerit **343**, quæ se essent glorificatura patientem.

30. *An calicem transferri a se precatus sit.* — Sed forte timuisse usque eo existimabitur, ut transferri a se calicem deprecatus sit, dicens: *Abba pater*, (*g*) *possibilia tibi omnia sunt, transfer hunc calicem a me* (*Marc.* XIV, 36). Ut de cæteris non calumnier, nonne hebetudinem impietatis tuæ vel hinc coarguisses, quia legeras: *Reconde gladium tuum in thecam: calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum* (*Joan.* XVIII, 11)? Quomodo enim per patiendi metum transferri a se (*h*) deprecaretur, quod per dispensationis studium

(1) *Terrorem* in ms. Veron.
(2) *Excisæ*. Paulo post, *descendentis*, non *discindentis*.
(3) *Exit*. Deinde, *quo caretur*.

(*a*) Editi, *hujus corporis*. Non negat incidisse, sed *dominatam esse*. Re ipsa nostræ infirmitates in Christum ita inciderunt, ut earum semper dominus fuerit.

(*b*) Excusi, *terrorem*: castigantur ex vetustioribus mss.

(*c*) In pluribus mss., *excisæ auris vulnus*.

(*d*) Plerique mss. cum vulgatis, *descendentis*. Tellerianus codex, *discendentis*. Magis placet cum Remigiano, *discindentis*. Deinde, *in ipsa trunci corporis calumnia*, hoc est, eo ipso momento quo ablata aure truncum factum est corpus. *Calumniæ* vocabulo apud auctores mediæ aut infimæ latinitatis aliquando significatur actio, qua quis per juris formulas rem quampiam auferre contendit; aliquando autem pœna vel multa, qua damnatur qui actionem injuste instituit. Prima ratione intelligitur in Psal. CXXXVII, n. 13; nunc vero pro pœna simpliciter usurpatur: nisi quis malit eam vocari justam pœnam Christi injuste et per calumniam impetiti.

(*e*) Editi, *quo caretur*: renitentibus antiquioribus mss.

(*f*) Fatetur Hilarius infra n. 65, Christum, *cum ex dispensatione homo esset, maneret tamen ex* NATURA *Deus, eumdem, ex infirmitate crucifixum, qui ex* VIRTUTE *Dei viveret: ut cum infirmitas esset ex forma servi, et* NATURA *maneret ex Dei forma; non ambiguum esset in quo sacramento et passus esset, et viveret: ut cum in eodem esset et infirmitas ad passionem, et ad vitam Dei* VIRTUS; *non alius ac divisus a se esset, qui et pateretur, et viveret.* Quo ex loco efficitur: 1° virtutem quæ in Christi corpore fuit, intelligendam esse divinitatem, quod jam supra num. 23 observatum est; 2° Christum recte negari hic *naturaliter* infirmum, cum infirmus sit tantum ut homo, neque Hilario ex natura sit homo, sed Deus, uti etiam n. 22 annotavimus; 3° non Christi corpori, sed Verbo in corpore manenti hic adscribi naturalem edendorum miraculorum virtutem, unde confirmatur quod n. 23 probatum est; 4° Christum naturaliter et ex forma Dei infirmum non ita hic ab Hilario negari, qui ex dispensatione et ex forma servi eumdem infirmum et credat et prædicet. Nec movere debet quod ait supra, *Producens hæc ergo aurem manus clavum dolet?* Figurate enim *manus* sumitur pro Verbo cujus est manus, quasi diceretur, An ex manu læsa dolet, qui eadem manu excisam aurem restituere potuit?

(*g*) Unus codex Sorbon. et alter Colb. *si omnia*, etc. Carnutensis, *si possibile est, transfer a me calicem istum*. De iisdem verbis adversus Arianos disputans Chrysostomus T. I, homil. 32 ait: *Illi quidem divinitatis orationem esse dicunt: nos autem esse dicimus dispensationis*. Tum probat Christum noluisse a se calicem transferri, quem tanto studio exoptarit, ut Petrum eum a se deprecantem satanam appellarit; neque incertam ipsi fuisse Patris ea de re voluntatem, quæ prophetis etiam longe ante præcognita fuerat.

(*h*) In ms. Vatic. bas. et aliis nonnullis, *calicem deprecaretur*: glossema. Mox in vulgatis, *impleri*. Concinnius in mss. *implere*. Ad hoc porro festinavit summo charitatis studio, *cum id in se consummaretur, quod ad salutem nostram perpeti ipse voluisset*, ut habetur tract. Psal. LIV, n. 13 et paulo ante: *Cum salutem generi humano suscepta crucis morte donaret, non potest videri sacramentum hoc magnæ pietatis arguere* ac recusare.

festinaret implere? Non enim convenit, (*a*) ut pati nollet, (1) qui pati vellet. Et cum pati eum velle cognosceres; religiosius fuerat dicti (*b*) inintelligentiam confiteri, quam (*c*) ad id impiæ stultitiæ furore prorumpere, ut eum assereres ne pateretur orasse, quem pati velle cognovisses.

31. *An derelictum se conquestus sit.* — Sed, credo, te ad impietatis tuæ pugnam etiam dicto dominicæ vocis armabis: *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Marc.* xv, 34)? Post contumeliam enim crucis, forte dignationem ab eo paterni auxilii existimes recessisse, et hinc desolatæ infirmitatis suæ querelam exstitisse. Si tibi itaque in Christo contemptus et infirmitas et crux contumelia est; oportuerat te dicti hujus immemorem non fuisse: *Verum dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis, et venientem cum nubibus cœli* (*Matth.* xxvi, 64).

32. *Recapitulatio.* — Ubi, rogo, in passione timor? ubi infirmitas? ubi dolor? ubi contumelia? Timere ab impiis dicitur? Sed ipse pati velle se prædicat. Infirmus esse contenditur? Sed se potentem, dum consternatis persecutoribus obvius non sustinetur, ostendit. Dolere vulnera carnis arguitur? Sed in eo, quod carnem auris reddit ex vulnere, caro ipse cum sit, extra carnalem tamen naturam dolendi vulneris reperitur: quia dum et **344** manu truncam aurem attingit, manus illa de corpore est, et dum manus aurem producit ex vulnere, non esse manus illa corporis significatur infirmis.

33. *An crux ei contumeliosa.* — Sed contumeliosa ei esse crux dicitur. Atquin per hanc hominis filius sedere a dextris virtutis videndus est, et ex partu virginis homo natus in majestate sua cum cœli est nubibus reversus. Non tenes irreligiose rerum naturalium causas: et dum impietatis atque erroris spiritu plenus sacramentum fidei non intelligis, ex ipso sæculi sensu hebetudine hæretica (*d*) disproficis. Omne enim, quod timetur, vitari necesse est dum timetur; et quod infirmum est, sumit ex imbecillitate terrorem; et quidquid dolet, dolendi in se habet (*e*) indemutabilem naturam; et quidquid contumeliosum est, semper inhonorum est: tu vero quo sensu rationis intelligis, Dominum nostrum Jesum Christum ad quod festinat, timere; et consternantem fortes, infirmitate trepidare; et vulnera non permittentem dolori (*f*), vulneratum dolere; et contumelia crucis dehonestari, cui crux (*g*) consessus ad Deum est, et reditus ad regnum?

34. *Descendens ad inferos a cœlo non recessit. Latronis alia, alia hæreticorum fides.* — Sed forte vel hoc tibi relictum occasionis impiæ arbitraris, ut descensionem ad inferos et ipsam mortis timuerit necessitatem, dum id ipsum testari videtur hoc dicto: *Pater, commendo in manus tuas* (*h*) *spiritum meum* (*Luc.* xxiii, 46). Hoc legens, et non intelligens, aut pie tacuisses, aut etiam religiose intelligentiam ejus orasses: non magis per impudentem assertionem stulto furore veritatis incapax vagareris. Anne tibi metuere infernum chaos et torrentes flammas et omnem pœnarum ultricium abyssum credendus est, dicens latroni in cruce: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso* (*Ibid.* 43)? Naturæ hujus potestatem jam non dico (*i*) metu, sed nec infernæ **345** sedis regione concludes, quæ descendens ad inferos, a paradiso non desit (sicuti et hominis filius loquens in terris, maneat (*j*) et in cœlo), Martyri suo paradisum promittens, et consummatæ beatitudinis delicias pollicens. Non habet hunc metus corporalis, penetrantem quidem inferos, sed ubique naturæ suæ virtute distentum. Et naturam hanc mundi dominam, ac libertate spiritalis virtutis immensam, non sibi terrore mortis gehennæ chaos vindicat, qua paradisi deliciæ carere non possunt. Futurus enim in inferis Dominus, et in paradiso est futurus. Deseca ad metum pœnæ naturæ indesecabilis portionem: (*k*) et de Christo et apud inferos pone quod doleat, et in pa-

(1) *Quod pati vellet.*

(*a*) In prius vulgatis, *ut pati nolit quod pati velit:* quod immutamus potiorum mss. auctoritate.

(*b*) Sic ms. Corb. quomodo legendum suspicabatur Erasmus, qui cum Bad. et plerisque mss. retinuit *intelligentiam:* cujus loco Lipsius deinde posuit *ignorantiam.*

(*c*) Sic mss. At editi, *ad impiæ stultitiæ furorem:* et mox, *cognosceres*, non *cognovisses.*

(*d*) In uno codice Vatic. *proficis:* male, ut Lud. Miræus jam notavit: qui post Erasmum monet, Hilarium verbo *disproficere*, pro *degenerare*, alias usum esse. Uterque haud dubie respexit in lib. xi, n. 11; ibi tamen eam vim verbum illud non obtinet, nisi accessione vocum *in genere.* Hic vero *disproficit* cum adjunctis sonat recessum ab humana sapientia: ut qui primum recesserant a fide propter humanam rationem, demum hæretica hebetudine ob præconceptam opinionem ab humana etiam ratione deficiant.

(*e*) Duo ex recentioribus mss. *demutabilem.* Retinendum cum aliis *indemutabiliem*, quæ scil. a voluntate demutari ac declinari non possit. Ut enim definit Augustinus lib. xiv, de Civ. Dei c. 15: *dolor carnis tantummodo offensio est animæ ex carne, et quædam ab ejus passione dissensio; sicut animæ dolor . . . dissensio est ab his rebus quæ nobis nolentibus accidunt.* Hac ratione nonnulli philosophi explicant qui Adam innocens doloris expers fuerit, quia nimirum demutare valeret, quod ex se natum esset dolorem efficere.

(*f*) In vulgatis, *doleri.*

(*g*) Sic castigatiores mss. quibus favent prima hujus numeri verba, et postrema n. 2 tract. psal. lxi. In aliquot aliis, ut in vulgatis, *consensus:* lectio non spernenda.

(*h*) *Hunc vero spiritum*, inquit Theodoretus in Dem. quod impatib. sit divinitas, *Ariani et Eunomiani divinitatem Unigeniti esse dicunt. Inanimum enim corpus assumptum putant.*

(*i*) In vulgatis: *metus;* et postea, *regio est concludens.* Etiam hic perspicuum est, *naturæ potestatem*, quæ a metu eximitur, divinitatem intelligi.

(*j*) Non qua filius hominis, sed qua filio Dei personaliter unitus. Respiciuntur Christi verba Joan. iii, 13. Hoc loquendi modo Hilarius dum solam divinitatem ab humanis affectionibus vindicat, interdum videri potest ipsam etiam carnem eximere.

(*k*) Vatic. bas. codex, *et da Christo.* Verius alii, *et de Christo*, scil. *pone.* Multis modis hic declarat fidei catholicæ defensor, quam naturam velit ab humanis affectionibus immunem, nimirum: *naturam*

radiso relinque quod regnet. Latro enim rogat, ut sui in regno suo meminerit. Et, credo, eum ad hanc beatæ confessionis fidem, auditus transeunte palmas clavo gemitus accendit: et regnum Christi per dolorem (1) infirmati (*a*) in Christo corporis didicit. Ille dignationem reminiscentis in regno postulat: tu crucis mortem ad metum deputas. Dominus communionem ei paradisi mox pollicetur: tu Christum in inferis sub pœnali terrore concludis. Diversæ spei fides ista est. Paradisum meruit sub cruce latro, pendentem Christum confessus in regno: in pœnæ (*b*) vero dolore et metu mortis Christum deputans, et paradiso necesse est (2) sis cariturus et regno.

35. *Epilogus, quale Christi corpus.* — Collatis igitur dictorum atque gestorum virtutibus, demonstrari non ambiguum est, in natura ejus corporis infirmitatem naturæ corporeæ non fuisse, cui in virtute naturæ fuerit omnem corporum depellere infirmitatem; et passionem illam, licet illata corpori sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse: quia quamvis forma corporis nostri esset in Domino, non tamen (*c*) in vitiosæ infirmitatis nostræ esset corpore, qui non esset in origine, quod ex conceptu Spiritus sancti Virgo progenuit: quod licet sexus sui officio genuerit, tamen non terrenæ **346** conceptionis suscepit elementis (*d*). Genuit etenim ex se corpus, sed quod conceptum esset ex Spiritu; habens quidem in se sui corporis veritatem, sed non habens naturæ infirmitatem: dum et corpus illud corporis veritas est quod generatur ex virgine; et extra corporis nostri infirmitatem est, quod spiritalis conceptionis sumpsit exordium.

36. *Tristem esse usque ad mortem quid.* — Sed niti adversum (*e*) apostolicæ fidei demonstrationem hæretici videntur hoc dicto: *Tristis est anima mea usque ad mortem* (*Matth.* XXVI, 38), ut professio ejus, qui se tristem ait, naturæ infirmitatem, per cujus conscientiam tristis cœperit esse, testetur. Ac primum humanæ intelligentiæ sensum interrogo, quid sit tristem esse usque ad mortem. (*f*) Non enim ejusdem significationis est, tristem esse propter mortem, et tristem esse usque ad mortem: quia ubi propter mortem tristitia est, illic ipsa mors causa tristitiæ est; ubi vero tristitia usque ad mortem est, mors non jam tristitiæ est causa, sed finis. Qui ergo non propter mortem, sed usque ad mortem tristis est, quærendum est unde sit tristis. Tristis autem non incerto (3) neque (*g*) indefinito humanæ ignorantiæ tempore, sed usque ad mortem. Adeo autem non propter mortem suscepta tristitia est, ut sit destituta per mortem.

37. *Tristitiæ Christi causa. Cui precetur calicem transire. Duæ Christi voluntates.* — Et ut causam tristitiæ intelligere possimus, videamus quid hanc professionem tristitiæ vel præcesserit, vel consequatur. Totius enim passionis et fidei mysterium consummatum paschæ cœna fuerat per Dominum. (*h*) Postque universorum in se scandalum docet (*Matth.* XXVI, 31 *et* 32), sed præcessurum se eos in Galilæam promittit (*Ibid.* 33). Petrus, cæteris licet scandalizaturis, se tamen non scandalizaturum constanti fide spopondit. Sed Dominus per naturam Dei non ignarus gerendorum, ter eum negaturum se esse respondit: ut cæterorum scandalum intelligeretur ex Petro, cum ille in tam grave fidei periculum eum ter negando (*i*) recideret. Tum ille assumptis Petro, Jacobo et Joanne (*Ibid.* 37), duobus ad martyrium **347** electis, et Joanne in prædicationem Evangelii firmando, tristem se usque ad mortem professus est. Deinde progressus, oravit dicens: *Pater meus, si possibile est, transeat a me calix iste: sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis* (*Ibid.* 39). Transire a se calicem rogat, utique jam secum manentem: qui tum in sanguine Novi Testamenti pro multorum peccatis (*j*) effundi consummabatur. Non enim rogat ne secum sit, sed ut a se transeat. Deinde rogat ne voluntas sua fiat: et quod vult effici, id ipsum concedi sibi non vult. Ait enim, *Sed tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis*:

(1) *Infirmitati*, male.
(2) *Sit cariturus.*
(3) *Neque infinito.*

mundi dominam, immensam, qua paradisi deliciæ carere non possunt, quæ *naturæ indesecabilis in inferis* simul *et in paradiso sit.*

(*a*) Sic præcipui mss. Vat. bas., Colb. etc. Editi vero, *infirmitatis in Christi corpore.* Quæ ironice sunt dicta.

(*b*) In vulgatis, *in pœnæ ergo dolore;* et mox, *sit cariturus.* Concinnnior est lectio mss.

(*c*) Excusi, hic omisso *in*, mox subjicinnt, *forma esset in corpore qui non* etc. castigantur ex melioribus mss.

(*d*) Vat. bas. codex, *susceptis elementis.* Eodem sensu supra n. 15, legitur, *susceptis originibus.* Ita caute Hilarius Christum non communi lege conceptum prædicat, ut sacræ Virgini materni honoris veritatem continuo asserat. *Genuit etenim ex se corpus.*

(*e*) Lips. et Par. ex Erasmi margine, *evangelicæ*: obnitentibus mss. Sed et supra initio num. 26 prædicatur *apostolica fides*, non evangelica. Nimirum respicitur illud Apostoli, *in similitudine hominis factus*, etc. de quo hactenus disputatum est.

(*f*) Tandem hic aperte habes confitentem tristitiam a Christo esse susceptam, et de causa dumtaxat disceptantem. Idipsum profitetur cap. 13 in Matthæum n. 4, et in psal. CXLI, n. 8, ubi clarius explicat qua parte tristitiam a Christo susceptam neget, dicens: *Non enim ait, propter mortem, quia licet se passioni daret, non tamen Virtus æterna dolorem passionis exciperet.* Qui enim in Hilarianis scriptis peregrinus non est, virtutis æternæ vocabulis divinitatem in eis enuntiari non nescit.

(*g*) Ms. *neque infinito*, vel *neque in infinito.*

(*h*) Lips. et Par. *postquam*; renitentibus vetustioribus libris. Mox eædem edit. post Er. *scandalizandis, scandalizandum*, et infra, *scandalizandos:* citra fidem mss. ex quorum summo consensu liquet verbum *scandalizaturum* Hilario passivum fuisse.

(*i*) Aliquot mss. *recederet.*

(*j*) Plerique mss. cum vulgatis, *effundendus consummabatur.* Optimi codicis Colbertini nec non Germanensis præferimus lectionem, qua Hilarii aptius enuntiatur sententia, rem jam inchoatam quæ ad exitum perducebatur significare volentis: quod Gallice diceremus, *qui achevait de se répandre.*

ut voluntate calicis deprecandi humanæ in se sollicitudinis significans consortium, sententiam a se unitæ sibi communisque cum Patre non discerneret voluntatis. Ut autem non pro se precari intelligeretur, et ratio significatæ voluntatis ac (*a*) deprecatio non obtinendæ esset in absoluto; hoc totum hujusmodi petitionis suæ cœpit exordio, *Pater meus, si possibile est.* Aliquid ergo Patri relinquitur, quod ei an possibile esset incertum sit? Et si nihil Patri impossibile est, intelligendum est ad cujus conditionem id (*b*) quod, *si possibile est*, sit relictum. Post hujus enim orationis precem sequitur : *Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et ait Petro, Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus, caro vero infirma* (*Ibid.* 40 *et* 41). Anne adhuc tristitiæ causa, (1) et transferendi calicis deprecatio in obscuro est? Vigilari enim secum ob hoc jubet et orari, ne in tentationem intrent, spiritu quidem prompto, sed infirma carne. Nam qui non scandalizaturos se per constantiam fidelis conscientiæ pollicebantur, in scandalo per infirmitatem carnis erant futuri. Non ergo sibi tristis est, neque sibi orat; sed illis quos monet orare pervigiles, ne in eos calix passionis incumbat : quem a se transire orat, ne in his scilicet maneat.

348 38. *Cur dicat* si possibile est. — Idcirco autem transferri eum, si possibile esset, a se precatus est : quia cum impossibile Deo nihil sit, sicut ipse ait : *Pater, possibilia tibi omnia sunt* (*Marc.* XIV, 36); impossibile tamen homini est passionis terrore non vinci, nec possit nisi per probationem fides nosci. Atque ideo et pro hominibus ut homo vult calicem transire, et ut Dei ex Deo voluntas effectui paternæ voluntatis (*c*) unitur. Id autem quod ait, *si possibile est*, manifeste in eo docuit quod ait Petro : *Ecce satanas expetivit, ut vos* (*d*) *cerneret sicut triticum : ego autem rogavi pro te, ut non deficeret fides tua* (*Luc.* XXII, 31 *et* 32). Per hunc enim calicem dominicæ passionis tentandi omnes erant. Et pro Petro Pater rogatur, ne deficiat fides ejus : ut negantis infirmitati vel dolor saltem pœnitentiæ non abesset; (*e*) quæ fides in eo non deficeret, quod pœniteret.

39. *Qui tristis usque ad mortem.* — Tristitia igitur usque ad mortem Domino est : quia in morte, motu terræ diei tenebris, discissione veli, monumentorum reseratione, mortuorum resurrectione confirmanda jam apostolorum fides esset, quam et (*f*) nocturnæ custodiæ terror, et in flagellis, alapis, sputis, corona spinea, crucis onere, et totius passionis lubrium, et postremo maledictæ crucis damnatio commoveret. Sciens igitur Dominus hæc omnia post passionem suam (*g*) destitutura, ideo et usque ad mortem tristis est : et scit hunc calicem transire non posse, (*h*) nisi biberit, dicens : *Pater meus, non potest calix iste transire a me nisi bibam illum : fiat voluntas tua* (*Matth.* XXVI, 42) : consummata in se scilicet passione metum calicis transiturum, qui nisi eum bibisset, transire non posset : finem terroris ejus (*i*) non nisi consummatæ in se passionis terrore succedere; quia post mortem ejus, (2) per virtutum gloriam, apostolicæ infirmitatis scandalum pelleretur.

40. *Cur apostolos dormire jam sinat.* — Et quamquam in eo quod ait : *Fiat voluntas tua*, in calicis, id est, passionis suæ scandalo, apostolos permittens paternæ voluntatis **349** arbitrio; tamen etiam repetitæ tertio orationis prece usus est : postquam ait : *Dormite jam, et requiescite* (*Ibid.* 45). Non enim extra rationis alicujus internæ conscientiam, qui antea eos dormientes coarguisset, nunc jam dormire et requiescere jubet. Sed intelligentiam nobis Lucas adhortationis istius tribuisse existimatur : qui cum dixisset, satanam expetisse ut apostolos modo tritici cerneret, et Dominum pro fide Petri, ne deficeret, oratum fuisse; subjecit post multam Domini precem ex aliis Christi verbis adversus eosdem conficit Faustinus cap. 2.

(1) In anteriori, *transeundi*; num. 40, *post transferendi calicis deprecationem.*

(2) *Per virtutis gloriam.*

(*a*) Solus codex Vat. bas. *deprecationis.* Rectius alii, *deprecatio non obtinendæ*, supple, *voluntatis :* id est, deprecatio ut non concedatur, quod voluit ac rogavit ut homo.

(*b*) Bad. et Er. cum ms. Carnut., *quod si impossibile est.* Tum Lips. pro *si*, substituit *sibi :* quæ lectio exinde obtinuit. Plures e recentioribus mss. *quod possibile est.* Quidam alii, *quod impossibile est.* Magis placet cum mss. Colb., Corb., Germ., Prat. etc. *id quod* (supple *ait*) *si possibile est :* id est, videndum quem respiciat ista deprecatio conditionata, *si possibile est* etc. Hic enim *id quod* perinde est, atque τὸ Græcorum.

(*c*) Er., Lips. et Par., *uniatur.* Rectius Bad. cum mss. *unitur :* hoc est, ut homo vult calicem transire, sed ut Deus ex Deo paternæ voluntati unitur. Duplex igitur in Christo voluntas : neque habent Ariani unde se expediant, qui cum non recipiant nisi unicam, hanc volunt ipsius divinitatis esse orationem, Ut enim fuse disserit Chrysostomus hom. XXXII, T. I, si divinitas Christi hoc oravit; Patris et Christi non una, sed contraria erit voluntas : adeoque frustra illud, *Ego et Pater unum sumus*, propter voluntatis unitatem dictum interpretantur. Simile argumentum

(*d*) Antiquior codex Colb. et alii non deterioris notæ, *ventilet.* Aliquot recentiores, *cribraret.* Verbum *cerneret* rursum habes infra num. 40, ubi in quibusdam mss. a secunda manu perperam adscriptum est *cribraret.*

(*e*) Sic plures ac potiores mss. At editi, *quia fides.* Cum Scultetus Hilarium reprehendit, quod Petrum sic excusare conetur, quasi Christum non negarit : hæc verba nec non superiora num. 37, procul dubio non attendit.

(*f*) Exemplar. Carnut., *nocturnæ vigiliæ.*

(*g*) Lips. et Par. ex Erasmi margine, *desitura.* Bad., Er., ms. Vat. bas., et quidam alii, *destitura.* Verius alii, *destitutura*, passive; quomodo supra, *scandalizaturum.* Nostræ hæc lectio confirmatur ex his num. 56 : *Adeo autem non propter mortem suscepta tristitia est, ut sit destituta per mortem.*

(*h*) In vulgatis, *nisi biberet :* et mox, *si non potest.* Concinnius in mss. *nisi biberit*, id est, nisi postquam biberit : ac deinde, omisso *si*, rei hujus scientia clarius enuntiatur.

(*i*) In excusis, *non nisi finito.* Abest *finito* a mss.

angelum (*a*) adstitisse confortantem eum; quo assistente orare prolixius cœperit, ita ut guttis sanguinum corporis sudor efflueret (*Luc.* XXII, 43 *et* 44) Misso enim ad tuitionem apostolorum angelo, et per eum confortato Domino, ne pro his tristis esset, (1) jam sine (*b*) tristitiæ metu ait: *Dormite jam, et requiescite.* De angelo quidem Matthæus et Marcus et de expetitione diaboli nihil locuti sunt : sed post tristitiam animæ, post dormientium objurgationem, post transferendi calicis deprecationem, non ex nihilo dormientium adhortatio subsecuta est, nisi quod cum afuturus ab his esset, et indulti Angeli confortatus auxilio, securitate (*c*) custodiæ custodiendos permittebat in somnum.

41. *De sudore sanguinis et adventu angeli nil in pluribus libris. Infirmitas Christi perperam inde colligitur.* — Nec sane ignorandum a nobis est, et in græcis et in latinis codicibus complurimis, vel de adveniente angelo, vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrum hoc in libris variis aut desit, aut superfluum sit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diversitate librorum), certe si quid sibi ex hoc hæresis blanditur, ut infirmum affirmet, cui opus fuerit angeli (2) confortantis auxilio; meminerit Creatorem angelorum creationis suæ non eguisse præsidio; tum deinde necessario eo modo eum confortatum, quo modo et tristem esse. (*d*) Nam si nobis tristis est, id est, propter **350** nos tristis est, necesse est ut propter nos sit confortatus et nobis : quia qui de nobis tristis est et de nobis confortatus est, ea confortatus est conditione qua tristis est. Sudorem vero nemo infirmitati audebit deputare: quia et contra naturam est sudare sanguinem. Nec infirmitas est, quod A potestas (*e*) non secundum naturæ consuetudinem gessit : neque ad hæresim (*f*) infirmitatis pertinere ullo modo poterit, quod adversum hæresim (*g*) phantasma mentientem proficiat, per sudorem sanguinis, ad corporis veritatem. Igitur cum et tristitia de nobis est, et oratio pro nobis est, non possunt non omnia propter nos gesta esse intelligi, cum omnia pro nobis, quibus timebatur, orata sint.

42. *Tristitiam, calicis deprecationem*, etc. *Apostolos spectare.* — Præstant autem sibi mutuam Evangelia plenitudinem: dum alia ex aliis, quia omnia unius Spiritus prædicatio sit, intelliguntur. Hanc enim tacitam ab omnibus pro Apostolis Domini orationem Joannes maxime spiritalium causarum prædicator ostendit, Dominum ita precatum esse, dicens : *Pater sancte, conserva eos in nomine tuo. Cum essem cum eis, ego custodiebam eos in nomine tuo: quos dedisti mihi, et custodivi* (*Joan.* XVII, 11 et 12). Non sibi itaque fuit oratio illa, sed apostolis : nec sibi tristis est, qui orare eos ne tententur monet: nec sibi angelus mittitur, qui si vellet, (*h*) duodecim millia legionum de cœlis deduceret: (*i*) nec propter mortem timet, qui usque ad mortem anxius est : nec ut se transeat calix, rogat; sed a se transire calicem rogat, qui tamen transire (*j*) non possit, nisi eum biberit. Transire autem (3) non loco decedere est, sed omnino non exstare : quod quidem ipsum et evangelicus et apostolicus sermo significat, cum dicitur, *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt* (*Marc.* XIII, 31). Sed et Apostolus : *Ecce vetera transierunt, et facta sunt* (*k*) *nova* (II *Cor.* V, 17). Sed et cum ait, **351** *Et figura hujus mundi transibit* (I *Cor.* VII, 31). Calix ergo, de quo Patrem orat ut transeat, non potest transire nisi bi-

(1) *Jam sine tristitiæ metu essent, ait.*
(2) Codex Veron. *confortiantis* pro *confortantis*, sicut postea *confortiari* non *confortatum.*
(3) *Non de loco.*

(*a*) Plures mss. *exstitisse.*
(*b*) Ita præstantiores mss. Vatic. bas., Colb. etc. Alter Colb. cum Sorbon., *jam sine tristitia et sine metu ait.* Corb. cum aliis nonnullis, *jam sine tristitiæ metu essent, ait.* Editi vero, *jam sine tristitiæ metu existens ait.* Quod deinde subjicitur, *Dormite jam*, modo non exstat apud Lucam, imo prorsus aliud, puta, *quid dormitis? surgite, orate* etc.
(*c*) Vat. bas. ms. *custodis.*
(*d*) Excusi, *nam qui nobis :* et mox, *quia ergo qui de nobis*, etc. castigantur auctoritate mss. Duo hic obiter notanda : primum non hominem, sed *creatorem angelorum* ab infirmitate defendi; alterum, nullam de veritate tristitiæ Christi secundum hominem controversiam moveri, quia de illa nullus ambigebat; sed hac veluti data, statim de causa et conditione illius disputari : ut ea nimirum fuisse ostendatur, quæ non dedeceret hominem Deo unitum.
(*e*) Hippolytus apud Theodoretum ad calcem Dialogi III, argumentum simile conficit ex aqua et sanguine quæ post mortem Christi ex latere illius profluxerunt : *Corpus, quamvis humano more mortuum, magnam in se vitæ vim habet. Quæ enim ex mortuis corporibus non profluunt, ex illo manarunt, sanguis et aqua : ut sciremus quantum ad vitam valeat potestas, quæ in corpore habitavit.*
(*f*) Hæresis infirmitatis appellatur Ariana : quia Christi secundum humanam naturam infirmitates ad divinam referebat, ut in argumento hujusce libri declaratur, lib. I, n. 32, necnon lib. II, n. 6.
(*g*) Valentini scilicet, Manichæi ac similium. Eamdem hujus rei causam affert Theodoretus Demonstr. quod unio sit inconfusa n. 8, ubi hoc factum esse docet, *ut posterorum ii, qui animæ corporisque assumptionem crederent, demonstrationibus confirmarentur; qui vero contradicerent, evidentibus testimoniis confutarentur*, quibus præmittit : *Etsi enim divinitas et spiritus aderant velut unctio; tamen nec unita divinitas nec spiritus corpus tunc aut animam sustentarunt, sed hoc ministerium angelo commendarunt, ut et animæ et corporis infirmitatem ostenderent, et per infirmitatem ostenderentur naturæ infirmorum. Si* enim, inquit Chrysostomus Tom. I, Hom. XXXII : *post quam ipse tot tantaque dixerit, carnem illum non assumpsisse ausi sunt quidam asserere; si nihil horum dictum fuisset, quid non dixissent?*
(*h*) Vetustiore mss. Colb. cum Germ. et Remig. *decem millia legionum.* Alter Colb. ac Sorbon., *duodecim legiones :* tum cum codice Vat. bas. *de cœlis angelorum deduceret.* Videsis notata in Psal. LIV, n. 6.
(*i*) In vulgatis, *nec propter mortem anxiatus, ut a se transferatur calix rogat :* locus mutilus ope mss. resarcitus.
(*j*) Sic mss. At editi, *non posset, nisi eum biberet.*
(*k*) Apud Er., Lips. et Par., *omnia nova.* Abest *omnia* a Bad. et mss. Tum solus codex Carn., *sed et cum ait, Præterivit enim figura hujus mundi.* In aliquot aliis exstat *transivit*, non *transibit.*

batur : et quod orat Dominus ; utique pro his orat, quos cum his manens ipse salvavit, quos et Patri salvandos reliquit. Nunc vero sacramentum mortis peracturus, Patrem his custodem precatur : et missi in eo angeli, si tamen ita est, non ambigua (*a*) præsentia est ; et obtentæ precis manifesta securitas est, cum eos consummata oratione adhortatur in somnum. Effectum autem impetratæ orationis, et adhortatæ dormitionis securitatem, jam in ipso opere passionis Evangelista demonstrat, cum apostolis omnibus, de persecutorum manibus elapsuris ait : *Ut adimpleretur verbum quod dixerat, quoniam quos dedisti mihi, (b) non perdidi* (1) *ex eis neminem* (*Joan.* XVIII, 9). Impletur enim per se orationis precatio, et salvi omnes sunt. Sed oratur Pater, ut salvatos per se, nunc in nomine suo salvet ipse. Et adeo salvat, ut Petri fides pœnitentia subsequente non deficiat, licet territa.

43. Epilogus. — Demonstrata itaque et a Joanne Domini oratio, et a Luca diaboli postulatio, et ea quæ in Matthæo atque Marco, et tristitia usque ad mortem est, et somni objurgatio, et rursum adhortatio, nihil ambiguitatis relinquunt : cum quando (2) per precem (*c*) in Joanne, qua Patri apostolos commendat, et tristitiæ causa et transeundi calicis deprecatio absoluta sit ; non a se passionem amoveri Domino deprecante, sed Patrem ut apostolos se passuro tueatur orante : et per Lucam ostensa adversus diabolum prece, jam de fiducia vetiti antea somni secura permissio sit.

44. Christus ab humanis vitiis liber. Sensus unde. — Non est itaque in ea natura, quæ supra **352** hominem est, humanæ trepidationis anxietas : et extra terreni est corporis mala, non terrenis inchoatum corpus elementis, etsi originem (*d*) filii hominis sanctus Spiritus per sacramentum conceptionis invexit. Nempe et Altissimi virtus, (3) virtutem (*e*) corporis, quod ex conceptione Spiritus virgo gignebat, admiscuit. Nam cum per transfusæ in corpus animæ consortium, sensus animati corporis vivat, et ipsum ad illatorum dolorem corpus anima corpori permixta vivificet ; quæ ubi cœlestis spei ac fidei suæ beato calore, terrenæ in corpore suo originis despexit exordium, sui quoque sensus ac spiritus corpus efficitur in dolore, ut pati se desinat sentire quod patitur : et quid nobis de natura dominici corporis, et descendentis de cœlo filii hominis adhuc sermo sit ? Ipsa terrena corpora timere ac dolere interdum nesciunt, quod et doleri necesse est et timeri.

45. Tres pueri flammas non timent. Multo magis Christus. — Quæro enim an pastas ad fomenta exæstuandi Babyloniæ fornacis flammas Israelitæ pueri timuerint, et utrum in illud (*f*) nostræ conceptionis corpus metus tanti ignis incesserit (*Dan.* III, 23). Quæro etiam, an (4) circumambiri (*g*) se flammis doluerint. Sed forte idcirco, quia non usti sunt, nihil doleant ; et tum afuisse ignibus natura urendi existimabitur. Certe hæc natura corporis erat, ut et uri se timeret, et posset uri. Quod si per spiritum fidei terrena corpora, id est, secundum elementa causarum communium initiata, neque uri potuerunt, nec timere : quæ ergo per fidem Dei in homine contra naturam sunt, ea (*h*) in Deo secundum virtutem Spiritus ad naturæ originem inchoata, non sunt natu-

(1) *Ex his aliquem.*
(2) *Per precem Iohannis.*

(3) *Virtutem corpori.*
(4) *Circumamburi ;* in nostro codice.

(*a*) In quibusdam recentioribus mss. *præscientia est.*

(*b*) Hic phrasis est græca ad verbum expressa ; οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα. In vulgatis expuncta erat particula *non* contra fidem mss. quorum in nonnullis, pro *neminem*, repositum est *aliquem.*

(*c*) Par. *per precem Joannis.* Editiones aliæ *per precem a Joanne.* Rectius mss. *in Joanne*, hoc est, quæ exstat in Evangelio Joannis. Similis est loquendi modus Fragm. I, num. 2.

(*d*) Editi cum uno ms. Remig., duobus Colb., uno Sorbon. *filio hominis.* Verius vetustior Colb., Corb., Vind., alter Remig., Germ., Prat. etc. *filii hominis* : hoc est, licet Christus corpus habeat non terrenis inchoatum elementis, utpote cujus princeps est sanctus Spiritus, vere tamen natus est filius hominis, verus Virginis filius. Cum his confer postrema num. 15 verba.

(*e*) Prædictorum mss. auctoritate restituimus *virtutem corporis*, præsertim cum num. 23, jam legerimus, *Virtus corporis sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desævientis excepit*, ac rursum num. 46, audituri simus corporis nostri passiones a Christo *virtute corporis sui* susceptas. In vulgatis autem ac pluribus mss. exstat *virtutem corpori*, quod propter verbum *admiscuit* non male sonat. Hoc quippe dictum esse videtur de Verbi cum natura nostra conjunctione, quæ lib. II, n. 26, fusius sic enarratur : *Spiritus sanctus de super veniens virginis interiora sanctificavit, et in his spirans naturæ se humanæ carnis immiscuit, et id quod alienum a se erat, vi sua ac potestate præsumpsit : atque ut ne quid per imbecillitatem humani corporis dissideret,* *virtus Altissimi virginem obumbravit, infirmitatem ejus* (puta corporis) *veluti per umbram circumfusa confirmans, ut ad sementivam ineuntis Spiritus efficaciam substantiam corporalem* (ex se infirmam) *divinæ virtutis inumbratio temperaret.* Pressius num. 27 : *Initia nascendi Spiritus sanctus superveniens et inumbrans virtus Altissimi moliuntur.* In quibus Spiritus sanctus, id est Verbum, et ut susceptor corporis, et ut susceptæ causa effectrix consideratur. Utroque modo virtus est corporis, sive illud condendo, sive divina per illud operando.

(*f*) In codice Vat. bas. *nostræ carnis.* Rectius in aliis, *nostræ conceptionis.* Alias non apparet discrimen inter Israelitarum et Christi corpus : quod non carne, sed conceptione a nobis distare Hilarius docere solet. Unde in Psal. LIII, n. 8, habet : *Deus Dei filius ante sæcula manens, humanæ naturæ habitu, id est, nostri corporis atque animæ homo ex partu Virginis natus.*

(*g*) Bad. et Er. *circumaduri.* Mss. Corb., Pratell. etc., *circumamburi.* Tres Vatic. cum Remig. et Theod., *circumburi.* Vind. ad Silv., *circumcomburi.* Colb. ac Germ., *cum amburi.* Carn. *amburi.* Parvi interest quæ ex his lectionibus præferatur. Id ipsum ita in Psal. CXLIV, n. 13, enuntiatur : *Illis in roris humore ignis temperatur, hos exæstuans ignis amburit. Ipsæ intus extraque flammæ sunt, quarum pro diversitate meritorum et deficit a se natura, nec deficit. Nam quod est, manet erga eos ignis esse quos urit ; et quod non est, necesse est in his esse quibus ros est.*

(*h*) Apud Er., Lips. et Par., *in Deo homine.* Abest *homine* a Bad. et mss.

ràliter æstimanda. Vincti pueri in medio ignis sunt : ignem non timent, (1) dum **353** (*a*) scandunt ; flammas non sentiunt, dum orant ; uri non possunt, dum in igni sunt. Naturam suam in his et corpora et ignis amittit ; nam neque illa uruntur, neque ille urit : et tamen in cæteris in natura sua est et ignis et corpus; nam circumstantes ardent, et pœnæ ministeria in pœna sunt. Non vis, impie hæretice, ut (2) transeunte palmas clavo Christus non doluerit, neque vulnus illud nullam acerbitatem teli compungentis intulerit. Interrogo cur pueri ignes non timuerint, nec doluerint : aut quid in eorum corporibus naturæ fuerit, ut naturam ignis excederet. Quod si illi fidei calore, et beati martyrii gloria timere nesciunt quæ timentur ; Christus etiamsi vitiorum nostrorum origine esset conceptus, tamen per crucem mansurus Deus, et mundum judicaturus, et rex æternorum sæculorum futurus, tristis metu crucis esset? et tantorum præmiorum immemor, turpis metus anxietate trepidaret?

46. *Fidei vis ad arcendum dolorem.* — Daniel prophetæ prandio alendus, leonum lacum non timet. Apostoli cædi se pro Christi nomine et pati gaudent. Paulo libatio sua corona justitiæ est. Desecanda colla sua percussoribus cum hymnis Martyres tendunt, et ædificatos sibi congerie lignorum ignes cum canticis scandunt. Usque eo sensus fidei, perempto in corporibus naturalis infirmitatis metu, corpora ipsa ad sensum non sentiendi doloris emutat, ut per animæ A propositum firmitas (3) corporis (*b*) invehatur, animatumque corpus in id se tantum sentiat, in quod animæ studio commovetur ; ut quod pati animus gloriæ cupiditate (*c*) contemnit, id se pati corpus anima vegetante non sentiat. Hæc si in hominibus naturalia sunt per animæ ad gloriam ardentis calorem, ut passiones suas nesciant, et vulnera ignorent, et mortes non intelligant : **354** Dominus (*d*) vero gloriæ Jesus Christus, cujus et fimbria virtus est, cujus sputus et sermo natura corporis est, dum et mancus jam non mancus manum jubetur extendere, et cæcus natus nativitatis vitia non sentit, et truncus aure non truncus est, in ea infirmitate compuncti ac dolentis corporis deputabitur, in qua gloriosos ac beatos viros fi- B dei suæ spiritus non reliquit?

47. *Passiones nostras quomodo susceperit Christus. Qui peccata portet.* — Passus igitur unigenitus Deus est omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates ; sed passus virtute naturæ suæ, ut et virtute naturæ suæ natus est : neque enim, cum natus sit, non tenuit omnipotentiæ suæ in nativitate naturam. Nam cum natus sit (*e*) lege hominum, non tamen hominum lege conceptus est : habens in se et constitutionem humanæ conditionis in partu, et ipse extra constitutionem humanæ conditionis in origine. Secundum quod ita ex infirmitate corporis nostri passus in corpore est, ut passiones corporis nostri, (*f*) corporis sui virtute susciperet. Et hujus fidei

(1) *Dum inscendunt.*
(2) *Transeuntem palmas clavum.*
(3) *Corpori.*

(*a*) Editi, *incenduntur*. Mss. Carn. et Remig., *inscedunt*. Corb. ac nonnulli alii, *incedunt :* quibus favet sacer textus, inducens pueros mediis in flammis ambulantes. Antiquior Colb., *ignem non timendum scindunt*. Præferimus cum altero Colb., uno Sorbon. et codice Vat. bas., *scandunt :* maxime cum infra de Martyribus rursum legamus, *ædificatos sibi congerie lignorum ignes cum canticis scandunt.*

(*b*) Ita plures probæ notæ mss. Editi vero, *firmitas corpori.*

(*c*) Vaticanæ basilicæ ms., tres Vatic. aliique nonnulli, *contendit*. Mox vetustior Colb., *consentiat*, pro *non sentiat.*

(*d*) Er., Lips. et Par., *veræ gloriæ ;* ac subinde, *cujus in fimbria* : quod et habet Bad. reluctantibus mss. Postea *sputus et sermo natura corporis* dicitur ; quia corpus naturæ suæ integritate destitutum eidem restituit.

(*e*) Nimirum ex Virginis carne procreatus et post novem mensium decursum editus est, qui præter legem hominum de sancto Spiritu sine viri opera est conceptus. Huc facit quod apud Epiphanium Hær. 73, num. 9, aiunt episcopi qui Ancyræ convenerunt : *Hominum similis factus, et homo erat, et non in omnibus erat : homo quidem, quatenus carnem suscepit hominis, quoniam Verbum caro factum est ; idem autem homo non erat, quatenus cæterorum more natus non fuerat, hoc est, e viri satu et utriusque conjunctione sexus.*

(*f*) *Corporis virtutem* divinitatem intelligendam esse jam diximus ; eaque in opinione non mediocriter confirmamur collatis hisce verbis cum superioribus, *Sed et virtute naturæ suæ passus est.* Id enim ibi *virtute naturæ suæ*, quod hic *virtute corporis sui* significari palam est. At cum *passus virtute naturæ suæ* prædicatur, *ut et virtute naturæ suæ natus est*, non C minus evidens est *naturæ suæ virtutem* intelligendam esse divinitatem Verbi, cujus virtute natus esse Christus passim in hoc ipso libro asseritur. Quod maxime illustratur ex tract. psal. CXXXVIII, n. 2 et 3, ubi primum ait Hilarius : *Neque id corpus, quod assumptum est, virtutem naturæ antea manentis abolevit ; cum in eo corpore, quod assumptum est, virtus naturæ antea manentis operetur.* Tum num. 3, subjicit, *itaque si quid infirmum ex persona ejus dictum reperietur, ad hominem referri oportebit.* Quare hoc? *Referendum autem*, inquit, *ob id est, quia non alienæ aut simulatæ naturæ hominem assumpsit.* Si autem non alienæ naturæ aut simulatæ hominem assumpsit, neque etiam fictas suscepit infirmitates. At quatenus eæ in Christum non cadant, sic postea explicat : *Verbum namque caro factum habitavit in nobis. Non in vitia infirmitatesque carnis ex Verbi virtute deficiens, sed naturæ nostræ infirmitates homo natus assumens. Assumptio autem infirmitatis non fecit infirmum ; quia aliud est naturam esse, aliud assumpsisse naturam : et extra generis necessitatem, voluntatis accessio est. Non enim peccator fuit, sed peccata suscepit. Neque infirmus exstitit, sed portavit infirmitates. Ipse enim, secundum prophetam, peccata nostra suscepit et infirmitates nostras portavit. Et ne quid in impassibilem atque indemutabilem divinitatem incidere existimaretur ; adjecit : Et nos putabamus eum in doloribus esse. Suscepit ergo infirmitates, quia homo nascitur ; et putatur dolere, quia patitur : caret vero doloribus ipse, quia Deus est.* Vide et subsequentia : in quibus liquido constat, Christi tantum divinitatem a doloribus eximi, humanam autem ipsius naturam iis omnibus subjici, quibus per se obnoxium est hominum genus. Ita facta utriusque loci collatione cavetur periculum, quod hic cavendum esse superiores editores monuerunt.

nostræ etiam sermo propheticus testis est, cum ait : *Hic peccata nostra portat, et pro nobis dolet : et nos existimavimus eum in doloribus esse, et in plaga, et in vexatione. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, et infirmitatus est propter peccata nostra* (*Esai.* LIII, 4 et 5). Fallitur ergo humanæ æstimationis opinio, putans hunc (*al.* hinc) dolere quod patitur. Portans enim peccata nostra, peccati nostri scilicet corpus assumens, tamen ipse non peccat. Missus namque est in peccati carnis similitudine ; portans quidem in carne peccata, sed nostra. Et pro nobis dolet, non et doloris nostri dolet sensu : quia et habitu ut homo repertus, habens in se doloris corpus, sed non habens naturam dolendi, dum et (*a*) ut hominis habitus est, et origo non hominis est, nato eo de conceptione Spiritus sancti. **355** Hinc itaque æstimatus est et in doloribus et in plaga et in vexatione esse. Formam enim servi accepit : et natus ex virgine homo opinionem nobis naturalis sibi in passione doloris invexit. *Ipse autem vulneratus est ;* sed *propter iniquitates nostras.* Nam quamvis sit vulneratus, non tamen iniquitatis suæ vulnus est : et quidquid patitur, non sibi patitur. Non enim sibi homo natus est, nec ex se iniquus est. Testatur Apostolus causam dispensationis istius dicens : *Orantes* (*b*) *per Christum reconciliari Deo : eum, qui non cognovit peccatum, pro nobis peccatum fecit* (II *Cor.* v, 20). Peccatum enim in carne per peccatum condemnaturus, peccati licet expers, factus est ipse peccatum, id est, per carnem peccatum in carne condemnans, (*c*) carnis quidem nescius, sed pro nobis caro factus est : et idcirco propter iniquitates nostras est vulneratus.

48. *Christi virtus in passione emicat. Passio Christi triumphus.* — Cæterum nescit in Christo Apostolus trepidationem doloris. Nam dispensationem (*d*) passionis locuturus, in sacramento eam divinitatis prædicavit, dicens : *Donans vobis omnia peccata, delens quod adversum nos fuit chirographum in sententiis, quod erat contrarium nobis, tollens illud de medio, et affigens illud cruci, spolians se carne, et principatus et potestates traduxit cum fiducia, triumphans eos in semetipso* (*Coloss.* II, 13 *et seqq.*). Succumbere ergo tibi videtur Virtus ista vulneris clavo ; et ad ictum compungentis exterrita, demutasse se in naturam dolendi? Atquin Apostolus loquente in se Christo locutus, et salutis nostræ per Dominum opus memorans, mortem Christi ita significat, ut carne se spoliet, et potestates cum fiducia dehonestet, et de his in semetipso triumphet (II *Cor.* XII, 3). Si in passione sua necessitas est, et non salutis tuæ donum est ; si in cruce dolor compungendi est, et non decreti, (*e*) quod in te mors est scripta, confixio est ; si in morte vis mortis est, et non per potestatem Dei carnis exuviæ sunt ; si denique mors ipsa aliud est, quam potentum dehonestatio, quam fiducia, quam triumphus : adscribe infirmitatem, si ibi necessitas est et natura, si ibi vis est et diffidentia et dedecus. Sin autem hæc e contrario in sacramento passionis prædicantur ; quis, rogo, furor est, repudiata doctrinæ apostolicæ fide **356** mutare sensum religionis, et totum hoc (*f*) ad contumeliam imbecillis rapere naturæ, quod et voluntas est et sacramentum, quod et potestas est et fiducia et triumphus? Triumphus plane est, quæri ad crucem, et offerentem se non sustineri ; stare ad sententiam mortis, sed inde consessurum a dextris virtutis ; configi clavis, sed pro persecutoribus orare ; acetum potare, sed sacramentum consummare ; deputari inter iniquos, sed paradisum donare : elevari in ligno, sed terram tremere ; pendere in cruce, sed solem ac diem (*g*) fugere ; exire e corpore, sed revocare animas in corpora ; sepeliri mortuum, sed resurgere Deum ; secundum hominem pro nobis infirma omnia pati, sed secundum Deum in his omnibus triumphare.

49. *Derelictum objiciunt. Quam nihil inde conficiant.* — Restat nobis adhuc, ut hæreticis videtur, magna et gravis confessæ infirmitatis professio, et maxime ipsius Domini vocibus edita, cum ait : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Matth.* XXVII, 46)? Quæ maximæ querelæ esse intelligitur protestatio, derelictum se esse conqueri, infirmitatique permissum? Verum hæc impiæ intelligentiæ violenta præsumptio, quam sibi in omni dictorum dominicorum genere compugnat : ut qui ad mortem festinat, ut qui per eam honorificandus est, ut qui post eam a dextris virtutis sessurus est, in his tot beatitudinum causis mori timuerit, et ob id ad necessitatem moriendi desertum se a Deo suo queratur, cum in beatis illis esset mortem obeundo mansurus!

50. *Commenta eorum varia de Verbi et hominis conjunctione.* — Quin etiam ad irreligiositatis hujus tam-

(*a*) In prius vulgatis desiderabatur particula *ut* : de cujus vi videsis supra col. 365, not. *g*.

(*b*) Editi, *pro Christo* : emendantur ex mss.

(*c*) Apud Er., *carnis quidem peccati nescius, sed pro nobis caro factus carnis similitudo peccati est* : merum glossema, quod tamen arripuere sequentes editiones. Peccati expers et carnis nescius Christus prædicatur ex sua natura et ante assumptum hominem, ex assumptione autem et peccatum et caro factus.

(*d*) Apud Er., Lips. et Par., *dispensationem hanc.* Melius abest *hanc* a Bad. et potioribus mss. Clarius hic Hilarius scopum suum ostendit, se scilicet passionem Christi prædicare peractam *in sacramento divinitatis ;* de qua postea subjicit : *Succumbere ergo tibi videtur Virtus ista vulneris clavo.* Ab humana autem natura tantum arcet necessitatis contumeliam : *Si in passione sua necessitas est*, etc. Quam necessitatem naturæ nomine interdum donat : *Si ibi necessitas est et natura, si ibi vis est*, etc.

(*e*) In codice Vat. bas., *quo in te.*

(*f*) Editi, excepto Par., *ad imbecillitatem et contumeliam rapere naturæ.*

(*g*) Er. et Lips. *fugare :* et mox, pro *resurgere Deum*, substituerant *resurgere. Demum*, quod et postrema editione Par. prælatum est : renitentibus aliis libris. Ait Hilarius *resurgere Deum* ad eum modum, quo superius docet Christum totum, etiam secundum hominem, post resurrectionem esse Deum.

quam ad præparatam sibi viam, per id ingenia hæretica contendunt, quod aut defecisse omnino Deum Verbum in animam corporis volunt, ut non idem fuerit Jesus Christus hominis filius, qui et Dei filius; et aut de se (*a*) defecerit Deus Verbum, dum corpus officio animæ vivificat; aut omnino (*b*) nec fuerit Christus homo natus, quia in eo Dei Verbum modo spiritus prophetalis habitaverit. Sed ridiculæ hujus perversitatis error in majorem se impietatis extendit audaciam, ne Jesus Christus, ante quam ex Maria natus est, Christus sit : dum non qui erat natus est, sed ad id tum primum quod **357** natus est (*c*) cœperit. Per quod etiam illud vitii adjungitur, ut (*d*) Deus Verbum tamquam pars aliqua virtutum Dei quodam se tractu continuationis extendens, hominem illum qui a Maria esse cœpit habitaverit, et virtutibus divinæ operationis instruxerit; animæ tamen suæ motu naturaque viventem.

51. *Errores inde consectarii.* — Per hanc (*e*) ergo subtilem pestiferamque doctrinam deducuntur in vitium, ut aut Deus Verbum anima corporis per demutationem (*f*) naturæ se infirmantis exstiterit, et Verbum (*g*) Deus esse defecerit : aut rursum per exteriorem nudamque naturam hominem illum sola vita animæ moventis animatum, (*h*) in quo Verbum Dei, id est, quædam quasi potestas extensæ vocis habitaverit, atque ita omni modo impiissimæ intelligentiæ aditus pandatur, ut aut Deus Verbum in animam defecerit, nec permanserit Deus Verbum; aut omnino Christus ante partum Mariæ non fuerit; quia Jesus Christus, animæ solum communis et corporis homo, hoc habeat sui, (*i*) quo esse homo cœpit exordium, quem extrinsecus protensi sermonis potestas ad virtutem operationum confirmaverit; qui nunc a Dei Verbo contracta rursum protentione desertus, clamet : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* vel certe tum, cum in animam corporis a Dei Verbi natura demutatus est, paterno in omnibus usus auxilio, nunc inops ejus mortique permissus, solitudinem suam conqueratur, relinquentemque se arguat : omnique modo exitiabile deceptæ fidei periculum comparetur, si aut in Deo Verbo significari existimetur naturæ infirmitas per querelam; aut omnino nec fuerit Deus Verbum, dum Christo Jesu Mariæ solum partus exordium est.

358 52. *Fides vera hæreticæ adversa.* — Sed inter has impias infirmasque sententias, Ecclesiæ fides apostolocis imbuta doctrinis novit in Christo nativitatem, sed ignorat exordium. Scit dispensationem, sed nescit divisionem. Non (*j*) patitur Christum Jesum, ut Jesus non ipse sit Christus : nec filium hominis (*k*) discernit a Dei filio, ne filius (*l*) Dei forte non et filius hominis intelligatur. Non absumit filium Dei in filium hominis. Neque tripartita Christum fide scindit, cujus de super texta vestis inscissa est (*Joan.*, XIX, 23) : ut Jesum Christum et in Verbum et in animam et in corpus incidat, neque rursum Deum Verbum et in animam et in corpus absumat. Totum (*m*) ei Deus Verbum est, totum ei homo Christus est; retinens hoc in sacramento confessionis suæ unum, nec Christum aliud credere quam Jesum, nec Jesum aliud prædicare quam Christum (*n*).

(*a*) Pravæ hujus opinionis auctorem, non Eutychen, non Apollinarium, sed Arium esse jam diximus, ac testis est Theodoret. lib. v Hær. fab. c. 11. Explosa est a concilio Rom. procurante Damaso Papa adversus Apollinarium coacto apud Theodoret. lib. v Hist. Eccl. c. 10 et 11, et antea a concilio Alexandrino, an. 362, apud Athanas. epist. ad Antioch.

(*b*) Hæc sententia licet cum superiore pugnet, ab iisdem tamen propugnatur. Et de Apollinaristis quidem observat Gregorius Nazianz. Or. LII, secum eos pugnare, nec audere nisi apud fidos discipulos de divinitate disputare.

(*c*) In vulgatis, *esse cœperit*. Abest *esse a* mss. Hoc Hebionis, ac postmodum Photini commentum fuisse docet liber VII, n. 7, et nemo dubitat.

(*d*) Photinum ita sensisse liquet ex lib. de Synod. n. 45, sicut ex lib. I de Trin., n. 16, planum est, eum a Sabellio hanc doctrinam esse mutuatum. Cui quidem Damasus Papa apud Theodoretum, lib. v, c. 11, anathema dicit his verbis : *Anathematizamus eos, qui Verbum Dei extensione et contractione a Patre separatum et insubstantivum et finem habiturum esse contendunt.*

(*e*) Abest *ergo* a Bad., Er. ac mss. Colb. et Germ. Habent nonnulli alii, *hæc ergo per hanc.*

(*f*) Bad., *in naturam suæ infirmitatis.* Er. et Lips., *per demutationem naturæ suæ in naturam infirmitatis.*

(*g*) In solis vulgatis, *Dei.* Jam num. 49 legimus, *aut de se defecerit Deus* (non *Dei*) *Verbum*; idemque infra habetur.

(*h*) Supple, *habitaverit.* Verbum habitavit hominem per nudam naturam, hoc est, sibi non cohærentem nec substantialiter unitam, adeoque mere exteriorem, si tantum in Christo, ut in prophetis fuerit.

(*i*) Bad., *quod esse homo.* Editiones aliæ, *quod ut esset homo.* Castigantur ex mss.

(*j*) Mallemus *partitur.* Hunc locum attendant velim, qui Hilarium opinantur sensisse, a Christo secessisse Verbi divinitatem, cum clamavit, *Deus, Deus meus*, etc. Cum enim hæc ex eorumdem verborum occasione dicat adversus eos, qui duas Christi naturas aut confundunt, aut separant; iniquus omnino esset, si eas ipse separatas ex iisdem verbis intellexisset.

(*k*) Verbum *discerno* hic separationem sonat : at lib. IX, n. 6. naturarum dumtaxat distinctionem.

(*l*) In vetere mss. Colb. *Deus.*

(*m*) Id est, Ecclesia in Christo Dei Verbi hominisque naturas ita unitas credit, ut ei totus Verbum sit, totus homo. Quod sic declarat Leo Papa, epist. nunc XCVII, ad monachos Palæstinæ : *Nec interest ex qua Christus substantia nominetur; cum inseparabiliter, manente unitate personæ, idem sit et totus hominis filius propter carnem, et totus Dei filius propter unam cum Patre deitatem.* Quamvis enim Theologis, ut observatum est, pag. 41, postmodum placuerit, ut vox *totum* in naturas caderet, et *totus* ad personam referretur, quomodo ab ipso Hilario refertur in his num. 22, *quia totus hominis filius totus Dei filius sit* : hanc tamen regulam ipsius ævo nondum positam fuisse liquet vel ex hoc loco. Qui sane non pugnat cum altero libri IX, n. 6, ubi non jam personæ unitatem, sed naturarum distinctionem spectans, recte docet hominem a Deo discernendum : sicut cum humilem illius statum, gloriosumque discernit; non male prædicat id eum tantum per postremum obtinere, ut sit *totus homo totus Deus.*

(*n*) Editi post Erasmum hic subjiciunt, *et Dei Verbum* : glossema quod abest a Bad. et mss. Porro *Christum* Verbum, *Jesum* autem hominem a Verbo assumptum Hilarius intelligit : qui ut supra *totum*, ita nunc *aliud* ad personam refert.

55. *In Dei rebus mens humana deficit. Obtunditur plus volens videre quam datur.* — Non ignoro autem in quantum humanæ intelligentiæ infirmitatem magnificentia mysterii cœlestis impediat, ut hæc non facile aut verbis enuntiare, aut dijudicare sensu, aut etiam complecti mente possimus. Sciens autem Apostolus arduum hoc terrenæ naturæ difficillimumque esse, rerum divinarum efficientiam judicio (*a*) nos nostro, tamquam ad intelligendum acriore, quam ad efficiendum Deo potiore, concipere, illi legitimo sibi secundum fidem filio, sacrasque litteras ab infantia sumenti, ita scribit: *Sicut hortatus sum te sustinere Ephesi, cum irem* (*b*) *in Macedoniam, ut præciperes quibusdam ne aliter docerent, neque attenderent fabulis et genealogiis interminatis, quæ quæstiones magis præstant, quam ædificationem Dei quæ est in fide* (I *Tim.* I, 3 *et* 4). Vetat genealogiæ eloquia tractari, et fabulas interminatæ quæstionis attingi. Ædificationem vero Dei in fide esse (*supple*, docet): ut **359** humanæ verecundiæ modum fideli omnipotentiæ Dei religione concludat, neque se infirmitas nostra ad perspicienda ea, quæ perspiciendi (*c*) naturam hebetent, extendat. Quod si contuentibus solis claritatem virtus intenti luminis obstupescit, ut si quando causam radiantis lucis solertius acies curiosæ contemplationis inquirat, usque ad emortuum videndi sensum oculorum natura revocetur, accidatque nitendo magis videre ne videas; quid nobis in Dei rebus et in sole justitiæ exspectandum est? Nonne incumbet volentibus (*d*) supersapere stultitia? Nonne ipsum illud acre intelligentiæ lumen (1) stupor hebetis desipientiæ occupabit? Non enim natura inferior causam naturæ (*e*) potioris intelliget: nec subjacet humanæ conceptioni ratio cœlestis (*id est*, divina). Nam intra conditionem infirmitatis erit, quidquid infirmi conscientiæ (*in* 3° *casu*) subditur. Excedit itaque humanam mentem Dei potestas: ad quam si se infirmitas protendet, magis infirma reddetur, dum hoc ipsum quod obtinet amittit, potiore ad obtundendam eam rerum cœlestium natura; quia omnem ejus consectantis se pervicaciam ipsa complexu ejus major infirmat. Ut igitur sol ita videndus est, ut possit videri, tantusque excipiendus lumine est, quantus (*f*) admittitur; ne si plus velimus exspectare, minus quoque quam possumus consequamur; ita et ratio cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi; in tantum (2) exspectanda est, in quantum apprehendendam se dedit; ne si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta. Est ergo in Deo quod (*g*) percipi potest: est plane, si modo quod potest velis. Sicut enim est in sole quod videas, si hoc velis videre quod possis; amittas autem quod potes videre, dum quod non potes niteris: ita et in rebus Dei habes quod intelligas, si intelligere quod potes velis. Cæterum si ultra quam potes speres; id quoque, quod potuisti, posse non poteris.

54. *In ipso Christi ortu temporali cæcutit homo.* — Nondum intemporalis nativitatis illius sacramentum movebo: competentis loci est ille tractatus. Interim mihi assumptæ carnis mysterium in verbis est. Illos nunc arcanorum **360** cœlestium scrutatores consulo, ut secundum naturam suam nati ex virgine Christi sacramentum loquantur. Unde dicent virgini conceptum? unde virgini partum? Quam hanc esse genitalium originum causam disputabunt? et quid intra secessus maternorum sinuum coaluisse? Corpus unde? et homo unde? Jam vero post hæc, quid sit descendisse de cœlis filium hominis in cœlis manentem? Non enim ejusdem est, secundum corporales causas, descendere et manere: quorum alterum (*h*) decessionis transmutatio est, alterum manendi imperturbatio est. Vagit infans, sed in cœlo est: puer crescit, sed plenitudinis Deus permanet. Jam vero cum adscendit ubi antea fuit, et descendit qui manet, quo intelligentiæ humanæ sensu continebitur (*i*)? Dominus enim ait: *Quid si videritis filium hominis adscendentem ubi antea fuit* (*Joan.*, VI, 63)? Adscendit filius hominis ubi antea fuit; et quis hoc sensus concipiet? Descendit de cœlo filius hominis qui in cœlis est; et quæ hoc ratio præstabit? *Verbum caro factum est;* quæ hoc verba loquentur? Fit caro Verbum, id est, homo Deus: et qui homo est, in cœlis est; et qui Deus est, de cœlis est. Adscendit descendens: sed descendit (*j*) non descendens. Est qui erat, et quod est non erat. Currimus per causas, et ratione (3) deficimur: rationem cer-

(1) *Sopor.*
(2) *Expetenda.*
(3) *Deficimus.*

(*a*) Vocabulum *nos* revocamus ex Bad. et mss. Deinde pro *tamquam*, male habent mss. Remig. ac Theod. *tam*; hoc enim sibi vult: tanquam ad intelligendum tanto esset acrius judicium nostrum, quanto potior Deus ad efficiendum. Hic et deinceps reprimi videtur Eunomii jactatio, qua Theodoreto teste lib. IV, Hær. fab., c. 3: *se nihil ex rebus divinis ignorare* gloriabatur.

(*b*) Antiquus Codex Colb. *ires Macedoniam.*

(*c*) Carnut. aliique nonnulli mss. cum Bad. et Er. *naturam non habent.*

(*d*) Martin. ms. *supercapere.* Græce ὑπερφρονεῖν.

(*e*) In uno ms. Colb., altero Sorbon. et Martin. *superioris.* In alio Colb. et Germ. *posterioris.*

(*f*) Exemplar Martin. *quantum admittit: qui si plus velimus.* Tum Par. cum ms. Vatic. bas. *expetere.* In edit. aliis, *spectare.* In aliquot mss. *aspectare.* Non alio sensu in plerisque, *exspectare*: et mox in omnibus *exspectanda*, ubi in vulgatis *expetenda.*

(*g*) Vat. bas. ms. cum Colb. et Sorb. *perspici.* Mart. *respici*: ac subinde cum dicto Vat. bas. et Remig. *si modo quod potes.*

(*h*) In vulgatis, *descensionis.* Magis placet cum potioribus mss. *decessionis.*

(*i*) Idem argumentum fusius prosequitur Gregor. Nazianz. Or. XXXV, n. 88 et seqq.

(*j*) In vetusto codice Colb. *non adscendens.* Hoc argumenti genus maxime valet adversus eos, qui Verbum Dei cum carne substantialiter conjunctum negant, aut cum ea confundunt.

nimus, et causas non intelligimus. Sed Christum Jesum (*a*) et ita intelligentes, sciemus; et magis putantes nos intelligere, nesciemus.

55. *Lacrymarum Christi mysterium.* — Jam vero quantum illud est dictorum et gestorum sacramentum, flere Christum, et per animi (1) angorem lacrymas oculis effluere (*Luc.* XIX, 41)! Unde ejus animæ hæc vitia, ut fletum corpori tristitiæ mœror eliciat? Et quæ rerum acerbitas, et intolerantia doloris descendentem de cœlis filium hominis in lacrymas dissolvit? Quid sit deinde, quod in eo fleverit? Deusne Verbum, an corporis (*b*) sui anima? Nam quamvis lacrymarum officium in corpore sit; animi (*c*) tamen eas, in ministerio corporis, quasi quidam mœror exsudat. Tum deinde quæ ei ad flendum causa sit? Anne impiam parricidalemque Jerusalem, nihil dignum tantorum Prophetarum **361** et Apostolorum cæde et ipsius Domini sui morte passuram, debito lacrymarum honore prosequitur? et ut humanarum mortium deflentur calamitates, ita perditæ hujus desperatæque gentis casus doletur? Et quod hoc, rogo, flendi sacramentum est? Anima, quæ tristis est, flet. Sed numquid hæc (*d*) prophetas misit? Numquid hæc totiens voluit congregatos pullos ejus pennarum (*e*) integimento obumbrare (*Matth.*, XXIII, 37)? Non cadit autem in Verbum Deum mœror, neque in Spiritum lacrymæ. Sed neque in animam convenit, aliquid ante corpus egisse. Et tamen vere Jesum Christum flesse non dubium est.

56. *In Lazaro quid fleverit. Fletus ille an Dei, animæne, an corporis.* — Pari quoque lacrymarum veritate et Lazarus fletus est (*Joan.* XI, 35). Et quæro primum, quid fleatur in Lazaro? Non utique mors, quæ non usque ad mortem est, et pro Dei gloria est. Dominus enim ait: *Infirmitas ista non est usque ad mortem, sed pro gloria Dei, ut honorificetur filius Dei per eum* (*Ibid.* 5). Mors ergo, quæ glorificandi Dei causa est, flendi tristitiam non afferebat. Sed ne in eo quidem flendi necessitas exsistebat, quod Lazaro moriente afuisset. Nam ipse ait manifeste: *Lazarus mortuus est, et gaudeo propter vos, ut credatis, quod non eram ibi* (*Ibid.* 14 et 15). Absentia itaque ejus non habuit causam lacrymandi, quæ ad Apostolorum fidem proficiebat: cum ægri mortem conscientia divinæ cognitionis absens (2) pronuntiasset. Nulla ergo restat necessitas flendi: et tamen fletum est. Et tamen quæro, cui imputabitur fletus ille? Deo, an animæ, an corpori? Sed corpus per se tantum non habet lacrymas, quas ad dolorem animæ mœrentis (*f*) profundit. Longe autem minus est, ut Deus fleverit, qui glorificandus in Lazaro est. Non convenit (*g*) autem, ut anima de sepulcro Lazarum vocet, et ad animæ innexæ corpori præceptum atque virtutem, in mortuum suum (*supple* corpus) **362** anima jam ex eo dissoluta revocetur. Dolet, qui glorificandus est? Flet, qui vivificaturus est? Non est vivificaturi flere, nec glorificandi dolere: et tamen vivificat, qui et flevit, (*h*) et doluit.

57. *Quis in Christo animam ponat ac resumat. Corpusne, an Verbum.*—Non inopiæ necessitate, vel dictorum ignoratione de multis pauca memoramus; sed ut absolutam expositionem ratio non morosa commendet. Gerit Dominus atque (*i*) agit, quod cum conscientia nescitur, quod nec ignoratur et ignorabile est, dum et veritas in rebus est, et in (*j*) virtute sacramentum est, ut etiam ex his quæ ait, manifeste

(1) Non *anguorem*, sicut in superiori.

(*a*) Sic mss. Editi vero, *Jesum ita intelligentes scimus... nescimus.* Hoc sibi velle nobis videtur: Catholicos, qui Christum esse Jesum, hoc est, Deum simul et hominem intelligunt, in prædictis quæstionibus non laborare; sicut nec laborat Hilarius num. 16, in quæstione de adscensu ac descensu filii hominis: hæreticos vero, qui aliter sapientes plus se intelligere putant, inde se extricare non posse.

(*b*) Vox *sui* in vulgatis omissa restituitur ex mss. quæ hic adjicitur, vel ne putetur anima Verbi pars, quæ opinio tangitur num. 57, vel ut corpus Christi Dei proprium esse asseratur.

(*c*) Lips. et Par. *anima tamen.* Rectius plerique mss. *animi tamen*, scil. *mœror.* Neque placet cum mss. Vat. bas. et Martin. *anima tamen.... eas quasi quodam mœrore exsudat.*

(*d*) Quasi diceret, Ipse flevit, qui prophetas misit, qui filios Jerusalem, ad modum gallinæ, sub alas congregare voluit. Anima autem Christi prophetas non misit, nondum quippe erat; ut enim infra habet: *Sed neque in animam convenit ante corpus*, id est, ante quam corpori immisceretur, *egisse:* ideoque non ipsa flevit. Non flevit autem Verbum: nec lacrymæ e corpore prodeunt, nisi tristitia præcesserit in anima. Et tamen vere flevit Christus. Stupendæ igitur hæ lacrymæ. Idem de Christi cruciatibus confici potest argumentum: quod sane efficacissimum est adversus eos, qui Christum dividebant: contra quos Gregorius Nazianz. Or. LI, n. 7: *Si quis duos filios; alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum atque eumdem induxerit, a filiorum adoptione excidat*, etc. Neque minus urget eos, qui Christum confundebant. Contra utrosque sibi rem esse, satis declarat Hilarius num. 48 et 49.

(2) *Prænuntiasset.*

(*e*) Sic in mss. magno consensu. At apud Bad. et Er. *integmento:* apud Lips. et Par. *integumento.*

(*f*) Ita mss. At excusi, *profundat:* minus bene. Habet quippe corpus lacrymas quas profundat, sed non profundit eas nisi anima dolente. *Quid enim caro per se ipsam sine anima vel dolet, vel concupiscit?* inquit Augustinus lib. XIV de Civ. Dei, c. 15. Rursum noster Hilarius in psal. LXVIII, n. 12, lacrymarum Christi veritatem adstruit, easque profusas esse enarrat ob humani generis infidelitatem.

(*g*) Quare non convenit, nisi quia divinæ opus est omnipotentiæ? Simile est illud Gregorii Nysseni Or. IV contra Eunom., p. 589, relatum a Theodoreto Dial. III: *Nec vivificat Lazarum humana natura, nec deflet jacentem impatibilis potentia: sed lacryma quidem hominis est propria, vita autem ejus quæ vere vita est. Non pascit multa millia humana paupertas: non currit ad ficum omnipotens potestas. Quis fatigatur labore itineris; et quis totum mundum sine labore sustentat verbo? Quid est splendor gloriæ, et quid quod clavis configitur? Quænam forma in passione alapis cæditur; et quænam ab æterno glorificatur?*

(*h*) En tandem dolor de Christo affirmatur: adeoque ubi negatus est, hoc tantum tentatum esse liquet, ut posita adversariorum sententia dolorem in Christum non convenire demonstraretur.

(*i*) In vulgatis, *ait.* Melius in mss. *agit.* Nunc enim a gestis transitur ad dicta, et ex his illa probantur.

(*j*) Vat. bas. ms. rursum, *et in veritate:* non placet. Vult quippe Hilarius, rerum a Christo gestarum

docebimus : *Propter hoc me Pater diligit, quod ego* A *pono animam meam, ut iterum accipiam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me. Potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum accipiendi eam : hoc mandatum accepi a* (*a*) *Patre* (*Joan.* x, 17 *et* 18). Animam suam ab se ponit : et quæro quis ponat? Christum enim non ambigimus esse Deum Verbum : neque rursum filium hominis ex anima et corpore constitisse ignoramus, Angelo ad Joseph confirmante : *Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri* (*Matth.* II, 20). Cujus ergo hæc anima est requiro, corporisne, an Dei? Si corporis; quid habet corpus potestatis, quod per animæ motum animatur in vitam? Deinde utrum mandati aliquid corpus acceperit, quod sine anima hebes emortuumque est? Si vero quisquam putabit animam suam Verbum Deum ponere, ut rursum resumat; ostendat Verbum Deum mortuum, id est, ut sine sensu atque vita, emortui corporis modo, maneret, quod iterum animam suam ad vivendum, qua rursum vivificaretur, assumpserit.

58. *Dei non est anima.* — Sed nec Deo animam quisquam rationis particeps deputabit : quamquam frequenter (*b*) anima Dei et sabbata et (1) neomenias **363** odisse scripta sit, et etiam in quibusdam complacere (*Esai.* I, 14; XLII, 1). Sed ex ea istud significatione commemorari solitum est, qua et manus et oculi et digiti et brachium et cor in corporali Deo connumerantur. Nam cum spiritus, secundum Domini dictum, carnem et ossa non habeat (*Luc.* XXIV, C 39); ei, qui est nec demutatur (*Malach.* III, 6), nulla ad soliditatem sui corporalium partium membra conveniunt; sed simplex ac beata natura, unum totum quod est omnia permanet. Non ergo Deus corporalibus modis officio interioris animæ animatur ad vitam, sed ipse vita sibi vivit.

59. *Nec Deus ponit animam, nec corpus resumit.* — Et quomodo ponit animam suam, vel positam resumit? vel quæ hujus ratio mandati est? Deus ergo nec ponit ad mortem (*c*) nec resumit ad vitam. Sed nec corpus mandatum ad resumendum habet : quia nec per se resumit. Dictum enim de corporis sui templo est : *Solvite templum hoc, et post triduum* (2) *suscitabo* (*d*) *illud* (*Joan.* II, 19). Suscitat ergo templum corporis sui Deus. Et quis ponit animam, ut resumat? Corpus enim non per se resumit, sed per Deum suscitatur. Suscitatur autem quod est mortuum, et nec ponit animam quod vivit. Deus itaque nec mortuus est, nec sepultus est : et tamen ab eo dictum est : *Hæc enim mittens unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit* (*Matth.* XXVI, 12). B Quod in corpus suum missum est, ad sepeliendum eum factum est, et non idem est se esse, suumque esse : et non unum est, ad sepeliendum se fieri, et (3) ungi (*e*) suum corpus : neque convenit corpus suum esse, seque sepeliri.

60. *Quæstionis propositæ solutio unde pendeat.* — Sed (*f*) sacramenti istud divini intelligentia est, non ignorare Deum, quem non nescias hominem; non nescire autem hominem, quem non ignores Deum; Jesum Christum **364** non dividere, quia Verbum caro factum est; (4) sepultum non putare, (*g*) quem resuscitasse intelligas; resuscitasse non ambigere, quem negare non audeas non sepultum. Sepultus enim est Jesus Christus, quia et mortuus est. Mortuus autem est, qui et moriturus locutus est : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti* (*Marc.* XV, 34)? Locutus autem hæc est, qui et dixerit : *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso* (*Luc.* XXIII, 43); paradisum quoque promittens, magna voce proclamaverit : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hoc dicens exspiravit* (*Ibidem* 46).

61. *In eos qui Christum tripertiuntur aut in unum*

(1) In codice Veron. *numinias*, græce aliquando scribitur νουμηνίας, ut in epist. ad Colos. II, 16.

(2) *Resuscitabo.*

veritatem patere, latere autem virtutem per quam gestæ sint. Unde superius *quod cum conscientia nescitur*; id est, quod scitur quantum ad rem gestam, ac nescitur quantum ad rei gestæ rationem.

(*a*) In vulgatis, *a Patre meo*. Abest *meo* a mss. hic, ut lib. IX, n. 12.

(*b*) Ita mss. At Lips. et Par. *animam Dei... scriptum sit* : et mox alii etiam editi, *in incorporali Deo commemorantur.*

(*c*) Lips. et Par. hic addunt *animam.*

(*d*) Martin. ms. *edificabo.* Nonnulli alii, *resuscitabo.*

(*e*) In antiquioribus mss. Colb., Martin., Corb., Germ. D etc., *ungueri.* Qui alias etiam habent *ungueat, ungueatur.*

(*f*) Editi, *sed sacramentum istud divinæ intelligentiæ est* : emendantur ex mss. quasi diceret Hilarius, sensum proprium aperire jam incipiens : Totius mysterii, in adversariorum sententia inexplicabilis, intelligentia in eo sita est, ut in Christo agnoscantur duæ naturæ in una persona, cui utriusque naturæ proprietates attribuantur, conjunctæ.

(*g*) Bad. cum mss. Martin., Corb., Vatic., aliquot aliis, *non sepultum non putare.* Tum eadem editio cum Er. et Lips. *quem resuscitatum*, quibus plures mss.

(3) Ms. noster constanter legit, *ungui.*

(4) *Quem resuscitatum esse intelligas, resuscitatum non ambigere.*

addunt *esse* : in ms. Martin. *quem resurrexisse intelligas*; ac deinde, *resurrexisse autem non ambigere*, etc., ubi rursum editi omnes, *resuscitatum non ambigere.* Postea Er., Lips. et Par. omittunt particulam negantem ante *sepultum.* Quibus si mss. suffragarentur, legere liceret, *non sepultum non putare, quem resuscitasse intelligas; resuscitasse non ambigere, quem negare non audeas non sepultum* : ut ostenderentur duæ in una persona naturæ. Sed cum in omnibus mss. extet postremo loco *sepultum* sine particula negante, cætera magis sibi constant in mss. vetustioribus Remig., Colb., Vind., Germ. et aliis. Ex quibus conficitur, quantum capimus, Christum qua Deum sepultum non fuisse, si quidem corpus suum suscitarit, quod non convenit in sepultum; ac dubio procul eum corporis suscitandi auctorem exstitisse, qui negari nequeat non sepultus. *Sepultus enim est Jesus* non secundum eam naturam quæ corpus suscitavit, sed secundum eam qua et mortuus est. Ut enim superiori numero dictum est, *Deus nec mortuus est, nec sepultus.* Quantum porro abfuit, ut Verbi divinitatem a mortuo Christi corpore separatam sentiret, qui etiam hic, ubi de illius morte et sepultura sermo est, tam aperte tamque constanter Christum non dividendum docet?

contrahunt. Quæstiones variæ de Christi morte. — Vos nunc vel tripertientes Christum in Verbum et animam et corpus, vel totum Christum Deum Verbum in solum communis generis hominem contrahentes, hoc nobis magnæ pietatis sacramentum, quod in carne (*a*) manifestatum est, revelate (I *Tim.* III, 16): quem tradiderit spiritum Christus, et quis in manus Patris commendaverit suum spiritum, et quis in paradiso die eadem fuerit, et quis derelinqui se a Deo questus sit. Nam querela derelicti morientis infirmitas est: promissio autem paradisi, viventis Dei regnum est. Commendatio spiritus, commendantis confidentia est: traditio spiritus, morientis excessio est. Quæro itaque, quis moritur? Nempe qui tradit spiritum. Deinde quis tradit spiritum? Utique qui Patri commendavit spiritum suum. Et si idem qui commendavit, idem tradens spiritum mortuus est: interrogo utrum corpus animam commendet, (*b*) an Deus corporis animam? Nam spiritu frequenter significari animam non ambiguum est: et vel ex hoc ipso, quod Jesus moriturus tradidit spiritum. Si igitur quisquam existimandum putabit, commendari animam a corpore, a dissolvendo viventem, **365** (*c*) a corrumpendo æternam, a resuscitando manentem; et non ambigitur quin idem commendaverit spiritum Patri, qui et die eadem in paradiso fuerit cum latrone: et quæro an sepulcro receptus, in paradiso manserit; an vero in paradiso manens, derelictum se a Deo questus sit.

62. *Solutio.* — Unus (*d*) enim atque idem est Dominus Jesus Christus, Verbum caro factum, se ipsum per hæc universa significans: qui dum ad mortem derelinqui se significat, homo est; dum vero homo est, in paradiso Deus regnet, regnans porro in paradiso, Patri commendet spiritum Dei filius; commendatum vero Patri spiritum, hominis filius tradat ad mortem. Quid nunc de sacramento facimus contumeliam? (*e*) Habes in conquerente ad mortem relictum se esse, quia homo est: habes eum, qui moritur, profitentem se in paradiso regnare, quia Deus est. Cur hoc quod nobis ad intelligentiam mortis suæ locutus est, solum ad impietatem retinemus; et id, quod idem ad demonstrationem immortalitatis suæ est professus, tacemus? Si ejusdem vox hæc atque sermo est, se derelictum conquerentis, et se regnare profitentis: qua fidem nostram infidelitatis ratione dividimus, ut non idem in tempore eodem sit mortuus, qui et regnet; cum idem ipse de se utrumque testatus sit, et commendans spiritum, et exspirans? Quod si idem commendans spiritum atque tradens, et regnans moritur et mortuus regnat; habemus in sacramento filii hominis et filii Dei, et mori regnantem, et regnare morientem.

63. *Epilogus.* — Absistat itaque omnis irreligiosa et divini sacramenti incapax infidelitas (*Confer. Ambros., lib.* X, *in Luc., n.* 56): quæ nescit Christum non sibi flere, sed nobis, ut assumpti hominis veritatem ipse quoque affectus humanæ consuetudinis susceptus protestaretur: quæ ignorat Christum non sibi mori, sed vitæ nostræ, ut per immortalis Dei mortem, mortalium vita renovetur: quæ non intelligit querelam derelicti, et regnantis confidentiam; ut quod Deus regnat, et quod se mori queritur, sit (1) in (*f*) intelligentia nostra, et homo mortuus, et Deus regnans. Non enim alius est moriens et regnans, neque alius est commendans spiritum et exspirans, neque alius est sepultus et resurgens, neque non unus est descendens et adscendens.

366 64. *Christus indivisus. Hoc fugit sæculi prudentes.* —Audi in hoc apostolicæ doctrinæ eruditam non carnis sensu, sed dono Spiritus fidem, cum Græcis sapientiam et Judæis signa poscentibus loquitur: *Nos autem prædicamus Christum Jesum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Jesum Dei virtutem et Dei sapientiam* (I *Cor.*, I, 23 *et* 24). Numquid divisus est Christus, ut alius sit Jesus crucifixus, alius Christus virtus et sapientia Dei? Sed hoc et scandalum Judæis, et stultitia gentibus est: nobis vero Christus Jesus Dei virtus, Deique sapientia; sed sapientia non mundo cognita, nec intellecta prudentibus sæculi. Et quam non intellecta sit, disce eodem beato Apostolo dicente: *Sed loquimur Dei sapientiam, quæ in sacramento absconsa est, quam præfinivit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam* (*g*) *nemo ex principibus hujus sæculi cognovit: si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent* (I *Cor.*, II, 7 *et* 8).

(1) Abest *in* a mss. nostro.

(*a*) Lips. et Par. cum vetusto codice Colb. *manifestum est.* Hic iidem arguuntur, qui supra num. 49 et convincuntur non posse in sua sententia explicare, quæ de Christo scripta sunt.

(*b*) Apud Bad. et Er. *an corpus animam:* inepta repetitio. Lipsius deinde ex Erasmi margine reponens *an Deus corporis*, omisit *animam*, nec apud Par. restitutum est. Hic et num. 55 non simpliciter *animam*, sed cum adjuncto *corporis* ponit Hilarius, quo absurdam caveat opinionem, quam notat num. 57, ne videl. Verbi anima putetur. Tum in vulgatis ac plerisque mss. *Nam spiritum.* Magis placet cum Corb. et Remig. *Nam spiritu.* Cum spiritum Christi divinitatem illius soleat Hilarius intelligere, si Verbum a corpore mortuo separatum sensisset, traditionem spiritus facile interpretatus esset divinitatis discessionem. Sed opinionis hujus suspicioni locum nullum permittunt jam dicta, ac proxime dicenda. Eodem modo Athanasius lib. de Incarn. Christi, pag. 630, traditionem spiritus de animæ discessione exponit: ac deinde sententiam, quam Hilario quidam non satis prudenter affingunt, explodit: *adeo ut exspirationem nemo dixerit deitatis traductionem transmigrationemve, sed animæ discessum esse. Nam si post emigrationem deitatis mors supervenit,... propriam nimirum mortem obivit, non nostra perfunctus est.*

(*c*) Corrumpendum ut et dissolvendum dicit, quia mox vita cariturum. Porro sanctum Domini corruptionem non visurum esse adstruit supra n. 12.

(*d*) Par. cum antiquo codice Colb. *unum enim.*

(*e*) Ita plures mss. Nonnulli cum editis, *habes conquerentem.*

(*f*) Particula *in* ex mss. huc revocatur.

(*g*) Carnut. codex, *nemo principum*: et mox *Dominum majestatis, non gloriæ.*

Anne Apostolus ignorat, hanc Dei sapientiam in sacramento esse absconsam, et esse principibus sæculi ignorabilem? Anne dividit Christum, ut alius sit Dominus majestatis, alius Jesus crucifixus? Sed stultissimæ huic atque impiissimæ opinioni contradicit, dicens : *Non enim judicavi me quidquam scire in vobis, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum* (*Ib.* 2).

65. *Contra Christi divisores; quæ in eo videntur opposita conciliantur.* — Aliud Apostolus nescit, neque aliud scire se judicat : nos autem et infirmis ingenii, et infirmioris fidei, Christum Jesum scindimus, dividimus, duplicamus, arbitri mysteriorum et occulti sacramenti calumniatores. Alius enim nobis est Christus crucifixus, alius Dei sapientia; alius sepultus, alius descendens; (*a*) et alius filius hominis, alius filius Dei. Non intelligentes docemus, et nescientes arguimus, et dicta Dei homines emendamus : et non dignamur secundum Apostolum ita credere : (*b*) *Quis criminabitur electos Dei? Deus est qui justificat : quis est qui condemnat? Christus qui mortuus est, imo etiam qui resurrexit, qui est in dextera Dei, qui et postulat pro nobis* (*Rom.* VIII, 33 *et* 34). Anne alius pro nobis postulat, quam qui in dextera Dei est? (1) vel qui in dextera Dei est, non ipse est qui resurrexit? vel qui resurrexit, non idem mortuus est? vel qui mortuus est, non idem condemnat? vel qui condemnat, non idem est qui justificat Deus? Separemus ergo, si licet, a justificante Deo condemnantem **367** Christum, a condemnante Christo mortuum Christum, a mortuo Christo Christum in dextris sedentem, orantemque pro nobis. Si itaque hæc omnia Christus unus est; neque alius est Christus mortuus, alius sepultus; aut alius descendens ad inferna, et alius adscendens in cœlos, secundum illud Apostoli : *Adscendit autem quid est, nisi qui descendit in inferiora terræ? Qui descendit,* (2) *ipse est et qui adscendit super omnes cœlos, ut adimpleat omnia* (*Ephes.* IV, 9 *et* 10) : quo usque impietatis nostræ extendimus stultiloquam ignorationem, ut quod in sacramento Dei absconsum est, id explicari a nobis posse profiteamur? *Qui descendit, ipse est et qui adscendit.* Numquid ambigitur, quin Jesus Christus homo ex mortuis resurgens, super omnes cœlos adscendens, a dextris Dei sit? Numquid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulcro jacuit, (*c*) dicetur? Si itaque qui descendit, (3) ipse est et qui adscendit, et neque corpus descendisse ad inferos creditur, et resurgens ex mortuis corpus adcendisse in cœlos non ambigitur : quæ hic præter (*supple*, quam) occulti sacramenti, et incogniti mundo ac principibus sæculi fides relicta est, ut cum unus atque idem sit descendens et ascendens, unus quoque nobis Jesus Christus sit, et Dei filius, et hominis filius, et Verbum Deus, et homo caro, et passus, et mortuus, et sepultus, et resurgens, et in cœlos receptus, et sedens (4) ad dexteram Dei : habens in se uno eodemque, per dispensationem atque naturam, in Dei forma et in forma servi, sine aliqua (*d*) sui et partitione quod homo est, et divisione quod Deus est?

66. *In uno Christo ut homine infirmitas, ut Deo virtus.* — Incautæ igitur atque ignorantis opinionis nostræ fidem Apostolus formans, ita confessionis hujus sacramentum locutus est : *Nam etsi crucifixus est* (5) (*e*) *ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei* (I *Cor.* XIII, 4). Prædicans enim filium hominis Dei filium, qui cum ex dispensatione homo esset, maneret tamen ex natura Deus; eumdem ex infirmitate crucifixum ait, qui ex virtute Dei viveret : ut cum infirmitas esset ex forma servi, et natura maneret ex Dei forma, et qui cum esset in forma **368** Dei assumpsisset formam servi; non ambiguum esset, in quo sacramento et passus esset, et viveret : ut cum in eodem esset, et infirmitas ad passionem, et ad vitam Dei virtus; non alius ac divisus (*f*) a se esset, qui et pateretur, et viveret.

67. *Mysteriorum Christi capiendorum regula.* — Passus quidem est unigenitus Deus quæ homines pati possunt : sed utamur Apostoli fide atque dicto : *Tradidi enim vobis in primis, quia Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas, et quia sepultus est, et quia resurrexit die tertio secundum Scripturas* (I *Cor.* XV, 3 *et* 4). Non nudis usus est ad erroris occasionem dictorum definitionibus, sed mortis et resur-

(1) Antea, *vel qui dextra in Dei.*
(2) *Ipse est qui et adscendit,* et ita inferius.
(3) *Ipse et adscendit.*
(4) *A dextris Dei.*
(5) *Ex infirmitate nostra.*

(*a*) Unus ms. Colb. et alter Sorbon. hic addunt, *et alius adscendens.* Tres Vatic. ac plerique recentiores præ se ferunt, *alius ad inferna descendens.* Abest *ad inferna* a vetustioribus, quamvis hic de Christi ad inferos descensu sermo sit. Hæreticos, de quibus hic disseritur, *tripertientes Christum* supra cognominare licuit maxime respectu mortis Christi; quando nimirum carnem in sepulcro, in inferno animam, Verbum in paradiso collocabant.

(*b*) In ms. Carnut. *Quis*, inquit, *accusabit adversus electos Dei :* et mox, *interpellat*, loco verbi *postulat.*

(*c*) Idem codex *potuit*, non *dicetur.* Eadem ratione ab Athanasio epist. ad Epictetum refelluntur, qui Verbum cum carne confundebant.

(*d*) Vat. bas. ms. et alius Vatic. cum Martin. *sui portione.* Remig. *sui et partione.* Unus Colb. cum Sorbon. *sui excerptione.* Opportunus hic locus est fragmenti, quod sancti nomine *in explicatione epistolæ ad Timotheum* laudat concilium Spalense II, c. 12, Eræ 657 : *Nam et cum dicit Scriptura, Homo Christus, et cum dicit, Christus mortuus est, et cum dicit, Verbum caro factum est : non est spoliandus per fraudulentiam legentis expositionibus suis sermo. Nam ubi homo Christus, est præcedit, Mediator Dei atque hominum : ut ex utroque, Deo et homine, unus subsistat; sitque inter hominem et Deum medius, confessione in se utriusque naturæ. Ubi vero* (ait) *Christus mortuus est, subjicitur: Qui resurrexit, qui est in dextera Dei. In morte ejus carnis nostræ infirmitas est, in resurrectione virtus ejus, in confessu Dei dignitas.* Hinc porro non obscure apparet veritas fragmenti hujus : ex quo vicissim illustratur atque roboratur argumentum, de quo modo disseritur.

(*e*) In pluribus mss. *ex infirmitate nostra*, quomodo in prius vulgatis legebatur supra lib. IX, n. 13. Utrobique abest *nostra* a potioribus mss. ut a græco.

(*f*) Deest *a se* in vestutiore ms. Colb.

rectionis modum, non tantum rerum nominibus, quantum et Scripturarum virtutibus admonens confitendum : ut hæc nostra esset in ejus morte intelligentia, quæ esset in significatione Scripturarum. Infirmas enim cogitationes, et scrupulosas fidei calumnias non relinquens, finem hunc tantum *secundum Scripturas* prædicandæ mortis et resurrectionis adjecit : ne inanium disputationum vento circumacti, vel fallacium quæstionum ineptis argutiis impediti infirmaremur : sed in hunc se semper religionis suæ portum fides illæsa revocaret, ut mortem et resurrectionem hominis filii et Dei filii Jesu Christi *secundum Scripturas* crederet et confiteretur ; pia adversus calumniam resistendi securitate proposita, cum ita (*a*) mori ac resurgere Christus Jesus intelligendus esset, qualiter scriptus est. Non enim habet fides periculum : et omnis pia professio in occulto (*b*) sacramento Dei tuta est. Natus ex Virgine Christus est : sed *secundum Scripturas* conceptus de Spiritu sancto est. Flevit Christus : sed *secundum Scripturas ;* ut in eo quod flevit, (*c*) gratulatus sit. Et esurivit Christus: sed *secundum Scripturas* sine cibo in non habentem fructus arborem Deus operatus est. Passus Christus est : sed *secundum Scripturas* tunc a dextris Virtutis sessurus est. Derelinqui se ad mortem questus est : sed *secundum Scripturas* tunc confessorem suum secum in regno paradisi recepit. Mortuus est : sed *secundum Scripturas* **369** resurgens a dextris Domini Dominus assedit. In hujus igitur sacramenti fide vita est : (*d*) calumniam confessio ista non recipit.

68. *Fidei commendatio.* — Certe Apostolus non relinquit, ut ambigi dicique liceat : Christus natus, passus, mortuus, resurgens quo modo, qua virtute, qua divisione, quibus partibus? quis lacrymans est, quis gaudens, quis conquerens, quis descendens, quis adscendens? Sed fidei in hoc meritum per confessionem incunctantis tantum religionis ostendens, ait, *Ex fide autem justitia sic dicit : Ne dixeris in corde tuo, quis adscendit in cœlum? hoc est Christum deducere. Vel quis descendit in abyssum? hoc est Christum a mortuis reducere. Sed quid dicit Scriptura?* (1) (*e*) *Juxta est verbum tuum in ore tuo et in corde tuo, hoc est, verbum fidei quod prædicamus : quia si confessus fueris in ore tuo, quia Dominus Jesus est, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscita- A vit a mortuis, salvaberis* (*Rom.* x, 6 *et seqq.*). Justum fides consummat, secundum quod dictum est : *Credidit Abraham Deo, et deputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* xv, 6; *Rom.* iv, 3). Numquid Abraham calumniatus est Deo, cum ei hæreditatem gentium, et secundum stellarum atque arenæ multitudinem mansuræ ex se sobolis numerositatem pollicebatur? De omnipotentia enim Dei Fides Religiosa non ambigens, humanæ infirmitatis non est detenta naturis; sed id quod in se erat caducum terrenumque despiciens, divinæ sponsionis fidem ultra modum corporeæ constitutionis excepit : quia nequaquam Dei virtutes lex possit humana moderari, tantum in efficiendo (*f*) liberalitatis (2) Deo promente, quantum in spondendo ostenderet voluntatis. Nihil igitur B justius fide est : quia cum æquitas atque moderatio terrenorum actuum sit probabilis, nihil tamen justius homini sit, quam omnipotentiam Dei (*g*) indefinitæ potestatis intelligentia credidisse.

69. *Descensus et adscensus Christi fides exigitur.* — Hanc itaque in nobis, quæ ex fide est, justitiam Apostolus exspectans, incertæ atque infidæ ambiguitatis irreligiositatem removit, vetans curam sollicitæ in cor cogitationis admitti, dicti etiam prophetici (*h*) auctoritate monstrata. Ait enim : *Ne dixeris in corde tuo, quis adscendit in cœlum* (*Rom.* x, 6)? Hæc a Propheta ita dicta, subjectæ sententiæ absolutione prosequitur, dicens : *Hoc est Christum* **370** *deducere.* Non enim se in cœlestem (divinam) scientiam humanæ mentis sensus extendit : sed neque de divinis operibus religiosa fides ambigit. Non eguit C Christus humanæ virtutis auxilio, ut ex illa beatitudinis suæ (*i*) sede adscendentis cujusquam in cœlum ope deduceretur in corpus : non exterior potestas eum egit ad terras. Credendus est venisse qualis et venit : et vera pietas est, Christum non deductum, sed descendentem confiteri. Sacramentum suum est, et in tempore, et in opere. Neque quia modo venit, deductus per alterum esse credendus est : nec temporalis ejus adventus potestati deducentis subditus intelligendus est. Sed ne alterius quidem ambiguitatis infidelitas sinitur. Nam continuo ex dicto prophetico subditur, *Vel quis descendit in abyssum?* Ac mox dicta ratio subjecta est, *hoc est Christum a mortuis reducere* (*Rom.* x, 7). Libertas redeundi in D

(1) *Juxta te est.*

(2) *Deo prompte*, mendose.

(*a*) Martin. ms. *moriens ac resurgens :* et postea cum Vat. bas. uno, Colb. et Sorbon. *qualiter, scriptum est :* ubi vetustior Colb. ac plures alii habent, *qualis scriptus est.*

(*b*) Editi, *in occulto sacramenti :* renitentibus manuscriptis.

(*c*) Lips. et Par. cum ms. Martin. et uno Vatic. *glorificatus sit :* cui lectioni favent verba num. 56. Magis tamen placet cum Bad., Er. ac plerisque mss. *gratulatus sit :* quod confirmat illud n. 24 : *Sciat nec mortem Lazari flere, quam gaudeat.* Et major quædam est fletum inter et gratulationem oppositio.

(*d*) Solus codex Vat. bas. *contumeliam.*

(*e*) In aliquot mss. hic et infra, *juxta te est verbum tuum.* Ex græco, ἐγγύς σου τὸ ῥῆμά ἐστιν ἐν τῷ στόματι, vertere licet *juxta te*, si modo omittatur *tuum* post *verbum.*

(*f*) Sic præstantior codex Colb. cum aliquot aliis. Cæteri vero, *libertatis.* Tum in omnibus fere mss. *Deo promptæ*, vel *prompte*, non *promente.*

(*g*) Antiquior mss. Colb. cum Remig. a prima manu, *infinitæ.* Martin. *indefinita.* Lectionem nostram confirmant postrema num. 48 lib. VIII verba.

(*h*) Nonnulli mss. cum vulgatis, *ratione monstrata :* corriguntur ex veterrimis Vat. bas., Colb., Martin., etc.

(*i*) In vulgatis, *sede descendens cujusquam e cælo ope deduceretur.* Cum allatis Apostoli verbis magis convenit lectio, quam exhibemus e mss. in quorum nonnullis *duceretur*, non *deduceretur.*

cœlum, ex descendendi in terram libertate est. Ambigendi autem sublata cunctatio est : (*a*) scientia in fide est, ratio in virtute est, effectus in rebus est, causa in potestate est.

70. *Cordis simul et oris debet esse fides. Brevis et facilis ad salutem via, fides.* — Sed non nutante ad id opus est conscientia. Apostolus enim totum Scripturæ mysterium exsequens, ait : *Juxta est verbum tuum in ore tuo et in corde tuo* (*Rom.* x, 8 ; *Deut.* xxx, 14). Non tardo opus est petitoque longe verbo confessionis, nec intervallo aliquo inter cor atque os relicto, ut quod ad protestationem religionis loquendum sit, per infidelem ambiguitatem cogitetur. Sed et juxta nos esse oportet, et in nobis : ne aliqua (*b*) inter regionem cordis atque oris mora, fides forte nostra non ita in sensu sit, ut in verbis ; sed connexa ori atque cordi, incunctantem habeat et sentiendi et loquendi religionem. Et hujus quidem dicti prophetici, ut in cæteris, rationem Apostolus subjecit : *Hoc est verbum fidei quod prædicamus : quia si confessus fueris in ore tuo quia Dominus est Jesus, et credideris in corde tuo quia Deus illum suscitavit a mortuis, salvaberis* (*Rom.* x, 8 *et seqq.*). (*c*) Pietas est non ambigere, et justitia est credere, et salus est confiteri. Non in incerta diffluere, neque ad stultiloquia effervere, neque ratione aliqua virtutes Dei ventilare, neque modo circumscribere potestatem, neque causas (*d*) in investigabilium sacramentorum retractare, Dominum Jesum **371** confiteri, et a Deo suscitatum a mortuis credere salus est. Quæ vero insania est, qualis et cujusmodi sit (*e*) Jesus calumniari : cum salus sola sit, hoc solum scire, quod Dominus sit? Tum porro qui humanæ inanitatis error est, de resurrectione ejus lites movere : cum sufficiat ad vitam, quod a Deo suscitatus sit credidisse? In simplicitate itaque fides est, in fide justitia est, in confessione pietas est. Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæstiones vocat, nec multiplici eloquentis facundiæ genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est æternitas, Jesum et suscitatum a mortuis per Deum credere, et ipsum esse Dominum confiteri. Nemo itaque ea, quæ ob ignorationem nostram dicta sunt, ad occasionem irreligiositatis usurpet. Cognoscendus enim Jesus Christus mortuus erat, ut in eo viveremus.

71. *Fidei nostræ eruditio est quæ Christi videtur infirmitas.* — Si itaque ad intelligentiam mortis suæ ait : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti?* et, *Pater, commendo in manus tuas spiritum meum* (*Marc.* xv, 34 ; *Luc.* xxiii, 46) : numquid confessioni nostræ consulens, infirmum se esse potius confessus est, quam nos ambiguos non reliquit? Excitaturus namque Lazarum orat ad Patrem : (1) numquid prece eguit dicens : *Pater, gratias ago tibi quia exaudisti me : et ego sciebam quia semper me exaudis, sed propter turbam* (*f*) *dixi, ut credant quia tu me misisti* (*Joan.* xi, 41 *et* 42)? Nobis itaque oravit, ne filius ignoraretur ; et cum sibi non proficeret **372** deprecationis sermo, ad profectum tamen nostræ fidei loquebatur. Non inops ergo tum auxilii est : sed nos sumus inopes doctrinæ. Clarificari se quoque deprecatur, ac mox de cœlo vox Dei patris clarificantis auditur. Sed ad auditæ vocis admirationem ait : *Non propter me venit vox ista, sed propter vox* (*Joan.* xii, 30). Nobis Pater rogatur, nobis Pater loquitur : totum ad effectum sit nostræ confessionis. Et cum clarificationis responsio non obsecrationi claritatis sit impensa, sed ignorationi audientium, quomodo querela passionis, in summa exsultatione patiendi, non confessionis nostræ eruditioni præstita intelligetur? Christus pro persequentibus rogat, quia quod agunt nesciunt. Christus de cruce paradisum promittit (*Lucæ* xxiii, 34, 43), (2) quia Deus regnat. Christus in cruce consummasse omnia aceti poculo gratulatur (*Joan.* xix, 30), quia moriturus impleverit prophetiam. Nobis natus est, nobis passus est, nobis mortuus est, nobis resurrexit. Et cum nobis hæc sola sit proprietas ad salutem, ut Dei filium confiteamur ex mortuis ; cur, rogo, in hac irreligiositate (*g*) moriamur, ut cum Christus intra fiduciam divinitatis suæ manens, mori se per significationem assumpti hominis cum securitate morientis ostenderit, hoc maxime ad abnegandum eum Deum proficiat, quod se nobis Dei filius et hominis filium est professus et mortuum?

373-374 LIBER UNDECIMUS.

In cujus exordio Hilarius exponit, fidem apud Arianos unam non esse ; et cum Christus verus Deus ac Dei filius ignorari jam non possit, eum tamen creatum, et nomine tenus Deum ab illis defendi, dum dispensationem assumpti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis. *Objecta deinde diluit ex iis petita*

(1) *Numquid precem eguit.*

(2) Olim, *quia Deus regnet.*

(*a*) Sic mss. Editi vero *sapientia*. Scientiam nostram docet esse sitam in fide, cujus ratio ac fundamentum sit Dei virtus, rebus se prodens et effectis, quorum causa sola esse possit omnipotentia.

(*b*) In prius excusis et aliquot mss. *inter religionem*. Præferimus cum Colb., Corb., Remig., Martin., Pratell. ac pluribus aliis *inter regionem* ; præsertim cum de verbi situ sermo sit, ac de Deo jam legerimus lib. ii, num. 6 : *Ita regionem intelligentiæ excedit.*

(*c*) Lips. et Par. post Erasmum hic subjiciunt, *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* : nulla auctoritate veterum librorum.

(*d*) Sic cum Er. ms. Colb. At cæteri cum Bad. *investigabilium.*

(*e*) Editi, *Jesum :* corriguntur ex mss.

(*f*) Martin. ms. *propter turbam circumstantem dixi, ut credant me, quia,* etc.

(*g*) In vulgatis, *moramur*. Rectius in mss. *moriamur :* quasi diceret, Si salus est Dei filium ex mortuis excitatum confiteri, mors est non confiteri : cur ergo moriamur, etc. Cum totus hic liber in eos sit, qui Christum infirmum probare volunt, ut eum verum Dei filium negent ; perspicuum est quod jam præmonuimus, non in illo confligi cum Apollinaristis, sed cum Arianis : quorum principia mutuatus sit Apollinarius ad explicandum Incarnationis mysterium, non ad debellandam Christi divinitatem.

verbis, quæ in Christum post resurrectionis gloriam conveniunt. Quod enim tum ait: Adscendo ad patrem meum et ad patrem vestrum, ad Deum meum, *etc. ipsum ostendet dixisse de ea natura, qua fratres habet; sicut de ea, qua participes illi sunt, dixit Propheta:* Unxit te, Deus, Deus tuus præ participibus tuis. *Deinceps Apostoli verba explicat, ex quibus probare se putant, Christum ut servum Patri subjiciendum, eumque regni sui cessurum esse potestate, ac naturæ abolitionem passurum : cum apud Apostolum finis perfectionem et indemutabilem statum sonet, non abolitionem; nec regni traditio Filio magis adimat regnandi potestatem, quam Patri eripitur proprietas eorum quæ Filio tradidit; ac demum subjectio dispensationis sit, non servitutis. Tum subjectionis illius modum ac causas exponit, eamque non Deo, cui nihil deest, nihil accedit, non Filio unigenito, qui æque indemutabilis est, sed nobis unis proficere declarat. Non est silendum quod Hieronymus, ab Amando presbytero rogatus quid apud Paulum sibi velit illud :* Oportet enim eum regnare donec ponat omnes inimicos suos, *etc., rescribit epist.* 147: Miror te hoc a me quærere voluisse, cum sanctus Hilarius Pictavensis Episcopus undecimum librum contra Arianos hac quæstione et solutione compleverit.

1. *Una ut Domini, ita et Dei unius est fides. Pater et Filius unus Deus.* — Totum atque absolutum fidei evangelicæ sacramentum multifarie Apostolus tractans, hæc quoque inter cætera divinæ cognitionis præcepta ad Ephesios est locutus : *Sicut et vos vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides,* (1) *unum baptisma, unus Deus et pater omnium,* (*a*) *et per omnes et in omnibus nobis* (*Ephes.* IV, 4, *etc.*). Non enim ambiguis nos et erraticis indefinitæ doctrinæ studiis dereliquit, vel incertis opinionibus ingenia humana (*b*) permisit, statutis per se et oppositis obicibus libertatem intelligentiæ voluntatisque concludens : ut sapere nos, nisi ad id tantum quod prædicatum a se fuerat, non sineret, cum per definitam fidei indemutabilis constitutionem credi aliter atque aliter non liceret. Unum itaque nobis Dominum prædicans, unam fidem memorat; deinde unius Domini unam fidem memorans, unum etiam (2) baptisma demonstrat : ut cum unius Domini una fides esset, unius per hoc fidei (*c*) in Dominum unum, unum esset et baptisma. Et quia sacramentum omne et baptismi et fidei, ut in uno Domino, ita et in Deo uno est; consummationem spei nostræ unius Dei professione conclusit : ut unum baptisma et fides una sicut unius Domini, ita et Dei esset unius. Unus enim uterque est, non unione, sed proprietate : dum et unicuique proprium est ut unus sit, vel Patri esse quod pater est, vel Filio esse quod filius est; et id, quod uterque in proprietate sua unus est, sacramentum unitatis ad utrumque est : quia et unus Dominus Christus Deo patri non potest auferre quod Dominus est, et unus Deus pater uni Domino Christo non intelligitur negare quod Deus est : cum si per id, quod Deus unus est, non et Christo proprium esse videtur ut Deus sit; necesse est per id, quod unus Dominus Christus est, non et Deo (*d*) debitum esse intelligatur ut Dominus sit; si id, quod unus est, (*e*) non sacramenti sit significatio, sed unionis exceptio. Unius itaque **375** Domini, sicut unius Dei patris, et unum baptisma et fides una est.

2. *Fides una non est de Christo dissidentibus.* — Fides autem una jam non est, si non unum Dominum et unum Deum patrem in conscientiæ professione retinebit. Unum vero Dominum et unum Deum patrem quomodo fides quæ non una est confitetur? Una autem in tanta prædicationum diversitate jam non erit, si alius Dominum Jesum Christum, penetrante palmas clavo, infirmitatis nostræ credet dolore gemuisse, et egentem naturæ suæ potestatisque virtute, imminentis jam sibi mortis timuisse (3) terrore (*f*) : si etiam id, quod principale est, natum negabit, et creatum potius prædicabit : si Deum dicet magis, quam intelliget; quia et (*g*) deos dici religiosum est, et Deum intelligi divinæ naturæ conscientia est. Jam ergo non unus est Dominus Christus (4) si (*h*) alii ut Deus non dolet, alii ut infirmus timet; alii sit ex natura, alii ex cognomine Deus : et alii ex generatione, alii ex appellatione sit filius. Et per id neque Deus pater unus in fide est, si aliis potestate,

(1) *Unum baptismum.*
(2) *Baptismum* hic et infra constanter in libro nostro.

(3) *Terrorem.*
(4) *Si aliud Deus.*

(*a*) Removimus hinc, quomodo et lib. VIII, n. 54, *qui est super omnes*, cum ea verba non exstent nisi in uno recentiore ms. Colb.

(*b*) In ms. Vat. bas. *commisit*. Mox apud Lips. et Par. *in libertatem*, perperam addito *in*.

(*c*) Sic mss. elegantius quam vulgati, *in Domino unum esset et baptisma.*

(*d*) Apud Bad., Er. et in ms. Vat. bas. *demptum* : quod præfixa particula negante admitti nequit. Proxime ante in vulgatis, *Deo patri*. Abest patri a mss.

(*e*) Id est, non sit significatio proprietatis quæ nulli alteri communicari possit, sed unionis quæ singularitatem inducat. Quod autem *sacramenti* vocabulo personarum proprietas significetur, liquet vel ex hoc lib. IX, n. 31: *Auctorem nativitatis esse sacramentum paternum est.*

(*f*) Sic mss. At editi, *terrorem*.

(*g*) Bad. et Er. *duos dici*. Tum cum reliquis edit. ac pluribus mss. *irreligiosum est*. Exinde Er., Lips. et Par., *et Deum non intelligi :* cum absit *non* a Bad. et ms. Antea quoque prætulimus *religiosum est* auctoritate mss. Colb., Carn. et Germ. Hoc quippe sibi vult : Si Christum nomine tenus dicet potius, quam in veritate intelliget Deum; nil magnum ei præstabit, uti declaratur lib. contra Auxent. n. 10, quia fides ac religio patitur plures dici deos; ut enim Damasi epistola apud Theodoret. lib. V Hist. eccl., c. 11, habet, *nomen deorum et Angelis et omnibus sanctis a Deo donatum est*. Sed conscientia atque insita nobis divinæ naturæ notitia non sinit, ut Deus essentia et veritate intelligatur nisi unus.

(*h*) Editi, *si aliud Deus non dolet, aliud infirmus*, etc. : emendantur ex mss.

aliis generatione pater creditur, quia (*a*) et universorum pater Deus sit. Jam porro quis ambiget extra fidem esse, quidquid extra fidem unam est? quia in fide una et unus Dominus Christus, et Deus pater unus sit. Unus autem Dominus Christus non nomine, sed fide, (1) (*b*) unus est filius: sed si Deus sit, si indemutabilis sit, si non aliquando defuerit vel Deus esse vel filius. Qui igitur aliter Christum quam est prædicabit, (*c*) id est, nec filium nec Deum esse; alium Christum prædicabit. Sed (*d*) nec in unius baptismi fide una est: quia secundum Apostolicam doctrinam ejus unius baptismi fides una est, cujus unus Dominus et Dei sit filius Christus, et Deus sit.

376 3. *Christus negari jam nequit: cur. Prædicandus est qualis fide creditur.* — Non enim negari jam Christus quin Christus sit potest, neque mundo ignorabilis effici. Hunc prophetiæ volumina consignant, hunc temporum (2) quotidie proficiens plenitudo testatur, hunc Apostolorum et Martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulcra, hunc potestas nominis sui probat, hunc immundi spiritus (*e*) confitentur, hunc punitorum dæmonum resonant mugitus. Sed in his omnibus virtutis suæ dispensatio est. Cæterum fide nostra talis, qualis est, prædicandus est; ut non nomine, sed confessione, in unius baptismi fide una, unus nobis Dominus sit: quia secundum unum Dominum Christum, unus Deus pater est.

4. *Ariani alium Christum, ut alium Patrem prædicant. Patrem subdole extollunt, quo Filium dejiciant.* — Sed nunc hi novi Christi prædicatores, cuncta negando quæ Christi sunt, alium Dominum Christum sicuti alium Deum patrem prædicant: quia neque hic genuerit, sed creaverit; neque ille natus sit, sed creatus sit, et per id extra veritatem Deus Christus sit, cui non sit ex nativitate quod Deus est; et extra fidei conscientiam Deus pater sit, cui non sit in generatione quod pater est. Laudantes quidem merito ita, ut dignum est, Deum patrem, naturæ scilicet eum esse inaccessæ, inconspicabilis, inviolabilis, inenarrabilis, infinitæ, providæ, potentis, benignæ, mobilis, transcurrentis, manentis intra extraque, et omnia in omnibus sentientis: sed cum adjiciunt ad supereminentiam laudis, solum bonum, solum potentem, solum immortalem, quis non hanc religionem laudationis intelligat eo tendere, ut Dominus Jesus Christus extra hanc (*f*) beatitudinem, quæ soli Deo per exceptionem solius defertur ad honorem, manens ipse et mortalis et infirmus et malus sit, dum in his Pater solus est? Et ei idcirco naturalis **377** ex Deo patre nativitas abnegatur, ne per generationem (*g*) ea in eo quæ naturalis Deo patri beatitudo est maneat; quia nativitas in naturæ ejus sit virtute, (*h*) quæ genuit.

5 *Filio ut imagini conveniunt omnia quæ Patri.* — Nec apostolicis, nec evangelicis prædicationibus eruditi, ad impiæ professionis suæ usurpationem magnificentiam Dei patris, non religionis fide, sed arte impietatis extollunt: ut dum incomparabilia omnia esse naturæ ejus edisserunt, degeneris infirmisque naturæ unigenitum Deum per exceptionem comparationis affirment: Deum (*supple*, inquam) viventis Dei vivam imaginem, et beatæ naturæ plenissimam formam, et innascibilis substantiæ unigenitam nativitatem: quæ nisi perfectam paternæ beatitudinis (*i*) habet gloriam, et absolutam naturæ totius refert speciem, non est in imaginis veritate. Si autem innascibilis Dei unigenitus Deus imago est, perfectæ atque absolutæ in eo naturæ veritas inest, per quam efficitur esse eum imaginem veritatis. Potens est Pater: sed si infirmus est Filius, imago jam non est potentis. Bonus est Pater: sed si in diversi generis divinitate Filius est, boni imaginem mali natura non reddit. Incorporeus Pater est: si Filius secundum

(1) *Unus est, si filius sit, si Deus sit.*

(*a*) Hæc ratio non ad proximum, sed ad superius membrum pertinet: ut cum Catholici Deum credant esse patrem ob generationem filii, Ariani hoc eum nomine donent ob potestatem qua universa condidit.

(*b*) Ita duo optimi mss. Colb. cum Germ. et Sorbon. In cæteris autem et apud Bad. *unus est, si filius sit, si Deus sit*, etc. At Er., Lips. et Par. *unus est, tuncque Dominus et Deus semper et filius sit, si Deus sit*, etc.

(*c*) Editi excepto Bad. *idem*, pro *id est*: perverse.

(*d*) In vulgatis, *nec unius baptismi fides una*. Rectius in mss. *nec in unius baptismi fide una est*, supple, qui Christum aliter prædicabit.

(*e*) Sic mss. At editi, *profitentur*. Quæ coram Reliquiis SS. Gervasii et Protasii dæmonum confessio fuerit, testificatur Ambrosius epist. nunc XXII, ubi cum dixisset num. 16: *Et nunc audistis clamantes dæmones, et confitentes Martyribus quod pœnas ferre non possint*; adjicit num. 21: *Audivimus hodie dicentes eos, quibus manus imponebatur, neminem posse esse salvum, nisi qui in patrem et Filium et Spiritum sanctum credidisset*, etc. *Dicit diabolus: Sic torqueatur, quemadmodum ipse a Martyribus torquebatur, qui negat Spiritus sancti divinitatem.* Ex hoc Hilarii loco alioque non minus luculento libri in Constant., n. 8, convincitur Scultetus adversus Bellarminum perperam excandescere, quod ille pium Doctorem nostrum cultus Sanctorum testem ac patronum adhibuerit. Ex utroque enim liquet, sacras Apostolorum ac Martyrum Reliquias non modo fidelium cultu, sed crebris a Deo miraculis fuisse honoratas. Sed quod Ambrosius epist. 22, relatis dæmonum tormentis et confessione coram Reliquiis SS. Gervasii et Protasii, contra Arianorum pertinaciam ait n. 22: *Non accipio a diabolo testimonium, sed confessionem. Invitus dixit diabolus, sed exactus et tortus. Cedit diabolus plagis, et adhuc cedere nesciunt Ariani;* facile est in Scultetum ejusque imitatores contorquere.

(2) *Cotidie* scribitur semper in ms. nostro.

(*f*) Erasmus nescio quo auctoritate hic addidit, *corporationis*: cujus loco deinde posuit Lipsius, *comparationis*. Neutrum vocabulum exstat in Bad. et mss. neque debet exstare. Beatitudo hic significatur, quæ sita sit in bonitate, potentia, immortalitate, etc.

(*g*) Editi, *ea quæ in eo naturalis*: tum Bad. et Er. *Deo patre*. Lips. et Par. *de patre*. Melior est lectio quam revocamus e mss. quorum in nonnullis legere est *Dei patris*, non *Deo patri*: haud alio sensu.

(*h*) Solus codex Vat. bas. *qui genuit*.

(*i*) Ita ms. At editi, *habeat nativitatem et... referat speciem*.

Spiritum circumscriptus est corpore, jam incorporei non est forma corporeus (*Vid. l.* VIII, *n.* 48). Ineffabilis Pater est : si filium sermo complectitur, extra imaginem est inenarrabilis natura narrabilis. Verus Deus est Pater ; si Filius in Dei falsitate est, jam non est veri imago qui falsus est. Non ex parte imaginem neque ex portione formam eum Dei Apostolus prædicat : sed imaginem esse eum Dei invisibilis et formam esse eum Dei (*a*) loquitur (*Coloss.* I, 15). Non potest expressius in filio Dei divinitatis natura ab Apostolo prædicari, (*b*) quam ad id, quod invisibile Dei est, invisibilis Dei imago sit Christus : qui utique in substantia (1) (*c*) conspicabili imaginem naturæ invisibilis non referret.

6. *Quæ hominis sunt, rapiunt ad injuriam Verbi. Naturæ duplicis distinctione diluta sunt hactenus objecta.* — Sed ut superioribus libris docuimus, dispensationem assumpti corporis rapiunt ad contumeliam divinitatis: et impietatis causas arripiunt de salutis nostræ sacramento, Qui si apostolicæ fidei tenaces essent, intelligerent eum, qui in forma Dei esset, assumpsisse **378** formam servi ; neque formam servi usurparent (*d*) ad formæ Dei dehonestatem, cum forma Dei plenitudinem in se Dei contineret : et quæ essent temporum ac mysterium, (*e*) pia ratione tractarent, ut nec contumeliam divinitas susciperet, nec dispensatio afferret errorem. Sed omnibus, ut existimo, jam a nobis absolutissime demonstratis, et sub assumpti corporis nativitate divinæ naturæ virtute monstrata, non relictus est ambigendi locus, quin omnia unigenitus Deus et homo virtutibus Dei gesserit, et in virtutibus Dei universa hominis veritate perfecerit: habens in se et naturam Dei potentis in gestis, dum natus ex Deo est ; et perfecti hominis absolutionem, dum ei est partus ex Virgine : et cum veritate corporis subsistens in natura Dei, et cum Dei natura manens in corporis veritate.

7. *Quæ super sint ; et unde diluenda.* — Quamquam igitur usque ad ipsam mortis gloriam omnis responsionis nostræ sermo descenderit, et singulis professionis impiæ propositionibus ex evangelicis atque apostolicis doctrinis sit contradictum : tamen quia etiam post resurrectionis gloriam quædam, ad degeneris naturæ infirmitatem demonstrandam, præsumere impii ausi sunt, his ipsis nunc respondendum est. Atque ita, ut in cæteris observatum a nobis est, eorum ipsorum dictorum ratio ex his ipsis dictis aferatur : ut illic veritas reperiatur, ubi negatur. Quæ enim simpliciter et ad eruditionem fidei divinitus dicta sunt, necesse est ita dicta sint, ut ad id quod dicta sunt, non alienorum atque extrinsecus dictorum confirmentur exemplis.

8. *Infirmum volunt, cui idem ac nobis Deus et pater, cui sit subjectus.* — Inter cæteras enim impietates suas etiam hoc dicto Domini uti hæretici solent : *Adscendo ad patrem meum et ad patrem vestrum, et ad Deum meum et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17) : ut per id, quod pater ejus pater eorum est et Deus ejus Deus eorum est, in natura Dei non sit : dum hoc cæteris profitetur Deum patrem esse, quod sibi sit ; cessante privilegio in communione et naturæ et nativitatis, per quam et Deus sit natus, et Filius sit. Teneant quoque etiam illud Apostoli : *Cum autem dixerit, omnia subjecta sunt, absque eo qui subjecit ei omnia.* (2) (*f*) *Cum autem* **379** *subjecta ei fuerint omnia, tunc ipse subjectus erit ei qui sibi subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 26, *etc.*) : ut quia subjectio illa infirmis naturæ contestatio esse (3) existimabitur, non sit in paternæ naturæ virtute, quem naturalis infirmitas, naturæ potioris subjecerit potestati. Sumant autem omnis impietatis suæ hanc tamquam munitissimam et inexpugnabilem defensionem, ad veritatem nativitatis abolendam : ut quia per subjectionem Deus non est ; et per communem sibi atque nobis Deum atque patrem in communione sit creaturæ ; ipse quoque ex Deo creatio sit potius, quam generatio ; quia creatio ex nihilo (*g*) subsistat, generatio vero naturalem habeat nativitatis auctorem.

9. *Mysterium salutis nostræ sacramentum est pietatis, non offensio divinitatis.* — Omnis quidem calumnia improba est, quia veritati falsitas, cum jam effrenato pudore sit, contradicit : sed tamen interdum prætendit aliquod excusationis ambiguæ velamen, ut verecunde in defensione sit, quod impudenter in sensu est. Verum nunc in his, quæ impie ad infirmandam Domini nostri divinitatem præsumpta sunt, locus verecundiæ vel falsæ excusationis exclusus est: cum quando ipsa illa ignorationis venia cessante, sola voluntas irreligiosæ intelligentiæ detegatur. Ut enim paululum ipsius dicti evangelici differam demonstrationem : anne ignorabilis hæc erat Apostoli prædicatio dicentis : *Et quidem confessione omnium, magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne,*

(1) *Inconspicabili imagine.*
(2) Verba. *Cum autem subjecta ei fuerint omnia,* desunt in nostro codice.
(3) *Existimatur.*

(*a*) Sola editio Par. *Dei invisibilis.* Respicitur hic vel celebris locus Phil. II, 6 : *Qui cum in forma Dei esset*, vel Hebr. I, 3, ubi figura *substantiæ* Dei Christus prædicatur. Mox in ms. Martin. *nativitatis* loco *divinitatis.*
(*b*) Tres probæ notæ mss. *quam id,* omisso *ad.* Vat. bas. codex, necnon unus Colb. et alter Sorbon. *quam ad id quod invisibilis est.*
(*c*) In mss. Vat. bas., Corb., uno Colb., Sorbon. etc. *inconspicabili* : prave, nisi cum Martin., Colb. et Sorbon. deinde legatur, *aliam quam naturæ invisibilis imaginem non referret*, in solo Martin. *refert.* Verum sinccrior est lectio, quam retinemus cum antiquiore ms. Colb. necnon Germ., Carn. etc. Hic repellitur solemne Arianorum argumentum, quo Filium visum, adeoque visibilem, Patrem vero invisibilem prædicantes, utrumque, vel eo nomine dissidentem natura divulgabant.
(*d*) Er., Lips. et Par. *ad formam Dei dehonestandam.* Bad. et ms. renitentibus.
(*e*) Verus codex Colb. *pie et ratione.*
(*f*) Versus, *cum autem subjecta ei fuerint omnia,* non exsiat in mss. nisi in uno Colb. dubiæ fidei.
(*g*) Lips. et Par. *exsistat.* Mox in ms. Martin. *auctoritatem*, non *auctorem.*

(*a*) *justificatum est in spiritu, visum est angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in hoc mundo, assumptum est in claritate* (I *Tim.* III, 16). Estne adhuc quisquam tam hebetis (*b*) intelligentiæ, ut dispensationem assumptæ a Domino carnis aliud quam sacramentum esse pietatis intelligat? Et primum extra fidem Dei est, quisque extra hanc erit confessionem. Non enim Apostolus ambigit, quin hoc ab universis fatendum sit, mysterium salutis nostræ non esse contumeliam divinitatis, sed magnæ pietatis sacramentum : et sacramentum non jam (1) (*c*) in mysterio occultatum, sed in carne manifestatum ; neque adhuc per naturam carnis infirmum, sed in spiritu justificatum : ut per justificationem spiritus **380** abesset a fide nostra carnis infirmitas, et per carnis manifestationem mysterium non esset occultum, et per mysterii ignorabilem causam magnæ pietatis (*d*) in sacramento esset sola confessio. Atque ita Apostolus fidei totius ordinem tenuit, ut dum pietas est, sacramentum sit ; dum sacramentum est, cognitio in carne sit ; dum cognitio in carne est, justificatio in spiritu sit ; quia sacramentum pietatis, quod manifestatur in carne, ut vere sacramentum sit, per justificationem spiritus manifestatur in carne. Ac ne illa manifestatio in carne qualis esset (*e*) justificatio in spiritu ignoraretur ; sacramentum, quod manifestatum in carne, et justificatum in spiritu est, et angelis visum est, et gentibus prædicatum est, et in hoc mundo creditum, hoc ipsum assumptum est in claritate : ut in omnibus sit magnæ pietatis sacramentum, dum manifestatur in carne, (2) dum justificatur in spiritu, (*f*) dum visum est ab angelis, dum prædicatur gentibus, dum creditur in hoc mundo, dum assumitur in claritate. Nam et visum sequitur prædicatio, et prædicationem fides, et omnia consummat claritatis assumptio : quia et magnæ pietatis sacramentum est assumptio claritatis ; et per hanc dispensationis fidem, conformes (*g*) assumi claritatis dominicæ præparamur. Magnæ igitur pietatis sacramentum est carnis assumptio : quia per assumptionem carnis, manifestatio sacramenti in carne est. Sed tamen manifestatio in carne, non aliud quam magnæ pietatis sacramentum confitendum est : quia manifestatio ejus in carne, et justificatio spiritus est, et claritatis assumptio. (*h*) Et qua tandem spe in fide nostra est piæ dispensationis mysterium divinitatis infirmitas ; cum per claritatis assumptionem, magnæ pietatis sacramentum sit confitendum? Et quia jam non est infirmitas, sed sacramentum; nec necessitas, sed pietas : dicti nunc evangelici ratio quærenda est, ne quod salutis nostræ et gloriæ mysterium est, id ad occasionem prædicationis impiæ relinquatur.

10. *Christum creatum et servum esse volunt, quia illi Deus et pater est nobis communis.*—Gravis tibi auctoritas est, hæretice, et indissolubilis Domini de se professio, qua ait : *Adscendo ad patrem meum et ad patrem vestrum, et ad Deum meum et ad Deum vestrum* ; **381** ut per id, quod et nobis et illi unus et pater pater est, et Deus Deus est (*Joan.* XX, 17), sit in ea infirmitate qua sumus ; dum et per eumdem patrem exæquamur in filios, et per eumdem Deum comparamur in servos : et cum nos simus et creatio ex origine, et ex natura servi, tamen dum et pater nobis communis et Deus est, sit ei nobiscum et (3) (*i*) creatio ad naturam communis et servitus. Et hic impiæ prædicationis furor etiam hoc prophetico utitur dicto : *Unxit te, Deus, Deus tuus* (*Psal.* XLIV, 8) : ut non sit in ea naturæ virtute qua Deus est, dum ei ungens se Deus in Deum suum sit ante latus.

11. *Deus illi et pater est, quia natus ; et quia natus, ideo Deus.* — Ignorat Deum Christum, qui ignorat Deum natum. Deum autem nasci non est aliud, quam in ea natura esse qua Deus est : quia nasci cum (*j*) causam nativitatis ostendat, non disproficit tamen in genere auctoris exsistere. Quod autem non (*k*) disproficit in genere, debet quidem auctori causam nativitatis suæ, naturam tamen ex se non amisit auctoris ; quia nativitas Dei neque aliunde, neque aliud est. Quæ si aliunde est, nativitas non est ; si vero aliud est, non Deus est. Cum autem ex Deo Deus est ; per id quoque Deus pater Deo filio et (*l*) nativitatis ejus

(1) Abest *in* a nostro ms.

(2) *Dum justificatur in spiritu, dum assumitur in claritate*, omissis intermediis.

(3) *Creatio ad naturæ.*

(*a*) Editi, *vivificatum est*, renitentibus mss. necnon subnexis : in quibus vox *spiritus* opponitur carni ; et ad Verbi naturam refertur.

(*b*) In mss. Vat. bas., Martin. et duobus aliis, *intelligentiæ locus* : superfluit *locus*.

(*c*) Ms. Colb., Germ. et Martin. *jam mysterio*.

(*d*) Abest *in* ab aliquot mss.

(*e*) Antiquior codex Colb. *justificatio spiritus*. Martin. *et justificatio*, etc.

(*f*) Post *in spiritu*, subjiciunt mss. *dum assumitur in claritate*, aliis omissis.

(*g*) In mss. Vat. bas. Colbertino uno, et altero Sorbon. *assumptioni*. In Remig. *assumpti*. Prior lectio satis arridebat : sed plenior est ea, quam retinemus.

(*h*) In prædictis mss. Vat. bas., Colb. ac Sorbon. necnon Martin. : *Et quæ tandem spes in fide nostra est, si piæ dispensationis mysterium divinitatis est infirmitas* : lectio hæc magis est perspicua, adeoque magis suspecta, quam altera : in qua alius quidam innuitur reconditior sensus, puta, divinitatem infirmatam non fuisse dispensationis mysterio, quo carni præstitum est ut assumeretur in claritatis gloria ; eosque ab spe fidelibus promissa cadere, qui aliter credant.

(*i*) Solus codex Vat. bas. *creatio naturæ*. In reliquis, *creatio ad naturam* vel *ex natura*. In vulgatis autem, *creatio et natura*.

(*j*) In ms. Martin. *causa* : mendose. Id enim sibi vult, verbum *nasci* relativum esse, eoque patrem simul cum nato significari. Vocabulum quidem *causæ* ad æternam Filii generationem explicandam nunc respuit Theologia, ejusque loco mavult *principium* : sed illud probe intellexit Hilarius, sicut et *auctoris* nomen, de quo Augustinus lib. II contra Maximin. c. 14, n. 6 : *Si propterea Deum patrem Deo filio dicis auctorem, quia ille genuit, genitus est iste ; quia iste de illo, non ille de isto : fateor et concedo. Si autem per nomen auctoris minorem vis facere Filium*, etc., *detestabor et respuam*.

(*k*) Hinc nititur quod in lib. X, n. 33, juxta Erasmum annotavit Lud. Miræus, *disproficere* idem esse Hilario, quod *degenerare*. Sed si adjunctum *in genere* sustuleris, id sane per se hoc verbum non sonabit.

(*l*) Vat. bas. ms. *nativitate Deus est et natura pariter, quia Christi nativitas ex Deo est* : imprudentem

Deus est et naturæ pater : quia Dei nativitas et ex Deo est, et in ea est generis natura quia Deus est.

12. *Christus verba ita temperavit, ut et natum se proderet et Deum.* — Hujus igitur piæ ac debitæ professionis modum ita in omnibus, quæ locutus est, Dominus temperavit, ne divinitati suæ contumeliam confessio nativitatis afferret, ne obsequii religio naturam majestatis offenderet : sed ut et honorem debitum (1) nativitas profiteretur, quæ (*a*) subsistere se deberet auctori ; et naturæ conscientiam fiducia naturalis ostenderet, quæ in Deum nascendo subsisteret. Hinc enim illud est, *Qui me vidit, vidit et Patrem* : sed et illud, *Verba quæ loquor, non a me loquor* (*Joan.* XIV, 9, 10). Nam dum non a se loquitur, auctori eum necesse est debere quod loquitur : cum autem se viso Pater videtur, **382** naturæ conscientia est, (*b*) quæ ad demonstrationem in se Dei, non aliena a Deo in Deum nata substiterit. Vel illud, *Pater quod* (2) (*c*) *dedit mihi, majus est omnibus* (*Joan.* x, 29) ; et rursum, *Ego et Pater unum sumus* (*Ibidem*, 30). Nam et datio paterna sumptæ nativitatis professio est : et quod unum sunt, proprietas ex nativitate naturæ est. Vel illud, *Sed judicium omne dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (*Joan.* v, 22 *et* 23). Nam dum judicium datur, nativitas (*d*) non tacetur : dum vero exæquatur honor, natura retinetur. Vel illud, *Ego in Patre, et Pater in me ;* et rursum, *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 11 *et* 28). In eo enim, quod in sese sunt, Dei ex Deo divinitatem cognosce : in eo vero, quod Pater major est, confessionem paternæ auctoritatis intellige. Sicut et illud est, *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim ille facit, eadem et Filius facit similiter.* (*Joan.* v, 19). Dum non ab se facit, ad id quod agit secundum nativitatem sibi Pater auctor est : et tamen cum quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter, non in aliud aliquid quam in Deum subsistit, ad facienda omnia, quæ Deus pater faciat, paternæ omnipotentiæ in se subsistente natura. Hæc itaque secundum spiritus unitatem, et naturæ quæ secundum (*e*) nativitatem est proprietatem, ita demonstrata sunt, ut et nativitas Deum substitutionis suæ confiteretur, et substitutio naturæ conscientiam non faceret : profitens sibi patrem Deum Deus filius dum ex eo nascitur ; cæterum ad id quod natus est, totum habens naturale quod Deus est.

13. *Quem patrem habebat quia natus, cœpit habere Dominum cum factus est servus.* — Dispensatio itaque magni et pii sacramenti, nativitatis divinæ Patrem, insuper etiam conditionis assumptæ (3) Deminum fecit (*f*) : dum qui in forma Dei erat, repertus est in forma servi. Servus enim non erat, cum esset secundum spiritum (4) (*g*) Deus Dei filius. Et secundum commune judicium, ubi **383** non est servus, neque dominus est. Deus quidem et pater nativitatis est unigeniti Dei : sed ad id, quod servus est, non possumus (*h*) nonnisi tunc ei dominum deputare, cum servus est : quia si cum ante per naturam non erat servus, et postea secundum naturam esse quod non erat cœpit ; non alia dominatus causa intelligenda est, quam quæ exstitit servitutis ; tunc habens ex naturæ dispensatione dominum, cum præbuit ex hominis assumptione se servum.

14. *In forma servi dixit,* ADSCENDO, *etc.* — Manens igitur in forma servi, qui manebat ante in Dei forma, homo Christus Jesus locutus est : (*i*) *Adscendo ad patrem meum et ad patrem vestrum, et ad Deum meum et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17). Si igitur hæc servus, et ad servos locutus est ; quomodo professio ista non servi sit, et ad eam magis naturam quæ non in natura servi sit, transferetur ; cum ei, qui in forma Dei manens formam servi assumpsit, quasi servo ad servos communio non nisi ex eo tantum possit esse, quod servus est ? Pater igitur sibi ita ut hominibus pater est, et Deus (5) sibi ut servis Deus est. Et cum hæc ad homines servos homo in servi forma Jesus Christus loquatur ; non ambigitur,

(1) Antea legebatur, *nativitatis.*
(2) *Dedisti.*
(3) *Deum fecit.*
(4) *Deus filius,* non *Deus Dei filius.*
(5) *Sibi ita et servis.*

secundæ manus operam subolet. Illi tamen suffragatur Martinianus, hoc tantum ab eo discrepans, quod habeat *pater,* non *pariter.*

(*a*) Pro *subsistere se,* hoc est, quod subsisteret, Er., Lips. et Par. perperam substituerunt *subdere se.*

(*b*) In ms. Vat. bas. *quia et demonstrationem sui Deus non alienat a Christo in Deo quæ nata substiterit :* antiquo ac manifesto corruptoris ausu. Hic *quæ ad demonstrationem in se Dei,* id est, quæ ut conspecta Deum demonstraret.

(*c*) Mss. Colb., Martin., Corb., Germ., Vind., Silv., Prat., *quod dedisti.* At lib. VII, n. 22, cum cæteris consentiunt.

(*d*) Vat bas. ms. *non denegatur.*

(*e*) Er., Lips. et Par. *nativitatis* : refelluntur vel ex superioribus his, *Quod unum sunt, proprietas ex nativitate naturæ est.* Mox Lipsius ex sola Erasmi conjectura, pro verbis *subtitutionis* et *substitutio,* reposuit *subsistentiæ* et *subsistentia :* quod postea obtinuit. Non nihil tamen aliud sonat *substitutio,* quam *subsistentia* ; sicut a *subsistuere* differt *subsistere* in his lib. VIII, n. 56 : *ut perfectum Deum substituerit perfecta nativitas : ita autem perfecta nativitas subsistat.* Ibi enim *substituerit* perinde est, ac subsistentem effecerit.

(*f*) Sic. ms. Martin. Alii vero libri, *Deum fecit.* Non dispensatio fecit patrem : sed eum, qui ratione generationis æternæ pater erat, assumpti hominis Dominum constituit.

(*g*) Ita mss. Vat. bas., Martin., unus Colb. et alter Sorbon. In aliis, salvo sensu, omittitur verbum *Dei.* At pluris refert præcedens vox *Deus,* quæ in prius vulgatis deerat.

(*h*) Sic omnes mss. per Hellenismum. At editi, *non possumus nisi,* sublato *non.*

(*i*) Ariani, ut ex Augustino lib. II cont. Maximin. c. 16, n. 1, discimus, contendebant hæc Christi verba in formam servi convenire non posse. Hæc enim, aiebant, dixit post resurrectionem : atqui tunc forma servi non amplius erat, sed prorsus consumpta defecerat Quasi vero, reponit Augustinus, *formam servi resurrectione consumpserit, ac non potius in melius commutaverit : quasi non forma, quæ occisa est, ipsa revixerit.*

quin pater sibi ut cæteris sit ex ea parte qua homo est, et Deus sibi ut cunctis sit ex ea natura qua servus est.

15. *In ea dixit forma qua nos vocat fratres. Christus quare vermis.*— Denique hunc eumdem sermonem hujusmodi professionis cœpit exordio, ita dicens : *Vade autem ad fratres meos, et dices illis, Adscendo ad patrem meum et ad patrem vestrum, et ad Deum meum et ad Deum vestrum* (*Joan.* XX, 17). Et quæro nunc, fratres ei secundum formam Dei, anne secundum formam servi esse intelligendi sint : habeatque aliquod ad eum secundum plenitudinem habitantis in eo divinitatis (1) (*a*) corporatio nostra consortium, ut in fratres ei ad id quod Deus est deputemur? Sed non ignorat et propheticus spiritus, unigenito Deo qua ex parte sint fratres : hæc enim non tam homo quam vermis locutus est, *Narrabo nomen tuum fratribus meis* (*Psal.* XXI, 23). Et hæc vermis, vel non ex conceptu communium **384** originum vivens, vel e profundis terræ vivus emergens, ad significationem assumptæ et vivificatæ per se etiam (*b*) ex inferno carnis, professus est : totoque in psalmo passionis suæ sacramenta prophetico spiritu prælocutus, ex ea necesse est fratres habeat dispensatione, qua passus est. Novit sacramentum in eo fratrum etiam Apostolus (*Rom.* VIII, 29), ut primogenitum eum ex mortuis, ita primogenitum in multis fratribus prædicans. Secundum id ergo est in multis fratribus primogenitus, secundum quod est primogenitus ex mortuis ; et cum sacramentum mortis in corpore sit, sacramentum quoque fraternitatis in carne est. Fratres itaque ex carne sunt Deo ; quia et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : cæterum unigenitus Deus, in unigeniti exceptione, sine fratribus est.

16. *Deus et propria et communi ratione Christi est pater.* — Ipse autem, universitatis nostræ in se continens ex carnis assumptione naturam, erat quod nos sumus, neque amiserat esse quod manserat ; habens ex nativitate (*c*) tunc, et ex constitutione nunc, Deum patrem. Secundum constitutionem nunc, quia ex patre Deo omnia. Omnibus enim Deus pater est, dum ex eo et in eo omnia sunt. Sed unigenito Deo, quia Verbum caro factum est, non hinc tantum pater est : pater enim est ad id, quod in principio apud Deum erat Deus Verbum. Sed cum Verbum caro factum est ; manet et in Verbi Dei nativitate, et in carnis constitutione quod pater est. Pater enim omnis carnis est Deus ; sed non secundum quod Verbo Deo pater est. Verbum autem Deus, neque Verbum esse desiit, neque caro non fuit. Nam Verbum, quod caro factum est et habitavit in nobis, neque dum habitat non vere Verbum est, neque dum Verbum caro est non vere Deus homo est : quia et habitare, ejus necesse sit esse qui maneat ; et carnem fieri, ejus intelligendum sit esse qui nascitur. Et quod in nobis habitat, nostræ carnis assumptio est : quia (*d*) per id quod in nobis habitat Verbum caro factum, Deus est in nostri corporis **385** veritate. Si igitur naturam detrahit Deo Verbo homo secundum carnem Christus Jesus, vel non secundum sacramentum pietatis Deus Verbum homo Christus Jesus est ; sit in naturæ contumeliam, quod ei secundum nos et Pater pater, et Deus Deus est. Quod si Deus Verbum homo Christus Jesus Deus Verbum esse non destitit ; communio nobis et illi ad patrem et Deum ex ea tantum est natura, (*e*) qua frater est : quia *adscendo ad patrem meum et ad patrem vestrum, et ad Deum meum et ad Deum vestrum*, non per id, quod unigenitus Deus Verbum est, sed per id, quod Verbum caro factum est, sit fratribus nuntiatum.

17. *Christo ut Verbo qui pater est, et ut Jesu et servo Deus est.*— Non incautis autem neque ad occasionem impietatis incertis significationibus sermo apostolicus loquitur. Ut nunc Evangelista dictum Domini a professione fratrum incipiens, totius dicti professionem ad ejus naturæ consortium docuit, (*f*) ex qua frater est, pertinere, quia sermo est destinatus ad fratres : ne ad divinitatis contumeliam reputaretur, quod ad sacramentum pietatis prædicabatur ; cum communio ad eum nostra, qua pater nobis et sibi pater est, et Deus nobis et sibi Deus est, secundum dispensationem carnis exsisteret, fratribus nobis ad eum nativitate corporis deputandis. Nemo igitur ambigit, Deum patrem esse etiam Deum Domini nostri Jesu Christi : sed hæc pia nostra professio non patet ad impietatis occasionem. Deus ejus est : non idcirco, ut diversi

(1) *Corruptio.*

(*a*) Editi cum pluribus scriptis, *corruptio*. Auctoritate mss. optimæ notæ Martin., Colb., Remig. et Germ. præferimus *corporatio :* quæ vox ex adverso opponitur *spiritus* vocabulo, quo naturam divinam solet Hilarius significare.

(*b*) Illud *ex inferno*, non ad vocabulum *carnis*, sed ad *per se* referendum est ; ut non caro, sed ipse in inferno fuerit. Ut enim legimus lib. x, n. 65 : *Numquid descendisse ad inferos corpus, quod in sepulcro jacuit, dicetur ?* Antea voces *per se* non minus ad verbum *assumptæ* pertinent, quam ad *vivificatæ*. Ideo enim Christus vermis dicitur, quia caro ipsius propria virtute de virgine concepta, ipso ex inferis emergente propria etiam virtute vivificata est.

(*c*) Editi, excepto Bad., *tunc patrem tantum ex constitutione :* tum Er. *nunc Deum et patrem tantum ex constitutione, nunc Deum, quia ex Deo patre omnia :* Lips. sublatis prioribus verbis retinuit tantum *nunc Deum quia ex Deo patre omnia :* Par. *nunc Deum secundum constitutionem, quia ex Patre Deo omnia :* valde perturbate, et confuse. Emendatur ex mss. Vult porro Hilarius, Christum habuisse tunc, scil. ante quam caro fieret, ex nativitate, quem nunc caro factus ex constitutione carnis habet nova et communi nobiscum ratione Deum patrem. Paulo aliter in ms. Vat. bas. sic legere est, *habens ex nativitate tunc patrem tantum, ex constitutione nunc Deum et patrem : tantum ex constitutione nunc Deum, quia*, etc., ubi postremum membrum nonnihil pugnat cum præcedente : sicut et primum cum verbis num. 13, ubi jam audivimus unigenito Deo ante carnem esse Deum et patrem nativitatis suæ.

(*d*) Ita ms. At editi, *per id in nobis*, mox præfixa particula *dum* ante *Deus est*.

(*e*) Vat. bas. et aliquot alii mss. *qua homo est*.

(*f*) In vulgatis, *ex quo*. Rectius in mss. *ex qua*. scil. natura.

ab eo generis Deus sit. Sed quia (*a*) ex Patre Deus natus est, et ex dispensatione servus est; habeat et (*b*) patrem, dum ex eo Deus est; et Deum suum, dum ex Virgine caro est. Quod brevi atque absoluto Apostolus sermone consignat, dicens: *Commemorans in orationibus meis, ut Deus Domini nostri Jesu Christi, pater claritatis, det vobis spiritum sapientiæ et revelationis* (*Ephes.* I, 16 *et* 17). Ubi enim Jesus Christus est, ibi Deus ejus est: ubi vero claritas est, ibi pater est. Qui itaque Christo secundum **386** claritatem pater est, idem Christo secundum Jesum Deus est. Jesum enim Angelus Christum Dominum, quem Maria esset paritura, cognominat (*Matth.* I, 21). Cæterum Christum Dominum (*c*) Spiritum prophetia loquitur. Et plerisque (*d*) secundum latinitatem obscurius hoc dictum videtur: quia latinitas pronominibus non utitur, quæ græcitas usu honesto et necessario semper usurpat. Ita enim scribitur: ὁ θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ πατὴρ τῆς δόξης. Quomodo nobiscum, si semper pronominum consuetudo esset, ita pronuntiaretur: *Ille Deus illius Domini nostri Jesu Christi, ille pater illius claritatis.* Per id enim, quod ille Deus illius Jesu Christi est, et ille pater illius claritatis, quædam secundum capacitatem sensus nostri intelligentiæ proprietas expressa est: ut Christi ubi claritas est, ibi Deus pater ejus sit; ubi vero Christus Jesus est, ibi pater Deus suus sit; habens Deum suum in dispensatione, cum servus est, et patrem in claritate cum Deus sit.

18. *De Christo ut homine dictum est:* Unxit te, *etc.* — Non afferunt autem tempora vel ætates Spiritus diversitatem, ut non ipse atque idem Christus in corpore sit, qui mansit (*e*) Spiritu in prophetis. Loquens enim per os sancti patriarchæ David: *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis* (1) *præ* (*f*) *participibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8), non secundum sacramentum aliud, quam secundum dispensationem assumpti corporis est locutus. (*g*) Nam qui nunc fratribus mandans, patrem eorum patrem suum et Deum eorum Deum suum esse, tunc quoque unctum se a Deo suo præ participibus suis loquebatur: ut dum unigenito Christo Deo Verbo particeps non est, particeps tamen ei ex ea nosceretur assumptione qua caro est. Unctio enim illa non beatæ illi et incorruptæ et in natura Dei manenti nativitati profecit, sed corporis sacramento et sanctificationi hominis assumpti, Petro apostolo testante, cum ait: *Convenerunt enim* (*h*) *in veritate in civitate ista adversum sanctum* **387** *tuum filium Jesum quem unxisti* (*Act.* IV, 27). Et rursum: *Vos scitis quod factum est verbum per universam Judæam, incipiens a Galilæa post baptismum quod prædicavit Joannes, Jesum* (2) *Nazaræum, quomodo unxit illum Deus Spiritu sancto et virtute* (*Act.* X, 37 *et* 38). Jesus ergo ungitur ad sacramentum carnis (*i*) regeneratæ. Et quemadmodum spiritu Dei et virtute unctus sit, non ambiguum est, tum cum adscendente eo de Jordane vox Dei patris audita est: *Filius meus es tu, ego hodie genui te* (*Psal.* II, 6): ut per hoc testimonium sanctificatæ in eo carnis, unctio spiritalis virtutis (*j*) cognosceretur.

(1) *Præ participes tuos*, et sic deinceps particula *præ* cum accusandi casu construitur, paulo post, *nam quas nunc.*

(2) *Nazoreum.*

(*a*) Solus codex Vat. bas. *ex Deo Patre.*

(*b*) Lips. et Par. cum ms. Martin. *patrem Deum.* Tum idem ms. aliusque Vat. bas. *dum ex eo toto totus Deus est.* In nonnullis aliis, *dum ex Deo Deus est.*

(*c*) Sic mss. At Bad. *spiritus prophetiæ.* Porro Christum *spiritum*, hoc est, Deum esse ex prophetia probatum est toto libro IV, et nominatim ex verbis David, quibus non tantum ungens, sed et unctus appellatur *Deus.*

(*d*) Bad. cum antiquiore Colb. ac nonnullis aliis mss. *secundum nativitatem.*

(*e*) Editi, *spiritus:* refragantibus mss. Qui manserit *Spiritu*, continuo declaratur, cum per os David locutus esse perhibetur. Quo spectat illud Tertulliani lib. III contra Marcion. n. 6: *Nos quidem certi Christum semper in prophetis locutum, Spiritum scil. Creatoris.* Quamquam Hilarius lib. II de Trin. n. 3 Spiritum in prophetis locutum tertiam Trinitatis personam prædicat.

(*f*) In mss. magno consensu, *præ participes tuos.* Sic et deinceps constanter particula *præ* conjungitur cum accusandi casu. Item quod jam observatum est, Hilarium non legisse *ungo*, sed *ungueo*, confirmatur ex hoc loco, ubi in vetustioribus mss. pro *ungitur*, scriptum est *unguetur;* et *ungueatur*, pro *ungatur* Ex Augustino lib. II contra Maximin. c. 16, n. 3, observamus obiter, hæreticos ideo noluisse hunc prophetæ locum servili Christi formæ aptari posse, *quoniam scriptum est, Unxit te*, etc., *longe antequam Christus in carne venisset.* Quibus ille respondet, *in prophetia esse prædictum, tanquam fuerit factum, quod erat futurum:* et hoc, *quia in prædestinatione jam factum erat, quod suo tempore futurum erat.*

(*g*) Editi cum pluribus mss. *namque nunc.* Magis placet cum codice Vat. bas. ac nonnullis aliis, *nam qui nunc.* Antea verbis *secundum sacramentum* tempus illud designatur, quod Christi corporationem præcessit, eamque adumbravit, quando v. g. *Abraham Dominum adoravit, sacramentum futuræ corporationis agnoscens*, ut dicitur lib. IV, n. 27.

(*h*) Bad. et Er. *viri.* Lips. et Par. *vere.* Verius mss. potiores, *in veritate*, juxta græcum ἐπ' ἀληθείας.

(*i*) Hoc videtur intelligendum ex verbis cap. II in Matth. n. 5, ubi ait: *Ipse quidem lavacri egens non erat. Sed* quia *assumptum ab eo creationis nostræ fuerat et corpus et nomen:* ideo *omne in se sacramentum salutis nostræ explevit.* Quod ibidem repetitur his verbis: *Atque ita et prophetæ testimonio lavacro non eget, et exempli sui auctoritate humanæ salutis sacramenta consummat, hominem et assumptione sanctificans et lavacro.*

(*j*) Id est, ut sanctificatio, quam homini assumpto præstat spiritalis Virtus ac Verbum assumens, cognosceretur. In baptismi autem ablutione habetur testimonium sanctificatæ carnis: sed spiritalis istius unctionis cognitio ex Patris ipsius declaratione præstatur. Sicque, ut cap. II in Matth. n. 6, dicitur, *testimonium de Domino mittitur et contemplationis et vocis:* dum *Filius Dei auditu conspectuque monstratur*, hominem scil. et assumptione sanctificare et lavacro. Eamdem quoque Psalmographi prophetiam ad Christi baptismum refert Augustinus l. II contra Maxim. c. 16, n. 3: *A Deo Patre*, inquit, *unctus est Filius, qui sic homo factus est, ut maneret Deus; qua unctione plenus erat, id est Spiritu sancto. Propter quod de illo scriptum est, Jesus autem plenus Spiritu sancto reversus est a Jordane.* Videsis tract. psal. II, n. 29, et lib. VIII, n. 25.

19. *De Verbo idem dictum nequit intelligi. Cum nulla illius sit causa. Cum unctus sit natura Deus.* — Cæterum cum in principio apud Deum erat Deus Verbum, non habet ullam aut causam aut enarrationem (*a*) naturæ ejus unctio, quæ nihil aliud quam esse in principio nuntiatur. Neque habuit sane (1) ungendi se per spiritum et virtutem Dei necessitatem Deus : qui Dei et Spiritus esset et Virtus. Ungitur ergo Deus a Deo suo præ consortibus suis. Et si ante dispensationem carnis plures ex lege sunt Christi ; Christus nunc, qui præ participibus ungitur, posterior in tempore est, dum unctis participibus antefertur. Denique ille prophetiæ sermo posteriorem unctionem hanc, quæ in tempore esset, ostendit dicens : *Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem ; propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis præ consortibus tuis* (*Psal.* XLIV, 8). Consequens et posterior causa numquam refertur ut prior sit : quia meruisse aliquid, posterius est, quam esse qui possit mereri. Mereri enim ejus est, qui sibi ipsi meriti acquirendi auctor exsistat. Si igitur nativitati unigeniti Dei unctionem deputabimus, quæ unctio ob meritum dilectæ justitiæ et perosæ iniquitatis indulta sit ; provectus potius per unctionem unigenitus Deus, quam genitus intelligetur : jamque per incrementa et profectus Deus consummabitur, qui non natus Deus sit, sed in Deum sit unctus ex merito ; et jam per causam erit Deus Christus, et non omnis causa per Deum Christum. Et ubi illud Apostoli erit : *Omnia per* **388** *ipsum, et in ipso, et ipse est ante omnes, et omnia ipsi constant* (*Coloss.* I, 16 *et* 17) ? Deus enim Dominus Jesus Christus, non ob aliqua, neque per aliqua Deus est ; sed Deus natus est. Et qui ex generatione Deus est, non post nativitatem in Deum per causam profecit : sed in eo, quod natus est, nihil aliud (*b*) est nascendo, quam Deus est. Cum vero ungitur ex causa ; non ad id, quod incremento non eget, (*c*) spectat unctionis profectus, sed ad id, quod per incrementum sacramenti profectu eguit unctionis, id est, ut per unctionem sanctificatus homo noster Christus exsisteret. Si igitur nunc quoque per prophetam servi dispensatio demonstratur, ob quam a Deo suo præ participibus ungitur ; et propterea, quia justitiam dilexerit et iniquitatem oderit, ungatur : cur prophetæ sermo non ad eam Christi naturam pertinebit, in qua ei sunt ex carnis assumptione participes ? cum præsertim ita se prophetiæ Spiritus temperaverit, ut dum Deus a Deo suo ungitur, sit ei et in dispensatione unctionis quod Deus suus est, et in natura quod Deus est. Deus igitur ungitur : sed quæro an id, quod in principio Deus erat Verbum, unctum sit ? Non utique ; nam posterior Deo unctio est. Et cum non ea Verbi nativitas, quod in principio apud Deum Deus erat, (*d*) uncta sit ; id in Deo necesse est ungatur, quod posterius sit in dispensatione qua Deus est. Et cum Deus a Deo suo ungitur ; id ungitur, quidquid ab eo in mysterio carnis servile susceptum est.

20. *Quatenus nobis sit cum Christo communio.* — Nemo igitur magnæ pietatis sacramentum, quod manifestatum in carne est, sensu impio violet, nec se quisquam Unigenito per substantiam divinitatis exæquet. Sit nobis ille et frater et particeps secundum quod Verbum caro factum habitavit in nobis, secundum quod Mediator Dei atque hominum homo Jesus Christus est. Sit nobis secundum servos et communis pater et communis Deus : et præ participibus unctus sit in ea natura, cum privilegio licet unctus, qua participes unguntur. Sit in Mediatoris sacramento, **389** ut homo verus, ita et Deus verus, Deus ipse ex Deo, communem nobiscum habens patrem et Deum in ea communione qua frater est.

21. *Subjectio, regni traditio, et finis objiciuntur.* — Sed forte subjectio illa, regnique traditio, deinde finis, aut naturæ abolitio aut potestatis defectio aut divinitatis infirmitas sit intelligenda. Plerique enim ita (*e*) volunt, ut aut dum subjectis omnibus Deo subjicitur, per conditionem subjectionis Deus non sit ; aut dum regnum tradit, non sit in regno ; aut dum finis est, finem ejus defectio consequatur.

22. *Respondendi modus.* — Congruum itaque est, omnem (*f*) super his apostolici sermonis sensum (2) pertractare ; ut singulorum quorumque dictorum

(1) *Unguendi.* Sic et alibi. *ungeo* pro *ungo.*
(2) Codex Veron. *retractare ;* sic infra habes, *sacramentum dictorum præsentium retractemus.*

(*a*) In ms. bas. Vat omittitur vox *naturæ.* Prorsus cum aliis libris retinenda est. Hæc opponitur *dispensationis* vocabulo, et ad Verbum Deum refertur. Superius n. 11, admisit Hilarius causam Verbi gignentem et coæternam : hic tantum respuit præexsistentem ac meritoriam. Ubi vero subjicit *aut enarrationem*, respicit in illud Esaiæ, *Generationem ejus quis enarrabit ?*

(*b*) Verbum *est*, in vulgatis omissum, restituitur ex mss. Deinde *quam Deus est*, id est, quam quod Deus pater est : nisi id omne ita malis intelligere ; sed in ipsa nativitate sua accipit ut Deus sit, et nihil aliud.

(*c*) In antiquis libris, *exspectat*, more antiquo, sed sensu non alio.

(*d*) Sic. mss. At editi, *uncta sit in Deum, necesse est*, etc.

(*e*) Ex subjectis Apostoli verbis, et regni et carnis Christi finem futurum prædicabat Marcellus Ancyran. ; si Eusebio credere fas est contra eumdem lib. II, c. 4, ejus verba sic referenti : *Quod si regni initium accepit homo ante annos nondum* 400, *completos, nihil est absurdi si Apostolus affirmet, illum qui accepit regnum annis ab hinc tam paucissimis elapsis, rursum redditurum esse regnum Deo.* Et post pauca : *Omnia enim cum post judicium subjicienda sint Christo, quemadmodum asseritur ab Apostolo, tum ille subjicietur ei, qui ipsi omnia supposuit. Quocirca cum didicerimus humanam carnem, quam pro nobis assumpsit Verbum, ante annos* 400 *totos non assumptam, eamdem ipsum retenturum cognoscimus non ultra judicii tempus in futuro.* Idem ibid. addit Marcellus : *Quemadmodum initium habuit caro, ita finem habituram divinus Paulus pronuntiavit. Deinceps finis, cum tradiderit regnum suum Deo et Patri.* Hanc tamen sententiam ex ipsa Eusebii confessione ibid. non sine hæsitatione asserebat Marcellus.

(*f*) Vat. bas. codex cum Martin. *superioris*, non *super his.*

ratione exposita atque edita, sacramenti totius capaces per (*a*) universitatis intelligentiam præbeamur. Ait itaque : *Quoniam enim per hominem mors, et per hominem resurrectio* (1) *mortuorum. Quomodo enim in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes* (*b*) *vivificantur. Unusquisque autem* (2) *in suo ordine*, (*c*) *primitiæ Christus, deinde hi qui sunt Christi*, (*d*) *qui in adventu ejus : deinde finis, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem magistratum et omnem potestatem. Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Deus enim omnia subjecit sub pedibus ejus. Novissima inimica* (*e*) *devicta est ab eo mors. Cum autem dixerit, Omnia subjecta sunt, absque eo qui illi subjecit omnia.* (3) (*f*) *Cum autem subjecta fuerint ei omnia, tunc ipse subjectus erit illi, qui subjecit ei omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* xv, 21 *et seqq.*).

23. *Quædam esse quæ homo statim non capiat.* — Cœlestium (*g*) dispensationum arcana Apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum electus gentium magister, quanta potest absoluti **390** sermonis significatione demonstrat. Et qui inenarranda usque ad tertium cœlum raptus audisset, ea tantum, quorum natura humana capax esset, sensui humanæ intelligentiæ revelavit : non ignorans tamen quædam non statim posse atque audiuntur intelligi, quia infirmitas nostra (4) (*h*) serius in verum atque absolutum mentis judicium ea, quæ in aures transfunderentur, acciperet; longiore ad cunctandum mora sensui potius quam auditui derelicta, cum et audisse vocis sit, et intellexisse rationis, Deo tamen intelligentiæ cupidis intelligentiam revelante. Namque ad Timotheum per aviæ ac matris gloriosam fidem sacris ab infantia litteris institutum scribens plurima, hoc quoque addidit : *Intelige quæ dico, dabit enim tibi Deus in omnibus intellectum* (II *Tim.* II, 7). Admonitio intelligendi ex difficultate intelligentiæ est. Intelligentiæ vero a Deo donum, fidei munus est, per quam infirmitas sensus gratiam revelationis meretur. Si ergo Timotheus apostolico testimonio homo Dei (1 *Tim.* VI, 11), et legitimus Paulo secundum fidem filius, ut intelligat admonetur, quia ei Dominus intelligentiam in omnibus sit daturus; nos quoque admoneri per Apostolum ad intelligentiam meminerimus, scientes Dominum nobis intelligentiam omnium præstiturum.

24. *Non pudeat pravum sensum veritate percepta demutare.* — Et si forte humanæ conditionis errore præsumptum aliquid sensu tenebimus, profectum intelligentiæ per revelationis gratiam non recusemus : Ne (*i*) intellexisse aliquid semel suo sensu ad id valeat, ut pudeat rectius aliquid demutando sentire. Ob quod prudenter consulteque moderandum hæc ad Philippenses quoque idem beatus Apostolus scribit : *Quotquot ergo perfecti sumus, hæc sentiamus : et* (5) *si quid* (*j*) *aliter sentitis,* **391** *id quoque Deus vobis revelabit. Verum in quo festinavimus, in ipso ingrediamur* (*Philip.* III, 15 *et* 16). Non præjudicat sensus anterior Dei revelationi. Nam Apostolus (6) (*k*) monuit in quo sapiant, qui sapiunt perfecte : et his qui aliter sapiunt revelationem Dei, ut id quod perfectum est sapiant, exspectat. Si qui ergo profundam hanc arcanæ scientiæ dispensationem aliter intellexerunt, et per nos rectum aliquid et probabile afferetur; non pudeat eos secundum Apostolum per revelationem Dei sapere perfecte : Neque magis ament veritatem nescisse (7) (*l*) quam oderint permansisse non veris. Eos enim, qui aliter sapiunt, et quibus id Deus (8) revelavit, monet in id festinare, in quo ingressi fuerint : ut relicto primæ ignorantiæ sensu, secundum

(1) Non exstat *mortuorum*.
(2) Abest *in*.
(3) Hæc rursum desunt in codice nostro.
(4) *Aliter in verum*.
(5) *Si qui*.
(6) *Novit*.
(7) *Quam non oderint*.
(8) *Revelabit :* melius; ut superiora apostoli verba respiciat, *id quoque Deus vobis revelabit*.

(*a*) In vulgatis, *veritatis*. Rectius in mss. *universitatis*, hoc est totius apostolici sermonis.

(*b*) Ita plerique ac potiores mss. Editi vero, *vivificabuntur*.

(*c*) Mss. Martin. et Vat. bas. *initium Christus*, consentiente exemplari Germ. epistolas Pauli græce et latine complectenti ab annis circiter mille exarato.

(*d*) Bad. *in adventu ejus*, sine *qui :* cui consentit et græcum, ἐν τῇ παρουσίᾳ. At Er., Lips. et Par., *qui in adventum ejus crediderunt*, quod et habet ms. Corb. a secunda manu : renitentibus aliis sincerioribus et græco.

(*e*) Er. et Lips. *destruetur mors*.

(*f*) Rursum hic mss. magno consensu omittunt *cum autem subjecta fuerint ei omnia*.

(*g*) In ms. Martin. ac pluribus aliis, *mysteriorum arcana*. Mox post *per Jesum Christum*, addit Vat. bas. ms., *et Deum patrem :* quæ verba in nullo alio codice occurrunt, quamvis exstent initio epist. ad Gal. quo hic respicitur.

(*h*) Corb. aliique posterioris ævi mss. cum Bad., Er. et Lips. *oliter*. Vat. bas., Colb., Martin. et alia vetusta exemplaria cum Par., *sæpius*. Remig., *serius*. Nobis ita constat legendum esse *serius*, ut præter morem textum ex conjectura emendemus. Cui favet ms. Carn. in quo *seius;* sic enim *serius* pronuntiant, qui linguæ sunt impeditioris. Eamdem confirmat quod infra, n. 30, legimus *seram obsequelam*.

(*i*) Id est, quæ excogitavimus, et existimamus nos intellexisse, ne animis ita hæreant, ut excutere illa nos pudeat. Pessimum hanc pudorem Augustinus, epist. XCIII, n. 51, in Vincentio Rogatista arguit his verbis : *Quid igitur adhuc dubitas tenere quod sentis, nisi quia id quod nunc sentis, vel aliquando non sensisse, vel aliud defendisse confunderis? Et dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore : quod utique potius erubescendum fuit.*

(*j*) Plures probæ notæ mss. *si qui aliter :* cui lectioni prima hujus numeri verba, postrema autem vulgatæ favent.

(*k*) Editi et aliquot scripti, *novit*. Magis placet cum castigatioribus mss. *monuit*.

(*l*) In mss. Vat. bas., Martin. et Remig., *quam non oderint :* male. Tum *permansisse*, id est, tam diu adhæsisse. Deinde præpositionem *in*, ante *non veris* ab Erasmo additam, sustulimus ex fide mss.

propositæ festinationis ingressum, (*a*) revelationem perfectæ intelligentiæ consequantur. Ingrediamur itaque in quo festinavimus. Et si forte festinationem nostram devii itineris error moratur; per revelationem tamen Dei in id quod festinavimus rursum ingressi, festinationis nostræ non demutemus ingressum. Festinavimus enim ad Christum Jesum Dominum gloriæ et regem æternorum sæculorum, in quo restaurata sunt omnia in cœlis et in terra, cui constant omnia, in quo et cum quo semper manebimus. In his ergo ingressi sapimus perfecte : et si quid aliter sapimus, Deus nobis id quod perfecte sapitur revelabit. Itaque secundum apostolicam fidem sacramentum dictorum præsentium retractemus; et eo modo, quo superius a nobis tractata sunt omnia, ut omnem impiæ voluntatis sensum sub dictis apostolicis (*b*) præceptum ex ipsa fidei apostolicæ veritate prodamus.

25. *Tria in quæstionem vocata.* — Tria igitur secundum dictorum ordinem in quæstionem vocantur, primum finis, deinde traditio, deinde subjectio : ut per hæc aut desinat Christus in fine, aut regnum tradendo non teneat, aut extra Dei naturam Deo subjectus exsistat.

26. *Objectorum Pauli verborum connexio.* — Ac primum noscendum est, non hunc ordinem apostolicæ esse doctrinæ. Primum enim regni traditio est, deinde subjectio, postremo finis. Sed singulis quibusque causis propria quarumque causarum genera subjecta sunt : ut dum res singulæ in res alias desinant, habeat semper subjacentem sibi causam causa præcedens. Finis enim erit; **392** sed cum tradiderit regnum Deo. Tradet autem regnum; sed cum evacuaverit omnem magistratum et omnem potestatem. Evacuabit autem omnem magistratum et potestatem, quia oportet eum regnare. Regnabit autem, donec ponat omnes inimicos sub pedibus suis. Ponet vero inimicos sub pedibus suis; quia Deus ei subjecit omnia sub pedibus ejus. Subjecit autem Deus ita, ut novissima ab eo mors inimica vincatur. Dehinc subjectis omnibus ei, præter eum qui subjecit ei omnia; tunc subjicietur ipse subjicienti sibi omnia. Subjectionis vero causa non alia est, quam ut sit Deus omnia in omnibus. Finis itaque est, esse Deum omnia in omnibus.

27. *Quid obtendant hæretici.* — Et quærendum nunc ante omnia est, an finis defectio sit, an traditio amissio sit, an subjectio infirmitas sit. Quæ si his sibi contrariis non subjacebunt, erunt in ea intelligentiæ veritate (*c*) qua dicta sunt.

28. *Eripitur eis finem esse abolitionem. Finis quid sit.* — Finis itaque legis Christus est : et quæro utrum abolitio legis Christus sit, anne perfectio? Sed si legem Christus, qui finis ejus est, non dissolvit, sed adimplet, secundum quod ait : *Non veni legem solvere, sed adimplere* (*Matth.* v, 17); finis non defectio est, sed consummata perfectio. Tendunt enim ad finem omnia, non ut non sint, sed uti in eo, ad quod tetenderint, maneant. Et propter finem omnia; cæterum finis ad aliud aliquid non refertur. Sed cum finis (*d*) omnia sit, manens ipse sibi totus est. Et quia non excedens ex sese ulli alii tempori aut rei potius quam sibi proficit; ad finem ipsum semper intentio spei omnis extenditur. Et idcirco Dominus religiosæ fidei patientiam fini se reservantem, ita adhortatur : *Beatus qui permanserit usque in finem* (*Matth.* x, 22), non utique ut sit beata defectio, et non esse sit fructus, et merces fidei (*e*) sui cujusque constituatur abolitio : sed quia finis propositæ beatitudinis inexcessus modus est, beati sunt qui usque ad finem consummandæ beatitudinis manserint, non ultra se fidelis spei exspectatione tendente. Finis itaque est manendi immobilis ad quem tenditur status. Denique Apostolus impietatis finem ad desinendi metum præmonens, ait : *Quorum finis est interitus, nostra autem* (*f*) *exspectatio in cœlis est* (*Philip.* III, 19 *et* 20). Si itaque et beatis et impiis finis est, et finis intelligitur esse defectio : religionem atque impietatem finis exæquat, **393** quia (*g*) utrumque per constitutum finem sit in commune non esse. Et ubi exspectatio nostra in cœlis est, si per finem esse secundum impios (ad instar impiorum) desinamus? Quod si sanctis exspectatio, impiis vero finis debitus esse dicitur : tamen ne sic quidem finis creditur esse defectio; quia quæ pœna impietatis est, omnino non esse ad pœnarum ultricium sensum, causa in his per defectionem sui non exstante patiendi? Finis itaque est indemutandæ constitutionis mansura perfectio : quæ et beatitudini reservata, et impietati est præparata.

29. *Regni traditionem non esse regnandi defectionem.* — Nunc igitur quia jam ambigi non potest, in fine non defectionem, sed non excessuram constitutionem esse intelligendam, quamquam adhuc quædam in ipsa dicti absolutione sint reservata : tamen his tantum ad significationem sensus demonstratis, videamus an traditio regni defectio sit intelligenda regnandi; ut quod tradit Filius Patri, tradendo non teneat. Quod si quis stultæ impietatis furore contendet; fateatur necesse est Patrem, cum tradidit om-

(*a*) Solus codex Vat. bas., *revelationis perfectæ intelligentiam*. Tum plerique, *consequamur*.

(*b*) Apud Bad. et Er., *deceptum*. Apud Lips. et Par., *præreptum* : non ita male. In mss. Vat. bas. et Martin., *præceptis*. In cæteris, *præceptum*, id est, præconceptum. Cum his confer verba num. 7.

(*c*) Martin. ms. *quæ dicta sunt*.

(*d*) Editi, *omnium sit*. Concinnius mss. *omnia sit* : quod in Corb. corrumpere perperam tentavit secunda manus.

(*e*) In vulgatis, *suæ*. Rectius in mss. *sui*, scil. *abolitio* : quæ beata esse nequit, quia defectio non est beatitudinis capax. Mox *inexcessus*, id est, quo ultra tendi nequeat.

(*f*) Aliquot mss. recentiores, *conversatio*.

(*g*) Apud Bad., *utrique* : probe, si faverent scripti. In reliquis edit. *utrimque*. At in mss. magno consensu, *utrumque*; quod de religione et impietate prædicatum, ad *non esse* referatur necesse est.

nia Filio, amisisse tradendo, si tradidisse traditis egere significet. Ait enim Dominus, *Omnia mihi tradita sunt a patre meo* (*Luc.* x, 22); et rursum: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* xxviii, 18). Si igitur tradidisse caruisse est; Pater quoque his quæ dedit caruit. Quod si Pater tradendo non caruit; ne Filius quidem intelligi potest his egere quæ tradit. Ergo si tradidisse omnia, his ipsis quæ tradidit non videtur eguisse; reliquum est, ut in tradendo dispensationis causa noscatur,(*a*) cur et Pater tradendo non careat, et Filius dando non egeat.

50. *Subjectio Christi non humilitatem sonat, sed dispensationem.* — De subjectione autem, ne quid in ea contumeliosum Filio deputetur, cum alia nonnulla fidei nostræ opitulentur, præcipue tamen sibi hic ipse locus aderit. Et primum communem sensum interrogo, utrum nunc subjectionem ita intelligendam putemus, tanquam servitutem dominatui, aut infirmitatem virtuti, aut honori inhonorationem contrariis qualitatibus subdimus, ut Filius secundum hæc Deo patri sit dissidentis naturæ diversitate subjectus. Quod si ita existimabitur, errorem hunc opinionis humanæ apostolici sermonis cautela prohibebit. Subjectis enim sibi omnibus, tunc (*b*) subjiciendum subjicienti sibi omnia ait: et per id, quod tunc subjicietur, dispensationem significavit in tempore. Nam si subjectionem aliud sentiemus, etsi tunc subjicietur, **394** certe subjectus modo non est: et efficiemus eum dissidentem et insolentem et impium, quem necessitas temporis tamquam fracto et compresso tyrannicæ impietatis tumore, in seram obsequelam sit subditura. Et ubi illud erit: *Non veni voluntatem meam facere, sed voluntatem ejus qui misit me* (*Joan.* vi, 38); et rursum: *Propterea Pater diligit me, quia omnia quæ placita sunt ei* (*c*) *facio* (*Joan.* viii, 29); sed et illud: *Pater, fiat voluntas tua* (*Matth.* xxvi, 40); vel hoc Apostoli: *Humiliavit se factus obediens usque ad mortem* (*Philip.* ii, 8)? Et qui se humiliat, habet hoc in natura ne humilis sit; et qui fit obediens, suscipit ex voluntate quod obedit, dum per id, quod se humiliat, fit obediens. Unigenitus itaque Deus humilians se, et obediens Patri usque ad mortem crucis, (*d*) quo genere, cum subjecta ei omnia sint, tunc subjiciendus ipse Patri intelligetur? nisi quod subjectio hæc non novæ obedientiæ, sed (*e*) dispensandi sacramenti est; quia et obsequela jam maneat, et in tempore sit ineunda subjectio? Nihil itaque nunc aliud subjectionis significatio, quam mysterii demonstratio est.

51. *Christo jam subjecta sunt, quæ dicuntur subjicienda.* — Et (*f*) quod sit, secundum hanc eamdem fidei nostræ spem intelligendum est. Nam resurgentem a mortuis Dominum Jesum Christum sedere a dextris Dei, non ignorabile est, etiam Apostolo testante, cum ait: *Secundum operationem potentiæ fortitudinis ejus, quam operatus est in Christo, cum eum excitavit a mortuis, et collocavit ad dexteram suam in cœlis super omnem principatum et potestatem et virtutem et dominationem, et omne nomen quod nominatur non solum in hoc sæculo, sed et in futuro, et omnia subjecit sub pedibus ejus* (*Ephes.* i, 19 *et seqq*). Apostolicus namque sermo secundum Dei potestatem pro factis jam futura significat. Quæ enim per adimpletionem temporum sunt gerenda, ea jam in Christo, in quo omnis est (*g*) plenitudo, consistunt: et quæcumque futura erunt, dispensationis in his potius est ordo, quam novitas. Subjecit enim omnia Deus sub pedibus ejus, licet adhuc subjicienda sint: ut in eo, quod subjecta sunt, Christi indemutabilis sit potestas; in eo vero, quod subjicienda sunt, secundum plenitudinem temporum succedentium ad finem ætatum profectus sit.

52. *Evacuatio quid. Illius a subjectione discrimen.* — Omnem autem contrariam virtutem evacuandam esse non obscura cognitio est, et hunc aeris principem et spiritalis nequitiæ potestatem æterno interitui (*h*) tradendum, secundum illud: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, quem præparavit pater meus diabolo et* **395** *angelis ejus* (*Matth.* xxv, 41). Evacuatio autem non idem est, quod subjectio. Nam evacuare adversantem potestatem, hoc est jus potestatis auferre ne maneat, et per potestatis evacuationem, regni est abolere dominatum. De quo et Dominus testatus est dicens, *Regnum meum non est de hoc sæculo* (*Joan.* xviii, 36): hunc eumdem regni istius potentem mundi principem ante (*i*) testatus, cujus potestas desinet regni sui evacuata dominatu (*Joan.* xvi, 21). Subjectio vero, quæ et obedientiæ et fidei est, eadem vel concessionis vel demutationis demonstratio est.

53. *Quatenus quod Christus sibi subjecit, subjecerit ei Pater.* — Evacuatis itaque magistratibus, subjicientur inimici ejus. Ita autem subjicientur, ut ipse sibi subjiciat. Ita vero subjiciet, ut ei subjiciat Deus. Anne ignoravit Apostolus dicti evangelici virtutem, cum ait: *Nemo venit ad me, nisi pater meus adducat illum* (1) (*j*) *ad me* (*Joan.* vi, 44); cum tamen scriptum sit: *Nemo vadit ad Patrem, nisi per me* (*Joan.*

(1) Verba, *ad me*, desunt in codice Veron.

(*a*) Lips. et Par. et aliquot mss., *cum*. At Bad., Er. et mss. plures ac potiores, *cur*, id est, ob quam dispensationis causam.

(*b*) Ita mss. At editi, *subjiciendus*; et mox *erit*, pro *ait*.

(*c*) Martin. ms. *facio semper*.

(*d*) In mss. bas. Vat. et Martin. hic additur verbum *fit*. Tum post *quo genere*, supple, *subjectionis*.

(*e*) Bad. et Er., *dispensatio sacramenti*.

(*f*) Lips. et Par. post Er., *quid illud sit*. Bad., *quid sit*. Vat. bas. ms., *quod ita sit*. Alii, *quod sit*, puta mysterium.

(*g*) Lips. et Par. *plenitudo divinitatis* reluctantibus aliis libris. Deinde editi, excepto Par., *constituit: quæ cum futura erunt, dispensationis*, etc.

(*h*) Editi, *tradendam*: absque auctoritate mss.

(*i*) Puta his Joan. xvi, 11: *Princeps mundi hujus jam judicatus est*. Mox ex potioribus mss. reposuimus *evacuata*, pro *evacuato*. De potestate diaboli in regna mundi vide tract. Psal. ii, n. 42.

(*j*) Verba *ad me* addimus ex mss. cum quibus mox

xiv, 6)? ut nunc ipse sibi inimicos subjicit, et tamen Deus ei subjecit; omne per hoc opus ejus, Dei in eo esse opus testans. Et cum non nisi per eum eundum ad Patrem sit; ad eum tamen, nisi Pater adduxerit, non venitur. Nam dum filius Dei intelligitur, paternæ in eo naturæ veritas discitur. Atque ita et cognito (*a*) Filio Deus pater advocat, et credito Filio Pater suscipit: quia significatio et cognitio Patris in Filio (*b*) sit per significationem in se Dei patris, religiosos nos in eum paterna religione (1) (*c*) perferentis. Adducit ergo ita Pater, (*d*) dum quod principale est pater creditur. Ad Patrem autem nemo vadit nisi per Filium: quia cessante in nobis fide Filii, ignorabilis Pater est, (2) non adituris ad paternam religionem, nisi prius Filii veneratione suscepta. Atque ita Filio cognito, ad vitæ nos æternitatem Pater adducit et suscipit: et utrumque per Filium est, dum prædicatione per eum Patris, et perducit ad eum Pater, et ad Patrem ipse deducit. Ad absolutiorem itaque dicti præsentis intelligentiam commemoratio sacramenti istius fuit necessaria, ut per Filium esset, quod Pater nos et adducit et suscipit: et per hoc intelligeremus, **396** quatenus quod ipse sibi subjecit, Deus ei subjecit. Dei scilicet in eo natura per nativitatem manente, et ea quæ ipse agit agente: dum ita agit, ut ea Deus agat; et tamen ipse ea, quæ Deus egerit, agat: ita tamen, (3) (*e*) ut in eo quod ipse agit, filius Dei agere intelligatur; in eo vero quod Deus agit, paternæ in eo naturæ ut in filio proprietas sentiatur exsistere.

34. *Qui inimici Christo sint subjiciendi.* — Evacuatis itaque magistratibus et potestatibus, subjicientur ei sub pedibus inimici ejus. Et quos inimicos intelligi oporteat, idem Apostolus docuit, dicens: *Secundum*

(1) *Perfectos.*
(2) *Non adituris paternam religionem.*

magis placuit *ut nunc ipse*, quam cum vulgatis, *Et nunc ipse.*

(*a*) In codice Vat. bas., *filio Deo Pater.*

(*b*) Verbum *sit* ab Erasmo contra mss. fidem expunctum restituimus. Tum in vetustiore ms. ac Germ. *per significationem ejus.* Quod positum videri potest more Græcorum, similibus locis vulgo dicentium τοῦ ἐν ἑαυτῷ, pro *qui in se est.*

(*c*) Ita mss. Remig. et Theod. faventibus Colb., Corb. ac plerisque aliis, in quibus *perferentes*: facilis enim et frequens est in veteribus libris *i* in *e* mutatio: sicque sensus est, fidem et cultum Patris ad fidem et cultum Filii nos perferre, Patre nos in se religiosos perferente in Filium. Si quis *perferente* malit quam *perferentis*, non multum repugnabimus. Loco *perferentis*, habent duo mss. *perfectos.* Unus autem Vatic. cum Vind. et Silv., *paternam religionem perferentes perfectos.* At apud Bad. *in paternam religionem perferente.* In reliquis editis, *paterna religione perfectos adducit. Adducit ergo:* ubi verbum *adducit* repetitur absque ulla auctoritate.

(*d*) Editi, *dum principale Pater.* Rectius mss., *dum quod principale est*, etc. Sic supra n. 2, de Filio: *si etiam id, quod principale est, natum negabit.* Utrobique *principale* ad proprietatem refertur.

(*e*) Abest particula *ut* a tribus mss. Colbertinis, uno Sorbon., Germ. et Martin.

A *Evangelium quidem inimici propter vos, secundum electionem autem dilecti propter patres* (*Rom.* xi, 28). Hos ergo inimicos crucis Christi meminimus: sed quia electi propter patres sunt, scimus eos subjectioni reservatos, secundum quod dictum est: *Non enim volo vos ignorare, fratres, sacramentum hoc, ut non sitis vobis sapientes: quoniam ex parte obtusio facta est in Israel, quoad usque plenitudo nationum intret; et sic omnis Israel* (*f*) *liberabitur, sicut scriptum est* (*Esai.* lix, 20 *et seqq.*), *Et veniet a Sion, qui liberet,* (4) *et avertat impietates ab Jacob, et hoc illis a me testamentum est, cum abstulero iniquitates eorum* (*Ibid.* 25 *et seqq*). Inimici ergo subjicientur sub pedibus ejus.

35. *Subjiciuntur, quatenus gloriæ Christi conformes.* — Sed subjectionem illam quid consequatur, intel B ligendum est, nempe illud, (*g*) *Novissime devicta est ab eo mors* (I *Cor.* xv, 26). Devictio autem mortis nihil aliud quam resurrectio ex mortuis est: cum interitus corruptione cessante, vivæ jam cœlestisque naturæ constituatur æternitas, secundum quod dictum est: *Oportet enim corruptivum istud induere incorruptionem, et mortale istud induere immortalitatem. Cum autem mortale istud induerit immortalitatem, tunc fiet verbum quod scriptum est: Absorpta est mors* (*h*) *in contentione. Ubi est mors aculeus tuus? Ubi est mors contentio tua?* (*Ibid.* 53). In subjectione itaque inimicorum mors vincitur: et morte victa, immortalitatis vita succedit. Quæ autem subjectionis perfecta illa post fidei subjectionem proprietas sit, idem Apostolus testatus est, cum ait, *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ* (i) *conforme* **397** *corpori gloriæ suæ; secundum efficaciæ suæ opera, qua possit subjicere sibi amnia* (*Philipp.* iii, 21). Subjectio itaque etiam ea est, quæ est ex natura in naturam (*j*) concessio:

(3) Particula *ut* abest.
(4) *Et avertet*, juxta græcum ἀποστρέψει.

(*f*) In ms. Martin. *salvabitur:* et mox, *peccata eorum*, non *iniquitates eorum.*

(*g*) In excusis, *novissima.* Exstat quidem supra n. 22, *novissima inimica.* At hic magno consensu habent mss. *novissime.*

(*h*) Pro græco εἰς νῖκος, *in victoriam*, legit Hilarius aut interpres quem sequitur, εἰς νεῖκος. Imo in psal. lix, n. 14, lectionem utramque simul admittit, et in unum componit.

(*i*) Unus ms. Vatic., alter Colb. et Sorbon. *conformes faciens*; quomodo supra lib. ix, n. 8, in quibusdam mss. legi observatum est.

(*j*) Corbeiensis codex ab antiqua manu ad marginem præ se fert, *Caute:* sed cautelam suam secum habet ipse locus, dum statim subjicitur, *Definit autem, non ut non sit*, etc. Neque crediderim Hilarium ab Augustino notari Serm. cont. Arian. cap. 37, ubi ait: *Quamvis non defuerint, qui illam tunc Filii subjectionem ipsius humanæ formæ in divinam substantiam commutationem intelligendam putaverint; tamquam hoc cuique rei subjiciatur, quod in eam vertitur et mutatur.* Hanc autem opinionem ipsorummet Arianorum fuisse ex eodem Augustino lib. ii contra Maximin. c. 16 jam indicavimus num. 14. Eadem Sabellianis ac Marcionitis attribuit Ambrosius lib. v de Fide c. 13, n. 162: *Sabelliani*, inquit, *et Marcionitæ dicunt, quod hæc futura sit Christi ad Deum patrem subjectio, ut in Patrem Filius refundatur.* At vero Hilario hic vox *natura*, non corporum ipsorum

dum a se secundum quod est desinens, ei subjicitur, cujus concedit in formam. Desinit autem, non ut non sit, sed ut proficiat : fitque ex demutatione subditus, in speciem suscepti alterius generis transeundo.

36. *Filii subjectio, gloriæ paternæ consortium.* — Denique ut sacramenti hujus esset ratio absoluta, post novissime devictam mortem, tum ait : *Cum autem dixerit, Omnia subjecta sunt, absque eo qui subjecit ei omnia, tunc ipse subjectus erit illi, qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (*I. Cor.* xv, 26 *et seqq.*). Primus igitur sacramenti gradus est, subjecta esse ei omnia; et tunc ipsum subjectum fieri subjicienti sibi omnia : ut quemadmodum nos gloriæ regnantis corporis sui subdimur, eodem rursum sacramento (*a*) ipse regnans in gloria corporis subjicienti sibi universa subdatur. Subdimur autem gloriæ corporis sui, ut in ea simus (*b*) claritate, qua regnat in corpore : quia corpori ejus conformes erimus.

37. *Corporis Christi gloria.* — Et quidem gloriam regnantis nunc corporis sui Evangelica non tacent. Ita enim scribitur, Domino dicente : *Amen dico vobis, quoniam sunt aliqui de adstantibus istis, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis venientem in regno suo* (*Matth.* xvi, 28). *Et factum est post dies sex, assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est Jesus ante eos, et resplenduit facies ejus ut sol, vestimenta autem ejus facta sunt sicut nix* (*Matth.* xvii, 1 *et* 2). Gloria itaque venientis in regnum corporis Apostolis demonstrata est : Nam in habitu Dominus gloriosæ (*c*) transformationis suæ constitit, regnantis corporis sui claritate patefacta.

38. *Consortium illius nobis promissum.* — Et hujus quidem gloriæ suæ consortium Apostolis pollicens, ait : *Sic erit in consummatione sæculi. Mittet filius hominis angelos* **398** *suos, et colligent de regno ejus omnia scandala et qui faciunt iniquitatem, et mittet eos in caminum ignis; ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum :* A *qui habet aures* (1) (*d*) *audiendi, audiat* (*Matth.* xiii, 40 *et seqq.*). Numquid non omnibus naturales corporalesque aures ad dictorum audientiam patent, ut ad audiendum dominica admonitione (*e*) fuerit necessarium? Sed sacramenti scientiam Dominus insinuans, auditionem doctrinæ fidelis exegit. In consummatione itaque sæculi de regno ejus scandala auferuntur. Habemus ergo regnantem Dominum secundum corporis claritatem, quo usque scandala auferantur. Habemus rursum conformes nos gloriæ corporis sui in regno Patris, tamquam in solis claritate fulgentes : (*f*) in qua habitum regni sui Apostolis in monte transformatus ostendit.

39. *Gloriam impertiens, tradit nos regnum Deo sine regni sui damno. Regnum traditum, nos. Tradens Chri-* B *stus, et hoc quatenus homo.* — Tradet ergo regnum Deo patri : non ita, tamquam tradens potestate concedat, sed quod nos conformes gloriæ corporis sui facti regnum Dei erimus. Non enim ait : Tradet suum regnum ; sed *Tradet regnum* (1 *Cor.* xv, 24), effectos nos per glorificationem corporis sui regnum Deo traditurus. Nos itaque tradet in regnum, secundum hoc in Evangeliis dictum : *Venite, benedicti patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi* (*Matth.* xxv, 34). Fulgebunt ergo justi ut sol in regno patris eorum. Tradet enim Filius Deo regnum eos, quos vocavit in regnum, quibus et beatitudinem sacramenti hujus spopondit dicens : (2) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (*Matth.* v, 8). Regnans itaque avertet scandala, et tunc justi in regno Patris tamquam sol fulgebunt. Tradet autem Deo patri regnum : et tunc quos regnum Deo tradiderit, Deum videbunt. (*g*) Et quod regnum, ipse testatus est dicens ad Apostolos : *In vobis enim est regnum Dei* (*Luc* xvii, 21). Regnans itaque regnum tradet. Et si quis quærat quis iste sit tradens regnum, audiet : *Christus resurrexit a mortuis,* **399** *primitiæ dormientium; quoniam per hominem mors, et per hominem resurrectio mortuorum* (1 *Cor.* xv, 21). Omnis enim hic nunc præsentis quæstionis sermo de sacramento corporis est, quia Christus primitiæ ex mortuis est. Quo autem Christus mysterio ex mortuis resurrexit, Apo-

(1) Non extat *audiendi* in nostro codice.
(2) *Beati mundi corde* cum græco, *μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ.*

essentiam significat, sed qualitatem : quod aperte declaratur tract. psal. ii, n. 41 : *Confracta reparabit* (corpora), *non ex alia aliqua, sed ex veteri atque ipsa originis suæ materie speciem complaciti sibi decoris impertiens : ut corruptibilium corporum in incorruptionis gloriam resurrectio, non interitu naturam perimat, sed qualitatis conditione demutet. Non enim aliud corpus quamvis in aliud resurget*, etc. Non minus luculentus est locus tract. psal. lv, n. 12. Ideo autem, puto, dixit sanctus Doctor naturam mutari, cum solam qualitatum novitatem intelligeret, quod gloriosæ dotes non sint naturales corporum qualitates, sed potius quædam divinæ conditionis prærogativæ. Unde in omnibus his locis *naturæ* nomine naturalem intelligit conditionem.

(*a*) Vat. bas. ms., unus Colb., alter Sorbon. et Martin. *ipse sibi regnans.*

(*b*) In vulgatis, *corporis claritate.* Vox *corporis* abest a mss. Quid de toto subjectionis mysterio sentiat, D paucis hic aperit Hilarius : ut quemadmodum subjicimur Christo, quatenus ejus gloriæ conformes; ita Christus Deo subdatur, quatenus secundum hominem divinæ claritatis consors efficitur. Hæc confer, si lubet, cum tract. psal. lxvii, n. 37.

(*c*) Martin. et Vat. bas. mss. *transfigurationis.* At ad calcem numeri subseq. cum cæteris consentiunt.

(*d*) Verbum *audiendi* desideratur in omnibus prope mss., quamquam exstat in vetustiore Colb.

(*e*) Apud Er. et Lips. *fuerit opus :* renitentibus aliis libris, in quibus cum eadem vi legere est, *fuerit necessarium.*

(*f*) Vat. bas. ms. ac Martin. *in quo habitu se regni.* Vocem *regni* omittit Colb.; nil immutes. Huc facit illud cap. xvii in Matth. n. 2 : *Post dies sex, gloriæ dominicæ habitus ostenditur... regni cœlestis honor præfiguratur.*

(*g*) Ex mss. addimus particulam *et.* Deinde post *quod regnum*, tacitum est verbum *tradet.*

stolo dicente noscamus : *Memento* (1) *Christum a mortuis resurrexisse, de semine David* (II *Tim.* II, 8) : mortem itaque et resurrectionem ex ea tantum docens dispensatione esse, qua caro est.

40. *Subjectionis Christi causa, ut sit Deus omnia in omnibus. Qui id fiat.* — Regnat autem in hoc eodem glorioso jam suo corpore, donec evacuatis magistratibus, et morte devicta subjiciat sibi inimicos. Et quidem ab Apostolo servatus hic modus est, ut magistratibus et potestatibus evacuatio, inimicis vero subjectio deputaretur. Quibus subjectis, subjicietur subjicienti sibi omnia, (2) Dominus (*a*) scilicet, *ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.* XV, 28), (*b*) naturæ assumpti corporis nostri natura paternæ divinitatis invecta. Per id enim erit omnia in omnibus Deus, quia secundum dispensationem ex Deo et homine hominum Deique Mediator, habens in se ex dispensatione quod carnis est, adepturus in omnibus ex subjectione (*c*) quod Dei est, ne ex parte Deus sit, sed Deus totus. Non alia itaque subjectionis causa est, quam ut omnia in omnibus Deus sit, nulla ex parte terreni in eo corporis residente natura, (*d*) ut ante in se duos continens, nunc Deus tantum sit; non abjecto corpore, sed ex subjectione translato; neque per defectionem abolito, sed ex clarificatione mutato; acquirens sibi Deo potius hominem, quam Deum per hominem amittens. Subjectus vero ob id, non ut non sit, sed ut omnia in omnibus Deus sit; habens in sacramento subjectionis esse ac manere A quod **400** non est, non habens in defectione ita se carere, ne non sit.

41. *Prædicta ex Evangeliis confirmantur.* — Et quamquam ad intelligentiæ hujus religiosam securitatem sufficiat nobis apostolica auctoritas, subjiciendum esse (*e*) in tempore et per dispensationem Dominum Jesum Christum primitias dormientium, ut sit Deus omnia in omnibus : per quod non divinitatis infirmitas est, sed assumptionis profectus, dum homo et Deus, jam Deus (*f*) totum est : tamen ne forte, quia et clarificatum in corpore dum in eo regnat, et postea subjiciendum ut Deus omnia in omnibus sit credimus, non etiam ex Evangeliis præsumpsisse existimemur; fidei nostræ testimonium non solum apostolicorum, sed etiam dominicorum B dictorum professione est adstruendum; ut quod loquente Paulo Christus locutus est, id ante Paulum Christus ipse sit jam locutus.

42. *De filii hominis gloria.* — Dispensationem itaque gloriæ hujus Apostolis suis absoluta verborum significatione demonstrans ait : *Nunc glorificatus est filius hominis, et Deus glorificatus est in eo. Si Deus glorificatus est in eo, et Deus glorificavit eum in se, et Deus protinus* (3) *glorificavit* (*g*) *eum* (*Joan.* XIII, 31 *et* 32). Habemus primum gloriam filii hominis, deinde in filio hominis Dei gloriam, (*h*) in eo quod dictum est : *Nunc honorificatus est filius hominis, et Deus honorificatus est in eo.* Hoc enim primum spectat ad corporis gloriam, (*i*) quæ ex naturæ divinæ conso-

(1) *Christum Jesum* cum græco.
(2) *Deo scilicet.*

C (3) *Glorificabit.*

(*a*) Aliquot mss. cum vulgatis, *Deo scilicet.* Verius sinceriores duo Colb., Germ., Remig., Sorbon., etc. *Dominus scilicet.*

(*b*) Remigianus codex, *natura assumpti corporis nostri naturæ*, etc. E regione hujus loci in Corbeiensi codice rursum adscripsit antiqua manus, *Caute lege.* Hoc tantum cavendum, ne *naturæ* vocabulum aliter intelligatur, quam intellexit noster doctor, qui naturam Patris vocavit naturales quasdam paternæ divinitatis dotes, incorruptionem, immortalitatem, etc.

(*c*) Vat. bas. codex cum Martin. *quod Deus est* : minus displiceret, nisi ante haberemus *quod carnis est.* Eadem Mediatoris ratio verbis aliis explicatur in Psal. LXVII, n. 37.

(*d*) Editi, *ut intra se duos :* contra fidem mss. et sententiam Hilarii, vocabulum *duos* non ad personas, sed ad naturas, aut potius ad naturarum qualitates referentis. Hoc enim sibi vult, quod Christus *ante* resurrectionis gloriam, *in se duos*, hominem videlicet et Deum, mortalem et immortalem, eoque *duos*, quia contraria conditione dissidentes, in una persona *continens* (Vat. bas. et Martin. mss. *constituens*) ; *nunc*, cum fruatur resurrectionis gloria, *Deus tantum sit;* quia per indultas divinæ naturæ dotes, immortalitatem, æternitatem, etc., humana quodam modo absorpta est : *adeoque nulla ex parte terreni*, quatenus terreni et corruptibilis, *in eo corporis residente natura.* Ne vero hoc pravum in sensum detorqueatur; caute subjicit, *non abjecto corpore*, etc.

(*e*) Codex Vat. bas. *in tempore dispensationis Dominum*, etc., ex quo efficitur sensus a mente Hilarii alienus. Non enim Christi subjectionem interpretatur de tempore quo degit in carne mortali, quod proprie est tempus dispensationis : sed docet illum subjiciendum *in tempore*, ac proinde quatenus tempori obnoxius est, non quatenus æternus; adeoque *per dispensationem*, et non ex naturali necessitate. Ex quo sumit, divinitatis infirmitatem ex ea subjectione perperam concludi. Ita fere Ambrosius lib. V de Fide, c. 13, n. 164 : *Videmus quia nondum subjectum, sed subjiciendum esse Scriptura commemorat... Nulla igitur servilis in Christi divinitate subjectio.*

(*f*) Idem ms. *Deus totus est.* De discrimine vocabulorum *totus* ac *totum* non nihil jam antea dictum est. Quod vero ibi observatum est, Hilarius iis indifferenter uti, confirmatur ex hoc ipso libro, in quo nunc legimus *Deus totum est*, et superiore numero, *Deus totus.*

(*g*) Bad., Er., Lips. et recentior ms. Colb. hic et infra, *glorificabit*, favente græco verbo δοξάσει : at proxime ante, quamvis etiam græce exstet δοξάσει, habent D tamen *glorificavit;* quomodo hic habetur apud Par. et in cæteris mss. immo lib. IX, n. 40 in scriptis et excusis.

(*h*) In vulgatis, *in eo enim quod dictum est* : lectio perturbata ac sensu destituta.

(*i*) Mallemus *quod*, ut ad corpus referretur : nec omnino placet quod deinde in mss. Vat. bas. et Martin. *ex natura divinæ consociationis.* Subtilis hic habetur allatorum Joannis verborum expositio : ut iis significetur 1° minus plena filii hominis gloria ex consociatione divinæ naturæ, quæ divinis operibus se prodidit, 2° gloria Dei patris, quam ei conciliant eadem Filii opera, 3° plenior filii hominis gloria ei per resurrectionem ob partum Deo honorem indulta, per quam humana natura eo quo jam explicuimus modo transeat in divinam; cui demum cum conformes erimus, Deus erit omnia in omnibus.

ciatione gloriam mutuaretur. Succedit deinde gloriæ plenioris profectus, ex incremento indultæ jam corpori gloriæ capessendus : *Si Deus honorificatus est in eo, et Deus honorificavit eum in se, et Deus protinus honorificavit eum* (*Joan.*, XIII. 32). Per hoc enim glorificavit eum Deus in se, quia jam in eo glorificatus sit Deus. Nam quod **401** Deus in eo glorificatus est, ad corporis gloriam spectat, per quam Dei gloria intellecta per corpus est, gloria Dei per gloriam filii (*a*) hominis intelligenda. Quod vero quia glorificatus in eo Deus est, (*b*) et ideo glorificavit eum Deus in se; per incrementum glorificati in eo Dei, glorificavit eum in se Deus, ut quia jam regnat in gloria, quæ ex Dei gloria est, ipse exinde in Dei gloriam transeat. *In se* enim eum Deus glorificavit, id est, (1) in (*c*) ea natura qua Deus est quod est : *ut sit Deus omnia in omnibus*, (*d*) toto jam in Deum ex ea qua homo est dispensatione mansuro. Nec sane de tempore tacuit dicens : *Et Deus glorificavit eum in se, et Deus protinus glorificavit eum* (*Ibidem*) : ut quia (*e*) prodeunte ad proditionem Juda gloriam, quæ sibi post passionem (*f*) consecutura resurrectione futura esset, significasset in præsens; eam, qua in se eum Deus glorificaturus esset, in posterum reservaret; Dei in eo gloria per virtutem resurrectionis ostensa, ipso vero in Dei gloriam, id est, in Deum omnia in omnibus ex subjectionis dispensatione mansuro.

43. *Subjectionem prave intelligentes coercentur.* — Et in eo quidem quanta furoris hæretici stultitia est, (*g*) desperare id Deo, quod humanis suis spebus blandiatur ; (2) ut (*h*) quod in homine Deus potens sit, id in se ipso efficiendo infirmus sit ? Nec sermo istud, nec sensus rationis capax loquitur, ut naturali quadam necessitate ad consulendum nobis obnoxius Deus, sibi nihil afferre beatitudinis possit : non quod profectu egeat, qui imperturbatæ naturæ virtutisque sit, sed quia per dispensationem et sacramentum magnæ pietatis, (*i*) qui Deus est, et homo est, impotens sibi sit hoc se totum præstare, quod Deus est ; cum nobis non ambigue indulturus **402** sit id quoque nos esse, quod non sumus. Vitæ enim humanæ atque mortis finis est resurrectio : et certissimum militiæ nostræ stipendium est incorrupta æternitas, non ad pœnæ perseverantiam manens, sed ad perpetuæ gloriæ fructum jucunditatemque non desinens. Cum igitur hæc nostra terrenorum corporum origo in habitum naturæ potioris excedat, et conformis gloriæ dominici corporis fiat ; Deus in forma servi repertus, licet jam glorificatus in corpore sit secundum quod in forma servi est, tamen conformis Deo non erit ; ut qui nobis formam glorificati corporis sui tribuet, ipse corpori suo nihil ultra possit quam nobis ac (*j*) sibi sit (3) in commune præstare ? Hoc enim quod dictum est : *Tunc subjectus erit illi, qui ei subjecit omnia, ut sit Deus omnia in omnibus* (I *Cor.*, XV, 28) ; plerique hæreticorum ita affirmant : ut idcirco subjiciendus sit Deo patri Filius, ut Pater per subjectionem Filii Deus sit omnia in omnibus; (*k*) tamquam et adhuc perfectio (4) Deo desit, quam per filii subjectionem sit adepturus : absolutæ itaque ac beatæ divinitatis inops intelligendus, si Deus esse omnia in omnibus per provectionem temporum consequetur.

44. *Deo pleno nil deest, nil accedit.* — Ac mihi quidem Deum sola veneratione intelligenti, non minus humani generis naturam assumpserit, sequitur eum nondum esse plene perfecteque gloriosum, quamdiu pendet alicujus ex genere humano gloria : qua omnibus Christo mediante data, Deus erit omnia in omnibus, ut erunt omnia Christo subjecta.

(1) Desideratur *in*.
(2) *Et quod*.

(3) *Sibi sit commune*.
(4) *Dei ;* paulo post, *intelligendus sit, si Deus*.

(*a*) Apud Bad., Er. et Lips. desideratur vox *hominis*. Tum in tribus mss. perperam additur verbum *est* post *intelligenda*. Hoc enim sibi vult : cum per gloriosa filii hominis gesta intelligi debeat gloria Dei, cujus virtute illa facta sunt.

(*b*) Particulam *et* restituimus ex mss. Colb. et Germ.

(*c*) Præpositio *in*, quæ ab omnibus prope mss. abest, expressa tollit ambiguitatem.

(*d*) Bad. et Er. *tota*. Tum Lips. *jam in Deo :* non male, secundum illud, lib. IX, n. 7 : *Ut unigenitus Deus nasci vellet, mansuro in æternum in Deo, homine.* Vulgata tamen lectio confirmatur ex subnexis. Unde illud *in Deum mansuro* id est, ubi in Deum transformatus fuit, sic semper mansuro, seu nunquam amissuro divinas illas dotes, quas ex gloriæ plenioris profectu capessivit.

(*e*) Remig. ms. *prodeundo ad proditionem Judæ :* renitentibus aliis libris, sacro textu, ac verbis superioribus libri IX, n. 40, ubi locus idem tractatur.

(*f*) Editi excepto Par. *consecuta resurrectione futura esset, in posterum reservaret :* restaurantur ex aliis libris. Hic locus favere videtur lectioni superius annotatæ, *Deus protinus glorificabit eum.* Arbitramur tamen hic respici et in proximum Joannis et in superiorem apostoli locum, cujus illustrandi causa Joannis verba allata sunt : ut ex utroque alia doceatur gloria qua Christus donatur in corpore proprio, alia qua in membris ; ac prima quidem secundum Joannem protinus post resurrectionem data sit, altera vero secundum Paulum in posterum reservata. Cum enim Christus, ut dictum est lib. II, n. 25, et alibi, totius

(*g*) Tres mss. Vaticani, Martin., Remig., etc. *desperare id de Deo*. Colb., Germ. cum Er., Lips. et Par. *desperare in Deo*. Solus codex Vat. bas. *sperare id de Deo*. Præferimus cum Bad. et mss. Corb., Carnut. aliisque, *desperare id Deo*, hoc est, denegare id in Christum Deum convenire, quod sibi sperant.

(*h*) Apud Bad., Er. et in mss. *et*, non *ut*. Mox verbum *efficiendo* omiserant Lips. et Er. post Bad. Ea ipsa sententia mox repetita habetur his verbis : *Impotens sibi sit hoc se totum præstare quod Deus est*, etc.

(*i*) In excusis, *qui Deus et homo est*. Concinnius in mss. *qui Deus est*, scil. ex natura, per dispensationem etiam homo est. Tum illud, *impotens sibi sit*, refertur ad sententiam superiorem : *Nec sermo istud, nec sensus rationis capax loquitur ut.*

(*j*) Addimus *in* ex mss. Vat. bas. uno Colb. et altero Sorbon. Simili loquendi modo supra n. 28, habemus : *Quia utrumque per constitutum finem in commune sit non esse.*

(*k*) Sic antiquiores mss. Vat. bas., Colb., Germ., Martin., Corb., etc. nisi quod in nonnullis omittitur particula *et*. At editi cum Remig., *tamquam ei perfectio Dei desit :* quod et habent aliquot alii mss. omisso *ei*.

his respondere impium videtur, quam adesse; et de natura, quæ humani sensus conceptionem excedat, verbis quorum adhuc significatio angustior quam intelligentia sit, enuntiare se posse confidere ac primum ambigere, desitne quid Deo, an plenus ipse sit, vel pleno jam pleniorem esse (1) reliquum sit. Quod si Deus, cui non aliunde est quod Deus semper est, profectum habeat, ut plus sit aliquando; non potest tamen ad id pervenire, ne sibi nihil **403** desit: quia cui naturæ profectus est reliquus, numquam intelligitur sine aliquo incremento residuo profecisse; dum natura ad profectum spectans, proficiens licet semper, semper tamen pateat ad profectum. Quod autem in plenitudine perfecta manet, semperque est, non sibi reliquit ut plenius sit: quia accessionem plenitudinis (*a*) plenioris perfecta plenitudo non capiat. Et hæc quidem de Deo ita opinandi piæ intelligentiæ species est, Deo nihil deesse, plenumque esse.

45. *In cogitandis Dei rebus Apostoli exemplum.* — Cæterum non ignorat Apostolus, cujusmodi de Deo confessionis voce testandum sit, dicens: *O profundum divitiarum et sapientiæ et scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? aut quis prior* (*b*) *dedit, et retribuetur illi? Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula sæculorum.* (2) (*Rom.*, XI, 33, etc.) Non circumscribitur Deus mente terrena (*V. lib.* IV, *n.* 14), neque hoc sapientiæ suæ profundum sensu intelligentiæ penetrantis attingitur, nec judicia constitutionum suarum perscrutantium ingenio apprehenduntur, nec viæ cognitionis ejus investigabiles se consectantium studiis derelinquunt. (*c*) In comprehensum profundum demersa ejus omnia sunt, nihilque de rebus ejus reperietur, nihil consectabitur. Sensum enim ejus nemo cognovit: et consilio non eguit externo. De nobis autem nunc omnis hic sermo est, non etiam de eo, per quem omnia sunt, qui est magni consilii Angelus (*Esai.*, IX, 6), qui et ait: *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.*, XI, 25). Sed adversum imbecillas mentes nostras, et se ad definiendæ circumscribendæque naturæ divinæ demergentes profundum, confessione apostolicæ protestationis utendum est: ne temeraria (3) opinio (*d*) aliquid sibi de Deo, præter quam docetur, usurpet.

46. *Quæ in humanum cadant intellectum.* — Communis autem hæc naturalium causarum intelligentia est, nihil in sensum cadere, nisi quod sensui subjacet, ut aut (*e*) **404** res aliqua proposita oculis, aut opus quodque ipso sensu nostro ac mente posterius: quorum unum, (4) quod (*f*) aut attrectatur aut cernitur, concedit intra opinionis nostræ sententiam, ipso tactu visuque moderandum; aliud vero, (5) quod fit (*g*) in tempore, et quodam juniore a nobis aut gignitur aut constituitur exordio, quia sensum intelligentiæ non prævenit, judicio quoque sensus dijudicantis obnoxium est. Non enim aut aspectus noster invisibilia dijudicat, qui non nisi tantum conspecta discernat: aut mens nostra se in id, (*h*) quo non extitit, tempus exstendet, et antiquiora ortu suo pervestigabit, cum non nisi earum rerum (*i*) tantum opinio (6) ei, quarum ipse sit senior, relinquatur: quæ plerumque ipsa per necessitatem naturalis suæ infirmitatis incerta, absolutam scientiam in causarum cognitione non teneat; (*j*) nedum modo earum, quæ ante se sint æterna ratione, sensu ultra nativitatem suam redeunte percipiat.

47. *Deus imperscrutabile profundum. Nullus eget.* — Et idcirco Apostolus, quia numquam nisi ea in cognitionem caderent, quæ sensui posteriora succederent, commemorato sapientiæ Dei profundo, et inexscrutabilium judiciorum infinitate, et investigabilium viarum secreto, et incogniti sensus ignoratione, et consilii non communicati (*k*) inintelligentia, subjecit: *Quis enim prior dedit, et retribuetur illi? Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt*

(1) *Ei reliquum sit.*
(2) Codex Veron. hic adjicit *amen*: quod exstat et in græco textu.
(3) *Opinione.*
(4) *Quid.*
(5) *Quod sit.*
(6) Codex Veron. omittit *ei*.

(*a*) Apud Bad., Er. et Lips. desunt voces, *pleniores perfecta.*
(*b*) In mss. Corb. uno Colb. ac paucis aliis hic juxta græcum et Vulgatam, *dedit ei.* At infra, n. 47, in nullis habetur *ei.* Paulo ante et infra Erasmus pro more substituit *ininvestigabiles*, pro *investigabiles.*
(*c*) Præpositio *in*, a Lipsio primum expuncta, huc revocatur ex Bad., Er. et mss.
(*d*) In mss. *opinione.* Postea codex Vat. bas. aliique duo, *præter quam oportet*, non *præter quam docetur.* Tum Corb. cum nonnullis aliis, *usurpent.* Satis placeret, *opinione... præter quam docentur, usurpent.*
(*e*) Ita mss. nisi quod in codice Vat. bas. post *proposita*, exstat etiam *opposita.* Et in vulgatis, *ut aut res opposita oculis.*
(*f*) Omnes prope scripti codices cum excusis, *unum quid.* Legendum omnino *quod* cum Telleriano. Deinde editi particulam *dum* præponebant verbo *concedit*: refragantibus mss.
(*g*) Mss. *quod sit.*
(*h*) Editi cum pluribus mss. *quod non exstitit*: corriguntur ex optimo Colb. necnon Germ.
(*i*) Verba *tantum* et *ei*, in vulgatis omissa, supplemus ex mss. quorum deinde auctoritate, pro *quarum ipsa*, reponimus *quarum ipse*, videl. ortus: maxime cum superius legatur *juniore exordio.*
(*j*) Editi, *ne dum eorum quæ ante se sint, æternam rationem*, etc. Mss. Martin. et Vat. bas. *nedum modo eorum quæ cauta non sint æterna ratione*: minus ad rem. Verius alii, *nedum modo earum* (supple, causarum scientiam) *quæ ante se sint æterna ratione*: id est, si non comprehendit mens quæ ante se sunt aliqua ratione, immo sæpe incerta fluctuat in iis quæ se posteriora sunt; longe minus attinget quæ æterna ratione se præcedant.
(*k*) Lips. *ignorantia.* Editiones aliæ cum scriptis, *intelligentia.* Reponimus *inintelligentia*, quomodo legendum suspicabatur Erasmus, ac non sine mss. auctoritate legimus lib. X, n. 30.

omnia, ipsi gloria in sæcula sæculorum (*Rom.*, XXI, 35 *et* 36). Deus, qui semper est, non subjectus est modo, neque ab anteriore sui aliquo motu mentis aut intelligentiæ prævenitur. Et idcirco investigabile et imperscrutabile ipse totus profundum est. Totus autem ita, ut non per hoc definitus (1) in (*a*) modum sit, sed intellectus sit in immenso: quia a nemine quod est sumpsit, nec prior ei dedit aliquis, ut retribui officium danti oporteat. Ex ipso enim et per ipsum et in ipso omnia sunt. Non eget ex se et per se et intra se manentibus ; nec qui origo, nec qui opifex est, nec qui continens est, (2) et internis (*b*) externus, **405** et effectis conditor : et suorum ipse egens numquam est. Nihil ante est, nihil aliunde, (3) nihil extra (*c*) se est. Quo igitur caret plenitudinis profectu, ut per tempus adhuc Deus omnia in omnibus sit? Vel unde sumet, extra quem nihil est? nihil autem ita, ut semper ipse sit. Et qui ipse semper est, et extra quem nihil est, quo incremento explendus est, vel quo augmento demutandus est, dicens : *Ego sum, et non demutor* (*Malac.*, III, 6) : cum non relinquatur vel ad demutationem locus, vel ad profectum causa, vel ad æternitatem anterius, vel ad Deum aliud præter quam Deus (*d*) ipse est? Non ergo per subjectionem Filii Deus erit omnia in omnibus : neque per causam consummabitur, ex quo et per quem et intra quem omnis causa consistat. Manet itaque ut est semper Deus, nec profectu eget (*e*) qui ad id quod est, ex se ac sibi semper est.

48. *Filius indemutabilis. Exinaniens se non est demutatus. Deum esse omnia in omnibus profectus noster est.* — Sed ne in unigenitum quidem Deum demutandæ naturæ cadit necessitas. Deus enim est, quod plenæ ac perfectæ divinitatis est nomen. Nam ut superius docuimus, et repetitæ gloriæ significatio, et subjectionis causa est, ut sit Deus omnia in omnibus; esse autem Deum omnia in omnibus, sacramentum est, non necessitas. In forma enim Dei manens formam servi assumpsit, non demutatus, sed se ipsum exinaniens, et intra se latens, et intra suam ipse vacuefactus potestatem : dum se usque ad formam temperat habitus humani, ne potentem immensamque naturam assumptæ humilitatis non ferret infirmitas ; sed in tantum se virtus incircumscripta moderaretur, in quantum oporteret eam usque ad patientiam connexi sibi corporis obedire. Quod autem se ipsum intra se vacuefaciens continuit, detrimentum non attulit potestati ; cum intra hanc exinanientis se humilitatem, virtute tamen **406** omnis exinanitæ intra se usus sit potestatis.

49. Quod itaque Deus erit omnia in omnibus, assumptionis nostræ profectus est. Qui enim, cum esset in forma Dei, repertus est in forma servi, rursum confitendus est in gloria Dei patris : ut non ambigue in ejus forma manens intelligatur, in cujus erit gloria confitendus. Dispensatio itaque tantum est, non demutatio : in eo enim est, in quo erat. Sed cum medium est quod esse cœpit, id est, homo natus ; totum ei naturæ, quæ antea Deus non fuit, acquiritur, cum Deus esse omnia in omnibus (*f*) post sacramentum dispensationis ostenditur. Nostra hæc itaque lucra sunt, et nostri profectus, nos scilicet conformes (*g*) efficiendi gloriæ corporis Dei. Cæterum unigenitus Deus, licet et homo natus sit, non tamen aliud quam Deus omnia in omnibus est. Subjectio enim illa corporis, per quam quod carnale (*h*) ei est, in naturam spiritus devoratur, esse Deum omnia in omnibus eum, qui præter Deum et homo est, constituet : noster autem ille homo (*i*) in id proficit. Cæterum nos in hominis nostri conformem gloriam proficiemus, et in agnitionem Dei renovati, ad Creatoris imaginem reformabimur, secundum Apostoli dictum : *Exuti veterem hominem cum actibus suis, et induti novum eum, qui innovatur* (4) *in agnitionem Dei secundum imaginem ejus qui creavit* (*j*) *eum* (*Coloss.* III, 9 *et* 10). Consummatur itaque homo imago Dei. Namque conformis effectus gloriæ corporis Dei, in imaginem Creatoris excedit, secundum

(1) *In modo.*
(2) Deest *et* ; mox *et effecti cognitor.*

(3) *Nihil extra est*, sine *se.*
(4) *In agnitione.* Mox omittitur *eum* post *creavit.*

(*a*) Ita mss. At editi, *in modo.*

(*b*) In ms. Martin. *internis exterior, in effectis cognitor* : male. Ita intelligere est *effectis conditor*, ut Deus iis non egeat quæ condidit, vel etiam ut effecta Deum habeant conditorem.

(*c*) Voculam *se*, in vulgatis omissam, supplent mss.

(*d*) In antiquo ms. Colb. *ipse sit.*

(*e*) Excusi *quia id.* Concinnius mss, *qui ad id* : quo Deus suum sibi esse principium declaretur.

(*f*) Solus codex Martin. *per sacramentum* : minus vere. Triplex enim hic consideratur Christi status, puta in forma Dei, in forma servi, et in gloria Dei Patris : status autem medius vocatur sacramentum dispensationis, quam excepit paternæ gloriæ consortium.

(*g*) Sic magno consensu mss. At in vulgatis, *effici.*

(*h*) Restituimus ex mss. *ei*, quod deerat in excusis. Hæc nituntur verbis Apostoli, *Surget corpus spiritale* : quæ explicans Augustinus contra Adim. c. 12, n. 4 : *Quod autem*, inquit, *spiritale dixit corpus in resurrectione futurum, non propterea putandum est, quod non corpus, sed spiritus erit : sed spiritale corpus omni modo spiritui subditum dicit sine aliqua corruptione vel morte.* Huic interpretationi, uti jam vidimus, consentit noster Hilarius, nisi quod Augustinus spiritale corpus intelligat subditum spiritui nostro, ille divino. Unde in Psal. IX, n. 4, ait quod *per subjectionem obedientiæ* (Deo), *in divinam naturam humanæ assumptionis absorbeatur infirmitas.* Remanet autem quod obedit : sed non remanet naturalis conditio carnis, sive ut dicitur, n. 40 : *terreni corporis*, cui ex se corruptio debita est : ut in naturalem Dei conditionem transeat, corruptionis prorsus expertem.

(*i*) Vat., bas. ms. *in Deo.* Unus Colb. et alter Sorbon. *in eo profecit.* Hic notatu dignum est, qui *noster homo* a nobis distinguatur : ut nostrum hominem dicat Hilarius naturam a Christo assumptam.

(*j*) In vetustioribus mss. non exstat *eum* : e quibus Martin. antea habet, *Exuite veterem hominem... et induite.*

dispositam primi hominis figurationem. Et post peccatum veteremque hominem, in agnitionem Dei novus homo factus, constitutionis suæ obtinet perfectionem, agnoscens Deum suum, et per id imago ejus: et per religionem proficiens ad æternitatem, et per æternitatem Creatoris sui imago mansurus.

407-408 LIBER DUODECIMUS.

Adversus solemnia hæreticorum effata, Non fuit antequam nasceretur, et, De non exstantibus factus est, *æternam divinamque Christi nativitatem tuetur. Et illis quidem volentibus creaturam eum esse, quia de se Sapientiæ nomine dixerit,* Dominus creavit me, *resistit Hilarius;* 1° *quia colitur Christus, cum vetitus sit cultus creaturæ;* 2° *quia cuncta per eum condita sunt, et proprium ei Creatoris est nomen;* 5° *quia in eum non cadit ut speret, ut serviat, ut non sponte subjectus sit, ut liberandus sit: quibus obnoxia est, secundum Apostolum, omnis creatura;* 4° *quia cum forma Dei sit natura Dei, si Christus in forma Dei manens creatura est, erit quoque Pater creatura;* 5° *quia Patri et Filio æqualis honor est deferendus;* 6° *quia Pater uteri nomine illum e propria substantia sese genuisse significat: postremo quia nusquam eum Pater nisi proprium Filium appellat, nec ille Deum nisi proprium Patrem. Contra alii Filii significantur facti, non nati; nec usquam proprietatis nomine donantur. Ubi enim ait Deus,* Filios genui, *non addit* meos. *Ita vero dicit,* Filius meus primogenitus Israel, *ut* meus *in primogenitum, non in Filium cadat.*

Deinde æternitatem attingit nativitatis Christi, a cæterarum rerum origine eo differentis, quod illæ per causam quæ ex nihilo sit, et post tempus quo non fuerint, fiant; ipse vero cum ex eo sit qui est, neque non aliquando, neque ex causa nihilo umquam obnoxia fuerit.

Objectantibus, Si natus est, aliquando non fuit; non enim fuit antequam nasceretur: Respondet, Filium ab æterno Patre natum, perinde æternum esse.

Ad id quod reponunt, Omne quod natum est, non fuit; quia in id natum est ut esset: hoc de rebus humanis concedit, negat de divinis, in quibus ut semper est Pater, ita et semper est Filius: cujus nativitas cum ante tempora æterna sit, nec tempori subjacet, nec nostro sensui.

Instant: Si non percipitur non fuisse antequam natus, sentiendus est natus esse qui erat. Quibus responsio est, eum qui natus prædicatur, non percipi prius fuisse; sicut nec intelligi aliquando non fuisse, qui semper natus sentitur.

Neque efficacius Deum non semper patrem fuisse confingunt; si quidem ex Salomonis, David et Pauli verbis non ambigua est Filii æternitas. Hanc ita evidenter demonstrat Sapientia, cum non modo se ante sæcula fundatam, sed et æternæ rerum præparationi adfuisse, et perinde æternis coæternam esse declarat: ut Christum ante Mariam exstitisse Judæus hinc convinci facile possit.

Moveret forte quod creatam se dicat, nisi se doceret et genitam. Neque vero idipsum duobus verbis significasse existimanda est, quæ creatam se per causam, ante causam autem genitam profitetur.

Ita etiam dum Patrem mundi fabricatorem esse docet, impium illum sensum enecat, quo ipsam in opera creatam ita interpretantur, ut sæculi efficiendi causa Christus primum effectus sit: cum non nativitatis, sed dispensationis suæ respectu Christus dictus sit in opera creatus; quam quidem dispensationem ab initio sæculi obierit, dum per assumptam variæ creationis speciem Adæ, Cain, Abel, Noe, Agar, Abrahæ, Moysi, Jacob aliisque Patribus se conspicabilem præbuit. Hic attingitur, neque rejicitur ut impia, sed ut indocta, quorumdam interpretatio, qui æternam quoque nativitatem ibi creatum ea fere ratione dici putant, qua Christum ex Maria vere natum, factum tamen Paulus prædicarit: ut nimirum omnis in generatione illius passionis opinio amoveatur. Tandem Hilarius confessione fidei suæ de Patre, Filio et Spiritu Sancto librum hunc ac totum opus absolvit.

1. **409** *Ipsa hæreticorum objecta ducunt ad veritatem.* — (*a*) Tendimus tandem, jam sancto Spiritu prosequente, ad tutum securæ fidei tranquillumque portum. Atque ita ut multo mari ventoque jactatis accidere sæpissime solet, ut cum eos circa oras portuum impediti et graves fluctus nonnumquam morentur, ad ultimum in notam sibi fidamque stationem ipse ille ingentis terribilisque undæ æstus impellat. Quod nobis, ut spero, duodecimo hoc adversum hæreticam tempestatem nitentibus libro continget: ut cum in eo gravissimæ impietatis fluctui communitam puppim damus, ipse ille nos fluctus ad optatæ quietis sinum devehat. Omnibus enim incerto doctrinæ vento circumactis, hinc metus, hinc periculum, hinc etiam sæpe naufragium est, quia unigenitus Deus sub prophetica auctoritate creatura esse defenditur: ut in eo non sit nativitas, sed creatio, quia ex persona Sapientiæ dictum est, *Dominus creavit me initium viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22). (*b*) Hic hiemis eorum maximus fluctus est, hæc tortuosi turbinis gravis unda est: quæ excepta a nobis, et securo navigio infracta, usque ad ipsum nos tutissimum portum optati littoris prosequitur.

2. *Certa de Filio fidei veritas.* — Non incertis autem neque otiosis, nautarum modo, nitimur spebus: quos interdum votis magis quam fiducia navigantes, vagi instabilesque venti aut deserunt, aut depellunt. Cæterum nobis adest (*c*) inseparabilis fidei Spiritus

(*a*) Veterrimus codex Vatic. bas. necnon Teller., Remig., Theod. ac Cisterc. hoc præ se ferunt initium: *Lege frater in Christo et sensum accommoda.* Tum cum aliis habent, *Tendimus*, etc.

(*b*) Iidem mss. necnon Martin. hic subtexunt, *in opere suo.*

(*c*) Editi, *insuperabilis;* renitentibus magno consensu mss. Hic quædam est antithesis inter spiritus ventorum qui nautas sæpe deserunt, et Spiritum fidei qui a fidelibus numquam separatur. Item vera fides opponitur pravitati hæreticorum, qui propheticum et evangelicum Spiritum dividere mox convin-

dono unigeniti Dei permanens, et nos indemutabili cursu ad tranquilla deducens: Non enim Dominum Christum creaturam, (1) quia (*a*) neque ipse est; neque facturam, quia facturarum omnium ipse est Dominus: sed Deum novimus, Deum Dei patris propriam generationem. Nos quidem omnes, secundum bonitatis dignationem, dicti assumptique sumus Dei filii; sed ille verus unus patri Deo filius, et vera atque absoluta, (*b*) manens tantum in cognitione utriusque, nativitas. Nostra vero tantum hæc sola religio est, Filium confiteri non adoptivum, sed natum; neque electum, sed generatum. Non enim aut factum, aut **410** non natum prædicamus: quia neque Creatorem creaturis comparamus, neque nativitatem sine generatione mentimur. Non per se est, qui per nativitatem est. Neque non natus est, qui filius est. Neque qui filius est, aliter potest quam nascendo esse quod filius est.

3. *Apud Arianos pugnat secum propheticus et evangelicus Spíritus.* — Nemini autem dubium est, contrarias semper obnitentesque impietatis causas esse causis religionum: neque posse id pie suscipi, quod impie susceptum esse decernitur: (*c*) ut aut hi nunc novi apostolicæ fidei emendatores evangelicum et propheticum Spiritum in lites dividant, et in jurgia partiantur; aut hi aliter prophetaverint, et hi aliter prædicaverint: quia Salomon ad creaturæ nos veneration-nem vocet, Paulus vero servientes creaturæ coarguat. Quæ utique non videntur sibi secundum (*d*) impietatis intelligentiam convenire (*Gal.* I, 15,) ut Apostolus, et per legem edoctus, et per præfinitionem segregatus, (II *Cor.* XIII, 3), et per loquentem in se Christum loquens, prophetiam aut ignoraverit aut non ignoratam dissolverit: et nescierit (2) creaturam Christum, quem creatorem nuncupaverit; et vetuerit creaturæ religionem, qui soli Creatori serviendum monuerit dicens: *Qui immutaverunt veritatem Dei in mendacium, et servierunt creaturæ præterito Creatore, qui est benedictus in sæcula sæculorum* (*Rom.* I, 25).

(1) *Quia neque est.*
(2) *Creatum.*

cuntur. Forte etiam respiciuntur hæc Christi verba, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

(*a*) Ita Bad. cum omnibus mss. In aliis autem editionibus, *quia ipse est qui creavit omnia; neque facturam* etc. glossema.

(*b*) Verbum *manens* a subnexis prava interpunctione separabatur. Nativitas illa manet tantum in cognitione Patris et Filii; quia *nemo novit Filium nisi Pater*, etc.

(*c*) In vulgatis, *ut hi nunc* omisso *aut;* et mox, *dividunt et in jurgia partiuntur, ut hi aliter*, etc. Sequimur mss.

(*d*) Editi, *secundum pietatis Dei intelligentiam*: nisi quod Par. vocabulum *Dei* omittit. At mss. *secundum impietatis intelligentiam*, id est, quæ etsi sibi non conveniunt, concedenda tamen sunt, si proba est impiorum Arianorum intelligentia. Frequens enim apud Hilarium est abstractum, ut vocant, nomen pro concreto, impietas v. g. pro impiis.

(*e*) Vetustior ms. Colb. cum Germ. *ut creatura sit.*

(*f*) Codex Vatic. bas. cum Martin. *Dominum*, non *Deum.*

4. *Christus proprie creator nuncupatur.* — Parumne arguit hanc falsiloquii impietatem, loquens in Paulo Christus Deus? Parumne demutatæ veritatis mendacium damnat? Per Dominum enim Christum creata omnia sunt: et idcirco ei proprium nomen est (*e*) ut creator sit. Non cadit in eum efficientiæ suæ et natura et nuncupatio. Testis nobis est Melchisedech, creatorem cœli atque terræ (*f*) Deum ita prædicans: *Benedictus Abraham Deo summo, qui creavit cœlum et terram* (*Gen.* XIV, 19). Testis est et (*g*) Osee propheta dicens: *Firmans cœlum, et creans terram ego Dominus Deus tuus, cujus manus creaverunt omnem militiam cœli* (*Osee*, XIII, 4). Testis et Petrus ita scribens: *Quasi fideli creatori commendantes animas vestras* (I *Pet.* IV, 19). Quid operis nomen opifici imponimus? Quid nostris (*h*) Deum cognominamus? Creator **411** noster est, creator omnis militiæ cœlestis est.

5. *Christus nequit dici creatura* — Hæc cum ad Filium, per quem facta sunt omnia, apostolica atque evangelica fide intelligenda referantur; quomodo his ipsis quæ gessit æquabitur, et in ea erit naturæ nuncupatione, qua cuncta (*i*) sunt? Primum quidem humanæ intelligentiæ sensus hæc respuit, ut creator creatura sit; quia creatio per creatorem est. Qui si creatura sit; et corruptioni subditus est, et expectationi obnoxius est, et servituti subjectus est. Ait enim idem beatus apostolus Paulus: *Etenim longinqua exspectatio creaturæ revelationem filiorum Dei exspectat. Vanitati enim creatura subjecta est non sponte, sed propter eum* (3) *qui* (*j*) *subdidit eam in spe. Quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem claritatis filiorum Dei* (*Rom.* VIII, 19 etc.) Si igitur Christus creatura est, necesse est sub spe longinquæ exspectationis incertus sit, et longa ejus exspectatio (*k*) nostra potius exspectet, et expectans ea vanitati subjectus sit, et per necessitatis subjectionem non sponte subjectus sit. Subjectus autem non sponte cum sit, necesse est et servus sit; servus autem cum sit, maneat etiam in corru-

(3) *Qui subdidit in spe:* juxta græcum, τὸν ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι.

(*g*) Gillotius, loco *Osee*, substituerat *Esaias*: sane quia hæc apud Osee secundum Vulgatam non reperit, cum apud Esaiam XLV, 12, horum similia quædam legere sit. At apud Septuaginta ea ipsa totidem verbis reperire est: pro quibus in Vulgata tantummodo exstat: *Ego autem Dominus Deus tuus.* Frustra igitur Gillotii correctio apud Par. retenta est. Postea Bad., Er. et Lips. *formans cœlum*, non *firmans.*

(*h*) Erasmus contra fidem veterum librorum hic addidit *cognominibus:* quam vocem retinuere sequentes editiones.

(*i*) Rursum hic Erasmus de suo inseruit, *quæ facta*: nec postea castigatus fuit.

(*j*) In mss. Vat. bas. et Martin. *subdidit omnia.* In Carnut. *subdidit ea.*

(*k*) Codex Vat. bas. cum Martin. *nostram potius exspectet revelationem.* Ab Hilarii sententia minus recederet, qui substitueret *nostram potius exspectet claritatem:* quod repugnare iunuit, quia Christus jam propria gaudet gloria, quam nobis communicaturus est, neque claritatem exspectat nobis communem.

ptione naturæ. Hæc enim omnia creaturæ propria esse Apostolus docet : a quibus per longinquam exspectationem liberanda, secundum humanam gloriam clarescet. Et o imprudentem de Deo atque impiam professionem, his eum per creaturæ contumeliam ludibriis deputare, ut speret, ut serviat, ut coactus sit, (*a*) ut cognitus sit, ut liberandus sit in nostra, non in sua, cum de suis nos ad aliquid provehamur.

6. *Si creatura est, creatura pariter est Pater : quia Filio natura est Patris. Exinanitio Verbi est abolitio.* — Sed impietas nostra cum ingenti perfidiæ incremento per hanc illicitæ vocis audaciam procedit : ut quia Filius creatura sit, Pater quoque non differat a creatura. Christus enim in forma Dei manens, formam servi accepit : et qui in forma Dei est, si creatura est, Deus non aberit a creatura, quia in forma Dei sit creatura. Esse autem in forma Dei, non alia intelligentia est, quam in Dei manere natura : per quod et Deus creatura **412** est, quia in natura ejus sit creatura. Qui autem in forma Dei erat, Deo se æqualem esse non rapuit ; quia ex Dei æqualitate, id est, ex forma ejus in servi formam decederet (*V. lib.* IX, *n.* 14). Decedere autem ex Deo in hominem, nisi se ex Dei forma Deus evacuans, non potuit. Evacuans autem se non abolitus est, (*b*) ne esset ; cum esset aliud quam fuisset. Neque enim defecit ex sese, qui se evacuavit in sese : cum virtutis (*c*) potestas etiam in evacuandi se potestate permaneat ; et in formam servi transisse, non sit naturam Dei perdidisse, cum formam Dei evacuasse nihil aliud quam virtus divinæ sit potestatis.

7. *Filio debetur honor æqualis Patri.* — Adeo autem in forma Dei esse, nihil aliud est quam æqualem Deo esse : ut æqualitas honoris Domino Jesu Christo, qui in forma Dei est, debeatur, ipso dicente: *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Joan.* v, 23). Numquam diversitas rerum, nisi et (*d*) in honore diverso est. Res enim eædem venerationis ejusdem sunt : (*e*) quia aut summus honor indigne inferioribus deferetur, aut cum contumelia superiorum inferiora his æquabuntur in honore. Filius autem (*f*) si ut creatio potius quam nativitas sit, per venerationem (*g*) exæquabitur Patri ; nulla nobis religio honoris ad Patrem est, cum tanta nobis ejus veneratio imposita sit, quanta est creaturæ : sed quia Deo patri in eo, quod ex eo Deus est natus, æqualis est ; est etiam æqualis in honore. Filius enim est, non creatura.

8. *Deus partibus carens ex utero dicitur genuisse, quia ex se. Filium de nihilo volentibus non suppetit loci dicti sensus.* — Et hæc de illo præclara vox Patris est, *Ex utero ante luciferum genui te.* Non præjudicatur autem Deo, ut sæpe jam diximus, per infirmitatem nostræ intelligentiæ ; ut per id, quod *ex utero* genuisse se dixit (*Psal.* CIX, 5), ex partibus internis externisque per membra coeuntibus, tanquam corporalium causarum originibus consistat : cum extra naturalium necessitatum causam liber atque absolutus, naturæ totius dominus manens, proprietatem nativitatis Unigeniti sui ex indemutabilis naturæ suæ virtute significet. Ex spiritu enim **413** spiritus nascens, licet de proprietate spiritus, per quam et ipse spiritus est, nascatur : non tamen alia ei præter quam perfectarum (*h*) atque indemutabilium causarum ad id quod nascitur causa est. Et ex causa licet perfecta atque indemutabili nascens, necesse est ex causa in causæ ipsius proprietate nascatur. Proprietas autem humanarum (*i*) necessitatum intra causas uteri continetur. Sed Deo non ex partibus (*j*) perfecto, sed indemutabili per spiritum, quia Deus spiritus est (*Joan.* IV, 24), non est internarum causarum naturalis necessitas. Sed quia nobis spiritus de spiritu nativitatem prædicabat, sensum nostrum (*k*) causarum nostrarum instituit exemplo ; non in exemplum nativitatis, sed ad intelligentiam generationis ; ut exemplum illud non ad necessitatem proficiat, sed ad sensum. Si igitur creatio est unigenitus Deus : et quid sibi vult significatio intelligentiæ, quæ per consue-

(*a*) Verba, *ut cognitus sit*, quæ magno consensu habent mss. sola Miræi editio retinuit. Quamquam attendentes illud Pauli, *Ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis*, necnon hoc Hilarii, *Servus autem cum sit, maneat etiam in corruptione naturæ*, pro *cognitus* restituendum esse *corruptus* dubio procul ducimus.

(*b*) Editi, *ut non esset*. Aliquot mss. *ne non esset*. At vetustiores *ne esset*. Particula *ne*, pro *ut non* Hilario valde familiaris est.

(*c*) In edit. Mir. ut in mss. Vat. bas. et Martin. hic adjicitur *suæ*. Potestatem illam ita in Christo permansisse, ut ea etiam interdum uteretur, superiori libro probatum est num. 48.

(*d*) Idem mss. *in honori diversitate est*. V. lib. IX, n. 23.

(*e*) Ita mss. nisi quod in uno Vat. bas. *Omnino autem summus*, etc. Editi vero, *quia ut summus honor indigne inferioribus defertur, ita cum contumelia*, etc.

(*f*) Er. et Mir. cum aliquot recentioribus mss. *si concreatio*. Lips. et Par. cum antiquo ms. Colb. *si creatio*. Vindocinensis codex, *sicut creatio*. Non displiceret, *si sic ut creatio*. Namque ex Bad. et mss. Vat. bas., Corb., Remig., Martin. etc. restituentes *si ut creatio*, particulam *ita* ante *ut* tacitam intelligimus, puta, *si ita per venerationem exæquabitur Patri, ut creatio sit*, etc.

(*g*) In vulgatis, *qua exequabitur*. Non exstat *qua* nisi in uno ms. Colb. valde suspecto.

(*h*) His Lipsius substituit, *perfectæ atque indemutabilis, substantiæ :* quod Erasmus in margine adscripserat, Hilarii, ut puto, sensum indicans, non verba.

(*i*) Lips. et Par. ex Erasmi margine *humanarum nativitatum* : obnitentibus omnibus mss. Necessitates hic vocantur, quæ ad aliquem effectum necessario secundum naturæ leges requiruntur. Itaque post verba, *Proprietas autem humanarum necessitatum*, non male animo suppleveris, *ratione habita ad generationem*.

(*j*) In ms. Martin. *profecto*.

(*k*) Erasmo magis arriserat, *generationum nostrarum* : quod frustra Lipsius ex illius margine arripuit, nec apud Par. correctus est. At certe hic non tam sermo est de generationis actu, quam de materiali illius causa.

tudinem nativitatis humanæ intelligentiam divinæ generationis (*a*) ostendit?

9. *Per membra nostri corporis significantur operationes Dei.* — Plerumque enim per hæc nostrorum corporum membra, operationum suarum nobis Deus momenta significans, sensum nostrum usu intelligentiæ communis edocuit, cum ait : *Cujus manus creaverunt omnem militiam cœli* (*Oseæ*, XIII, 4); vel iterum, *Oculi Domini super justos* (*Psal.* XXXIII, 16); vel rursum, *Inveni David* (1) *filium Jesse* (*b*) *virum secundum cor meum* (*Act.* XIII, 22). Cum enim et voluntas significetur in corde, per quam David morum probitate complacuit, et cognitio universitatis (2) qua extra scientiam Dei nihil sit, sub oculorum vocabulo enuntietur, et operum efficientia, quia nihil non ex Deo sit, per nomen manuum intelligatur : volens et providens et agens Deus cuncta, sub significatione causarum corporalium intelligendus sine ministerio corporali, quomodo **414** jam in eo, quod ex utero genuit, (3) non (*c*) per causam corporalem humanæ originis; intelligendæ etiam spiritalis nativitatis sensus affertur ; cum per cæteras (*d*) membrorum significationes, cæterarum quoque in Deo efficientiarum demonstretur effectus?

10. *Dictum est* EX UTERO *ad veræ nativitatis ostensionem.* — Quia ergo proponitur cor ad voluntatem, oculi ad visum, manus ad effectum, cum tamen (*e*) ultra partium infectam comparationem Deus et velit et provideat et peragat, et hæc eadem per cor et oculos et manum enuntietur : nonne significatio, qua (*f*) ex utero genuit, veræ nativitatis ostensio est? non quod ex utero genuerit, sicuti nec per manum agat, nec per oculos videat, (*g*) nec per cor velit : sed quia per significationem horum vere omnia et agat et videat et velit, ita per significationem uteri, vere ex se genuerit quem genuit, non per causam uteri, sed

(1) *Jessæ filium secundum cor meum.*
(2) *Quia.*
(3) *Non per causam corporalem intelligendæ nativitatis sine affectu, cum per cæteras.*

(*a*) Post verbum *ostendit*, Lud. Miræus adjicit *ex utero :* quod in pluribus mss. exstat, non in castigatioribus.

(*b*) Adjecimus *virum* ex mss. Vat. bas., Martin. et aliquot aliis, textu græco suffragante.

(*c*) Sic Lips. et Par. cum mss. Corb. et paucis aliis : quam lectionem etsi non dubitamus interpolatam, castigare tamen non audemus, cum nulla in aliis libris exstet nisi mendosa. Apud Bad., Er. et in ms. Martin. *non per causam corporalem intelligendæ nativitatis sensus affertur : cum per cæteras*, etc. Apud Miræum, *non per causam corporalem humanæ originis intelligentiæ spiritalis intelligendæ nativitatis sensus affertur.* In uno e mss. Vatic. et altero Patrum Minimorum prope Turones, *non per causam corporalium intelligenda est nativitas sine effectu, cum per cæteras*, etc. In vetustioribus Colb., Rem., Vat. bas., Carnut., Germ., Vind. *non per causam corporalem* (Vind. *corporalium*) *nativitatis intelligendæ sine affectu* (Vat. bas. *sine effectu*) *cum per cæteras*, etc. Ex his corrigendum putamus, *non per causam corporalem nativitatis intelligendus sit effectus, cum per cæteras.*

(*d*) In aliquot mss. *membrorum corporalium;* et mox, *efficientiarum spiritalium :* glossema.

(*e*) Apud Er. duntaxat et Mir. *extra* : tum apud Lips. et Par. *partium imperfectam comparationem :* quod cum non exstet nisi a secunda manu in ms. Corbeiensi ; ex Bad., Er. et cæterorum mss. fide restituimus *infectam.* Vix tamen ambigimus, quin præferendum sit *inceptam ;* maxime cum legamus in Ps. CXXIX, n. 4 : *Quidquid compositum est, necesse est non fuerit æternum ; quia compositio habet initium, quo corporatur* (vel *comparatur*, forte etiam rectius, *comparat*) *ut maneat.*

(*f*) Sic Bad. cum plerisque et potioribus mss. Alii vero libri, *ex utero Deus Deum genuit.*

(*g*) Nihil hactenus aut deinceps de auribus, ut cum ms. Vat. bas. et Miræo hic subjiciatur, *nec per aures audiat.*

(*h*) Apud Er., Lips. et Par. adjungitur hic *genuinæ:* quod abest a Bad. et vetustioribus mss. neque præferendum cum Martin. *ad veritatem professionis :* cum *veritas* hic perinde sit ac vera generatio, vera nativitas.

(*i*) In duobus mss. Colb. *de lege*, non *de se :* quod abest ab antiquiori ut et a Remig. In Martin. *hoc se*, sine *de.*

(*j*) Addimus hic *se asserens* auctoritate mss. Vat. bas., Colb., Sorbon., Faur., etc. Pro his habet unus Remig. cum Theod. : *Natus itaque, non factus, aut creatus, sicuti ait.*

ad veritatis (*h*) professionem : sicuti nec per causas corporum aut velit aut videat aut agat, sed utatur his partium nuncupationibus, ut per corporalium ministeria virtus efficientiarum incorporalium sentiatur.

11. *Propheta facturam non dicit, quem Deus testatur filium.* — Natura igitur humanæ consuetudinis non sinit, sed nec Dominicæ doctrinæ sententia patitur, magistro discipulum præesse, vel servum imperare domino : quod alterum alteri et per ignorantiam subjaceat, ut ignarus scienti ; et per conditionem infirmum sit, ut dominatui servitus. Quæ cum ita esse commune judicium sit ; cujus nunc nos temeritatis exemplo Deum creaturam, et filium facturam et dicemus et existimabimus : cum nusquam nobis hoc (*i*) de se et Magister et Dominus servus ac discipulis suis locutus sit, neque nativitatem suam aut creationem aut facturam docuerit? sed et Pater nihil umquam aliud quam filium testatus sit, et **415** Filius nihil aliud quam proprium sibi Deum patrem professus sit? natum utique, non factum aut creatum (4) se (*j*) asserens, sicuti ait : *Omnis qui diligit Patrem, diligit et Filium, qui natus est ex eo* (*Joan.* V, 1).

12. *Operi non convenit filii nomen.* — Factura autem opera creaturarum sunt, non generationis nativitas. Non enim cœlum filius, aut terra filius, aut mundus nativitas est, de quibus dictum est, *Omnia per eum facta sunt* (*Joan.* I, 3), et per Prophetam, *Opera manuum tuarum sunt cœli* (*Psal.* CI, 26) : et per eumdem, *Opera manuum tuarum non omittas* (*Psal.* CXXXVII, 8). Numquid pictori pictura filius, aut gladius fabro filius aut architecto domus filius? Hæc enim opera efficientium sunt : at vero patri solus, qui ex eo nascitur, filius est.

13. *Nos Dei filii facti, non nati, ideoque non sui.* — Et nos quidem filii Deo, sed per facturam filii. Fui-

(4) Absunt verba *se asserens* a ms. nostro.

mus enim aliquando filii iracundiæ (*Ephes.* II, 3); sed filii Deo per spiritum adoptionis effecti, et dici id meremur potius quam nascimur. Et quia omne quod fit, ante quam fiat, non fuit; nos cum filii non fuissemus, ad id quod sumus efficimur. Ante enim filii non eramus: sed post quam meruimus hoc sumus. Sumus autem non nati, sed facti; neque generati, sed acquisiti. Acquisivit enim sibi Deus populum (I *Pet.* II, 9): et per hoc genuit. Genuisse autem Deum filios, numquam cum proprietatis significatione cognoscimus. Non enim ait: Filios meos genui et exaltavi: sed hoc tantum: *Filios genui et exaltavi* (*Esai.* I, 2).

14. *Objectio quod Israel et proprius dicatur et factus.* — Nisi forte in eo quod ait: *Filius primogenitus meus Israel* (*Exod.* IV, 22), quisquam hoc quod *primogenitus meus* dixit, ad detrahendam Filio proprietatem generationis intelliget; ut quia et de Israel dixerit *meus*, assumptio factorum filiorum pro nativitatis proprietate usurpata sit? et idcirco non sit nativitati Dei proprium, quod de eo dictum est: *Hic est filius meus dilectus* (*Matth.* XVII, 5); cum *meus* etiam illis proprium esse dicatur, quos non natos esse manifestum est. Non natos autem esse, licet nati esse dicantur, vel ex eo docetur cum dicitur, *Populo qui nascetur, quem fecit Dominus* (*Psal.* XXI, 32).

15. *Israel non proprius filius, sed proprius primogenitus. Non est proprie filius qui sit cum non fuisset.* — Ergo populus Israel (1) nascitur (*a*), ut fiat: neque per id quod nasci dicitur, non **416** intelligitur et fieri. Ex adoptione enim est filius, non ex generatione; neque ei proprietas, sed nuncupatio est. Nam licet *primogenitus meus* de eo scriptum sit; longe tamen multumque differt, *Filius meus dilectus*, et *Filius primogenitus meus*. Ubi enim nativitas est, ibi *Filius meus dilectus*: ubi vero electio ex gentibus est, et adoptio per voluntatem est, ibi *Filius primogenitus meus*. Illic quod suus est, ad primogenitum est: illic quod suus est, ad filium est. (2) Et in nativitate (*b*) filius primum suus et sic dilectus; et in electione filius primum primogenitus, et sic postea suus: ut, adoptato ex omnibus populis A filio Israel proprium esset, quod primogenitus est; (*c*) nato vero uni Deo manifestum sit proprium esse, quod filius sit. Non est itaque vera et perfecta nativitas, ubi deputatur magis, quam generatur: quia non ambiguum est eum populum, qui in filium nascatur, et fieri. Quod autem fit cum non fuisset, et per id quod factum est dicitur nasci; non est in eo vera nativitas, quia ante aliud quam natum est fuerit. Et idcirco (*d*) non fuit (3) antequam nasceretur, id est, antequam fieret: quia qui ex gentibus filius est, gens est ante quam filius: (*e*) ac per id non vere filius, quia non semper filius. Unigenitus autem Deus neque non (*f*) fuit aliquando non filius, neque fuit aliquid ante quam filius, neque quidquam (*g*) aliquid ipse nisi filius. Atque ita qui semper est filius, B (4) non reliquit id de se intelligentiæ, ne aliquando non fuerit.

16. *Rebus humanis commune est aliquando non fuisse et ex nihilo esse.* — Et nativitates quidem humanæ habent in tempore non fuisse: primum quia omnes ex his omnibus, qui ante (5) non (*h*) fuerint, nascantur. Nam tametsi unicuique nascentium ex eo sit origo qui fuerit; tamen ipse ille, ex quo nascitur, non fuit ante quam natus est. Deinde ipse qui natus est, post quam non fuit natus est, tempore ante manente, quam nascitur. Nascens enim hodie, in eo quod hesternum fuit non fuit; et in id quod est, ex eo quod non fuit, cœpit, et intra intelligentiam nostram est, hesterno id, quod hodie nascitur, non fuisse. Atque **417** ita nativitas ejus, per quam est, C post id quod non fuit manet; quia hodie primum post hesternum tempus esse necesse est, ut ei sit in tempore non fuisse. Et hæc quidem communia in rerum humanarum origine sunt, ut omnia initium sui, cum antea non fuissent, accipiant: primum quidem, ut docuimus, per tempus, deinde per causam. Et per tempus quidem non ambiguum est, quin ea, quæ nunc cœperint, ante non fuerint: per causam vero, quia his non (*i*) ex causa constet esse quod maneant. Revolve enim omnes originum causas, et intelligentiam in anteriora converte: invenies nihil cœpisse per causam, dum omnia per virtutem Dei ad

(1) *Nascetur*, tum, *neque per id quod nascitur, non intelligetur.* D
(2) *Et in nativitate filii;* mox, *et in electione filii.*
(3) *Antequam nascitur.*
(4) *Non relinquit.*
(5) Omittitur *non.*

(*a*) Exemplar. Vat. bas. hic præ se fert *ita*; quod tacitum intelligere est. Subinde in pluribus probæ notæ mss. *neque per id quod nascitur.*

(*b*) In antiquioribus mss. Colb., Rem. etc. desideratur vox *filius:* cujus loco habent Bad., Er., Lips. et plures mss. *filii:* quod præferendum, si postea cum iisdem edit. et omnibus prope mss. anteponatur *et in electione filii.* Lectio quam retinemus est Par., ms. Martin. et aliquot aliorum.

(*c*) Vat. bas. ms. *nativitate vero:* minus placet. Tum editi excepto Par. *unigenito Deo:* imminutam exhibent Hilarii sententiam, qua vult *uni*, id est soli, Deo nato proprium esse quod filius sit.

(*d*) Particula negans in vulgatis omissa suppletur ex mss. quorum vetustiores subinde, ut et alias, habent, *ante quam nascitur.* Proxime post verbum *fieret*, ut antea post *non fuit*, reticetur *filius.*

(*e*) Codex Vat. bas. suffragante Martin. *ac per id quod non vere Filius, gens est*; imprudentis interpolatoris opera.

(*f*) Illud *non* ab Erasmo primum mss. renitentibus expunctum revocamus. Pleonasmus est, ut Græcis, ita et Hilario usitatus, negationis primæ vim non tollens, sed augens, quasi, neque prorsus fuit aliquando non filius.

(*g*) Editi, *aliud ipse.* At mss. *aliquid ipse*, nisi quod in vetere Colb. et Germ. *aliquid ipsi.*

(*h*) Hujus loci emendationem debemus codici Vat. bas. alteri Vaticano, Martiniano et Pratellensi: cum in aliis desideretur particula negans.

(*i*) Id est, non ex causæ primæ substantia; adeoque ex nihilo habent initium. Animus hic ad primos usque parentes nostros revocatur, ut ex iis qui ex nihilo conditi sint, ortum habere convincamur.

id quod sunt creantur, non etiam nascuntur ex aliquo. Ex quo etiam unicuique generi per successionem ipsam naturale est, ne non fuerit et cœperit, dum et post tempus in tempore est : et cum semper universa post tempus sint, causam sui quoque de antea non exstantibus summunt, dum ex his nascuntur quæ antea non fuerint : ipso illo primo humani generis parente Adam ex terra, quæ ex nihilo est, et post tempus (*a*) id est, post cœlum, terram, diem, solem, lunam et astra formato, qui et (*b*) originem non habuerit nascendi et cœperit cum non fuisset.

17. *Unigenitus neque aliquando non fuit, neque ex nihilo.* — Sed unigenito Deo, cui non præest tempus anterius, non relinquitur ut aliquando non fuerit, quia (*c*) ipsum illud *aliquando* jam prius est, deinde non fuisse jam temporis est : et incipiet non post eum tempus esse, sed ipse esse post tempus, cui in eo quod ante quam nascitur non fuit, id ipsum in quo non fuit (1) præferetur. Deinde qui ex eo qui est natus est, intelligi non potest ex eo quod non fuit natus esse : (2) quia (*d*) ei is qui est, ad id quod est, causa est ; non etiam id quod non est, origo nascendi est. Ergo cui neque in tempore est, (*e*) ut aliquando non fuerit ; neque in patre, **418** id est, auctore est, ut subsistat ex nullis : non reliquit id de se occasionis, ut aut ex nihilo natus sit, aut non fuerit antequam nasceretur.

18. *Arianorum contra Filii æternitatem argutiæ.* — Non sum autem nescius plerosque eorum, quibus aut per impietatem obtusa mens sacramentum Dei non capit, aut per adversi spiritus dominationem sub specie religionis obtrectandi Deo furor pronus est, affirmare simpliciorum auribus id solere : nos cum semper Filium fuisse dicamus, neque aliquid aliquando fuisse, (3) quod non fuit (*f*) ; sine nativitate cum per id, quod semper fuerit, prædicare : quia humani sensus (*g*) opinione id quod semper fuit, non (4) patiatur ut natum sit ; « nascendi autem causa sit, ut sit quod non erat : esse vero quod non fuit, nihil aliud sub communi sensu esse, quam nasci. » Adjiciant vero hæc arguta satis atque auditui placentia : « Si, inquit, natus est, cœpit ; et cum cœpit, non fuit ; et cum non fuit, non patitur (*h*) ut fuerit. » Atque idcirco piæ intelligentiæ sermonem esse contendant, « Non fuit antequam nasceretur : quia ut esset qui non erat, (5) non (*i*) qui erat natus est. » Neque eguit nativitate qui erat, cum ad id ut esset qui non erat nasceretur.

19. *Quæstionum captiosarum virus. His fides præferenda.* — Ac primum oportuerat homines religiosam divinarum rerum scientiam præferentes, ubi evangelicæ atque apostolicæ prædicationis veritas (*j*) præferebat, callidæ philosophiæ tortuosas quæstiones abjicere, et sectari potius fidem quæ in Deo est : quia sensum infirmum facile fidei suæ præsidio sophisma syllogisticæ interrogationis exueret, cum captiosa propositio responsionem simplicem, sibique secundum interrogationem rerum obsecundantem, ad ultimum jam sensus sui interrogatione spoliaret ; ut quod professione amisisset, id jam conscientia non teneret. Quid enim tam necessario interrogationi obsecundabit, quam ut cum a nobis **419** quæratur, Estne aliquid antequam nascitur ? In professione nostra sit, non fuisse (*k*) ante quod nascitur ? Neque enim aut in natura aut in necessitate est, ut quod est nascatur : cum nasci quid ob id tantum ut sit, (*l*) non quia erat, necesse sit. Quod cum concessum fuerit a nobis, quia recte conceditur ; exuti (6) fidei conscientia (*m*), capti jam impiis atque alienis studiis acquiescimus.

(1) *Præferatur.*
(2) *Quia et is qui est.*
(3) *Quo non fuit.*

(4) *Non patitur.*
(5) *Non quia erat*, tum, *quia non erat.*
(6) *Fidei scientia.*

(*a*) Scultetus cum Hilarium arguit, quod *contra Mosen*, *Deum simul et semel omnia creasse* senserit, atque in hujus censuræ suæ fidem unum citat librum XII de Trin. vel hinc indicat se etiam in cæteris non satis æquum fuisse judicem sententiarum, quas Patres tuentur. Certe si homo post tempus, quia post cœlum, terram, etc. formatus ; non simul ac semel omnia creata sunt.

(*b*) id est, cujus prima origo non est nativitas ex substantia parentis, sed creatio ex nihilo.

(*c*) Veterrimi codices, *ipsud illud.* Tum editi excepto Par. *aliquando jam temporis est : et incipiet* etc. restaurantur ex aliis libris. Argumentum hic habetur gravissimum adversus Arianos qui in formulis suis, Antiochena scilicet, utraque Sirmiensi, necnon pseudo-Sardicensi, etc. Filium ante sæcula et tempora profitebantur.

(*d*) Editi, *quia ejus qui est :* tum Lips. et Par., *ad id quod est causa pater est.* Castigantur ex mss. Superius ostensum est, nobis ortum esse ex nihilo, et non ex causa : nunc Filii origo ex causa, non ex nihilo demonstratur.

(*e*) In vetusto codice Colb. et Germ. necnon Martin., *ut non aliquando non fuerit.* Melius in aliis particula negans non geminatur. Hoc enim sibi vult : in quem non cadit aut respectu temporis aliquando non fuisse, aut respectu auctoris ex nullis subsistere, etc. Quippe voce *patris* quælibet causa hic significatur.

(*f*) Iidem codices, *quo non fuit :* neque hic placent. Negatur Filius aliquid aliquando fuisse, quod non semper fuerit, seu quidquam comparasse quo aliquando caruerit.

(*g*) Editi, *opinio :* refragantibus mss. Verbum *patiatur* referendum ad *id*, quasi, *id non admittat ut natum sit.*

(*h*) Aliquot probæ notæ mss. *ut non fuerit.* An pro, *ut non non fuerit ?*

(*i*) Bad. et plures mss., *non quia erat et :* et mox, *quia non erat nasceretur.*

(*j*) Er. ac sequentes editiones, *præcellebat :* at Bad. et mss., *præferebat*, scil. rerum divinarum scientiam. Egregium monitum, ut ubi fidei doctrina affulget, captiosis philosophorum quæstionibus non præbeamus aurem, nec ab ea nos ulla ratione divelli patiamur. Quocirca non placet cum codice Pratel., *præferebatur.*

(*k*) Sic Par. cum potioribus mss. Alii vero libri, *ante quam nascitur.*

(*l*) Antiquior codex Colb. cum Martin. et Germ., *non qui erat*, omissa ante vocula *quid* : non ita male.

(*m*) In vulgatis, *fidei scientia.* Verius in melioribus mss., *fidei conscientia : ut*, quemadmodum superius habetur, *quod professione amisisset, id jam conscientia non teneret.*

20. *Hæ non cavendæ tantum, sed et confutandæ. Fides docta quid præstet indoctæ.* — Quod providens ante beatus Apostolus Paulus, sicuti frequenter ostendimus, ut caveremus admonuit, dicens: *Videte ne quis vos spoliet per philosophiam et inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum, in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 8 *et* 9). Cavendum igitur adversum philosophiam est, et humanarum traditionum non tam evitanda sunt studia, quam refutanda. Neque enim his ita concedendum est, quasi vincant potius quam fallant: quia nos Christum Dei virtutem et Dei sapientiam prædicantes, æquum est humanas doctrinas non tam diffugere, quam refellere; et (*a*) simpliciores, ne ab his spolientur, et obstruere et instruere. Nam cum possit omnia, (1) in ea (*b*) ipsa omnia sapienter Deus possit, nec virtuti ejus ratio, nec rationi virtus (*c*) absistat; oportet eos, qui Christum prædicant mundo, irreligiosis mundi imperfectisque doctrinis per scientiam sapientis omnipotentiæ contraire, secundum illud beati Apostoli dictum: *Nostra enim arma non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum, rationes destruentia, et omnem altitudinem elevatam adversus cognitionem Dei* (II *Cor.* x, 4 *et* 5). Fidem non nudam Apostolus atque inopem rationis reliquit: quæ quamvis potissima ad salutem sit, tamen nisi per doctrinam instruatur, habebit quidem inter adversa tutum (2) refugiendi (*d*) recessum, non etiam retinebit constantem (*e*) obnitendi securitatem; eritque ut infirmibus (*f*) sunt post fugam castra, non etiam ut castra habentibus adest interrita fortitudo. **420** Contundendæ sunt ergo insolentes adversum Deum disputationes, et destruenda rationum fallacium munimenta, et elevata ad impietatem ingenia conterenda, nec carnalibus armis, sed spiritalibus; nec terrena doctrina, sed cœlesti sapientia: ut quanta rerum divinarum humanarumque discretio est, (*g*) tanta ultra terrena studia ratio cœlestis (3) excedat.

21. *Filius etsi natus, semper tamen est, quia de Patre qui semper est.* — Cesset itaque sollicitudo perfidiæ: neque negare nos, quia ipsa non intelligit, existimet, quod solum a nobis bene et intelligitur et creditur. Nam ipsa sermonum enuntiatione cum natum (4) profitemur, non tamen non natum prædicamus. Neque enim id ipsum est non natum atque nasci: quia illud ab altero, hoc vero a nemine est. Et aliud est sine auctore esse semper æternum, aliud quod patri, id est, auctori est coæternum. Ubi enim pater auctor est, ibi et nativitas est; at vero ubi auctor æternus est, ibi et (*h*) nativitatis æternitas est: quia sicut nativitas ab auctore est, ita et ab æterno auctore æterna nativitas est. Omne autem, quod semper est, etiam æternum est. Sed tamen non omne, quod æternum est, etiam innatum est. Quia quod ab æterno nascitur, habet æternum esse quod natum est. Quod autem non natum est, id cum æternitate non natum est. Quod vero ex æterno natum est, id si non æternum natum est, jam non erit et pater auctor æternus. Si quid igitur ei, qui ab æterno patre natus est, ex æternitate defuerit, id ipsum auctori (*i*) non est ambiguum defuisse: quia quod gignenti est infinitum, infinitum est etiam nascenti. Medium enim quid inter nativitatem Dei filii, et generationem Dei patris, nec ratio nec sensus admittit: quia et in generatione nativitas est, et in nativitate generatio est. Quod utrumque sine intervallo sui est, quia sine utroque (*j*) nec neutrum est. Quod ergo nisi ex utroque (5) non (*k*) consistit, id in omnibus nisi utrumque non permanet: **421** quia in aliquo alterum non relinquatur, quod id ipsum alterum in aliquo non possit esse sine altero.

22. *Objectio, Quod natum est, non fuit.* — Sed inquiet quisquam divini hujus incapax sacramenti, Omne quod natum est, non fuit: quia in id natum est, ut esset.

23. *In Filium semper natum non cadit non fuisse.* — Et quis igitur ambiget, quin quæ in rebus humanis nata sunt, aliquando non fuerint? Sed aliud est ex eo nasci qui non fuit, aliud ex eo (6) natum esse (*l*) qui semper est. Infantia enim omnis, cum antea non

(1) *Et ea ipsa*; paulo post, *obsistet.*
(2) *Defugiendi.*
(3) *Exstendat.*
(4) *Confitemur.*
(5) Particula negans omittitur in ms. Veronæ.
(6) *Esse* in anteriori editione desideratur.

(*a*) Codex Vat. bas., *simplicium sensum.* Unus Colb. cum Martin. Sorbon. et Miræi edit., *simplicioressensu.*

(*b*) Bad. et Er., *et ea omnia.* Miræus restituens *in ea*, omisit *ipsa.* In pluribus mss. desideratur *in.* Retinendum cum potioribus *et in ea ipsa.* scil. sapientia. Exemplo Dei, qui in sapientia, quæ Christus est, et omnia potest, et sapienter potest, monentur fidei propugnatores, ne aliunde virtutem et sapientiam quærant.

(*c*) Editi, *obsistat.* Rectius mss. *absistat*, id est, nec virtus ratione, nec virtute ratio destituta sit.

(*d*) In mss. Vat. bas., Carnut. et aliquot aliis, *defugiendi.* Mox in una Vatic., *obtinebit*, non *retinebit.*

(*e*) Lips. et Par., *obtinendi*, reluctantibus Bad., Er. et mss.

(*f*) Editi, excepto Bad., *sint*; ac postea *adsit*, non *adest*: et inter hæc, *arma habentibus*, pro *castra habentibus*; quod ex Erasmi margine obtinuit.

(*g*) Ita potiores mss. At editi, *tantum.* Mox Pratellensis codex, *ratio se cœlesti extendat.*

(*h*) Duo e mss. Vatic. cum Bad., Er. et Mir. *nativitas æterna est.* Vetustiore Colb. cum Germ., *nativitas æternitas est.*

(*i*) In duobus mss. et Miræi edit. subjungitur, *qui pater est*; in Corb. autem et aliis recentioribus, *id est, patri quod pater est*: glossema.

(*j*) Particulam *nec* adjecimus auctoritate mss. sinceriorum Colb., Rem., Germ., Hellenismos hujusmodi sæpenumero jam advertimus.

(*k*) Abest *non* ab antiquioribus mss. In Vaticanis, *quod ergo sine utroque consistit*: corrupte. Acute hic demonstratur, nativitatem nulla re carere potuisse quam generatio habuerit, quia neutrum potest sine altero consistere.

(*l*) Er. et posteriores edit., *nasci.* At Bad. et mss. potiores, *natum*: cui verbo Martin. et quidam alii

fuisset, cœpit ex tempore. Quæ rursum in pueritiam excrescens, post etiam adolescentiam coegit in patrem. Et non semper pater est, qui ante in adolescentiam per pueritiam, et in pueritiam per infantiam cœptam profecerit. Ergo qui non semper pater est, non semper et genuit. Ubi autem semper pater est, semper et filius est. Si itaque habes in cogitatione vel sensu Deum, in cujus cognitionis sacramento proprium est quod pater est, non semper patrem esse filii (*a*) geniti; habes et in intelligentia et in scientia, non semper filium esse qui genitus est. Quod si semper Patri proprium est quod semper est pater; necesse est semper Filio proprium esse quod semper est Filius. Et quomodo in sermonem nostrum atque intelligentiam cadet, ut non fuerit ante quam nasceretur, cui proprium est semper esse quod (*b*) natus est?

24. *Filius ut omnia cum Patre habet communia, ita et semper esse. Patri proprium est esse. Filio proprium est et esse.* — Formam itaque atque imaginem invisibilis Dei unigenitus in se Deus continens, in omnibus his quæ propria Deo patri sunt, per plenitudinem (*c*) veræ in se divinitatis æquatur. Nam, ut superioribus libris docuimus, per virtutem et (1) venerationem (*d*), sicut Pater, et honorandus et potens est : ita et in eo quod Pater semper est, ei quoque, in eo quod filius est, Filio semper esse commune est. Nam secundum ad Moysen dictum, **422** *Misit me ad vos is qui est* (*Exod.* III, 14), Deo proprium esse id quod est, non ambigens sensus est : quia id quod est, non potest intelligi dicique non esse. Esse enim et non esse contraria sunt : neque hæ diversæ significationes in unum atque idem coeunt; quia manente alia, altera non erit. Ergo ubi (*e*) *est*, non potest vel sensum vel sermonem inire non esse. (*f*) Sensui nostro retroacto semperque revocato ad intelligentiam ejus qui est (2) de eo (*g*) id ipsum tantum, quod est (*h*), ei semper anterius est : quia id quod infinitum in Deo est, (*i*) semper se infiniti sensus nostri recursui subtrahat : ut ante id, quod proprium Deo est, semper esse, (*j*) aliquid aliud intentio retroacta non capiat; quia nihil aliud ultra (*k*) ad intelligentiam Dei, æternitate procedendi, quam Deum semper esse semper occurrat. Quod igitur et per Moysen de Deo significatum, et per communem sensum nihil aliud nobis intelligendum permittitur, id ipsum unigénito Deo esse proprium (*l*) Evangelia testantur : cum in principio erat Verbum, et cum hoc apud Deum erat (*Joan.* I, 1), et cum erat lumen verum (*Ibid.* 18) et cum unigenitus Deus in sinu Patris est, et cum Jesus Christus super omnia Deus est (*Rom.* IX, 5).

25. *Est æternus ab æterno : adeoque non ex nihilo, aut non aliquando fuit.* — Erat igitur, atque est : quia ab eo est, qui quod est semper est. Ab eo autem esse, id est, ex patre esse, nativitas est. Esse autem semper ab eo qui est semper, æternitas est : æternitas vero non ex se, sed ab æterno. Ex æterno autem nihil aliud, quam æternum. Quod si non æternum; jam nec pater qui generationis est auctor, æternus est. (*m*) Quod cum illi patrem semper esse, atque hujus filium semper esse sit proprium esse, et in eo quod est, significatur æternitas; per id quoque, cui quod est proprium est, (*n*) proprium est et æternum. Nemini autem dubium est, quin generatio significet nativitatem, **423** et nativitas manentem doceat (*cum scil. ex quo ortum ducit natus*), non etiam non manentem. Porro autem ambigi non potest, neminem qui erat nasci. Nam nascendi ad eum non

(1) *Generationem.*
(2) *Deo*, subinde, *quod est Dei*, paulo post, *subtrahit;* tum, *id aliquid aliud.*

mss. addunt *esse.* Jam legimus n. 21 : *Neque id ipsum est non natum* (sine *esse*) *atque nasci.*

(*a*) Ita mss. Vat. bas., Colb., Martin., Germ., Rem., etc. In aliquot aliis, *filii a se geniti.* At in excusis, *filii unigeniti.*

(*b*) Mss. Colb., Martin. et Germ., *quod natum est.*

(*c*) Codex Vat. bas., *in se veræ nativitatis.*

(*d*) In mss. Vat. bas., aliis tribus Vaticanis, Mart., Corb., etc., *generationem :* corrupte.

(*e*) Editi, *ubi esse est :* addito *esse*, absque auctoritate veterum librorum..

(*f*) Solus codex Remig. cum Theod., *sensu.* Agnoscendus hic hebraismus, quo redundat sequens pronomen *ei.*

(*g*) Aliquot mss. recentiores, *dum idipsum.* Alii vero libri, *Deo id ipsum.* Probet lector utrum recte, pro *Deo*, substituerimus *de eo*, scil. qui est, maxime collatis iis quæ num. 31, de Filii infinitate enuntiantur.

(*h*) Excusi cum plerisque mss., *quod est Dei.* Codex Vat., bas., *quod est Deus.* Magis placet cum Remig. ac Theod., *quod est, ei*, puta sensui retroacto.

(*i*) Male apud. Bad., *semper infinitum se sensus.* Nec melius in aliis edit. *semper infinitatem se sensus*, etc. Erasmus perperam conjectavit legendum, *semper per infinitatem si sensus nostri reversui subtrahit.* Veram lectionem magno consensu exhibent mss. Sensus infinitus vocatur, cujus est infinitus recursus.

(*j*) In aliquot probæ notæ mss. hic præponitur *ad*, quod adjectum videtur ob proximum verbum *retroacta*, Sententiæ hujus nativus hic sensus est : *ut intentio* quantumvis *retroacta non capiat aliquid aliud ante id, quod proprium Deo est*, scilicet *semper esse*, etc. Quod in generatim de Deo, nominatim de Filio sic habetur infra num. 32 : *Si quid de Filio mens retroacta scrutabitur, nihil aliud scrutantis sensui, quam natum esse et semper esse, semper occurret.*

(*k*) Editi, *ad intelligendam Dei æternitatem procedat :* tum Bad., *quam Deum* : Er. Lips. et Par., *cum Deum.* Corriguntur ope mss. Porro hic *æternitate procedendi*, id est quod aiunt, *processu in infinitum.*

(*l*) In vulgatis, *Evangelista testatur.* Verius in mss. *Evangelia*, sub quo nomine etiam apostolorum verba comprehenduntur, ac proinde significatur quidquid ad Novum Testamentum pertinet : ut antea Moysi nomine totius veteris legis fides indicatur.

(*m*) Editi, *Quod si illi patrem semper esse, atque huic filium semper esse proprium est, et in eo*, etc. renitentibus magno consensu mss. In his verbis, *quod cum illi*, pronomen *illi* etiam ad Filium ab æterno natum referendum videtur, in hunc fere modum : cum Filio in eo quod semper est illi pater, cujus et semper est filius, proprium sit esse, etc.

(*n*) Apud. Par. et in pluribus antiquis libris semel tantum exstat *proprium est :* quod in prioribus edit. repetitur et in mss. Vind., Remig., Theod., etc.

proficit causa, (*a*) qui per se (1) maneat æternus. Sed unigenitus Deus, qui et Dei Sapientia et Dei Virtus et Verbum est, cum natus sit, patrem testatur auctorem. Cum ex manente natus est, non est natus ex nihilo. Cum ante tempora æterna natus est, omnem sensum necesse est nascendo præveniat. (2) Non reliquit in verbis, ut non fuerit ante quam nasceretur. Si enim sensui nostro subjacet, ut non fuerit ante quam natus est; jam nativitate ejus et sensus (*b*) noster et tempus anterius est : quia omne, quod non fuit, jam et sensui obnoxium et tempori est in ea ipsa significatione qua non fuit; quia non fuisse, pars temporis est. Qui autem ab æterno (*c*) est, et semper fuit, nec est sine nativitate, nec non fuit; dum et semper fuisse supra tempus est, et natum esse nativitas est.

26. *Contra nativitatem æternam impie nititur humana ratio.* — Natum itaque unigenitum Deum, sed natum ante æterna tempora confitemur; quia confiteri necesse est, (*d*) in quo nos apostolicarum ac propheticarum prædicationum dicta concludunt : cum tamen sensus humanus intelligentiam intemporalis nativitatis non apprehendat, quia aliquid in naturis (*e*) terrenis ante tempora natum esse non convenit. Quod cum ita a nobis prædicabitur; quomodo rursum ejusdem intelligentiæ complexu non fuisse ante quam nascitur dicemus, cum secundum Apostolum ante tempora æterna sit unigenitus Deus (II *Tim*, I, 9, *et Tit.* I, 2)? Si igitur natum ante tempora æterna, non ratio humanæ intelligentiæ, sed prudentiæ fidelis professio est; quia et nativitas per auctorem est, et quod tempora excedit æternum est, et **424** extra sensum terrenum est quod ante tempora æterna sit natum : certe jam (*f*) impia voluntate sensum humanæ rationis extollimus, ut per intelligentiam mundi non fuerit ante quam nascitur, cum ultra sensum humanum et intelligentiam mundi nascatur æternum. Æternum autem est, quidquid tempus excedit.

27. *De nato ante tempora dici nequit*, ANTE QUAM NATUS EST, *nec* NON FUIT ALIQUANDO.—Tempora enim omnia vel opinione complectimur, vel scientia : (*g*) cum quod nunc est, scimus non etiam pridie fuisse, quia quod pridie fuerit, nunc non sit: quod autem (*h*) nunc est, nunc tantum sit, non et pridie fuerit. Opinione vero ita præterita metimur, ut ante urbem aliquam institutam non ambigatur tempus fuisse, quo urbs instituta non fuerit. Cum ergo vel scientiæ vel opinioni nostræ subjacent tempora, sensu humanæ intelligentiæ judicamus; ut (*i*) de aliqua re ratione dixisse existimemur, non fuit ante quam nascitur, quia uniuscujusque originem tempora semper antelata præveniant. At vero cum in Dei rebus, id est, in Dei nativitate, nihil non ante tempus æternum sit; non cadit in id, ut (*j*) ante quam natus est, cuique ante tempora æterna (3) promissum (*k*) est æternum, sit secundum beati Apostoli dictum in spe vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna (*Tit.* I, 2), (*l*) aliquando non fuisse dicatur : quia intelligi non potest cœpisse post aliquid, qui esse sit ante æterna tempora confitendus.

28. *De Filii nativitate credere tenemur aliter ac de nostris. Semper natum audientes, numquam non fuisse sentimus.* — Si ergo nasci aliquid ante tempora æterna, neque in naturis humanis est, neque in intelligentia; et tamen in hoc professionibus de se Dei creditur : quomodo id quod sine sensu (*m*) intelligentiæ æternæ natum semper, id est, ante tempora tores obtendere : cujusmodi sunt, qui *per intelligentiam mundi*, hoc est, ex cognitione rerum mundanarum, comparari volunt nati ante tempora æterna notitiam.

(1) *Manet.*
(2) *Non relinquit.*
(3) *Promissum æternum sit.*

(*a*) In codice Vat. bas., *qui semper maneat :* in Martin. *qui permaneat :* grave mendum. Filius quippe semper manet æternus, quamvis non *per se*, seu a se maneat, sed a Patre : quo nomine in illum convenit nascendi ratio.

(*b*) Acute docet, sensum nostrum, si quando filius non fuerit, eo ipso anteriorem fore : quia nimirum cogitando nativitatem illius quodam modo prævertet. Ex quo sequitur eamdem nativitatem non ineffabilem esse, sed sensui nostro subjacere, secundum id quod lib. XI, n. 46 et 47, assertum est.

(*c*) Verbum *est* hic non exsistentiam sonat, sed originem, puta, *qui ab æterno auctore est.* Subinde editi excepto Par. omittunt *nec est sine nativitate*, *nec non fuit :* quæ verba Erasmus in quodam codice se reperisse admonet. Reperisset sane in pluribus, si plures legisset. Nec possumus illius negligentiam non incusare, qui vel reperta an ad sententiæ integritatem necessaria essent, tantillum expendere non curavit.

(*d*) Editi; *id quod.* At mss. *in quo*, vel. *in quod :* id est, confessio nostra terminis iis debet contineri, quos Apostoli et prophetæ nobis constituunt.

(*e*) Mss. Martin. et Vat., bas., *naturis rerum terrenarum.*

(*f*) In Corb. et paucis aliis mss., *impiam voluntatem sensu :* minus sincere. Impiæ voluntatis eos Hilarius arguere solet, qui aperte resistunt veritati, et ignorantiam non possunt apud æquos rerum æstima-

(*g*) Supplendum hic, *scientia quidem.*

(*h*) Particula *nunc*, in vulgatis omissa, ex scriptis revocatur.

(*i*) Editi, *de aliqua ratione.* Rectius mss. *de aliqua re ratione*, hoc est, de re quæ temporibus subjacet, merito ac ratione dixerimus, *Ante quam nascitur non fuit.*

(*j*) Id est, in Dei unigeniti nativitatem non cadit id, ut de illo dicatur, *ante quam natus est.*

(*k*) Bad., Er. et Lips. cum aliquot non melioris notæ mss., *promissum æternum sit*, omisso verbo *est.* Hoc sibi vult : qui promissum æternum ante tempora æterna possidet, (non tantum per participationem naturæ divinæ, sed per plenitudinem), non cadit in id, ut sit adhuc in spe ejusdem promissi; cui conditioni res creatas subjacere num. 5, monstratum est his verbis : *Si igitur Christus creatura est, necesse est sub spe longinquæ expectationis incertus sit.*

(*l*) Particula *et* hic desideratur. Mox *qui esse sit*, etc. sic intellige quasi legeres, *qui confitendus sit esse*, etc.

(*m*) Vaticanæ basilicæ codex, *intelligentiæ humanæ.* Sincerius alii, *æternæ.* Intelligentia creata, ni fallimur, *æterna* nuncupatur, quia *æternitate procedendi :* ad intelligentiam Dei niti potest, licet comprehendere

æterna esse, apostolica fides (*a*) cum locuta sit ; id rursus non **425** fuisse ante quam nascitur, per sensum humanæ intelligentiæ, nostri temporis (*b*) infidelitas eloquitur ? cum quod ante tempus natum est, semper est natum : quia id quod est ante æternum tempus, hoc semper est. Quod autem semper est natum, non admittit ne aliquando non fuerit : quia aliquando non fuisse, jam non est semper esse. Semper autem esse, excludit non semper fuisse. Et excluso (*c*) eo, per id quod semper est natus, non semper fuisse ; non cadit in sensum, ut non fuerit ante quam natus sit : quia qui ante tempora æterna natus est, natus esse semper in sensu est ; cum tamen ante tempora natum (*d*) esse non subeat in sensum. Nam si, quod utique convenit, ante creaturam seu invisibilem seu corporalem, et ante omnia sæcula et tempora æterna, et ante sensum omnem natus confitendus est esse, qui per id, quod ita natus est, semper est ; concipi quoque nullo sensu licet, ut non fuerit ante quam nascitur ; quia et ante sensum omnem est, qui ante tempora æterna natus est, et in sensu numquam est eum, qui semper esse confitendus est, non fuisse.

29. *Reponunt, Qui igitur erat, natus est.* — Sed argute hujus interrogationis calumnia antefertur : « Si, inquit, in sensum non cadit non fuisse ante quam nascitur, reliquum hoc sensui est, ut qui erat natus sit. »

30. *Aliud est semper natum esse, aliud prius esse quam nasci.* — Et calumnianti respondebo : Numquid a me aliud, quam natum, dici meminerit ? Aut numquid ante tempora æterna (*e*) esse, id ipsum sit quod est, eum qui erat nasci ? quia nasci quod erat, jam non nasci est, sed (*f*) se ipsum demutare nascendo. Natum autem semper esse hoc est, sensum A temporum nascendo præcurrere, neque intelligentiæ patere aliquando fuisse non natum. Non est itaque id ipsum, natum ante tempora æterna semper esse, et esse ante quam nasci. Natum autem ante tempora æterna semper esse, excludit non fuisse ante quam nascitur.

31. **426** *Filius nec est, nec non fuit prius quam natus.* — Cæterum non relinquit prius esse quam nasci : quia qui ultra sensum est, in nullo subjacet sensui. Nam si ultra sensum est, natum semper esse, non licet jam esse post sensum, non fuisse eum ante quam nascitur. Cum itaque natum semper esse, nihil aliud (1) sit confitendum esse, quam natum, id sensui, ante quam nascitur vel fuisse vel non fuisse, non subjacet : quia sensum nihil aliud, quam ante B tempora æterna natum esse, semper antevenit. Natus itaque est, et semper est : qui nihil aliud de se patitur intelligi et dici posse, nisi natum. Nam cum anterior ipso tempore (*g*) sensuum est, (quia ante sensum tempus æternum est ;) non admittit sensum de se dijudicantem, esse aut (2) non (*h*) fuisse ante quam nascitur : quia et esse ante quam nascitur, non sit nativitatis ; et non fuisse, jam temporis sit. Ergo et infinitas temporum æternorum quod est temporis, id est, non fuisse, consumit : et nativitas quod suum non est, id est, ante quam nascitur esse, non patitur. Quod si aut esse aut non fuisse sensui subjacebit, jam nativitas ipsa (*i*) post tempus est : quia qui non semper est, necesse est cœperit esse post aliquid.

32. *Semper natus, semper esse animo sentitur.* — C Finis igitur et fidei et sermonis et sensus est, Dominum Jesum et natum esse, et semper esse : quia si quid de Filio mens retroacta scrutabitur, nihil aliud scrutantis sensui, quam natum esse (3) et semper (*j*) esse ; quem ante æterna tempora natum per fidem audivimus.

(1) *Confitendum est.*
(2) *Aut fuisse.*
(3) Illa *et semper esse*, non habentur in nostro.

cum non valeat : *quia id, quod in Deo infinitum est, semper se infiniti sensus nostri recursui subtrahat*, ut dictum est num. 24.

(*a*) Apud. Par., *eum*, non *cum*. Neutrum extat in aliis edit. In nonnullis mss., *collocuta* vel *conlocuta sit*. Restituimus ex potioribus *cum locuta sit*. Arguitur hic temeritas hæreticorum, qui de Filii nativitate disserunt secundum humanam intelligentiam et humanæ naturæ legem, etiam postquam accepere verba apostoli, eum ante tempora æterna natum esse, adeoque mentis humanæ captum excedere docentis.

(*b*) Vocabulum *æstimatione* perperam hic Erasmus D inseruit, ac retinuere sequentes edit. contra fidem mss. Perfidia Arianorum, quorum nomini parcere solet Hilarius, ut lib. VII, n. 3, *nova hæresis*, et num. 6, *novella nunc hæresis*, ita nunc *nostri temporis infidelitas* appellatur.

(*c*) Id est, excluso non semper fuisse, cum ponitur semper natus. Namque illud *eo* respondet articulo τοῦ Græcorum.

(*d*) Erasmus, *natum non esse*, addito *non* contra sensus veritatem et mss. fidem : postea tamen castigatus non fuit. Tum in mss. Vat. bas. et Martin., *non subeat in sensum non fuisse :* interpolatoris opera. Hoc porro sibi vult : licet non subeat in sensum nostrum, sed superet, quod ante æterna tempora natum est, tamen in sensu est cum semper natum esse ; quem ante æterna tempora natum per fidem audivimus.

(*e*) In ms. Martin. *natum esse.*

(*f*) Apud Par. desideratur *se*. Sic Verbum in homine nascendo se quodam modo demutavit, quatenus assumpsit quod non erat : at nativitas non proprie illius, sed hominis assumpti fuit, quamvis etiam Verbo propter unitatem personæ attribuatur.

(*g*) Apud Bad. et in mss. Vind. et Silv. *sensu est.* In aliis editis, *sensu non est.* In mss. Vat. bas. et Martin., *sensum est.* In cæteris, *sensuum est.* Mallet forte aliquis, *sensus est.* Ex principiis lib. XI, num. 46, D positis maxime pendet eorum, quæ hic disputata sunt, intelligentia.

(*h*) Desideratur *non* in edit. Bad. et Par. sicut in pluribus non deterioris notæ mss. Revocatur ex Er., Lips. et mss. Corb., Pratel., Remig., Faur., etc., quod et exigere videntur superiora simul et subsequentia.

(*i*) In solo codice Vat. bas., *post sensum est :* quod licet possit tolerari, verius tamen in aliis, *post tempus est.* Si enim percipitur non fuisse ante quam natus ; illo tempore, quo non fuit, posterior est nativitas : si vero fuisse quidem, sed nondum natus ; tempus illud omne, quo prius fuit, nativitas ante se admittit.

(*j*) In mss. desideratur *et semper esse.* Ea librariis facile excidere solent, in quibus eædem fere voces

esse, semper occurret. Ut igitur Deo patri proprium est sine nativitate, ita et Filio debitum est per nativitatem semper esse. Nativitas autem nihil aliud quam patrem, neque pater aliud quam nativitatem enuntiabit. Medium enim nihil quidquam nomina (*a*) ista, aut natura permittit. Aut enim non semper Pater, si non semper et Filius; aut si semper Pater, semper et Filius : quia quantum Filio temporis, ne semper filius fuerit, abnegabitur; tantum Patri deest, ne pater semper sit : ut licet semper Deus, non tamen **427** et pater in ea fuerit infinitate, qua Deus est.

33. *Deus Arianis non semper pater.* — Etiam in id se professio impietatis extendit, (*b*) ut non Filio tempora nativitatis, sed Patri generationem adscribat : quia generationis modus intra nativitatis sit tempora constitutus.

34. *Refelluntur. Tempora secundum Arianos.* — Pium tibi ac religiosum, hæretice, existimas, Deum semper quidem, sed non semper patrem confiteri? Quod si ita sentire te pium est, Paulum impietatis necesse est, Filium *ante tempora æterna* esse dicentem (*Tit.* I, 2), condemnes : etiam ipsam testantem de se Sapientiam, quod ante sæcula fundata sit, crimineris : quæ Patri aderat tum, cum cœlum præpararet. Sed tu, ut Deo initium tribuas quo pater est, prius temporibus initium decerne (1) quo cœpta erant : quæ si cœpta sunt, mendax est Apostolus, qui ea sit professus æterna. Soletis enim tempora de solis ac lunæ creatione numerare, quia scriptum de his sit : *Et sint in signa et tempora et annos* (*Gen.* I, 14). Sed qui ante cœlum est, quod secundum vos etiam ante tempus est, idem et ante sæculum est. Neque solum ante sæculum est, sed etiam ante generationes generationum sæcula præeuntes. Quid caducis et terrenis, et angustis divina et infinita concludis? Nescit Paulus in Christo nisi temporum æternitatem. Non post aliquid (2) se esse Sapientia, sed ante omnia loquitur. (*c*) Tecum a sole ac luna tempora instituta sunt : Christum autem David ante solem permanere significat dicens : *Ante solem* (*d*) *nomen ejus* (*Psal.* LXXI, 17). Et ne res Dei mundi istius origine inchoatas arbitrareris, idem ait : *Et ante lunam generationes generationum* (*Ibid.* 5). Despiciuntur hic tempora a tantis viris et prophetiæ spiritu dignis : et nihil sensui humano relinquitur, in quo se ante nativitatem, quæ tempora æterna excedit, extendat : sed hunc modum tantum habeat religiosæ opinionis fides, **428** ut Dominum Jesum Christum unigenitum Deum, (3) et ad perfectæ nativitatis confessionem natum meminerit, et in divinitatis veneratione non ignoret æternum.

35. *Objicitur, Sapientiam se creatam testari.* — Sed accusamur mendacii, et una nobiscum doctrina apostolicæ prædicationis arguitur, nativitatem quidem confessa, sed æternitatem (*e*) nativitatis professa : ut et nativitas testaretur auctorem, et æternitas in sacramento divinæ nativitatis sensum humanæ opinionis excederet. Profertum enim adversum nos Sapientiæ de se protestatio, quæ creatam se docuerit his dictis : *Dominus* (4) *creavit me* (*f*) *in initium viarum suarum* (*Prov.* VIII, 22).

36. *Quæ creata a sæculo, eadem ante sæculum fundata.* — Et o te miser, hæretice, qui indulta Ecclesiæ adversum Synagogam arma, contra fidem ecclesiasticæ prædicationis invadis : et doctrinæ salutaris munitissimam intelligentiam rapis adversum universorum salutem; creaturam Christum per hæc verba esse contendens, non Judæum potius, negantem Christi ante sæcula æterna divinitatem et in omnibus operibus ac doctrinis (5) Dei (*g*) efficaciam, per hæc verba Sapientiæ subsistentis exstinguens! quæ

(1) *Quo cœpta sint.*
(2) Omittitur *se* in ms. Veron.
(3) *Et a perfectæ nativitatis confessione.*
(4) *Creavit me initium.*
(5) *Dei efficientiam.*

bis occurrunt. Quem itaque docet fides ante tempora æterna natum, quemque sermo æterni patris filium nuncupat, hunc sensus non percipit nisi semper existentem semperque natum; adeoque in hac notitia finitur fides, sensus et sermo.

(*a*) In mss. probæ notæ, *nomen, ista ut natura.* Consule num. 21.

(*b*) Codex Vat. bas. cum Martin. *ut non solum Filio.* Mox alter Vatic. *sed et Patri.* Tum Bad., Er. et Lips., *generationis adscribat.* In quibus peregrinæ manus secundas curas timemus. Porro illud *non Filio*, etc., id est, nulla Filii mentione facta, Patri generationem adventitiam fuisse scribat. Namque verbum *adscribere* proprie idem est, quod rei jam scriptæ adjicere. Unde et pro *adjicere* simpliciter usitatum est. Et manifestum est hic reprehendi Arianos, quod Patri jam in sua natura constituto generationem tamquam adventitium modum adscribant et adjungant. Refutatur quippe illud Arii in sua Thalia apud Athanas. Or. II cont. Ar., p. 310 et 314 : *Deus non semper erat pater : sed fuit quando solum Deus erat, et pater nondum erat.* Tum de Verbo : *Fuit quando non erat : neque erat ante quam fieret, sed exordium ut crearetur etiam ipsum habuit. Erat enim solus Deus, necdum erat Verbum et Sapientia : deinde cum vellet Deus nos condere, tunc unum aliquem fecit, quem Verbum et Sapientiam nominavit.* Ex quibus liquet, cum quo noster Hilarius modo causam habeat.

(*c*) Mss. Martin. et Vat. bas., *Et cum a sole :* male. Hic eadem est phrasis ac superior, *Soletis tempora de solis ac lunæ creatione numerare.* Nec differt illud *tecum, et secundum te,* aut *tua sententia.*

(*d*) Auctoritate mss. removimus hinc verbum *permanet,* et adjecimus supra vocabulum *David,* et infra conjunctionem *et* ante *generationes* delevimus.

(*e*) In mss. Vat. bas. et Martin. adjungitur hic *naturalem* : quod interpolatorem sapit.

(*f*) Particulam *in* hic et infra omittunt excusi, consentientibus quidem LXX, sed dissidentibus sinceroribus mss. et subnexis Hilarii verbis. Quam hic locus Arianis familiaris esset, Gregorius Naz. Or. XXXVI, n. 4, testatur his verbis : *illud quidem unum ipsis fere in promptu est, Dominus creavit me initium viarum.*

(*g*) Editi, *Dei efficientiam, hæc verba Sapientiæ subsistentis exstinguunt :* et paulo ante Bad., *Nam Judæi potius negant ;* Er. et Lips., *Nam Judæum,* etc., corriguntur ope mss. Hoc enim sibi vult : cur non potius bis verbis Sapientiæ ante sæcula subsistentis

se nunc creatam in initium viarum Dei et in opera ejus a sæculo dixerit; ne forte ante Mariam non manere existimaretur : neque tamen creatam se ad nativitatis intelligentiam referret; quia in viarum initium et in opera sit creata; at vero ne hoc viarum initium, quod utique de divinis rebus humanæ cognitionis exordium est, quisque ad subjiciendam tempori nativitatem infinitam deputaret (*Prov.* VIII, 22 *sec.* LXX), fundatam se ante sæcula sit professa : ut dum aliud est in viarum initium et in opera creari, et aliud est ante sæcula fundari, anterior intelligeretur esse creatione fundatio : et hoc ipsum, quod fundata in opera ante sæculum est, (*a*) sacramentum creationis ostenderet; quia fundatio ante sæculum, et creatio in viarum initium atque in opera post sæculum sit.

37. **429** *Non tempore, sed æternitate sæculum præcedit.* — Jam vero ne creatio et fundatio fidem divinæ nativitatis offenderet, sequitur : *Prius quam terram faceret, prius quam montes stabiliret, ante omnes colles genuit me* (*Ibid.* 25 *et* 26). Jam genitus est ante terram, (1) qui ante sæculum fundatus est : neque solum ante terram, sed etiam ante montes atque colles. Et in his quidem quia de se Sapientia loquitur, plus loquitur quam auditur. Omnia enim, quæcumque ad infinitatis intelligentiam significantur, istius modi esse oportet, ne rei cuiquam aut generi secunda in tempore sint. Cæterum ad æternitatis demonstrationem nequaquam (2) temporalia (*b*) coaptabuntur : quia per id, quod posteriora sunt cæteris, per se ipsa non manifestant infinitatis exoruteris ad exstinguendum Judæum, etc. Sapientiæ ante Mariam subsistentis efficaciam ac virtutem in operibus ac doctrinis fuse prosecutus est Hilarius libris IV et V.

(*a*) Id est, ad sacramentum ac mysterium (dispensationis scilicet) pertinere ostenderet, quod eadem se creatam testificatur.

(*b*) Er. Lips. et Par., *temporaria*. Ms. Vat. bas., *tempora*. Alii cum Bad., *temporalia*.

(*c*) Nihil in his verbis apparet, quod concilio Lateran. IV, adversetur, c. 1, de fide definienti, Deum *ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritalem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam*. Planum enim est, hæc Genesis verba, *In principio creavit Deus cœlum et terram*, ita a concilio intellecta esse, ut ad angelicam naturam *cœlum terram* ad mundanam referret. Atqui Moyses cœlum ante terram memorat, proindeque a Concilio non dissentit, qui angelos ante eamdem prædicat. Neque magis repugnat, quod ait Hilarius contra Auxentium n. 10, *diabolum ante tempora et sæcula substitisse*. Nam cum hic disputet contra Arianum, Ariani autem solent *tempora de solis ac lunæ creatione numerare*, ut audivimus supra n. 54, hinc tantum sequitur angelos, proindeque diabolum, ante solem et lunam substitisse. Quod non inficiandum censet Epiphanius hær. 65, n. 3, propter illud Joan. XXXVIII, 7 : *Cum facta sunt sidera, laudaverunt me omnes angeli mei :* quamvis ipse non probet eos, qui aliquantum temporis ante mundum angelos conditos senserunt; et contra eos num. 8, acriter contendat, certam illam esse et immutabilem sententiam, *ante cœlum et terram nihil omnino rerum conditarum exstitisse : quoniam in principio creavit Deus cœlum et terram; ut illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit*. Aperta tamen est ea de re Ambrosii sententia lib. I, Hex. c. 1, n. 19, dicentis : *Angeli dominationes et Potestates, etsi aliquando cœperunt, erant tamen jam quando hic mundus est factus* : et præf. in ps. I, n. 2 : *Ante ipsum initium mundi Cherubim et Seraphim cum suavitate canoræ vocis dicunt, Sanctus*, etc. Eamdem Hilario nostro opinionem Erasmus hic adscripsit, subscribentibus ei quotquot postea hos libros ediderunt. Nihil tamen advertimus, cur illi certo attribuatur. Immo in ps. CXXXV, n. 8, docere videtur, angelorum sedes ante ipsosmet fuisse institutas. Quamquam in ea opinione nihil discriminis agnoscit Augustinus lib. XI, de Civ. Dei c. 32, ubi prima Genesis verba : *In principio*, non de temporis initio, sed de Verbo, quod etiam Scriptura principium nominat, interpretari licere, eaque interpretatione se plurimum delectari declarat. Hoc dumtaxat cavendum docet, ne angelos Deo coæternos arbitremur.

(*d*) Sic. Bad., Er. et Lips. ac plures mss. Aliquot probæ notæ cum Par., *quia ea*. In codice Vat. bas., *quia qui ante terram et montes et colles sit*.

(*e*) Martin. ms., *aderam illi, et cum secerneret suam sedem*.

(*f*) In mss., *montes*.

(*g*) Legendum putamus *in infinitam :* ut præpositio *in* exciderit propter similem syllabam subsequentem.

(*h*) Verus codex Colb. cum Remig. et Germ., *ut quam præstet*, Silv. *ut quamvis præsit :* non ita male. Eclipticus est hic sermo, eoque hæreticorum sententia notatur, qua Christo ita primum in ordine rerum temporalium locum concedunt : ut quamvis iis præ-

(1) *Qui ante sæcula.*
(2) *Temporaria.*
(3) *Deus Deum Christum generet.*
(4) *Secernebat.*

dium; cum ipsa exordium temporale sortita sint. Quid enim magnum est, ut ante terram (3) Deus Dominum Christum genuerit; cum Angelorum origo (*c*) terræ creatione reperiatur antiquior? Aut cur qui ante terram genitus diceretur, etiam ante montes, neque solum ante montes, sed etiam ante colles natus manifestaretur : cum collium significatio post montes sit, montium vero intelligentia post terram sit? Per quod existimari non potest, idcirco hæc esse dicta, ut ante colles et montes et terram esse intelligeretur (*d*), qui ea, quæ ante terram et montes et colles sunt, infinitatis suæ æternitate præcelleret.

38. *Infinitatem suam quantum licet explicuit, per creata comprehendi non potuit.* — Sed sensum nostrum sermo divinus non inopem rationis reliquit; nam causam dicti per hæc quæ consequuntur ostendit : *Deus fecit regiones, et inhabitabilia, et cacumina quæ habitantur sub cælo. Cum pararet cælum,* (*e*) *eram cum illo, et cum* (4) *segregabat suam* **430** *sedem. Quando super ventos validas faciebat in summo nubes, et cum certos ponebat* (*f*) *fontes sub cælo, et cum fortia faciebat fundamenta terræ, ego eram apud illum componens* (*Proverb.* VIII, 26, *secund.* LXX). Quis hic temporum locus est? Aut quo se extendere ultra (*g*) infinitam unigeniti Dei nativitatem, humanæ intelligentiæ sensus permittitur? Non enim per hæc, quorum creationem mente concipimus, comprehendi generatio ejus potest, qui anterior his omnibus est (*h*) ut quamvis præstet in tempore, non tamen in-

finitus sit, cui hoc solum tributum sit, ut ante temporalia natus sit. Nam cum (*a*) illa tempori in sui constitutione subjaceant, ille tamen, licet anterior his omnibus sit, non sit liber a tempore : quia temporalis horum constitutio tempus nativitatis ejus, qui ante sit natus, ostendat; dum hoc ipsum ei tempus est, quod temporalibus antefertur.

39. *Æternis se coæternam docuit.* — Sed Dei sermo et veræ sapientiæ doctrina (*b*) loquitur perfecta, et absoluta significat, docens se non temporalibus esse anteriorem, sed infinitis. Cum enim præpararetur cœlum, aderat Deo. Numquid cœli præparatio Deo est temporalis (1) (*c*) ut repens cogitationis motus subito in mentem tamquam antea torpidam stupentemque subrepserit, humanoque modo fabricandi cœli impensam et instrumenta quæsierit? Atquin alius prophetæ de operationibus Dei sensus est, cum ait : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum* (*Psal.* XXXII, 6). Præcepto tamen Dei cœli ut firmarentur eguerunt; nam apparatus et virtus eorum in hac imperturbatæ constitutionis (2) suæ firmitate, non de temperatione alicujus (*d*) et permixtione materiæ, **431** sed ex spiritu divini oris exsistit. Quid ergo est, præparanti Deo cœlum genitam ab eo adesse sapientiam; cum neque creatio cœli ex præparatione consistat, neque naturæ Dei sit, in apparatu eum cogitandi operis (3) (*e*) commorari? Nihil enim non semper cum Deo fuit, quidquid in rebus est : quæ etsi ad creationem sui cœpta sunt, non sunt tamen (*f*) ad Dei vel scientiam vel potestatem inchoata. Et testis est nobis propheta dicens : *Deus qui fecisti omnia quæ futura sunt* (*Esa.* XLV, 11, *sec.* LXX). Quæ enim futura sunt, licet in eo quod creanda sunt adhuc fient, Deo tamen, cui in creandis rebus nihil novum ac (*g*) repens est, jam facta sunt : dum et temporum dispensatio est ut creentur, et jam in divinæ virtutis (4) (*h*) præsciente efficientia sint creata. Et idcirco nunc Sapientia natam se ante sæcula docens, anteriorem se non solum his quæ creata sunt docet, sed æternis coæternam, præparationi scilicet cœli, et discretioni sedis Dei. Non enim tum discreta sedes est, cum effecta est : quia aliud est discerni sedem, aliud componi. Neque tum paratum cœlum est, cum præparatum est : nam erat apud præparantem (5) (*i*) et discernentem. Postea vero componebat cum (*j*) parante : æternitatem suam cum præparanti adest, et ministerium quando cum parante componit ostendens. Idcirco nunc etiam ante terram et montes et colles genitam esse se dixit, quia et præparationi cœli adfuisse se doceret : ut hæc jam tunc, cum præpararetur cœlum, penes Deum facta esse per id, quod nihil Deo novum est, demonstraret.

40. *Mundum Deus ab æterno simul ac semel præparavit.* — Perpetua enim et æterna rerum creandarum est præparatio : neque partibus cogitationum universitatis hujus corpus effectum est, ut primum de cœlo sit cogitatum, tum postea terræ cura et tractatus Deum inierit, (*k*) cogitatumque per singula sit, ut **432** primum in planitiem diffunderetur, deinde postea meliore consilio montibus elevaretur, rursum autem etiam collibus variaretur, quarto deinde habitabilis etiam in ipsis cacuminibus redderetur, (*l*) præparatumque cœlum ac sedes Dei segregaretur, ventorumque exhalationes nubes in summo validæ continerent; tunc deinde certi sub cœlo fontes mearent, ac postremo fundamentis terra fortibus confirmaretur. Singulis enim his omnibus anteriorem se Sapientia esse profitetur. Sed cum omnia per Deum quæ sub cœlo sunt facta sint, et componendo cœlo Christus adfuerit, et ipsam præparati cœli præveniat æternitatem; non patitur hoc existimari in Deo minutarum rerum particulatas cogitationes, quia omnis horum præparatio Deo est coæterna. Nam tametsi habeat dispensationem sui, secundum Moysen (*Gen.* I), firmamenti solidatio, aridæ nudatio, maris congregatio, astrorum constitutio, aquarum terræque in ejiciendis ex se (6) ani-

(1) *Et res cogitationis.* Tum, *subrepsit.*
(2) *Consuetudinis.*
(3) *Commemorari.*
(4) *Præscientiæ efficientia.*
(5) *Et decernentem.*
(6) *Animalibus.*

stet; seu præcellat ac præsistat, in tempore tamen sit, et non infinitus.

(*a*) Mss. Remig. ac Theod., *illi tempora.* Quidam alii, *illa tempora.* Vat. bas. ac Martin., *illa temporaria.* Hæc rursum ex hæreticorum sententia exprimuntur : quæ verbo addito sic planiora fient : *Nam id volunt, ut cum illa*, etc.

(*b*) In vulgatis, *doctrina quæ loquitur.* Abest *quæ* a potioribus mss.

(*c*) Bad. et Er., *et res cogitationis motu subito.* Unus e mss. Vatic. cum Martin., *ut recogitationis motus :* quibus favent antiquior Colb., Germ., Corb. ac plurimi alii, in quibus exstat *res cogitationis.*

(*d*) Hæc respiciunt errorem sæpe ab Hilario refutatum, *quo fortuitis concursibus hunc mundi habitum in se coisse, atque ita ex inordinatione in ordine constitisse, quidam ausi sunt opinari*, ut loquitur in psal. CXLVIII, n. 3.

(*e*) Vetustior e mss. Colb. cum Martin. *commemorari.*

(*f*) Lipsius, apud Par. non correctus, prave reposuerat *a Dei vel præscientia vel potestate.* Apud Bad. et Er., *ad Dei vel præscientiam*, etc. Sequimur mss. Hic rebus conditis, quantum ad scientiam ac potestatem Dei attinet, negatur initium; secus vero, si in se spectantur. Post orationis leges videntur postulare *cœptæ* et *inchoatæ.*

(*g*) Sic mss. Editi vero, *recens.*

(*h*) Editi, *et præscientiæ efficientia :* corriguntur auctoritate mss.

(*i*) Omnes prope mss. *et decernentem.*

(*j*) In exemplari Martin. hic et infra, *præparante :* confunduntur verba, quibus non unam vim tribuit Hilarius. Nam *præparo* æternam rerum dispositionem, temporariam autem earumdem conditionem *paro* hic sonat.

(*k*) Editi, excepto Bad., *consultatumque :* renitentibus mss.

(*l*) Lips. et Par., absque ulla auctoritate, *præpararetur que cœlum;* et mox, *continerentur :* et post pauca ex sola Erasmi conjectura, *fontes manarent,* pro *mearent.*

mantibus generatio : (*a*) sed cœli, terræ, cæterorumque elementorum creatio ne levi saltem momento operationis discernitur; quia eorum præparatio æquabili penes Deum (1) æternitatis infinitate constiterat.

41. *Epilogus.* — His igitur infinitis et æternis in Deo Christus cum adesset, solam nobis nativitatis suæ permisit conscientiam : ut quantum ad fidem proficeret (*b*) Dei intellecta nativitas, tantum valeret ad susceptam religionem cognita nativitatis æternitas : quia ex eo qui æternus est patre, nec ratio nec sensus admittat, nisi æternum filium prædicari.

42. *Creationis in Christo nomen frustra objicitur.* — Sed creationis nomen nos et professio movet. Moveat sane nomen creationis, si non nativitas ante sæcula, et creatio in initium viarum Dei et in opera prædicatur. Non enim potest nativitas pro creatione accipi : **433** cum (*c*) nativitas ante causam sit, creatio vero per causam. Ante præparationem enim cœli erat et (*d*) ante sæculum fundatus, qui in initium viarum Dei et in opera est creatus. Aut numquid ejusdem intelligentiæ est, in initium viarum Dei et in opera creari, et nasci ante omnia? quorum unum habet tempus in gestis, aliud vero intemporalem intelligentiam continet.

43. *Mundi condendi velut minister creatus perperam obtenditur.* — Aut forte velis id, quod in opera creatum : ita intelligi oportere, ut propter opera sit creatum : id est, ut (*e*) Christus causa efficiendorum operum sit creatus, ut ipse servus potius et operator mundi maneret, non Dominus gloriæ natus esset; et ad ministerium efficiendi sæculi crearetur, non etiam semper esset filius dilectionis et rex sæculorum? Sed quamquam hunc impiissimum sensum tuum intelligentia communis exstinguat; quia aliud sit in initium viarum Dei et in opera creari, aliud ante sæcula nasci : tamen hic idem locus, ne propter operationem mundi Dominum Christum creatum esse mentireris, occurrit, cum Deum patrem effectorem atque operatorem universitatis ostendit. Tuto id quidem (*f*), quia ei qui pararet omnia adesset ipse componens. Sed cum Scriptura omnis creatorem mundi Dominum Jesum Christum esset locutura; nunc tamen Sapientia; ad (*g*) enecandam impietatis occasionem, et fabricatorem mundi Deum patrem professa est, neque se fabricanti docuit afuisse, quippe cum adesset etiam præparanti : (*h*) et cum Pater pararet, et Sapientia cum parante componeret, adessetque etiam præparanti; per id ipsum (*i*) in ea quæ propter opera creata esse intelligeretur, quia æternæ præparationi futurorum operum adfuisset, neque Scripturam mendacem **434** constitueret, quia cum parante componeret.

44. *Creatam se dicit Sapientia, spectans quæ post*

(1) *Infinitatis æternitate.*

(*a*) Ita mss. At excusi, *non tamen cœli*, omissa deinde particula *ne*. Nondum vidimus in quo hujus libri loco, ut vult Scultetus, prædicarit Hilarius : *Deum omnia simul et semel creasse contra Moysen.* Sæpius jam ostendimus aliter eum sensisse. Sin autem hoc loco sese fundatum existimavit, fundamentum illius evertere facile est. In eo enim aperte *secundum Moysen*, non *contra Moysen* firmamenti solidatio, aridæ nudatio, etc., prædicatur. An favere sibi putat, quod hic *cœli, terræ cæterorumque elementorum creatio ne levi saltem momento operationis discernitur?* At quis non videat etiam hoc ex verbis Moysi exprimi dicentis : *In principio fecit Deus cœlum et terram?* Neque minus recte in superioribus negatur *partibus cogitationum universitatis hujus corpus effectum*, ubi de æterna mundi præparatione sermo est, non de temporaria ipsius conditione. Præterea quid est, quod firmamenti solidationi, aridæ nudationi, etc., quæ dispensationem habeant, opponitur cœli terræque creatio, quæ nec levi operationis momento discernitur? Hoc etiam illustrare est ex Ambros. epist. nunc. XLIV, n. 2, ubi ait : *Sex diebus factum mundum exprimit* Moyses, *non quod Deus tempore indiguerit ad constitutionem ejus : cui intra momentum suppetit facere quæ velit; dixit enim, et facta sunt : sed quia ea, quæ fiunt, ordinem quærunt, ordo autem et tempus et numerum plerumque exigit.* Quod enim Ambrosius ordinem, hoc dispensationem appellare videtur noster Hilarius : qui ex cœli terræque conditione non male innuit, Deum potuisse omnia simul creare, aut potius confirmat quod de æterna omnium præparatione præmiserat; quamvis supra, num. 16, nominatim hominem post cœlum, terram, diem, etc., formatum asserat.

(*b*) Bad. et Er. : *Dei intellectus.* Martin. ms. *Dei intellecta natura.* Mox in vulgatis, *nisi coæternum*, ubi in mss. *nisi æternum.*

(*c*) Locum hunc illustrat illud Gregorii Nazianz. Or. XXXVI, n. 6 : *Quid est ex omnibus rebus quod causam dicere queat; alioqui id Deo antiquius esset..... Ergo quoniam hic aperte et Creavit et Gignit me reperimus; simpliciter hoc censeo, quod cum causa conjunctum invenimus, id humanitati assignandum esse, quod autem simplex causæque expers, divinitati adscribendum. Age igitur, an non illud* CREAVIT *annexam habet causam? Creavit enim me, inquit, principium viarum suarum ad opera sua.... At illud* GIGNIT ME *sine causa dictum est*, etc.

(*d*) Editi, *ante sæcula.* Tum. Bad. et Er., *fundata, quæ initium.... est creata :* Lips. et Par., *fundatus, qui initium*, etc. Postea mss. Martin. et Vat. bas., *ante omnia opera est beatus;* depravate.

(*e*) Athanasius Or. III cont. Ar., p. 395, testis est, Arium, Eusebium atque Asterium non modo dixisse, sed et scripsisse : quod *Deus volens creatitiam naturam producere, cum vidisset eam puritatis suæ et architectationis participem esse non posse, condidit ac fecit primus solus unum solum, eumque appellavit suum filium et Verbum, ut illo condito reliqua deinde per eum condi possent.* Cujus opinionis absurditatem multis deinde demonstrat argumentis. Videsis Hilarii Fragm. II, n. 26.

(*f*) Ab Erasmo hic additum est *pro nobis*, et in sequentibus edit. retentum absque auctoritate. Antea pro *tuto id quidem*, quod est, ad securitatem fidei de Filii æternitate, præ se ferunt mss. Vat. bas. et Martin., *totum id quidem.*

(*g*) Editi, *ad denegandam :* emendantur ex scriptis.

(*h*) Pro *et* legendum putamus *ut*, experti sæpius in mss. alterum pro altero scribi. Subsequentem autem particulam *et* ante *Sapientia* restituimus auctoritate mss. cum a Lipsio fuisset expuncta.

(*i*) In vulgatis, *per idipsum utrumque complexa est, ne propter opera*, etc., lectio interpolata, cui non favet nisi codex Corb. et pauci ex eo apographi, in quibus exstat, *per id ipsum utrumque complexus est, ne*, etc.

sæculum gessit. — Sed tandem doctrinæ catholicæ revelatione, quid sit Christum in initium viarum Dei et in opera creatum esse, in principio hæretice cognosce, et ipsius Sapientiæ dictis impiæ hebetudinis tuæ disce stultitiam. Cœpit enim ita : (*a*) *Si enuntiavero vobis quæ quotidie sunt, memorabor ea quæ a sæculo sunt enumerare* (*Prov.* VIII, 21, *sec.* LXX) : namque cum ante dixisset : *Vos o homines obsecro, et emitto vocem meam filiis hominum. Intelligite simplices astutiam*, (1) (*b*) *indocti autem cor apponite* (*Ibid.*, 4, 5) ; et rursum : *Per me reges regnant, et potentes scribunt justitiam. Per me principes magnificantur, et tyranni per me tenent terram* (*Ibid.*, 15, 16) ; et rursum : *In viis æquitatis ambulo, et inter medias semitas justitiæ conversor : ut dividam diligentibus me substantiam, et thesauros eorum impleam bonis* (*Ibid.*, 20, 21). Quotidianum opus suum Sapientia non tacet. Et primum universos obsecrans monet, et simplices intelligere astutiam, et inductos cor apponere, ut verborum distinctas discretasque virtutes vehemens ac diligens lector expenderet. Suis itaque modis, suis constitutionibus universa agi, intelligi, laudari, obtineri (*al.* teneri) docet : et intra se regna regum, et potentium prudentiam, et principum famosa opera, et jus terram obtinentium tyrannorum contineri ostendit : se quoque non admisceri iniquitatibus, neque injustitiis interesse ; et hoc ob id, ut (2) (*c*) universis æquitatis ac justitiæ operibus intercedendo, diligentibus se æternorum bonorum, et incorruptorum thesaurorum opulentiam subministret. Ergo ea se, quæ quotidie fiunt, enarraturam professa, memorem se quoque ad enumeranda ea quæ a sæculo sunt pollicetur. Et nunc quis hebetudinis sensus est ea, quæ a sæculo esse memorata **435** sunt, quod ante sæculum gesta sint existimare ? quia in his, quæ a sæculo sunt, opus omne post sæculum est : at vero quæ ante sæculum sunt, præveniunt sæculi a se posterioris constitutionem. Memorem itaque se ad dicenda eâ, quæ a sæculo sunt, professa Sapientia ait : *Dominus* (3) *creavit me in initium viarum suarum in opera sua* (*Ibid.*, 22). Rerum itaque a sæculo gestarum significatio ista est : neque generationis ante sæcula prædicatæ, sed dispensationis a sæculo (4) (*d*) initæ doctrina est.

45. *Natus ante sæcula, creatus a sæculo, quid. Qui initium viæ operum Dei. Quando et cur creatus.* — Et quærendum est, quid sit natum ante sæcula Deum, rursum in initium viarum Dei et in opera creari. Quia ubi ante sæculum est nativitas, (*e*) infinitæ generationis æternitas est : ubi vero a sæculo est creatio eadem in vias Dei atque in opera ejus, operibus ac viis causa creationis aptata est. Ac primum, quia Christus sapientia est, videndum est an ipse sit initium viæ operum Dei. Nec, ut opinor, ambigitur : ait enim, *Ego sum via* (*Joan.* XIV, 6) ; et, *Nemo vadit ad Patrem, nisi per me* (*Ibidem*). Via est dux euntium, festinantium cursus, ignorantium securitas, et quædam nescitarum ac desideratarum rerum magistra. (*f*) Ergo in viarum initium in opera Dei creatur : quia et via est, et deducit ad Patrem. Sed creationis hujus, quæ a sæculo est, ratio quærenda est. Nam ultimæ dispensationis sacramentum est, (*g*) quo etiam creatus in corpore, viam se Dei

(1) *In doctrinam.*
(2) *Universæ.*
(3) *Creavit me initium*, ut perpetuo in hoc ms. leg.
(4) *Inita doctrina est.*

At in mss. antiquioribus Colb., Vat. bas., Carnut., Martin., Germ., Remig., etc., *per id ipsum in ea quæ propter opera* : mendose quidem, sed quod facile ad mentem Hilarii reduxeris, si ita corrigas, *per id ipsum ea neque propter opera*. Et vix quidem temperavimus nobis, quin textum ita emendatum offerremus. Nam tria hic ab Hilario simul comprobari constat ; primum, æternam esse Sapientiam, quæ Patri mundum ab æterno præparanti aderat ; alterum, creatam eam non fuisse propter temporariam mundi conditionem, si quidem et ab æterno erat, et Pater ipse mundum ipse composuisse prædicatur ; postremum, ita a Patre mundum fuisse compositum, ut Sapientia cum componente componeret ; ne mendax Scriptura inveniretur, quæ in Sapientia facta esse omnia commemorat.

(*a*) Tota hæc sententia desideratur in Vulgata nostra : apud **LXX** autem exstat post ea quæ versu 21 continentur. Mox *namque cum*, perinde est atque *nempe cum*.

(*b*) Editi, *in doctrina*, omisso deinde *autem* : corriguntur ex potioribus mss. Colb., Carn., Remig, etc., consentiente græco, ἀπαίδευτοι δέ. Sic et infra : *Monet et simplices intelligere et indoctos cor apponere.* Mox Bad. et Er., *sciunt*, pro *scribunt*.

(*c*) Remig. ms. *in universa*. Plerique alii, *universa*. Hinc forte verius Martin. et alii nonnulli, *universæ*.

(*d*) In antiquioribus mss. Vat. bas., Colb., etc., *inita*. In Martin. *initiata*.

(*e*) Editi, *illic infinitæ ;* et mox, *eademque in vias Dei atque in opera ejus ostenditur : illic operibus ac viis*, etc., castigantur auctoritate potiorum mss. Hic habetur responsio quæstioni propositæ, cur eadem Sapientia dicatur nata ante sæcula, simul et a sæculo creata. *Quia* (supple, *nimirum*) *ubi ante sæculum est*, etc., *ubi vero eadem*, quæ ante sæculum nativitas est, *creatio est a sæculo in vias Dei*, etc. Vias Dei intelligit Hilarius tempus, quo Deus per conspicabilem speciem degit in sæculo. Unde proxime ante habet : *Rerum a sæculo gestarum significatio ista est :* et in Matth. cap. 22, n. 6 : *Sæpissime viam tempus sæculi intelligendam monuimus.*

(*f*) Lips. et Par. hic præponunt pronomen *hæc*, cujus loco intelligitur Christus. Tum sola Erasmi editio, *ergo viarum initium ;* ac deinde cum Bad. ac duobus mss. *et in opera Dei.*

(*g*) In vulgatis, *quod etiam.* Concinnius in mss. *quo.* Duplex hic distinguitur Verbi dispensatio, ultima scilicet, qua novissimis temporibus homo factus inter homines conversatus est ; altera vero ab initio sæculi : ex quo varias variarum creationum species assumens multifarie multisque modis visus est Patribus : *cum ex illo usque tempore*, inquit Eusebius, lib. V Dem. Ev. c. 19 : *Salutarem suum ad homines adventum exordiretur.* Quod autem Dei filius modo in forma angeli, modo in forma hominis, modo in assumpta ignis ac nubis specie visus sit, ut singulis pro cujusque affectione congrueret, edisserit idem Eusebius, ibid., a cap. 9 ad 19. Quibus consentit Augustinus, epist. CLXIV, ad Evod., n. 17 : *Ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, sicut ad Cain ac prius ad ipsum Adam uxoremque ejus, vel ad consolandos bonos, vel ad utrosque*

operum est professus. Creatus autem est in vias Dei a sæculo : cum ad conspicabilem speciem subditus creaturæ, habitum creationis assumpsit.

46. *Viæ Dei a sæculo, species creatæ a Verbo assumptæ. Cur varias assumpserit.* — Videamus itaque in quas Dei vias, et in quæ opera a sæculis creata sit, nata ante sæcula ex Deo Sapientia. Vocem (*a*) deambulantis in paradiso Adam audivit (*Gen.* III, 8). Putasne deambulantis incessum nisi in specie assumptæ creationis auditum : ut in aliqua creatione **436** consisteret, qui (1) (*b*) inambulans fuerit auditus? Non requiro qualis ad Cain et Abel et Noe locutus sit, et benedicens quoque Enoch (*c*) qualis adfuerit. Angelus ad Agar loquitur (*Gen.* XVI, 9, 13) : et utique idem Deus est. Numquid speciei ejusdem est cum angelus videtur, cujus est in ea natura qua Deus est? Certe species angeli ostenditur, ubi postea Dei natura memoratur. Sed quid de angelo dicam? Homo ad Abraham venit (*Gen.* XVIII, 2). Numquid secundum hominem in creationis istius habitu Christus talis assistit, quàlis et Deus est? (2) Sed homo loquitur, et corpore assistit, et cibo alitur : verumtamen Deus adoratur. Certe qui ante angelus, nunc etiam homo est : ne naturalem hanc esse Dei speciem diversitas hujus ipsius assumptæ creationis pateretur intelligi. Adest autem ad Jacob etiam usque ad luctæ complexum in habitu humano, et manum conserit, et membris nititur, et lateribus inflectitur, et in omni motu nostro incessuque consistit (*Gen.* XXXII, 24). Sed idem postea et Moysi esse ignis ostenditur (*Exodi* III, 2) : ut naturæ creatæ tum potius ad speciem, quam ad substantiam naturæ, fidem disceres. Habuit tum in se potestatem conflagrandi, non tamen naturalem suscipiens urendi necessitatem : quia sine rubi damno conflagratio ignis apparuit.

47. *Sine æternitatis damno assumpsit. Ea virtute qua assumpsit, absumpsit.* — Curre per tempora, et intellige qualis visus sit, vel Jesu Nave nominis sui prophetæ, vel Esaiæ etiam cum (*Joan.* XII, 41) evangelico testimonio visum prædicanti, vel (3) (*d*) Ezechieli usque ad conscientiam resurrectionis assumpto (*Ezech.* XXXVII), vel Danieli hominis filium in æterno sæculorum regno confitenti (*Dan.* VII, 13, 14), cæterisque aliis, quibus se in habitu variæ creationis ingessit, (*e*) in vias Dei et in opera Dei, ad cognitionem scilicet Dei et nostræ æternitatis profectum. Quid hic nunc hæc humanæ salutis dispensatio tam impiam æternæ nativitatis **437** contumeliam molitur? Creatio ista a sæculis est : cæterum ante sæcula infinita nativitas est. Vim sane (*f*) nos dictis afferre contende, si Propheta, si Dominus, si Apostolus, si sermo ullus ad divinitatis æternæ nativitatem creaturæ retulit nomen. In his enim omnibus Deus, qui ignis consumens est, ita creatus inest, ut creationem ea virtute qua assumpsit absumeret : potens abolere rursum, quod tantum ad causam contemplationis exstiterat.

48. *Christum ut hominem dixit Paulus factum. Dixit et creatum.*—Beatam autem illam et veram conceptæ intra virginem carnis nativitatem, quia tum creaturæ nostræ et naturæ et species nascebatur, creaturam et facturam Apostolus nominavit. Et certe cum eo (secundum eum) veræ secundum hominem nativitatis hoc nomen est, cum ait : *At ubi venit adimpletio temporis, misit Deus filium suum factum de muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege sunt redimeret, ut adoptionem filiorum* (*g*) *consequeremur* (*Gal.* IV, 4). Filius itaque suus est, qui est in homine et ex homine factura; neque factura tantum, sed etiam creatura, ut dicitur : *Sicut est veritas in Jesu, deponere vos secundum priorem conversationem veterem hominem eum, qui corrumpitur secundum concupiscentias deceptionis. Innovamini autem spiritu sensus vestri, et induite novum hominem eum, qui secundum Deum creatus est* (*Ephes.* IV, 21 *et seqq.*). Induendus itaque novus homo ille est, qui secundum Deum creatus est. Qui enim erat filius Dei, natus erat et filius hominis. Quia non divinitatis erat nativitas, sed creatura carnis; significationem sui generis accepit novus homo, secundum natum ante sæcula Deum creatus. Et cur secundum Deum homo novus creatus esset, ostendit secundum hæc adjiciens : *In justitia, et sanctitate, et veritate* (*Ibid.* 24). Dolus enim in eo non fuit : et factus est nobis justitia et sanctificatio, et ipse est veritas. Hunc ergo Christum, qui secundum Deum novus homo creatur, induimur. [(4) (*h*) Secundum Deum autem creatur : quia secundum Dei justitiam, et sanctificationem, et veritatem homo peccati nescius est creatus.]

49. *Creatio nativitati æternæ nequit deputari.* — (*i*) Si igitur Sapientia, memorem se eorum quæ a sæculo gesta sunt dicens, in opera **438** Dei atque in

(1) *Inambulantis.*
(2) *Sed et homo.*
(3) In codice Veron. *Ezecielo*; postea, *Danielo.*
(4) Uncinis inclusa codex quoque noster omittit.

admonendos, ut alii ad salutem suam crederent, alii ad pœnam suam non crederent, ipse utique (Christus) *non in carne, sed in spiritu veniebat, visis congruis alloquens quos volebat, sicut volebat.* Utriusque hujus dispensationis elegantem habes comparationem lib. V, n. 17.

(*a*) In duobus mss., *Dei deambulantis.*

(*b*) Antiquior codex Colb. cum Martin. et Germ. favente Remig., *in ambulantis :* non displicet sic duobus verbis, ut vox *specie* tacita intelligatur.

(*c*) Idem codex Colb., *qualis fuerit.*

(*d*) In plerisque mss., *Ezechielo*, et mox, *vel Daihelo.*

(*e*) Verbum *ingessit* in ms. Remig. hic repetitur : cujus repetitionis loco in mss. Vat. bas., Martin., Colb. et Sorbon. habetur, *incessit.* Mox apud Lips. et Par. *et cognitionem*, pro *ad cognitionem*, male.

(*f*) Apud. Par. omissum erat *nos*, suffragante vetere ms. Colb. cum Germ.

(*g*) In uno ms. Colb. et altero Sorbon., *consequeremur per fidem :* dissidentibus aliis libris ac sacro textu græco et latino.

(*h*) Quæ uncinis includuntur, omittunt cum edit. Bad. omnes mss. uno Colb. et altero Sorbon. exceptis.

(*i*) Lips. et Par., *Sic igitur :* renitentibus Bad., Er. et mss.

vias Dei creatam esse se dixit; atque ita creatam, ut fundatam se ante sæcula doceret, ne assumptæ illius varie ac frequenter creationis sacramentum demutasse naturam videretur, cum fundationis firmitas convellendi status non reciperet perturbationem; at vero ne fundatio aliud quidquam quam nativitatem videretur ostendere, ante omnia professa est esse se genitam: nunc vero cur creatio ad nativitatem deputatur, cum quæ genita ante omnia est, ipsa fundata ante sæcula est; quæ autem fundata ante sæculum est, ea ipsa in initium viarum Dei et in opera ejus creata a sæculis est: ut creatio a sæculis differre intelligeretur ab ea, quæ ante sæcula et quæ ante universa nativitas est. Non habet (1) saltem impietas veniam, ut prætendat impietatis errorem.

50. *Quo sensu etsi imperite, non tamen impie posset deputari.* — Namque etsi infirmitas intelligentiæ sensum (*a*) religiosæ opinionis impediret, ne nunc quæ creationis proprietas esset consequi posset; tamen vel secundum Apostoli dictum facturam veræ nativitati (*b*) deputantem, creationem quoque etsi indocte, tamen non impie, ad generationis fidem proficere oportere existimare debuerat. Apostolus enim videtur, unius ex uno nativitatem, id est, (*c*) Domini ex virgine sine passionum humanarum conceptu prædicaturus, non extra rationem *factum de muliere* locutus esse, quem natum sciebat, frequenterque dixisset: ut et nativitas veritatem generationis ostenderet, et factura unius ex uno (2) (*d*) nativitatem protestaretur; quia humanæ permixtionis conceptum facturæ nomen excluderet, cum factus esse ex virgine discereturque, qui natus magis esse non ambigebatur. At vide tu, quam sis impius, o hæretice. Creatum Jesum Christum potius ex Deo, quam natum esse, sermo nullus aut propheticus aut evangelicus aut apostolicus est locutus: tu vero nativitatem negas, et affirmas creaturam, non secundum significationem Apostoli, factum esse dicentis ne natus esse ambigeretur unus ex uno; sed ad impiissimum sensum, ne Deus naturali nativitate subsisteret, cum creatura potius ex nihilo **439** substitisset. Hoc primum infelicis mentis tuæ virus est, non nativitatem creaturam nominare, sed pro nativitate (*e*) fidem creationi aptare. Quamquam id quidem inopis ingenii esset, sed tamen non admodum irreligiosi, creatum idcirco dixisse, ut impassibilis ex Deo tamquam unius ex uno nativitas nosceretur.

51. *Fides constans de æterna Filii nativitate.*—Sed nihil horum constans atque apostolica fides patitur. Scit enim in qua dispensatione temporis Christus creatus, et in qua temporum æternitate sit natus. Natus autem ex Deo Deus est, et veræ nativitatis in eo et perfectæ generationis non ambigua divinitas est. Nihil enim in rebus Dei nisi natum et æternum confitemur. Natum autem non post aliquid, sed ante omnia: ut nativitas tantum testetur auctorem, non præposterum aliquid in se ab auctore significet. Et quidem confessione communi, secunda quidem ab auctore nativitas est, quia ex Deo est; non tamen separabilis ab auctore, quia in quantum sensus noster intelligentiam tentabit nativitatis excedere, in tantum necesse est etiam (*f*) generationis excedat. (3) Solus itaque hic pius de Deo sermo est, scire Patrem: scire et cum eo eum qui ex eo Filius. Neque sane aliud de Deo, præter quam patrem eum esse unigeniti Dei et creatoris, docemur. Ultra se itaque infirmitas humana non tendat: et loquatur hoc solum, in quo solo ei salus est, ante carnis sacramentum in Domino Jesu Christo hoc se semper scire, quod natus est.

52. *Huic se adhærere profitetur Hilarius quam nec sensu suo præfinit.* — (*g*) Ego quidem, in quantum concesso mihi hoc a te spiritu vigebo, sancte Pater omnipotens Deus, ut æternum te Deum, ita æternum et patrem confitebor. Neque in id unquam stultitiæ atque impietatis erumpam, ut omnipotentiæ tuæ sa-

(1) *Saltim* pro *saltem* habet quoque alibi scriptus liber noster.

(2) *Divinitatem.*

(*a*) Editi, *irreligiosæ:* emendantur ex scriptis.

(*b*) In vetusto ms. Colb. ac Germ., *deputandam.* Mallemus *deputantis*, scil. *Apostoli.* Exemplo Apostoli, qui Christum et natum dixit et factum, ut cum vera esset illius nativitas, eam tamen non ex communi lege, sed ex una Virgine esse, facturæ vocabulo declararet; docet Hilarius utrumque illud verbum, quo Sapientia primum se genitam, ac deinde creatam testificata est, ad æternam illius generationem, etsi indocte, licuisse tamen referri; modo creationis nomine non excluderetur nativitatis veritas, sed ostenderetur tantum ratio singularis, qua unus ex uno absque ulla passione natus est. Hac indocta, sed non impia interpretatione, eadem Sapientiæ verba intellexisse leguntur Basilius Ancyr. et Georgius Laodic. apud Epiphanium, hær. LXXIII, n. 20, ubi aiunt: *Filius cum dixisset, Dominus creavit me; ne communem ejus cum creatis rebus cæteris naturam esse suspicaremur, necessario subjecit, Ante omnes colles genuit me. Quibus piam nobis ac passionis omnis expertem ipsius ex Patre proprietatem expressit.*

(*c*) Excusi, *id est, Deum ex Virgine:* emendantur ex mss.

(3) *Solus hic itaque pius de Deo sermo est.* Neque ultra procedit ms. liber, postrema charta diminutus.

(*d*) In antiquis mss. Vat. bas., Martin., Carnut. et aliquot aliis, *divinitatem.* Rectius in vetere Colb., Corb., etc., *nativitatem*, cum sermo sit de temporaria Christi ex Virgine nativitate.

(*e*) Loco verbi *fidem*, Lips. et Par. ex Erasmi margine frustra substituerunt *contumeliam.* Arguuntur hæretici, non quod æternam Sapientiæ increatæ generationem creationem indocte nominent, sed quod impie etiam credant. Toto hoc numero, sed præsertim verbis subsequentibus notari videtur interpretatio Basilii et Georgii, quorum verba superius retulimus. Cum autem hæc illi scripserint Ancyræ congregati ante diem festum Paschæ anni 358, conjectare est hunc librum synodo illa esse posteriorem.

(*f*) Editi, excepto Par., *generatio*, paulo ante omissa voce *nativitatis.* Post vocabulum *generationis*, satis intelligitur tacita vox *intelligentiam*, quæ in ms. Pratell. etiam exprimitur.

(*g*) In ms. Carnut. hic tituli in morem prænotatur, *Oratio:* in aliis recentioribus, *Oratio sancti Hilarii.*

crementorumque arbiter, hunc infirmitatis meæ sensum ultra infinitatis tuæ religiosam opinionem, et significatam mihi æternitatis fidem erigam : ut te aliquando sine Sapientia et Virtute et Verbo tuo, unigenito Deo Domino meo Jesu Christo fuisse præfiniam. Non enim præjudicat de te sensui meo naturæ **440** nostræ infirmus imperfectusque sermo; ut fidem intra silentium strangulet inopia eloquendi. Namque cum verbum et sapientia et virtus in nobis interioris motus nostri opus nostrum sit, (*a*) tecum tamen perfecti Dei, qui et Verbum tuum et Sapientia et Virtus est, absoluta generatio est ; ut inseparabilis semper a te sit, qui in his æternarum proprietatum tuarum nominibus ex te natus ostenditur : natus autem ita, ut nihil aliud quam te sibi significet auctorem; non etiam fidem infinitatis amittat per id, (*b*) quod ante tempora æterna natus esse memoratur.

53. *In multis naturalibus rebus, quarum latet causa, succurrit fides, quanto magis in divinis.* — Multa enim istius modi in rebus humanis præstitisti, quorum cum causa ignoretur, effectus tamen non nescitur. Et religiosa est fides, ubi est etiam naturalis (*c*) inscientia. Nam cum erexi in cœlum tuum hos luminis mei infirmes oculos, nihil aliud esse quam cœlum tuum (*d*) credidi. Ilos enim astriferos in eo circulos, et annuos recursus, et (*e*) vergilias, et septemtrionem, et luciferum, (*f*) diversa ministeriorum suorum sortitos officia conspiciens, Deum te in his, quorum intelligentiam non complector, intelligo. Cum vero mirabiles elationes maris tui vidi ; non solum aquarum originem, sed nec motum (*g*) dimensæ hujus vicissitudinis assecutus, fidem tamen rationis, mihi imperspicabilis licet, apprehendens, in his te quoque quæ ignoro, non nescio. Jam vero cum in terras mente convertor, quæ occultarum virtute causarum sata omnia susceptа dissolvunt, dissoluta vivificant, vivificata multiplicant, multiplicata confirmant ; nihil in his reperi, quæ intelligere sensu meo possem : sed ignoratio mea ad intelligendum te proficit, dum famulantis mihi naturæ (*h*) imperitus, usu te tantum meæ utilitatis intelligo. Ipsum me quoque nesciens, ita sentio : ut te magis eo, quod mei sum ignarus, admirer. Nam dijudicantis mentis meæ aut motum aut rationem aut vitam et non intelligens sentio, et sentiens tibi debeo, cui ultra intelligentiam naturalis exordii, sensum naturæ oblectantis impertias. Et cum te (*i*) meis ignorans intelligam, et intelligens venerer : **441** nec ego in tuis rebus fidem omnipotentiæ tuæ laxabo, quia nesciam; ut sensus meus originem (*j*) Unigeniti tui occupet, et sibi subdat, et aliquid in me sit, quod ego ultra et Creatorem et Deum meum tendam.

54. *Filius ex Patris substantia natus, adeoque secundus ab eo, sed æternus et individuus.* — Nativitas ejus ante æterna tempora est. Si aliquid in rebus est, quod antevenit æternitatem ; erit aliquid profecto, quod sensum æternitatis excedat. Tua enim res est, et Unigenitus tuus est : non portio; non protensio, non secundum efficientiarum opinionem nomen aliquod inane ; sed filius, filius ex te Deo patre Deus verus, et (*k*) a te in naturæ tuæ unitate genitus; post te ita confitendus, ut tecum : quia æternæ originis suæ auctor æternus es. Nam dum ex te est, secundus a te est; dum vero tuus est, non (*l*) separandus ab eo es : quia nec sine tuo fuisse confitendus aliquando es, nec aut imperfectus sine generatione, aut superfluus post generationem arguaris. Atque ita ad id tantum nativitas proficit æterna, ut unigeniti ante æterna tempora ex te filii patrem te sciamus æternum.

55. *Spiritus sanctus non est creatura.*—Et mihi qui-

(*a*) In vetere ms. Colb. et Germ., *potius tamen*, non *tecum tamen*.

(*b*) Vat. bas. ms., *quod a te ante*, etc.

(*c*) Editi, *inscitia*. Veterrimi codices Vat. bas. et Colb., *scientia*. Verius Carnut. *inscientia*.

(*d*) Id est, te unum illius auctorem ac moderatorem credidi : *quia nemo cœlum contuens Deum esse non sentiat*, ut loquitur in Ps. LXV, n. 10, sed rationem qua illud moderaris, non sum assecutus.

(*e*) Apud Bad. ut in mss. *virgilias* : inconcinne, si hinc vergiliæ denominentur, quod ortum suum verno tempore habeant. Tum in excusis, *septemtrionem*, sine *et*. Porro idem est *septemtrio* quod *bootes*, triones enim antiquis erant boves aratores.

(*f*) In vulgatis, *et diversa* : male addita conjunctione. Antea vetus ms. Colb., non *luciferum* præfert, sed hujus loco *plurarum*. Idem habet ms. Germ. in textu, et in margine *vel pliadarum* : quæ lectio nobis non probatur; cum superius memoratæ sint *vergiliæ*, quod latinum nomen est verbi græci πλειάδες.

(*g*) Vat. bas. codex cum Martin., *immensæ hujus vastitudinis*. Magis placet librorum aliorum lectio, qua maris æstus enarratur.

(*h*) In iisdem mss., *impertitus usus a te tantum*, etc., corrupte.

(*i*) Sic potiores mss. ubi Corb. a secunda manu aliique recentiores habent *in meis* : eodem sensu. Editi vero, *me*.

(*j*) Aliquot ex antiquioribus mss. *primogeniti tui*. Mox in vulgatis *quo ego*, ubi ex mss. reponimus *quod ego*.

(*k*) Exemplar Vaticanæ basilicæ, *et a te naturæ confitendus*, aliis omissis. Bad. et Er. ex uno recentiore ms. Colb. valde dubiæ fidei, *et a te in naturæ tuæ veritate genitus*, etc. Alter Colb. cum uno Sorbon., *et a te in natura tua unigenitus genitus*, etc. Martin., Remig. ac Theod., *et a te in naturæ tuæ ingenitæ genitus potestate : ita ex te confitendus*, etc., quod Lips. et Par. arripuere. Sed valde suspectum est vocabulum *potestate*, pro *post te*, cum additamento vocularum *ex te*. In vetustiore ms. Colb. necnon Corb., Carn., Pratell. et aliis, *et a te in naturæ tuæ unigenitæ genitus*, etc. Maxime arrideret, *et a te naturæ tuæ ei congenitæ genitus*, secundum illud lib. de Synodis n. 48 : *Intelligo ex Deo Deum, non dissimilis essentiæ, non divisum, sed natum, et ex innascibilis Dei substantia* CONGENITAM *in Filio, secundum similitudinem, unigenitam nativitatem*. Neque etiam displiceret superior lectio, si particula *in* abesset in hunc modum ; *et a te naturæ tuæ unigenitæ genitus* : ut Filii et Patris unitas verbis *naturæ tuæ* ostendatur, quibus subjungatur *unigenitæ*, ut Filii proprietas declaretur. Sic lib. IX, n. 68, legimus Filii naturam a Paterna non differre, *quippe quæ ex tota tota sit, quæ et dum unigenita est, patrem in se habeat*. Verum nitidior visa est lectio ms. monasterii Silvæ majoris, quam eo nondum viso præferendam conjectabamus.

(*l*) Sic mss. Editi vero, *non separandus a te est*.

dem parum est hoc, fidei meæ ac vocis officio, Dominum et Deum meum unigenitum tuum Jesum Christum creaturam negare : hujus ego nominis consortium ne in sancto quidem Spiritu tuo patiar, ex te profecto, et per eum misso. Magna **442** enim mihi erga res tuas religio est. Neque, quia te solum (*a*) innascibilem, et unigenitum ex te natum sciens, genitum (*b*) tamen Spiritum sanctum non dicturus sim, dicam umquam creatum. Hujus ego dicti, quod mihi cum cæteris à te substitutis commune est, (*c*) ad te quoque prorepentes timeo contumelias. Profunda tua sanctus Spiritus tuus, secundum Apostolum (I *Cor.* II, 10), scrutatur et novit, et interpellator pro me tuus inenarrabilia a me tibi loquitur : et ego naturæ suæ ex te (*d*) per unigenitum tuum manentis potentiam creationis nomine non modo (*e*) eloquar, sed etiam infamabo ? Nulla te nisi res tua penetrat : nec profundum immensæ majestatis tuæ, peregrinæ atque alienæ a te virtutis causa metitur. Tuum est quidquid te init : neque alienum a te est, quidquid virtute (*f*) scrutantis inest.

56. *Inenarrabilis est.* — Mihi autem inenarrabilis est, cujus pro me mihi inenarrabiles sunt loquelæ. Nam ut in eo, quod ante æterna tempora Unigenitus tuus (*g*) ex te natus est, cessante omni ambiguitate sermonis atque intelligentiæ difficultate, solum quod natus est manet : ita quod ex te per eum sanctus Spiritus tuus est, etsi sensu quidem non percipiam, sed tamen teneo conscientia. In spiritalibus enim rebus tuis hebes sum, Unigenito tuo dicente : *Ne mireris quod dixerim tibi, oportet vos nasci denuo.* **443** *Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis ; sed nescis unde veniat, et quo eat. Sic est omnis qui natus est* (*h*) *ex aqua et Spiritu sancto* (*Joan.* III, 7, 8). Regenerationis meæ fidem obtinens nescio : et quod ignoro, jam teneo. Sine sensu enim meo renascor, cum efficientia renascendi. Modus autem Spiritui nullus est, (*i*) loquenti cum velit, quod velit, ubi velit. Et cujus adeuntis atque abeuntis causa, sub assistentis licet conscientia, nesciatur, hujus naturam inter creaturas referam, et originis suæ (*j*) definitione moderabor? Omnia quidem facta per Filium, qui apud te Deum in principio erat Deus Verbum, Joannes tuus loquitur (*Joan.* I, 1, 3). Sed creata omnia in eo in cœlis et in terra visibilia et invisibilia Paulus (*k*) enumerat (*Coloss.* I, 16). Et cum universa in Christo et

(*a*) Hunc locum Erasmus in præfat. censoria virgula notavit, *quasi*, inquit, *Spiritus sanctus nascatur et ipse a Patre.* Sed cum Hilarius Spiritum sanctum genitum non esse dicendum proxime affirmet; Patrem *solum innascibilem* satis intelligitur prædicare, non quia solus sit nativitatis expers; sed quia solus sine principio, solus sine auctore, solus essentiam suam habeat ab alio non acceptam, seu, ut vocant, incommunicatam. Quæ loquendi ratio apud Theologos ita etiamnum recepta est, ut *innascibilitas* apud illos Patris notio censeatur. Non alio sensu Sirmiense concilium an. 351, anath. 19 : *Si quis Spiritum Sanctum Paracletum dicens, innascibilem Deum dicat, anathema sit.*

(*b*) Non leviter prætercundus est hic locus, ubi Hilarius diserte fatetur Spiritum sanctum non esse genitum, cum tamen lib. VII, n. 15, asserat quod *naturæ æqualitatem sola possit præstare nativitas ;* et num. 26 : *Sola ei nativitas filii non impie per similitudinem creditur æqualis.* Imo in hoc ipso libro proxime audivimus, n. 51 : *Nihil enim in rebus Dei nisi natum et æternum confitemur.* Ex quo sequitur, Spiritum sanctum non esse Deo æqualem. Illius tamen cum Deo unitatem, et æqualitatem cum Patre hic tam luculenter adstruit, ut superioribus in locis nativitatem conditioni vel ex nihilo, vel ex aliena substantia, dubio procul intelligendus sit opponere. Unde post allata ex lib. VII, n. 26, verba *Sola ei nativitas*, etc., proxime subjicit : *Nam quidquid extra eum est, cum contumelia ei honoratæ virtutis æquabitur.* Neque vero Spiritum sanctum aut ex nihilo aut ex aliena substantia esse minus clare negat, quam ipsum Filium. Nam sicut de Filio dicit : *Tua enim res est :* ita et de Spiritu sancto : *Nulla te nisi res tua penetrat... tuum est, quidquid te init :* sicut Filium lib. VI, n. 35 et alibi, non ut esset cœpisse ex nihilo, sed exiisse *a manente*, ita et hic Spiritum sanctum *manentis* ex Deo *naturæ* profitetur. Hinc Spiritus sancti contumelias in ipsum Patrem redundare declarat, sicut docere solet Patrem ab his ipsis inhonorari, qui Filium inhonorant.

(*c*) Sic duo mss. Colb., unus Sorb., etc. Plerique alii cum Lips. et Par., *ad te quoque prorepentis timeo contumeliam :* pro quibus pessime apud Bad. et Er., *prætendisti sensui meo contumeliam.* Prima fronte placet cum mss. Vat. bas. et Mart., *a te quoque procedentis timeo contumeliam :* Carn. et Vind. hoc faventibus, quod in iis præferatur *a te*, non *ad te.* Verum hæc lectio eo magis est suspecta, quo in animum facilius cadat quam altera : maxime cum non occurrat nisi in iis mss. in quibus librarii nonnulla sibi permiserunt. Deinde orationis leges *in procedentem* aut *procedenti* postulant, non *procedentis.* Demum particula *quoque* indicat contumeliam dicti, quo Spiritus sanctus creatus asseritur, non in illum solum cadere, sed et in eum cujus est Spiritus. Quod eo fere modo demonstrare licet, quo supra num. 6, ostensum est, Patrem esse creaturam, si creatura sit Filius.

(*d*) Perverse apud Bad., *per unitam tuam manentis.* Quod Erasmus non mutans, tantum ad oram libri annotavit, *cum unigenito tuo.* Ex quo postea confecit Lipsius, *cum unigenito tuo manantis.* Reformantur ex Par. et mss. In his docemur, Spiritum sanctum esse *potentiam naturæ suæ*, hoc est, quæ sua sit, per se subsistat, et non alteri inhæreat; neque ita *naturæ suæ*, ut non a Patre per Unigenitum ipsius originem habeat : sed ita tamen esse ab utroque, ut sit *naturæ manentis*, hoc est, cujus proprium sit esse, et initium nescire. Huc attinet, quod lib. VIII, n. 19, Spiritus sancti processionem *consistentis egressionem* existimandam innuit : *egressionem* quidem, ob subsistentiam ipsius distinctam ab eo unde procedit ; *consistentis* vero, quia non recedit ab eo ex quo subsistit.

(*e*) Er., Lips. et Par., *non modo non eloquar :* castigant mss.

(*f*) Vetustior ms. Colb. cum Germ., *scrutantis est.* Alter cum uno Sorbon., *scrutantis in te est.*

(*g*) Ex mss. revocamus *ex te natus :* quod in prius vulgatis desiderabatur.

(*h*) Erasmus, *natus est ex Spiritu sancto :* puto, ut nostris Scripturæ exemplaribus congrueret. Sed in omnibus Hilarii edit. et mss. habetur, *natus est ex aqua et Spiritu sancto.* Quamquam non exstat *sancto* in mss. nisi in Martin, uno Colb. et altero Sorbon.

(*i*) In mss. *loquendi.* In eumdem Scripturæ locum pariter observat Gregorius Nazianz. Or. XXIV, n. 22, testatam esse Spiritus sancti divinitatem, *nempe ex eo quod herili, non autem servili modo accedit,* δεσποτικῶς, οὐ δουλικῶς.

(*j*) Mss. Vat. bas., Colb. ac Germ., *definitionem.*

(*k*) Martinianus codex, *enarrat.*

per Christum creata memoraret; de Spiritu sancto sufficientem sibi significationem eam existimavit, quod hunc Spiritum tuum diceret. Cum his ego proprie electis tibi viris hæc ita sentiam, ut sicut nihil aliud ultra **444** sensum intelligentiæ meæ secundum eos de Unigenito tuo dicam, quam esse natum; ita quoque ultra ingenii humani opinionem secundum eos nihil aliud de sancto Spiritu tuo loquar, quam Spiritum tuum esse. Neque sit mihi inutilis pugna verborum, sed incunctantis fidei constans professio.

57. *Oratio.*—Conserva, oro, hanc fidei meæ incontaminatam religionem, et usque ad excessum spiritus A mei dona mihi hanc conscientiæ meæ vocem: ut quod in regenerationis meæ Symbolo, baptizatus in Patre et Filio et Spiritu sancto, professus sum, semper obtineam: Patrem scilicet te nostrum, Filium tuum (*a*) una tecum adorem: sanctum Spiritum tuum, qui ex te per unigenitum tuum est, promerear. Quia mihi idoneus ad fidem testis est, dicens: *Pater, omnia mea tua sunt, et tua mea* (*Joan.* XVII, 10), Dominus meus Jesus Christus, manens in te et ex te et apud te semper Deus: qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. (*b*)

(*a*) Verba, *una tecum adorem: sanctum*, desiderantur in mss. Colb. ac Germ.

(*b*) His subjicitur in ms. Corb.: *Explicit liber* XII. *Lege cum pace Domini nostri Jesu Christi feliciter*: in uno Sorbon. *Explicit liber* XII *Hilarii episcopi Trinitatis feliciter*: in Silv. *Explicit liber* XII *Hilarii episcopi de fide sanctissimæ Trinitatis adversus hæreticos*: in Vindocin. *Expliciunt libri* XII *sancti inimitabilis viri Hilarii de fide Patris et Filii et Spiritus sancti.*

445-446

IN LIBRUM DE SYNODIS

PRÆFATIO.

I. *Ubi et quando scriptus sit hic Tractatus.* — Non est sejungendus a libris de Trinitate hic tractatus, quem mss. prope omnes cum illis ita conjungunt, ut in duobus Colbertinis et Germanensi, imo a Cassiodoro *liber decimus tertius* nuncupetur. Neque etiam distat tempore aut materia. Nam et fidei illustrandæ causa susceptus est, et exsilii, non secus ac illi, partus fuit. Jam enim Hilarius, uti declarat ipse num. 2 et 63, totum triennium in exsilio exegerat, C et adhuc intra decem Asiæ provincias consistebat, cum illum edidit. Quocirca postremis hujus libri verbis fratres suos, ut in orationibus sanctis exsilii sui memores sint, rogat. Si tamen Scultetum (*in analysi, pag.* 395) audias, *scriptus est hic liber vel Seleuciæ in synodo, vel Constantinopoli, vel in ipsa reformatione ecclesiarum Italicarum, cum jam ab Orientis partibus, in quibus exsulaverat, rediisset.* Usque adeo animis dominatur inolita de rebus, non secundum ipsas, sed secundum propria placita, judicandi consuetudo! Eodem vitio implicatus Erasmus non multum attendit quid diceret, cum quem memorat Hieronymus Hilarii librum Ariminensis et Seleuciensis concilii historiam continentem, huic forsitan tractatui admixtum pronuntiavit. Quid enim in eo D reperit, quod non ante prædicta concilia sit gestum, aut quod per se ad eorum historiam pertineat (*Erasm. præfat. in Hilar.*)? Verum ex Hilarii ipsius verbis num. 8, perspicuum est, scriptum esse hunc librum, cum jam propter terræ motum, qui an. 358, die Augusti 24, contigerat, concilium Nicomediæ, vel etiam Nicææ in Bithynia congregandi immutatum esset propositum; cumque nondum decretum esset, ut omnes quotquot possent Ariminum atque Seleuciam cogerentur; sed tantum ut bini aut singuli ex singulis provinciis, lique Ancyram atque Ariminum convenirent. Quod cum anno 358 desinente statutum fuerit; nemo non facile concedet, hunc tractatum anno 359 ineunte, vel etiam exeunte 358, fuisse editum. Hoc certe constat, et post mensem Augustum an. 358, et ante Maium an. 359, epocham illius esse figendam.

II. *Qua occasione. Quo fine.* — Litteræ a Gallicanis episcopis paulo post damnatam ab iisdem Sirmiensem formulam secundam, nec longe ante Ancyranæ synodi celebrationem, adeoque circa mensem Martium anni 358 acceptæ, rescripto huic occasionem præbuerunt. Cujus scopus, 1° communionis dominicæ reddere vicem; 2° nonnullorum optatis facere satis, qui quid *Orientales in fidei professionibus gerant aut gesserunt*, quidve *super omnibus eorum dictis* ipse sentiret, rescire cupierant; 3° id elaborare, ut Orientales et Galli, qui contra erumpentem novissime Anomœorum hæresim conspirarant, sed mutuis tamen inter se suspicionibus laborantes, etsi forte non admodum sententiis, certe verbis adhuc **447-448** dissidebant, in synodis proxime habendis jam in unum convenirent, ac suspicione omni deposita fidem unam complecterentur.

III. *Libri summa.* — Hujus rei gratia, postquam Gallis de illæsa et constanti illorum fide verbis amicissimis est gratulatus, primum Sirmiensem blasphemiam refert eique opponit quas Orientales Ancyræ contra Anomœos ediderant fidei definitiones; iis tamen suppressis, quas eorum legati Sirmium venientes reticuerant. Tum *fides omnes* subjicit post sanctam synodum Nicænam diversis temporibus et locis conscriptas, Antiochenam videlicet an. 341, pseudo-Sardicensem an. 347, et Sirmiensem contra Photinum an. 351, quas omnes sese complecti episcopi Ancyræ congregati in sua synodica epistola

apud Epiphanium hær. LXXIII, n. 2, non semel testificantur. Hos enim potissimum Hilarius Orientalium nomine intelligit. Quos amice ad veritatem revocare studens, ita laudat eos, qui avita et apostolica fide contenti *scriptas fides nesciunt*, ut tamen professionum pluralitatem excuset, et quidquid in eis defendi potest benigne interpretetur atque defendat. Imo quidquid contra ὁμοούσιον solet opponi, non tacet; nec dissimulat quod in gratiam verbi ὁμοιούσιον potest afferri. Postmodum tamen subjecto Nicæno symbolo, retinendum esse ὁμοούσιον validissimis rationum momentis conficit atque concludit.

IV. *Non fuit versus e græco, sed tantum Symbola Orientalium. Symbola illa ad litteram vertit.* — Haud scio an propter prædictas fidei confessiones latine redditas, a Sculteto post Gillotium (*præfat. in Hilar.*) dicatur hic liber *versus de latino in græcum, non appensis verbis, sed reddito sensu :* longe minus constat an Erasmus eadem etiam de causa veluti pro comperto asserat : *Hunc* librum Hilarius, *ut ipse testatur, vertit e græco, sed hac libertate, ut ubique neglectis verbis sententiam modo reddat, et ubi locus invitat, aliquid de suo admisceat : quam libertatem sibi permittit et in psalmis scribens.* Non enim fert communis sermonis usus, ut opus latinum dicatur e græco versum, quod quædam monimenta contineat e græco translata. Sed, quamvis aliud omnino sonent Erasmi præsertim verba, demus tamen eos in unas Orientalium formulas huic libro admixtas respexisse. Unde habent, Hilarium neglectis ubique verbis tantummodo reddidisse sententias? Afferunt quidem quod testatur num. 9, se Ancyrana decreta verbis quam poterit absolutissimis expositurum; non quod non ab aliis jam fuerint edita, *sed quod ex græco in latinum ad verbum expressa translatio affert plerumque obscuritatem, dum custodita verborum collatio eamdem absolutionem non potest ad intelligentiæ simplicitatem conservare.* At primo de solis Ancyranæ synodi definitionibus sermonem hic habet. Deinde expressam ad verbum translationem plerumque obscuram esse insinuat, non quatenus verba reddit, sed quatenus eumdem verborum numerum, ordinem collocationemque scrupulosius custodit : quod aperte in Psal. LXVII, n. 21, declarat, se nimirum jam monuisse, *plerumque interpretes cunctos, dum collocationem ordinemque verborum demutare ac temperare non audent, minus dilucide proprietatem declarasse dictorum.* Postremo qui græca exempla cum latina Hilarii versione contendet, facile assentietur vix ullam potuisse confici litteræ tenaciorem : et perinde Erasmum, Gillotium atque Scultetum de re sibi non comperta verba facere voluisse.

V. *Titulus.* — Si etiam propius inspexissent totius hujus Operis rationem, displicuisset eis vulgatus titulus, *De synodis fidei catholicæ contra Arianos et prævaricatores Arianis acquiescentes.* Quasi vero synodi, quarum expositiones complectitur, a Catholicis contra Arianos habitæ fuerint, et non potius ab ipsismet maximam partem Arianis aut certe Semiarianis. Saltem negari nequit Sirmiensem, quæ præcipuum in hoc libro locum obtinet, non contra Arianos, sed contra Photinum, Antiochenam vero contra Athanasium, ac demum pseudo-Sardicensem adversus eumdem aliosque catholicos convenisse. Minus male in antiquissimo basilicæ Vaticanæ codice inscribitur: *Liber catholicæ fidei* **449-450** *contra Arianos et prævar. Arianis acquiescentes :* maxime cum non contineat ille codex, nisi primam hujus libri partem cum Ancyranæ fidei definitionibus, quibus auctores Sirmiensis blasphemiæ iisque acquiescentes refelluntur. Neque sufficientem libri hujus notitiam præstat inscriptio *de Synodis*, quæ in mss. ab annis 500 obtinet. Hujus auctorem esse conjectamus Hieronymum, qui cum non haberet quo nomine hoc Opus breviter indicaret, appellarit *de Synodis*, puta ad imitationem libri Athanasii eadem ratione inscripti, cum quo quamdam habere videtur affinitatem. Quamquam apud Athanasium specialis est titulus *de Synodis Ariminensi et Seleuciensi;* de quibus primum agit data opera, ac postea velut ex occasione plures refert fidei confessiones : non ut eas quidem, quemadmodum Hilarius, benigne excuset; sed ut Arianorum in fide inconstantiam demonstret. Unde fit, ut etiamsi utriusque Opus in hoc simile sit, quod ambo exhibeant plures Orientalium fidei definitiones : cum tamen utriusque valde diversum sit consilium, nec titulus Athanasii libro prænotatus ad eam proprie partem pertineat, quæ cum hoc Hilarii Opere similis apparet; unius inscriptio non debeat esse norma alterius. Itaque hoc Opus non alio nomine ab ipso Hilario inscriptum putamus, quam eorum ad quos illud misit. Et quidem in omnibus probæ notæ mss. simpliciter *epistola* nuncupatur : neque aliter laudatur a Facundo Hermian., lib. x, c. 6 : *B. Hilarius*, inquit, *Arianorum potentissimus atque acerrimus expugnator, et constantissimus fidei Christianæ defensor, in epistola quam de exsilio scripsit episcopis Germaniæ primæ et Germaniæ secundæ*, etc. Verum ut absit novitatis molestia, titulum receptum *de Synodis* non mutamus : cui tamen adjicimus, *seu de fide Orientalium*, ut in fronte habeat lector brevem eorum quæ tractanda sunt indicem.

VI. *Tractatus hic auctoritate commendatur.* — Hunc tractatum, quem orationis fructum, pacis semen, et germen caritatis cognominare licet, Vigilium Taps. vidisse liquet ex libro ipsius v contra Eutychen, num. 5, nec satis advertisse quo spectaret. Eumdem laudavit Facundus non solum lib. x, cap. 6, sed et lib. XII, cap. 3, Augustinus vero epist. XCIII, num. 31 et 32, adversus Vincentium Rogatistam vindicavit. Tanti autem illum fecit Hieronymus, ut propria eum manu descripserit. *Prolixum valde*, inquit epist. VI, ad Florentium, *librum de Synodis sancti Hilarii, quem ei apud Treviros manu mea ipse descripseram, æque ut mihi transferas peto.*

VII. *Speculum est virtutum Hilarii. Præsertim lenitatis.* — Neque ob hoc solum commendandus est, quod plura continet gesta quæ historiam illustrant,

sed et quod veram ac vivam præ se ferat sanctissimi Præsulis effigiem. In eo enim uno tractatu velut in speculo resplendent prope omnes Hilarii virtutes, prudentia, constantia, animi magnitudo simul et demissio seu humilitas Christiana, castus amor patriæ, summum pacis studium, fidei sinceritas atque integritas, etc. Maxime autem egregia illa conciliandis sibi omnium animis nata lenitas atque modestia, qua præditum eum fuisse testatur Rufinus (*lib.* 1 *Hist.*, *c.* 31), adeo ubique elucet, ut vel nondum audito Rufini testimonio, præconceptam vulgi opinionem, qua animi eum paulo concitatioris ac vehementioris fuisse putant, statim excusserimus uti falsam et iniquam. Qua in sententia non mediocriter confirmamur ex sedatis ac melle conditis responsis ad ea, quæ in hocce suo tractatu nonnulli male reprehenderunt. In iis enim clare apparet invicta illa animi tranquillitas, qua potuit etiam læsus, pacatam dictorum rationem reddendo, suos delinire censores, irasci propria in causa prorsus nescivit. Sed de illis responsis, quæ nunc primum e tenebris eruuntur, nonnihil hic præloquendum.

VIII. *Unde eruta sint apologetica hujus libri responsa.* — In codice Carnutensi Romanis litteris scripto ante annos, uti videtur, 900, necnon in Michaelino hunc librum invenimus variis in locis auctiorem. Ea, quibus auctiores sunt, neque orationi reliquæ satis cohærent, neque omnino ad **451-452** eam non pertinent, Hilarium vero prorsus spirant, quem exhibent pro se proprio nomine respondentem. Eadem additamenta iisdem in locis præ se ferunt mss. Tellerianus et recentior Carnutensis, sed ad marginem dumtaxat adscripta. Remigianus vero alia in ipso textu, alia in ora libri habet, præmissa admonitione quod ea exstent in quibusdam exemplaribus. Denique in pervetusto basilicæ Vaticanæ exemplari, quod primam tantum hujus libri partem continere jam diximus, duo hujusmodi additamenta reperire est ipsi textui pariter inserta.

IX. *Eorum utilitas.* — Ea autem omnia Hilarii esse tam perspicuum est, ut id probare velle supervacaneum videatur. At sicut ipsis libri dictis immixta, eorum ordinem confundunt; ita seorsim suis locis posita, magno præsidio sunt ad enodandas quæstiones nonnullas, de quibus etiamnum disputatur. Aliqua etiam nos docent Hilarii gesta scitu dignissima, quæ hactenus latuerant, nimirum piissimum Præsulem male apud quosdam ob hunc tractatum audiisse, eumque nominatim a Lucifero, haud dubie Calaritano (quem indolis paulo durioris atque austerioris fuisse nemo nescit), culpatum fuisse tamquam verbi ὁμοιούσιον approbatorem, et adulatorem nimiumque laudatorem Orientalium, quibuscum remissius agens, illos veluti veræ fidei prædicatores celebrasset. Neque a majoribus auditum erat, eum apologeticum opus instituisse : quod saltem ex parte nobis repræsentant prædicta corollaria, quæ *apologetica ad reprehensores libri de Synodis responsa* nuncupare placet.

X. *An sint fragmenta, an notæ. An nullum amplius desiderandum.* — De his ambigere licet, selectane sint amplioris apologiæ fragmenta a studioso aliquo suis locis aptata, an vero sint tantum notæ et appendices ad illustrandos hujus libri locos, qui reprehensioni locum dederant, ab ipsomet Hilario adtextæ, et ad censores suos cum libro iis notis illustrato missæ. Probabile tamen putamus, illum a Lucifero de iis quæ tum sibi, tum aliis in hoc Tractatu displicuerant admonitum, eumdem ipsi Tractatum brevibus illis responsis auctum misisse, quibus omnes de fidei suæ sinceritate certiores faceret. An vero ex illis responsis nullum amplius desiderandum sit, non ausim asserere : si quidem vel ex iis, quæ nunc primum eduntur, codices alii alia habent, nullus qui omnia. In multis nullum occurrit. In pluribus reperire est primum sine aliis : secundum autem uni ms. S. Petri de Urbe debemus : denique in Carnutensi et aliis, in quibus cætera exstant, desiderantur duo priora.

XI. *Unde se purget Hilarius.* — Singula autem ad suspiciones amovendas eo magis sunt idonea, quod ex iis ipsis locis sese purget Hilarius, in quibus reprehensus fuerat. Necessarium certe erat hoc scandalum : ut ab ipso cum jucunda quadam animi admiratione audiremus, quanta in temperandis omnibus libri sui verbis prudentia usus esset. Quis enim jam non miretur simul et amet demonstrantem, se Orientales quidem laudasse, sed absque adulationis vitio, utpote quos objurgare suo loco non præterierit; ac licet blandos eos sermone allocutus sit, id se præsertim fecisse, ut procacia effugiens convicia, occulta eorum expositionum scandala utilius deinde prodoret : neque vero se omnem ab eis suspicionem ademisse, quos *non veram fidem*, sed tantum *veræ fidei revocandæ spem attulisse* dixerit : se denique *homœusion* invitum ac solo pacis studio, ne videlicet a Lucifero illud prædicante dissideret, cautela quanta maxima suscepisse?

XII. *Falso creditur Orientales ut orthodoxos habuisse.* — Ex quibus jam manifeste refellitur vulgaris opinio, qua Hilarius Orientales, qui Semiariani vulgo cognominantur, velut orthodoxos habuisse, eorumque formulas tamquam catholicas approbasse existimatur. Vidit quidem eos ad veram fidem progressum facere, vidit eorum formulas sensu catholico intellectas quodam modo ferri posse; laudavit, et quantum potuit promovit accedentes, iisque verum confessionum suarum sensum (ut ita dicam) digessit, et quasi liquatum blande propinavit : at ut prorsus catholicos habuit numquam, neque suspicionem ab eis adimere voluit.

453-454. XIII. *Falso creditur de eorum formulis diversa ab Athanasio sensisse. Conciliatur diversa utriusque loquendi ratio ex scopi diversitate.* — Hinc quoque evanescit, quod prope in omnium animis insederat, Hilarium in hoc tractatu de formulis Orientalium diversa ab Athanasio in libro pariter *de Synodis* inscripto sensisse, et quod ille aperte damnat laudasse. Si enim eos, qui Ancyræ congre-

gati Anomœis acriter restiterunt, Filiique cum Patre in substantia similitudinem tot decretis sanxerunt, neque *veram fidem attulisse* sensit; longe minus eos attulisse senserit, qui aut Antiochiæ, aut Philippopoli, aut Sirmii nondum ita prope ad veram fidem accesserant. Si autem quis quærat, cur non diversa sentiens, tam diversa loquitur: in promptu est responsio. Attendat enim utriusque scopum: et facile conciliabit utriusque sermonem. Quis enim nesciat iisdem de rebus, pro consilii diversitate, diversam sermonis ineundam esse rationem? Athanasio itaque qui hoc sibi suo libro præscripserat, ut Arianos ex fidei formulis toties editis totiesque mutatis, inconstantis adeoque perversæ fidei convinceret, palam et aperte improbanda erat tanta formularum varietas. At vero Hilario, qui hoc sibi maxime proposuerat, ut et Orientalium benevolentiam captando, et in eorum favorem nonnihil flectendo Occidentales, utrosque ad concordiam et pacem in synodis jam indictis ineundam præpararet, multa fuerunt dissimulanda, formularum iterato condendarum excogitandæ causæ, ac denique dicta quibus enuntiabantur benigne interpretanda.

XIV. *Conciliatur ex diversitate temporis. Libri ad Constantium nihil habent quod cum hoc pugnet.* — Præterea iis non una ratione loquendum fuit, qui non uno tempore scripserunt. Scripsit namque Hilarius ante Arimiñensem synodum, cum ei spes erat, ut quemadmodum Orientales adversus Anomœos a Constantino auditi erant, ita ipse, quod in optatis semper habuerat, adversus Valentem et Ursacium benigne audiretur. Hoc autem si sibi umquam daretur, duos illos Arianæ sectæ duces, qui Orientem Occidentemque totum commovebant, facile devincendos, et Imperatorem ipsum tandem ad veram fidem revocandum esse confidebat. Quod cum cogitaret, fides Orientalium, quibus tum mire favebat Constantius, damnanda ei non erat, sed, quantum licebat, laudanda et approbanda. At vero Athanasius scripsit post prædictam synodum, quando jam poscebat Ecclesiæ utilitas, ut quod in tot fidei confessionibus vitiosum erat, non dissimularetur, et quando ipse etiam Hilarius nec dissimulavit, nec pepercit. Tum enim libello ad Constantium, rursumque libro altero adversus eumdem Imperatorem, formularum multitudinem palam et aperte improbavit. His itaque libris, mutato jam rerum statu, mutavit stylum; non, ut quidam volunt, pugnantia cum iis quæ libro de Synodis dixerat locutus est.

XV. *Quam multis hujus libri locis indicet Orientalium fidem sibi non probari.* — Neque vero ex verbis apologiæ tantum, sed et ex ipsomet tractatu perspicuum est, Orientalium confessiones tunc temporis ipsi non fuisse per se et absolute probatas. Quorsum enim, num. 6, rursumque num. 65, tam enixe obtestatus est, ne de se ante sermonis consummationem judicaretur, nisi quia ex benignis interpretationibus suis de se posse male judicari prævideret? Quam ob causam, num. 7, de formulis a se exponendis ait: *In quibus si quid vitiose inesse intelligitur, nemo mihi vitium potest assignare dictorum, interruntius enim, ut voluistis, sum ipse, non conditor*; si illas ab omni vitio puras existimasset? Quid sibi vult quod his proxime subjicit, *Ego quæ gesta sunt fideliter transmisi: vos an catholica, an hæretica sint, fidei vestræ judicio comprobate*; nisi se ea ne ab hæresis quidem suspicione aliena judicare? Verum expositis omnibus Orientalium formulis, nullam earum sibi probari luculenter indicat, num. 63, ubi miserum Orientis statum deplorans, *Tantum*, inquit, *Ecclesiarum Orientalium periculum est, ut rarum sit hujus fidei* (*quæ qualis sit, vos judicate*) *aut sacerdotes aut populum inveniri.* Maxime cum id ipsum denuo, num. 66, cum quadam emphasi repetat. Quid postremo sonat illud num. 3, quod Gallorum fidei fama *quosdam Orientalium episcopos sero jam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreseos auctæque commovit*; nisi ab iisdem Orientalibus usque ad Ancyranam synodum, proindeque et Antiochiæ et Philippis et Sirmii, nutritam fuisse hæresim atque auctam? **455-456** Imo quod in ipsa Ancyrana synodo ausi sunt, *impium* esse non sine doloris sui testificatione declarat num. 9.

XVI. *Falsam synodum Sardicensem non habuit pro vera.* — Quæ cum ita sint, non occurrit nobis qua ratione nitantur, qui volunt sanctum confessorem, cum hunc librum scriberet, falsam synodum Sardicensem pro vera habuisse. An quod fidem illius non vocaverit Philippopolitanam? At hoc prudentiæ fuit, ne quos conciliare peroptabat Orientales alienaret. Sed neque eam Sardicensem dixit, ne deciperet Occidentales. Eo autem temperamento illam inscripsit: *Fides secundum Orientis synodum*; ut illæsis Orientalibus, satis significaret illam eorum esse, qui ab Occidentalibus Sardicæ congregatis secesserant; quod perinde est ac si Philippopolitanam vocasset. *Sardicensem* quidem eam dixit libro in Constantium; sed non tam ex sua, quam Constantii ipsius quem alloquebatur sententia. Et sane de rebus Orientis tunc erat instructior, quam ut veræ ac falsæ synodi Sardicensis discrimen ignoraret.

XVII. Etiamsi autem nonnihil suspectam haberet Orientalium fidem, quam tamen eis hoc libro patefecit benevolentiam, etiam postea Seleuciæ et Constantinopoli conservavit. Nec aliter erga eos sese gessit Athanasius, qui etiam post annum 360, in lib. de Synod. pag. 916, scribit, cum Basilio Ancyrano ejusque similibus sic agendum esse, veluti cum iis *qui non longe absunt a recipienda voce consubstantialis. Neque enim*, inquit paulo ante, *adversus eos veluti adversus Ariomanitas aut adversus Patrum hostes contradicimus; sed veluti fratres cum fratribus disceptamus, ut cum quibus nobis eadem sit sententia, controversia autem de verbis.* In quo melius de Orientalibus sensisse videtur, quam noster Hilarius: qui cum similia quædam dicat sub finem num. 8, ea se non tam certo asseverasse, quam pia quadam animi propensione, quæ necdum sine formidine erat, locutum esse pluribus aliis sententiis demonstrat. Ita duo illi clarissi-

mi viri nos exemplo docuerunt præclaram illam Gregorii Naz. Or. XXI, n. 19, sententiam : *Sic enim existimo in dubiis et incertis rebus faciendum esse, ut ad benignitatem et humanitatem propensiores simus, eosque, qui in culpa sunt, absolvamus potius quam con-* A *demnemus*. Sed ad Hilarium nostrum quod attinet, de vero illius erga Orientales sensu, nullum ut diximus dubium relinquent ipsius responsa apologetica, quæ et seorsim in notis, et post hunc librum simul in unum collecta exhibebimus.

457-458

SANCTI HILARII
LIBER DE SYNODIS,
SEU
DE FIDE ORIENTALIUM.

(SCRIPTUS CIRCA FINEM ANNI 358.)

Dilectissimis (*a*) et beatissimis Fratribus et (*b*) coepiscopis, provinciæ Germaniæ primæ, et Germaniæ secundæ, et primæ Belgicæ, et Belgicæ secundæ, et (*c*) Lugdunensi primæ, et Lugdunensi secundæ, et provinciæ (*d*) Aquitanicæ, et provinciæ Novempopulanæ, et (*e*) ex Narbonensi plebibus et clericis Tolosanis, et provinciarum (*f*) Britanniarum episcopis, Hilarius servus Christi, in Deo et Domino nostro æternam salutem.

1. *Hilarii de Galliæ episcoporum fide anxii propositum.* — Constitutum mecum habebam, Fratres carissimi, in tanto silentii vestri tempore nullas ad vos ecclesiastici sermonis litteras mittere. Nam cum frequenter vobis ex plurimis Romanarum provinciarum B urbibus significassem, quid cum religiosis fratribus nostris Orientis episcopis fidei studiique esset, quantaque, sub occasione temporalium motuum, diabolus venenato ore atque lingua mortiferæ doctrinæ sibila protulisset; verens ne in tanto ac tam plurium episcoporum calamitosæ impietatis vel erroris periculo, taciturnitas vestra de pollutæ atque impiatæ conscientiæ esset desperatione (*g*) suscepta (nam ignorare vobis frequenter admonitis non licebat), mihi quoque apud vos tacendum arbitrabar, dominicæ sententiæ admodum memor, qua post primam atque iteratam conventionem, eos, qui etiam sub testimonio **459** Ecclesiæ inobedientes exsisterent, haberi sicut ethnicos publicanosque jussisset (*Matth.* XVIII, 15 *et seqq.*).

(*a*) Sic omnes mss. uno excepto Vaticanæ bas. et recentiore Carn. qui cum vulgatis præferunt *Dominis*, non *dilectissimis*. At epistola adversus Auxentium magno codicum consensu *dilectissimis fratribus* inscribitur.

(*b*) Plures mss. non tamen potiores, *et episcopis*, omisso deinde *provinciæ* vocabulo. At in recentiore Carn. totus titulus sic interpolatur : *Coepiscopis Germaniæ primæ, in qua est prima Maguntia; et Germaniæ secundæ, in qua prima est Agrippina, id est Colonia; et primæ Belgicæ, in qua prima est Treveris; et Belgicæ secundæ, in qua prima est Remis; et Lugdunensis primæ, in qua prima est Lugdunum; et Lugdunensis secundæ, in qua prima est Rotomagum, et Narbonensi plebi, in qua prima est Narbona; et Clericis Tolosanis*, etc., quod desumptum videtur ex his, quæ in mss. monasterii Silvæ majoris et S. Remigii Remensis, in fronte totius Tractatus sic prænotantur : *In Germania prima est Maguntia, in secunda Agrippina, id est Colonia, in Belgica prima Treveris, in Belgica secunda Remis, in Lugdunensi prima Lugdunum, in Lugdunensi secunda Rotomagus, in Novempopulana est Tolosa :* mendose, quantum ad postremam hanc metropolim. Nam Novempopulanæ primaria civitas *Elusatium* in Corbeiensi codice sæculo sexto exarato consignatur : *Tolosatium* autem in prima Narbonensi post Narbonam ordinatur.

(*c*) Editi hic et infra, *Lugdunensis :* refragantibus potioribus mss.

(*d*) In novem mss. desideratur *et provinciæ Aquitanicæ*. In vetusto Colb. et Germ, habetur, *et provinciæ Aquitanæ :* in duobus aliis, *et provinciæ Aquitaniæ :* in Carn. *et provinciæ Aquitanicæ primæ*. Sane C in provinciarum Gallicanarum partitione, quam exhibet jam dictus codex Corbeiensis medio sæculo sexto exaratus, duæ recensentur Aquitanicæ, et primæ quidem metropolis civitas Biturigum, secundæ autem Burdigalensium. Ita etiam memorantur quatuor Lugdunenses ac Narbonenses duæ. An data opera Hilarius provincias illas non distincte nuncuparit?

(*e*) Corb. aliique complures mss. *et Narbonensi plebi*. Retinenda cum vetustioribus Colb., Carn., etc., vulgata lectio : quasi diceret Hilarius, et ex omni Narbonensi provincia (cujus metropolis Narbona et sub ea Tolosa recensetur), præsertim Tolosanis plebibus et clericis : de quibus præcipua ipsi cura fuit, quod Rhodanium illorum episcopum, *qui*, Sulpicio Severo teste, *natura lenior non tam suis viribus quam Hilarii societate Arianis non cesserat*, eadem exsilii conditio implicuerat.

(*f*) Britannias jam sua ætate Christianas fuisse testatur Tertullianus adversus Judæos n. 4, ubi *Britannorum inaccessa Romanis loca Christo vero subdita* D memorat. Hos medio sæculo secundo, Lucii regis et Eleutherii Papæ temporibus fidem suscepisse scribit Beda, lib. I hist. gentis Anglorum cap. 4. Neque alios spectare videtur Hilarius in Psal. XIV, n. 3, ubi narrat *etiam in Oceani insulis plurimas Deo habitationes* ab Apostolis paratas. Nunc vero indicat ipsos Britanniarum episcopos cum Gallicanis conspirasse, ut decertarent adversus Arianam pestem, quæ ipso Beda teste, libro laudato, cap. 8, *perfidiæ suæ virus non solam orbis totius, sed et insularum ecclesias adspersit.*

(*g*) Editi, *suspecta ;* emendantur ex melioribus mss.

2. *Galliæ episcopis gratulatur ob negatam Saturnino communionem, ob damnatam Sirmii fidem.* — Sed beatæ fidei vestræ (*a*) litteris sumptis, quarum lentitudinem ac raritatem de exsilii mei et longitudjne et secreto intelligo constitisse; gratulatus sum in Domino, incontaminatos vos et illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse, vosque comparticipes exsilii mei, in quod me Saturninus, ipsam conscientiam suam veritus, circumvento (*b*) imperatore detruserat, negata ipsi usque hoc tempus toto jam triennio communione, fide mihi ac spiritu cohærere : et missam proxime vobis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem, non modo non suscepisse, sed nuntiatam etiam significatamque damnasse. Necessarium mihi ac religiosum intellexi, ut nunc quasi episcopus episcopis mecum in Christo communicantibus salutaris ac fidelis sermonis colloquia transmitterem : et qui per metum incertorum, conscientiæ tantum antea meæ, quod ab his omnibus essem liber, gratulabar, nunc jam communis fidei nostræ integritate gauderem. O gloriosæ conscientiæ vestræ inconcussam stabilitatem! O firmam (*c*) fidelis petræ fundamine domum! O intemeratæ voluntatis illæsam imperturbatamque (*d*) constantiam! Mansit namque, atque etiam nunc **460** permanet, post synodi Biterrensis professionem, in qua (*e*) patronos hujus hæreseos ingerendæ quibusdam vobis testibus denuntiaveram, innocens, (*f*) inviolata, religiosa.

3. *Hæresi prorupturæ non cedunt, prorumpentem frangunt. Ad resipiscentiam Orientales exemplo suo commovent.* — Exspectastis enim sanctæ et indemutabilis perseverantiæ gloriosum triumphum, non cedendo Saturnini minis, potestatibus, bellis : et cum omnia inchoandæ blasphemiæ in Deum certamina moverentur, manentes nunc usque mecum in Christo fideles, neque antea ad occasionem prorupturæ hæreseos cessistis, et nunc omnem ejus petulantiam in proruptionis congressione fregistis. Vicistis enim, Fratres, cum ingenti fidei communis gratulatione : et geminam habuit illæsæ (*g*) constantiæ vestræ honor gloriam, de integritate scilicet conscientiæ, et de exempli auctoritate. Nam fidei vestræ imperturbatæ inconcussæque fama, quosdam Orientalium episcopos sero jam ad aliquem pudorem nutritæ exinde hæreseos auctæque commovit : et auditis iis quæ apud Sirmium conscripta impiissime erant, irreligiosorum audaciæ quibusdam sententiarum suarum decretis (*h*) contradixerunt. Et licet non sine aliquo aurium scandalo et piæ sollicitudinis offensione restiterint : tamen adeo restiterunt, ut ipsos illos, qui tunc apud Sirmium in sententiam Potamii atque (*i*) Osii, ita et

(*a*) Si quidem iis litteris didicit, Gallos editam anno 357, confessionem Sirmiensem (vel ut constanter exstat in mss. *Sirmensem*) non modo non suscepisse, sed et damnasse; liquet eas aut exeunte an. 357 aut an. 358 ineunte ab ipso fuisse acceptas. Cum autem inconcussa illa in damnanda prædicta confessione Gallorum constantia Orientalibus innotuerit ante Pascha an. 358, hoc est, prius quam Ancyræ convenirent, necesse est easdem litteras non post mensem Martium an. 358 Hilario fuisse redditas. Valde enim probabile est, Orientales per ipsum audiisse quod in Gallia factum est. At certe ab Orientalibus ipse non audivit primus, qui ante has litteras de Gallorum fide incertus erat et anxius.

(*b*) Constantio scil., qui tum Mediolani degebat. Videsis lib. II ad Constant. n. 2.

(*c*) Gallos hic laudare videtur Hilarius, quod confessi sint filium Dei, alludens nimirum ad confessionem Petri, de qua lib. II de Trin. n. 23 : *Unum igitur hoc est immobile fundamentum, una hæc felix fidei petra Petri ore confessa, Tu es filius Dei vivi;* et lib. VI n. 36 : *Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiæ ædificatio est.*

(*d*) Aliquot mss. *conscientiam* : male; jam enim conscientiæ stabilitas laudata. Minus male in Carn. *sententiam.*

(*e*) In sex mss. *patronum*, quem commode intelligere esset Saturninum Arelat. Arianarum partium, uti eum vocat Sulpicius p. 263, ducem. Sed cum in vetustioribus legamus *patronos;* una cum Saturnino designati hic videntur Ursacius et Valens, quorum in concilio Mediolan. an. 355, ad ingerendam hæresim conatus et artes narrat idem Sulpicius pag. 247. Quibus favet quod ait Hilarius in Constant, n. 2, se cum Gallicanis episcopis proxime post Mediolan. Concilium *a Saturnini et Ursacii et Valentis communione* discessisse, *indulta cæteris eorum consortibus resipiscendi facultate.*

(*f*) Editi excepto Bad., *inviolataque religio* : quod et habent duo mss. sine particula *que*. Cæteri autem cum Bad., *inviolata, religiosa* : supple, *constantia.*

(*g*) Ita præcipui mss. At excusi, *conscientiæ.*

(*h*) Hic notantur Ancyranæ synodi decreta. Deinde post verbum *contradixerunt*, in prius vulgatis subjiciebatur : *Et si diligenter sententia hæc expensa esset, forte totius Tractatus mei ratio non fuisset suspiciosa. Non enim tacuissem illic, quod non nisi cum scandalo esset audiendum.* Quæ verba reliquæ orationi non cohærent, neque exstant in mss. probæ notæ Colbertinis duobus, Germ., Carn. Habentur tamen in veterrimo ecclesiæ Vaticanæ codice, Corb. aliisque pluribus. Quis non videat, ex notis apologeticis, de quibus in præfatione dictum est, hanc unam esse, quæ respiciat verba, *Et licet non sine aliquo aurium scandalo*, etc. Re ipsa enim hac una sententia probe expensa, relictus non erat locus suspicioni, in quam Hilarius ob hunc tractatum venit, quasi Orientales catholicæ veritati per omnia congruentes existimarit : cum conceptis verbis moneat, quædam in prædicta synodo decreta fuisse, quæ pias aures offenderent. Ubi non obscure notat duo postrema decreta, ab Epiphanio relata, hær. LXXIII, n. 11, quorum altero Patrem non substantia solum, sed et auctoritate patrem asserebant; altero autem homousion damnabant. Illa quidem in hoc tractatu prudens supprimit Hilarius, quia nimirum Orientales ipsi Sirmium accedentes ea primi reticuerant : sed eorum tamen se conscium fuisse, tum hic, tum alibi indicat. Quocirca in apologetica nota, pro *non enim tacuissem illic*, haud dubie legendum, *non enim tacui esse illic*. Item in primis verbis *Etsi diligenter*, supervacanea est particula *et*, neque exstat in mss.

(*i*) In antiquis libris *Osii* nomen cum duplici *ss.* constanter pingitur, puta, *Ossii*. Tum in vulgatis, *ita ut ipsi consentientes*. Ex potioribus mss. restituimus *ita et ipsi*, ex omnibus autem *sentientes*. Quod hic delibat Hilarius, plenius prosequitur num. 78 et 79, ubi declarat quosdam *coacta ignorantiæ suæ professione* et nova subscriptione, quamvis sibi suspecta, damnasse quod fecerant; tum vero Ursacium et Valentem nominatim exagitat, ut quibus ignorantiam obtendere minime licuerit. Quin hæc illorum coacta subscriptio proxime post Ancyranam synodum contigerit, quando scil. Basilius aliique legati hujus

ipsi **461** sentientes confirmantesque, concesserant, ad professionem ignorantiæ errorisque compellerent; ut ipsi rursum subscribendo damnarent quod fecerant. Quod utique ideo (*a*) fecerunt, ut aliud ante damnarent.

4. *Quorumnam devitent communionem.* — Sed tenet etiam nunc invicta fides vestra spectabilem (*b*) conscientiæ suæ gloriam : et nihil subdolum, nihil ambiguum, nihil trepidum agere contenta, (*c*) secure in Christo libertatis suæ professione persistit, ab eorum se communione, qui episcopos blasphemiis suis contradicentes in exsilio detinent, abstinendo, neque se in injusti judicii reatum per assensum dissimulationis subdolæ aggregando. Nam post multum et gravem omnium nostrum ob eas res, quæ irreligiose ab impiis gerebantur, dolorem, ex eo (*d*) intra nos tantum communio dominica continetur, ex quo his perturbationibus vexari Ecclesia cœpta est, ut exsulent episcopi, demputentur sacerdotes, plebes terreantur, fides periclitetur, humano arbitrio ac potestate doctrinæ dominicæ decreta statuantur. Hoc fides illæsa vestra neque nescire se simulat, neque pati posse profitetur, non se extra conscientiæ crimen futuram intelligens ex ipso dissimulationis assensu.

5. *Epistolæ hujus occasio. Operis difficultas.* — Et quidem quamvis in omnibus, quæ gessistis et geritis, constantem fidei vestræ libertatem et securitatem testemini; tamen etiam in eo ferventis spiritus ardorem probatis, quod nonnulli ex vobis, quorum ad me potuerunt scripta deferri, quæ exinde Orientales in fidei professionibus gerant et gesserunt, significari vobis humilitatis meæ litteris desiderastis : etiam hoc mihi onus imperitissimo atque indoctissimo omnium ex affectu charitatis addentes, ut quid ipse super omnibus dictis eorum sentiam indicem ; cum difficillimum sit sensum ipsum propriæ meæ fidei, secundum intelligentiæ (*e*) interioris affectum loquendo proferre, nedum modo facile sit intelligentiam eorum quæ ab aliis dicuntur exponere.

6. *Qua conditione debeat legi. Operis utilitas.* — Oro autem vos per Domini misericordiam, ut quia (*f*) mihi ad vos de divinis, ut **462** voluistis, rebus et de fidei nostræ intemerata conscientia erit per has litteras sermo, ne quisquam de me ante sermonis consummationem per litterarum exordia existimet judicandum. Iniquum est enim, non comperta usque ad finem ratione dictorum, præjudicatam sententiam ex initiis quorum causa adhuc ignoretur afferre : cum non de inchoatis ad cognoscendum, sed de absolutis ad cognitionem sit judicandum. Est enim mihi non de vobis, ut Dominus sensui meo conscius est, sed de quibusdam nimium apud se cautis et prudentibus metus, (*g*) non intelligentibus per beatum Apostolum sibi, ne supersaperent, præceptum (*Rom.* XII, 3) : quos vereor nolle omnia ea, quorum absolutio a me in consummatione erit præstanda, (*h*) cognoscere, dum verum intelligi ex iis quæ absolventur evitant. Sed quisque hæc legenda et cognoscenda susceperit, modum sibi atque mihi patientiæ fidelis indulgeat, et usque ad absolutionem universa (*i*) percenseat. Forte enim omnis hic fidei meæ sermo præstabit, ut neque furtivi hæretici quod volunt fallant, et perfecti catholici quod desiderant consequantur.

7. *Quid complectatur.* — Obsequor igitur Charitatis Vestræ impatientissimæ voluntati : et omnes fides, quæ post sanctam synodum Nicænam diversis temporibus et locis editæ sunt, cum sententiarum omnium synodi decreta ad Imperatorem detulerunt, nulla videtur dubitandi ratio. Sed et ingens suspicio est, huc referenda esse, quæ ait Germinius Fragmento XV, n. 3, nimirum Basilio, Eleusio, Valente, etc., præsentibus coram imperatore habitam usque ad noctem de fide disputationem (ni fallit conjectura, illis Ancyrana decreta, his subjectam Osii blasphemiam defendentibus) : tum vero omnium calculo electum fuisse Marcum Arethusium ad conscribendam formulam, cui singuli subinde subscripserint. Existimari etiam posset Germinius formulæ hujus a Marco conscriptæ verba expressisse Fragmento XIII, ubi *Verum Dei filium ante omnia genitum, divinitate, charitate, majestate, virtute, claritate, vita, sapientia, scientia, Patri per omnia similem* profitetur. Hæc enim videntur consulto opposita Osianæ blasphemiæ, qua *Patrem honore, claritate, majestate atque ipso nomine patris Filio esse majorem* pronuntiabant. Unum tamen hoc nos movet, cur Hilarius in hoc Opere, in quo omnes Orientalium formulas pollicetur, hanc postremam reticuerit, quam ut publicaret, maxime ad scopum ipsius pertinebat. Quamquam reponi queat, hoc unum de illo congressu tum disseminatum esse, quod Ursacius, Valens aliique se per ignorantiam deliquisse professi, Basilii sociorumque placitis subscripsissent ; formulam vero ibi editam singulos apud se secretam tenuisse.

8. *Epistolæ hujus occasio. Operis difficultas.* — Et quidem quamvis in omnibus, quæ gessistis et geritis, constantem fidei vestræ libertatem et securitatem testemini; tamen etiam in eo ferventis spiritus ardorem probatis, quod nonnulli ex vobis, quorum ad me potuerunt scripta deferri, quæ exinde Orientales in fidei professionibus gerant et gesserunt, significari vobis humilitatis meæ litteris desiderastis : etiam hoc mihi onus imperitissimo atque indoctissimo omnium

(*a*) Editi, *fecerant*. At mss. *fecerunt* : quod de Orientalibus dictum videtur, et sententiæ superioris quædam repetitio : puta, ideo coegerunt illos ad subscribendum, ut hac subscriptione damnarent quod Sirmii antea egerant.

(*b*) Carnutensis codex cum paucis aliis, *constantiæ* : male. Quippe Hilarius primum posuit Gallorum constantiam duplici gloria ornatam, ob exemplum scilicet, et ob conscientiæ integritatem. Tum quid profuerit eorum exemplum explicuit. Nunc quæ sit illæsæ ipsorum conscientiæ gloria enarrat.

(*c*) Septem mss. *secura*.

(*d*) Quos spectet illud *intra nos*, aperit num. 8, ubi qui ad synodum in Bithynia erant acciti, laudantur quod *a cæteris extra Gallias abstinerent*. Negata autem videtur litterarum duntaxat ac mysteriorum communio, non colloquiorum. Nam quemquam cum hæreticis colloqui, numquam se criminis loco duxisse testatur Hilarius ipse lib. III Constant. n. 2.

(*e*) Vocabulum *interioris*, quod in una tantum Mirai editione exprimitur, exstat in omnibus mss. Quam in explicanda propria fide sibi diffidat Hilarius, videsis lib. II de Trin., n. 5 et seqq., et lib. XI, n. 44.

(*f*) Lips. et Par., *quia nihil ad vos* : emendant alii libri.

(*g*) In mss. *non intelligentium*. Mox in carn., *ne superbe saperent*. In Corb. a secunda manu, *ne superba saperent* : quod exinde in pluribus aliis obtinuit. Librorum aliorum lectionem confirmat græcus sermo μὴ ὑπερφρονεῖν, necnon illud lib. X de Trin. n. 53 : *Nonne incumbet supersapere volentibus stultitia ?*

(*h*) Ita mss. ubi in vulgatis, *cognosci*.

(*i*) Vetus codex Colb. cum Germ., *pergens eat*. Adeo non credit Hilarius catholicos esse, quorum confessiones catholice exponit, ut eos etiam *furtivos hæreticos* existimari posse subinde insinuet.

nium atque etiam verborum additis per me expositionibus destinavi. In quibus si quid (*a*) vitiose inesse intelligitur, nemo mihi vitium potest assignare dictorum : internuntius enim, ut voluistis, sum ipse, non conditor. Si quid vero rectum atque ex doctrinis apostolicis (*b*) præscriptum deprehenditur, nemo ambigit non interpretantis in eo esse gloriam, sed auctoris. Ego tamen quæ gesta sunt, fideliter transmisi : vos an catholica, an hæretica sint, fidei vestræ judicio comprobate.

8. *Quis scopus. Orientalium et Gallorum mutuæ suspiciones.*— Quamquam enim responderi litteris vestris necessarium fuerit, quibus communionem mihi dominicam fidei vestræ scriptis miseratis; et quidam etiam ex vobis ad synodum quæ in Bithynia (*c*) futura videbatur **463** acciti, firmissima fidei (*d*) constantia intra communionem se meam continentes, a cæteris extra Gallias abstinerent; et dignum sane erat episcopali ministerio ac voce, in tanto hæreticorum furore, aliqua vobiscum per litteras piæ fidei consilia conferre. Non enim cum corporibus nostris exsulans, vinctum ac detentum esse potuit Dei verbum, ut non communicari vobiscum posset ubicumque (*Vid. l.* x *de Trinitate, n.* 4). Sed maxime cum comperissem synodos (*e*) in Ancyra atque Arimino congregandas, et a singulis provinciis Gallicanis binos vel singulos eo esse venturos; ea, quæ inter nos atque Orientales episcopos mutuis suspicionibus detinentur, per me, qui in Orientis partibus continebar, exponenda vobis, licet jam scientibus, atque edenda existimavi : ut cum hanc prorumpentem a Sirmio hæresim et vos condemnassetis, et illi cum anathemate judicassent, sciretis tamen in cujus fidei professione id ipsum, quod vos gesseratis, etiam ab Orientalibus episcopis esset effectum; et vos, quos maxime vellem futuris synodis probabiles elucere, non paterer uno atque eodem apostolicæ fidei sensu (*f*) catholica sentientes, aliqua saltem a catholicæ fidei sinceritate, ignorata verborum opinione, differre.

9. *Orientalium adversus Sirmii formulam decreta cur hic relata.* — Et quidem rectum ac conveniens existimo, ut ante quam de verborum suspicionibus ac dissensionibus ineo sermonem, ea quæ ab Orientalibus episcopis adversum conscriptam apud Sirmium hæresim dicta et constituta sint, verbis quam possim absolutissimis demonstrem : non quod non ab aliis planissime **464** omnia edita sint; sed quod (*g*) ex græco in latinum ad verbum expressa translatio affert plerumque obscuritatem, dum custodita verborum collatio eamdem absolutionem non potest ad intelligentiæ simplicitatem conservare.

10. *Sirmii formula quid tentatum.* — Meministis namque in ea ipsa scripta proxime apud Sirmium blasphemia id tentatum ac laboratum fuisse, uti dum Pater unus et solus omnium Deus prædicatur, Deus esse Filius negaretur : et dum de homousio ac de homœusio taceri decernitur, id decretum esse, ut aut ex nihilo ut creatura, aut ex alia essentia ut consequentia creaturarum, et non ex Deo Patre Deus Filius natus confirmaretur. Tum porro in eo, quod honore, dignitate, claritate, majestate Pater major diceretur, id esse quæsitum, ut Filius his omnibus, quibus Pater major est, indigeret. Postremo dum ignorabilis nativitas ejus asseritur, per hoc ignorantiæ decretum, nescire quod ex Deo sit juberemur : perinde quasi juberi decernique possit, ut quis aut quod ignoraturus sit sciat, aut quod scierit ignoret.

(*a*) Editi, *vitiosum* : refragantibus mss. Verba hæc, *si quid vitiose inesse*, necnon *internuntius sum ipse*, *non conditor : si quid vero rectum*, etc., in ipsas Orientalium formulas cadunt, non in earum interpretationes; suntque timentis, ne quas benigne excusat, approbare videatur.

(*b*) Addimus ex mss. et Mir., *præscriptum* : quod in aliis editis omissum erat. Proxime Hilarius, ut jam observatum, prudenter reticens quid de Orientalium fide ipse sentiret, eam etiam hæreticam posse judicari non diffitetur.

(*c*) Nicomediæ videlicet, ubi propter terræ motum quo hæc urbs die 24 Augusti an. 358 concidit, nequiit celebrari, uti narrant Socrates, lib. II, c. 37, et Sozomenus, lib. IV, c. 16.

(*d*) Plures mss., sed non potiores, *conscientia.* Ex iis, quæ hic scribit Hilarius, confici quidam putant, episcopos Gallicanos ad synodum Nicomediensem accitos, jam ad ipsummet in Phrygiam usque pervenisse, cum hoc opus aggressus est. At non necessaria est hæc consecutio. Quid enim vetat, quominus eos intra suam ipsius communionem se continentes eo sensu nunc dicat, quo superius, num. 2, dixit, Galliarum episcopos sibi fide ac spiritu cohærere, et quo cosdem num. 4 laudavit, quod in proposito persisterent ab eorum se communione abstinendi, qui episcopos hæresi adversantes in exilio detinent? Quod sane etiam Galliarum fines non egressis præstare eis licuit. Sed quidquid sit, illi ab episcopis qui non essent Galli abstinuerunt, ut decreto superius, num. 4, memorato parerent.

(*e*) Abest *in* a mss. Solus Hilarius meminit Ancyram, post Nicomediæ cladem, congregandæ synodo fuisse designatam. Non repugnat tamen Sozomenus, lib. IV, c. 16, ubi refert varia a diversis loca ad hoc fuisse proposita. Neque alienum erat ab ingenio Basilii, cui hujus rei cura demandata erat, ut ipse civitatem cui præerat eligeret. Illud quoque singulare est quod ait, aliquos duntaxat e singulis provinciis Ariminum et Ancyram esse venturos. Sozomenus enim etsi memorat, lib. IV, c. 16, episcopos e qualibet gente selectos Nicomediam accersitos fuisse, *ut vice omnium provinciæ suæ episcoporum in concilio residerent, et judicio interessent* : ibidem tamen testis est Imperatorem, ubi mutandum concilii locum rescivit, mandasse ut non jam ex singulis provinciis singuli, sed omnes quotquot valerent convocarentur.

(*f*) Aliquot mss. *catholice.*

(*g*) Baronius ad an. 357, n. 11, falso existimat, hæc ad blasphemam Sirmiensis fidei professionem referenda esse : atque inde perperam concludit, n. 13, Hilarium in germanam prædictæ confessionis editionem, quæ latine conscripta fuit, nequaquam incidisse, sed in græcam. Quis enim non videt, hæc de iis dicta esse quæ Orientales Ancyræ constituerint? Sed magis stupendum, quomodo ex hoc loco decipi potuerint Erasmus, Scultetus atque Gillotius, ut totum hoc opus a Græcis editum, et ab Hilario latine dumtaxat donatum putaverint. Hic mirari subit antiquorum in transferendis e græco in latinum scriptis religionem. Vix enim, uti prænonuimus, magis ad verbum exprimi queant sequentes Hilarii versiones.

Ipsam autem ex solido impiissimæ blasphemiæ pestem invitus licet subdidi, ut (*a*) responsionum, quæ e diverso ab Orientalibus positæ sunt, absolutius et virtus et ratio nosceretur, quibus (*b*) studii fuit, ut secundum intelligentiæ suæ sensum omnibus hæreticorum artibus contrairent.

(*c*) *Exemplum Blasphemiæ Apud Sirmium per Osium et Potamium conscriptæ* (anno 357).

11. *Deum esse unum. Substantiæ vocem tacendam. Patrem Filio esse majorem.* — « Cum nonnulla putaretur esse de fide **465** disceptatio, diligenter omnia apud Sirmium tractata sunt et discussa, præsentibus sanctissimis fratribus et coepiscopis nostris, Valente, Ursacio et Germinio (*d*). Unum (*e*) constat Deum esse omnipotentem (*f*) et patrem, sicut per universum orbem creditur: et unicum filium ejus Jesum Christum Dominum salvatorem nostrum, ex ipso ante sæcula genitum. Duos autem deos nec posse nec debere prædicari; quia ipse Dominus dixit: *Ibo ad patrem meum et ad patrem vestrum, ad Deum meum et ad Deum vestrum* (*Joan.* xx, 17). Ideo omnium Deus (*g*) unus est, sicut Apostolus docuit. *An Judæorum Deus tantum? nonne et gentium? Imo et gentium. Quoniam quidem unus Deus, qui* (*h*) *justificat circumcisionem ex fide, et præputium per fidem* (*Rom.* III, 29, 30). Sed et cætera convenerunt, nec ullam habere potuerunt discrepantiam. Quod vero (*i*) quosdam aut multos movebat de substantia, quæ græce usia appellatur, id est (ut expressius intelligatur), homousion, (*j*) aut quod dicitur homœusion, nullam omnino fieri oportere mentionem; nec quemquam prædicare (*k*) ea de causa et ratione quod nec in divinis Scripturis contineatur, et quod super hominis scientiam sit, nec quisquam possit nativitatem Filii enarrare, de quo Scriptum est, *Generationem ejus quis enarrabit* (*Esai.* LIII, 8)? Scire autem manifestum est solum Patrem quomodo genuerit filium suum,

(*a*) Responsiones Ancyranorum Patrum non sunt quidem per se primo positæ adversus subjectam Sirmiensem formulam, sed adversus Eudoxii, Acacii aliorumque Aetii fautorum Antiochiæ congregatorum sententias et verba, quæ ab Epiphanio, hær. LXXIII, n. 21, describuntur. Quia tamen in his Eudoxius ac socii cum Sirmiensi formula congruebant, atque illius auctorum exemplo provocati ad ea in publicum proferenda animum adjecerant; eadem decreta, quæ adversus Eudoxii et asseclarum sententias per se posita sunt, non dubium est posita esse adversus Sirmiensem blasphemiam.

(*b*) Expressa est hic in aliquot mss. vocula *id*, quæ in potioribus reticetur.

(*c*) Titulum hunc ab ipso Hilario præfixum, nihil est cur apud Athanasium et Socratem requiramus. Subjectam autem formulam Osius non tam scripsisse putandus est, quam subscriptione sua ratam fecisse: et hoc, uti testes sunt Socrates, lib. II, c. 31, ac Sozomenus, lib. IV, c. 6 et 12, vi tormentorum compulsus, et ut Sulpicius Severus, lib. II, ex perditis Hilarii epistolis tradit, centenario major. Forte tamen eam Osii esse ideo scripserit Hilarius, quia ipsius nomine illam circumferebant Ariani. Qua de re Phœbadius Agenn: *Non sum nescius... antiquissimi sacerdotis et promptæ semper fidei Osii nomen quasi quemdam in nos arietem temperari.* Qui immissum arietem prudenter retorquet his verbis: *Si nonaginta fere annis male credidit; post nonaginta illum recte sentire non credam.* Eamdem Osio adscriptam vidisse videtur Epiphanius, hær. LXXIII, n. 14, ubi ait: *Ecclesiam condemnare se posse putarunt iis litteris, quas ab venerabili episcopo Osio per fraudem abstulerunt, in quibus dissimilis essentia legitur.* Cui suffragatur Sozomenus, lib. IV, c. 12. Inter eos quoque, qui hanc formulam conscripserunt, Osium recenset Vigilius Taps., lib. V contra Eutych. Illius tamen auctores præcipuos fuisse Ursacium, Valentem, atque Potamium Phœbadius non obscure significat. Huc spectat illud Sozomeni, lib. IV, c. 12, quod cum agentibus Ursacio, Valente et Germinio consensisset Osius, ut neque homousion neque homœusion usurparetur, etc.: *Ad eos, utpote qui Osii super ea re litteras expressissent, epistolam misit Eudoxius, gratias agens Valenti, Ursacio et Germinio, eorumque ministerio adscribens, quod Occidentales recte sentirent.* Demum Hilarius ipse, cum lib. in Constant., n. 24, ejusdem formulæ dicta *deliramenta Osii et incrementa Ursacii et Valentis* nuncupat, quid sibi vult aliud, nisi eam ab Osio quidem ex parte scriptam, ab Ursacio autem et Valente adauctam fuisse?

(*d*) Apud Athanasium et Socratem additur hic, *et aliis.* Nullos alios Eudoxius loco Sozomeni mox memorato nominat. Huicne conventui interfuerit Constantius, incertum. Sed si interfuisset, nonne Ursacii et Valentis intererat ut id declararent, quo formulæ suæ accederet auctoritatis robur? An vero hoc tacuere, ut Catholicis solum Osii nomen magis imponeret? Certe interesse potuit, qui anno 357, Sirmium bis accessisse legitur. Ammianus quippe, lib. XVI, scribit, Constantium 4 kal. junias ab Urbe profectum per Tridentum in Illyricum iter festinasse ac Sirmium venisse. Rursum Sirmii eum exstitisse mense decembri, fidem facit data ab eo lex 27 Cod. Theod., de Apellationibus; cum intermedio tempore Mediolani eum moratum esse pateat ex variis legum subscriptionibus. Jam de tempore hujus synodi, an medio, an exeunte hoc anno habita fuerit, quæritur. Ex Hilarii verbis ea inter hanc et Ancyranam synodum debet intercedere temporis mora, ut commode potuerit illius formula in Gallias deportari, deinde Gallicanorum episcoporum convocari synodus, hujus synodi decreta in Asiam ad Hilarium, et ab Hilario ad Orientales perferri, qui Gallorum exemplo excitati, Ancyranam synodum coegerint. Quocirca probabilior est sententia eorum, qui hunc conventum Sirmiensem circa medium annum 357 habitum censent.

(*e*) In græcis exemplaribus Athanasii et Socratis, συνέστηκεν, *constitit.* Phœbadius tamen cum nostro Hilario legit *constat.*

(*f*) Sic mss. At particula *et* in vulgatis, necnon apud Phœbad., Athanas. et Socrat. desideratur.

(*g*) Athanasius et Socrates non exprimunt vocabulum *unus.*

(*h*) In potioribus mss. *justificavit.* Cum græce habeatur δικαιώσει, nec quidquam in antiquis libris solemnius sit, quam ut *b* in *u* mutetur, facile damus legendum esse *justificabit.*

(*i*) Lips. et Par., *quosdam haud multos.* Alii vero libri *quosdum aut multos:* quod græci verterunt, πολλούς τινας.

(*j*) Sic optimus codex Colb. cum Germ. sicque legendum constat ex græcis exemplaribus. At vulgati *homousion quod dicitur aut homœusion.* Deest autem in mss. Carn., Corb. ac pluribus aliis, *aut quod dicitur homœusion.*

(*k*) Bad., Er. et Mir., *eadem esse ratione;* Lips. et Par., *ea de causa ratione:* emendantur ex mss. et græca versione διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν καὶ διὰ τοῦτον τὸν λογισμόν.

et Filium quomodo genitus sit a Patre. Nulla ambiguitas est, majorem esse Patrem. Nulli potest dubium esse, Patrem honore, dignitate, (*a*) claritate, majestate, et ipso nomine patris majorem esse Filio, ipso testante, *Quia me misit, major me est* (*Joan.* XIV, 28). Et hoc catholicum esse, nemo ignorat, duas personas esse Patris et Filii, majorem **466** Patrem, Filium (*b*) subjectum cum omnibus his quæ ipsi Pater subjecit. Patrem initium non habere, invisibilem esse, immortalem esse, (*c*) impassibilem esse. Filium autem natum esse ex Patre, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Cujus Filii generationem, ut ante dictum est, neminem scire nisi Patrem suum. Ipsum autem Filium Dei Dominum et Deum nostrum, sicuti legitur, carnem vel corpus, id est, hominem suscepisse ex utero virginis Mariæ, sicut Angelus prædicavit (*Luc.* I, 31). Ut autem Scripturæ omnes docent, et præcipue ipse magister gentium Apostolus, hominem suscepisse de Maria Virgine, per quem compassus est. Illa autem (*d*) clausula est totius fidei et illa confirmatio, quod Trinitas semper servanda est, sicut legimus in Evangelio: *Ite et baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19). Integer, perfectus numerus Trinitatis est. (*e*) Paracletus autem Spiritus per Filium est; qui missus venit juxta promissum, ut Apostolos et omnes credentes instrueret, doceret, sanctificaret.

12. *Essentia et substantia quid. Ancyrana Synodus ann.* 358. *Filius ut imago non solo nomine alius a Patre.* — His itaque tot et tantis impietatis professionibus editis, has rursum e contrario Orientales episcopi in unum congregati sententiarum definitiones condiderunt. Sed quia frequens nobis nuncupatio essentiæ ac substantiæ necessaria est; cognoscendum est quid significet essentia, ne de rebus locuturi, rem verborum nesciamus. Essentia est res quæ est, vel (*f*) ex quibus est, et quæ in eo quod maneat subsistit. Dici autem essentia, et natura, et genus, et substantia uniuscujusque rei poterit. Proprie autem essentia idcirco (*g*) est dicta, quia semper est. Quæ idcirco etiam substantia est, quia res quæ est, **467** necesse est subsistat in sese; quidquid autem subsistit, sine dubio in genere vel natura vel substantia maneat. Cum ergo essentiam dicimus significare naturam vel genus vel substantiam, intelligimus ejus rei quæ in his omnibus semper esse subsistat. Nunc igitur præscriptas ab Orientalibus fidei definitiones (*h*) recenseamus.

I. « Si quis audiens imaginem esse Filium Dei invisibilis, idem dicat esse imaginem Dei, quod et Deum invisibilem: quasi non confitens vere filium, anathema sit (*i*). »

13. *Item alius est, ut accipiens a Patre vitam.* — Exclusa est assertio volentium nominibus tantum Patrem et Filium prædicare; cum quando imago omnis, ejus ad quem coimaginetur species indifferens sit. Neque enim ipse sibi quisquam imago est; sed eum, cujus imago est, necesse est ut imago demonstret. Imago itaque est rei ad rem coæquandæ imaginata et indiscreta similitudo. Est ergo Pater, est et Filius: quia imago Patris est Filius; et qui imago est, (*j*) ut rei imago sit, speciem necesse est et naturam et essentiam, secundum quod imago est, in se habeat auctoris.

(*a*) Hoc ipsum totidem verbis exprimit Phœbadius. At hæ duæ voces *claritate*, *majestate*, una græca θεότητι apud Athanas. et Socrat. redduntur.

(*b*) Apud Athanas. *subjectum Patri Filium*, quomodo legisse videtur et Phœbadius.

(*c*) Prudenter in hæc Phœbadius: *Hæc ideo proponunt, ut contraria his Filio adscribant . . . qui si initium habere probatur, merito mortalis, merito passibilis* credetur. Primam hæreticorum confessionem simili arte contextam advertit ac monuit noster Hilarius lib. IV et VI de Trin. Maxime vero laudato Phœbadio displicent subjecta inferius verba *per quem compassus est:* quasi scil. duo fuerint patientes, homo assumptus, et assumens Filius. Unde Athanasius, lib. de salutari Adventu J. C. pag. 643, eos cum Arianis blasphemare incusat, qui *Deum per carnem passum esse et resurrexisse* dicunt; *cum Scriptura doceat, per Deum in carne ejus passionem contigisse, non Deum per carnem passum esse.*

(*d*) In vulgatis, *clavis*. Rectius in mss. *clausula*, id est, *summa:* quod græce versum est κεφαλαῖον.

(*e*) In mss. constanter *Paraclitus*, aut *Paraclytus*.

(*f*) Supple, *res eorum*. Hoc altero orationis membro explicatur essentia genita, sicut superiori non nata.

(*g*) Non aliam præstat Phœbadius substantiæ notionem: *Substantia enim*, inquit, *dicitur id quod semper ex sese est, hoc est; quod propria intra se virtute subsistit: quæ vis uni et soli Deo competit.* Vocis utriusque distincta ratio explicatur Fragmento II, n. 32.

(*h*) Quas scil. Ancyræ an. 358, paulo ante diem Paschæ congregati conscripserunt ad comprimendam Anomœorum impietatem. Eudoxius enim cum audisset quid Sirmii egissent Ursacius, Valens ac socii, multum inde eis gratulatus, ipse etiam Actii hæresim, quantum poterat, promovere studuit. Qua de re, qui ecclesiæ dedicandæ gratia Ancyram convenerant, Georgii Laodiceni litteris admoniti, quotquot commode potuerunt convocare, sibi adjunxerunt, ut Eudoxii conatus refunderent. Basilius epist. LXXIV, Concilii hujus meminit, vocatque σύλλογον: quæ vox non, ut putat vir alias eruditus, *colloquium* sonat, sed *conventum*, nimirum a συλλέγω *convoco*. Gesta illius narrat Sozomenus lib. IV, c. 13. Consulendus ea de re Epiphanius, hær. LXXIII, n. 2, etc. Qui quidem ibi, num. 10 et 11, synodi hujus decreta plura refert quam noster Hilarius: quia videlicet ea recenset quæ Ancyræ sunt edita, Hilarius vero, uti ex nota sequenti palam fiet, quæ a synodi legatis Sirmium delata et publicata.

(*i*) Proxime post *anathema sit*, apud Bad., Er., Mir. et in pervetusto ms. S. Petri Vatic. sub uno eodemque contextu sequitur: *Expositiones omnes, si quid habent criminis, intra se habent; cæterum non habere in publica facie existimantur. Sed quia scirem ea sola Sirmium esse delata.* Hac altera nota apologetica declarat Hilarius, nullas definitionum earum, quas solas ab Ancyranæ synodi legatis Sirmium esse delatas sciret, in publica facie et secundum verborum sonos, quidquam habere quod reprehendendum videatur, quamvis fraudem sub speciosis verbis latentem non neget. Quæ nota male quidem in prædictis libris locum in textu obtinuit: sed tamen non sine injuria a Lipsio prorsus suppressa fuit. Cum autem æque respiciat omnes Ancyranas definitiones inferius relatas; primæ huic non postponi debuit, sed potius anteponi. Magis etiam placeret *eas solas . . . delatas.*

(*j*) Editi, *ut vere imago sit.* Expressius mss., *ut rei*

II. « Et si quis audiens Filium dicentem, *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic et Filio dedit vitam habere in semetipso* (*Joan.* v, 26), eumdem dicat, qui accepit a Patre vitam, qui confitetur (*a*) et hoc idem, *Ego vivo propter Patrem* (*Joan.* vi, 57), quod et illum qui dederit : anathema sit. »

14. *Filius essentia non dissimilis patri eo quod imago illius sit.* — Discernitur persona accipientis, et dantis ; ne ipse idem sit unus et solus. Cum enim in anathemate sit, qui solitarium atque unicum in accipientis et dantis professione crediderit ; non potest intelligi ipse atque unus a se accepisse, qui dederit. Neque enim **468** ipse solus est, qui vivit, et per quem vivit ; quia alius est sibi vivens, alius profitens se vivere per auctorem : et unum atque eumdem nemo profitebitur, qui vita utatur, et per quem sit causa vivendi.

III. « Et (*b*) si quis audiens unigenitum filium invisibilis Dei similem, non dixerit essentia Filium, qui est imago Dei invisibilis, cujus imago et juxta essentiam intelligitur : quasi non vere dicens filium, anathema sit. »

15. *Item eo quod sicut Pater, ita ipse vitam habet in semetipso. Vita Patris et Filii, ipsa utriusque essentia.* — Indiscreta confirmatur indissimilisque natura. Cum enim unigenitus filius Dei, et imago invisibilis Dei sit ; necesse est per speciem atque naturam similis (*c*) essentiæ sit. Aut quomodo inter Filium atque Patrem natura discernitur generis indifferentis ; cum in his, quæ Patris sunt propria, subsistens Filius per naturam in se genitam consistat, gloriæ scilicet, virtutis, potestatis, invisibilitatis, (*d*) essentiæ ? Atque ita in his paribus divinitatis bonis intelligitur neque ille minor esse, cum filius sit ; neque hic præstare, cum pater sit : cum patri filius et coimaginatus ad speciem sit, nec sit dissimilis in genere ; quia diversitatem substantiæ geniti ex substantia patris filii similitudo non recipit, et omnem in se divinitatis paternæ, qualis et (*e*) quanta forma est, invisibilis Dei filius et imago complectitur : et hoc vere est esse filium, paternæ scilicet formæ veritatem coimaginatæ in se naturæ perfecta similitudine retulisse.

IV. « Et si quis audiens hoc, *Quomodo enim Pater habet vitam in semetipso, sic et filio dedit vitam habere in semetipso* (*Joan.* v. 26) ; (*f*) similem non dicat etiam juxta essentiam Filium Patri, (*g*) testantem quod sic habet quemadmodum **469** dixit : anathema sit. (*h*) Manifestum est enim, quod (*i*) quæ vita in Patre intelligitur, substantia significata ; vita quoque Unigeniti, quæ ex Patre generata est, essentia intellecta, *ita* similitudinem essentiæ ad essentiam significat. »

16. Connectitur, tali confessione originis suæ, indiscretæ naturæ perfecta nativitas. Quod enim in utroque vita est, id in utroque significatur essentia. Et (*j*) in vita quæ generatur ex vita, id est, essentia quæ de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur, scilicet quia vita ex vita est, tenet in se originis suæ indissimilem naturam ; quia natæ et gignentis essentiæ, id est, vitæ quæ habetur et data est (*nempe* a Patre et data est Filio), similitudo non discrepet. Quod enim ex se Deus, cum (*k*) ex naturæ suæ simi-

imago sit, id est, non solius speciei ac formæ externæ, sed internæ rei ac naturæ. *Imagines enim cæteræ*, ut dicitur lib. vii, de Trin. n. 37 : *ex diversis aut metallis aut fucis aut generibus aut artibus reddunt eorum species, quorum sunt imagines institutæ* : sed non præstant res ipsas. Hinc facile apparet, in superiori decreto, ubi damnatur qui imaginem Dei *idem* dicat esse quod Deum, imaginem non negari idem natura, sed subsistentia ac persona.

(*a*) Particulam *et* addimus ex uno ms. Colb. et altero Sorbon. Deinde in plerisque, *hoc id est*, non *hoc idem*. Mox soli vulgati *quem et illum*, pro *quod et illum*. Hæc sententia sic græce enuntiatur : ταυτὸν λέγει τὸν εἰληφότα παρὰ τοῦ Πατρὸς τὴν ζωὴν, καὶ ὁμολογοῦντα τὸ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν Πατέρα, τῷ δεδωκότι, ἀνάθεμα ἔστω.

(*b*) Græce apud Epiphan. definitionem superiorem hæc antecedit, cujus initium sic enuntiatur : εἴ τις εἰκόνα ἀκούων τὸν μονογενῆ Υἱὸν τοῦ ἀοράτου Θεοῦ, ἀνόμοιον λέγοι καὶ κατ' οὐσίαν τὸν Υἱόν, hoc est, *Si quis audiens unigenitum filium esse invisibilis Dei imaginem, dissimilem etiam secundum essentiam filium dixerit.*

(*c*) Sic mss. duobus exceptis, cum quibus editi præ se ferebant, *essentia sit.*

(*d*) Plures mss. *essentia.* Retinendum cum potioribus *essentiæ;* ita ut vox, *bonis*, aut similis tacita intelligatur : puta, *cum in his bonis, gloriæ scilicet, virtutis*, etc.

(*e*) Editi, *quanta est, formam.* Eodem sensu intelligenda est lectio, quam exprimimus e mss.

(*f*) Pro *similem non dicat*, græce habetur ἀνόμοιον λέγοι, id est, *dissimilem dicat.*

(*g*) Sic mss. At editi, *ipso testante.* Græce, διαμαρτυρόμενος.

(*h*) In excusis et scriptis, in quibus Hilarii et synodi verba titulis ac notis quibusdam distinguuntur, subsequens sententia notatur velut Hilarii, quamvis synodi eam esse ex Epiphanio perspicuum sit.

(*i*) Ita mss. Editi vero, *quod vita in Patre hic intelligitur... vita quoque in unigenito... significari connectitur.* Græcis litteris dum scrupulose adhæsit Hilarius, illas paulo obscurius latine reddidit. Sic autem græce habetur : φανερὸν γὰρ ὅτι τῆς ζοῆς ἐν τῷ Πατρὶ νοουμένης οὐσίας σημαινομένης, καὶ τῆς ζοῆς τῆς τοῦ μονογενοῦς τῆς ἐκ τοῦ Πατρὸς γεγεννημένης οὐσίας νοουμένης, τὸ οὕτως τὴν ὁμοιότητα τῆς οὐσίας πρὸς οὐσίαν σημαίνει, id est, *Manifestum est enim, cum quæ vita in Patre intelligitur, significetur essentia ; vita quoque Unigeniti, quæ ex Patre generata est, essentia intelligatur ; voce ita* (in his, *ita et Filio dedit*, etc.), *essentiæ cum essentia similitudinem significari.* Mentem suam aperiunt Orientales in præmissa epistola apud Epiphan., n. 8, his præsertim verbis : *Neque enim aliud Pater, aliud vita quæ est in ipso ; sed ipse sine ulla compositione vita est Pater. Porro sicut habet, sic et Filio dedit, nimirum citra compositionem :* quasi dicerent, sicut Pater vitam habet in semetipso, id est, vitam sine compositione, vitam quæ non alia sit a semetipso, alia ab ipsius essentia ; adeo ut ipse sit vita sua, vita ipsius sit ipse : ita Filius cum accipiat vitam in semetipso, habet quoque vitam compositionis expertem ; et cum habeat sicut Pater, habet essentiam essentiæ ipsius similem. Unde Hilarius infra verba illorum in hunc fere modum explicat : Nihil aliud habet Pater quam quod dedit : dedit autem vitam quæ ab ipsius essentia non discrepat : Patri igitur Filius secundum essentiam similis est.

(*j*) Adjicimus *in* auctoritate mss. Unde et eadem particula mox supplenda est ante *essentia*, quasi, *id est in essentia.*

(*k*) Ita melioris notæ mss. Alii vero omittunt præ-

litudine, genuit ; non deseruit, (*a*) in quo ingenita si militudo, naturalis proprietatem substantiæ. Non enim aliud habet, quam dedit : et sicut vitam habens, ita habendam dedit vitam. Ac sic quod de essentia, tamquam vita ex vita, simile sui secundum essentiam nascitur, nullam diversitatem ac dissimilitudinem admittit (*b*) nascentis et gignentis essentia.

V. « Si quis *condidit* vel *creavit me* (*Prov.* VIII, 22), et *genuit me* (*Ibid.* 25) ab eodem audiens, hoc *genuit me* (*c*) non tam ex similitudine essentiæ intelligat, sed (*d*) idem esse dicat *genuit me*, et *condidit me* : quasi non dicens Filium (*e*) de Deo perfectum (*f*) ex duobus nominibus significatum filium (sed per duo nomina, hoc est, *condidit me*, et *genuit*, conditionem tantummodo dicens, et nequaquam filium) ; sicut **470** tradidit Sapientia ex duobus pium intellectum : anathema sit. »

17. *Vox* condidit me *ex sequente* genuit me *intelligenda. Nativitatis et creationis discrimen.* — Dicentibus creaturam vel conditionem esse filium Dei, contraitur ratione subjecta. Namque impietatis hæreticorum hinc profana præsumptio est, quod legisse se dicant, *Dominus condidit* vel *creavit me ;* id ipsum enim conditio vel creatio videtur intelligi : sed consequentem sententiam subtrahentes, ex qua intelligentiam prior sumit, ex prima arripiunt impietatis suæ auctoritatem, ut creaturam dicant, quia Sapientia dixerit se creatam. Quæ si creata est, quomodo potuit et nasci? quia nativitas omnis, quæcumque est, in naturam suam ex natura gignente consistit : creatio autem sumit exordium de creantis potestate, potente scilicet Creatore ex nihilo condere creaturam. Sapientia itaque, quæ se dixit creatam, eadem in consequenti (*Scil.* v. 25, *Sapientia cur creatam se* A *dixerit*) se dixit et genitam : creationem referens ad parentis indemutabilem naturam, quæ, extra humani partus speciem et consuetudinem, sine imminutione aliqua ac demutatione sui, creavit ex se ipsa quod genuit. Creantis enim opus non habet passionem, aut permixtionis, aut partus. Esse enim aliquando incipit, quod creatur ex nihilo. Et qui creat, efficit pro potestate quod condit ; et est opus virtutis creatio, non naturæ ex natura gignente nativitas. At vero nativitas, legitimæ originis et genuinæ naturæ (*g*) perfectus profectus est : ex natura enim generante naturam sumpsit genita natura. Sed quia Dei filius non corporalis partitudinis est genitus exemplo, sed ex **471** perfecto Deo perfectus Deus natus est ; idcirco ait creatam se esse Sapientia, omnem (*h*) in B generatione sua naturam passionis corporalis excludens.

18. *Creatam se simul et genitam dicens originis suæ naturam quam apte explicet. Solam virtutis similitudinem Filio tribuentes damnantur.* — At vero ut ostenderet, non creationis in se, sed nativitatis esse naturam ; subjecit et genitam, ut cum creatam se et genitam confitetur, absolutam nativitatis suæ intelligentiam præstaret : dum et indemutabilem Patris naturam in creatione significat, et legitimam ac propriam ex Deo patre genitæ naturæ suæ ostendit esse substantiam. Atque ita perfectæ nativitatis intelligentiam, creationis et generationis attulit sermo : cum alterum sine demutatione, alterum in proprietate naturæ est. Fitque utrumque unum, et unum utrumque perfectum : dum et Filius, ex Deo ac sine de- C mutatione Dei (*i*) natus, sic ex Patre nascitur, ut creetur ; et indemutabilis ex se ac naturalis Filio Pater sic Filium condit, ut generet. Hæresis ergo

positionem *ex* sequentem. Editi vero, pro *cum*, præferebant *eum*.

(*a*) Editi, *in eo genitam similitudinem naturalis proprietate substantiæ :* reluctantibus omnibus mss. qui hic multum inter se dissident. Namque in novem legitur, *in congenita similitudine*, etc. In vetustioribus Colb. et Carn., *incongenita similitudo*. Alter Colb. et unus Sorbon., *in quo ingenita similitudine ;* ac deinde cum duobus aliis, *naturalis proprietatem substantiæ*. Horum lectionem præferendam censuimus, voce *similitudo* ex prius laudatis mss. repetita. Hoc enim sibi vult : id, in quo ingenita seu intus genita et non extrinsecus adumbrata est similitudo, non deseruit nec perdidit naturalis substantiæ sibi debitam proprietatem. Idem verbi *deseruit* usus est in his. lib IX de Trin. n. 36 : *Non deseruit igitur Deus natus naturæ suæ proprietatem ;* et lib. V, n. 37 : *Nec naturam suam deserit ex incorporali atque indemutabili Deo incorporalis atque indemutabilis Dei perfecta nativitas*. Neque vocabuli *ingenita* vis dubia est, cum cap. 10 in Matth. n. 24, de corruptela quam nascendo afferimus habeatur ; *Necesse est ut ingeniti et vetusti operis consuetudinem oderimus* : Et paulo post, *Ea vero, quæ ingenita et a quadam prosapiæ antiquitate deducta*, etc.

(*b*) In vulgatis, *geniti*. At in omnibus mss. *nascentis*. Tum in aliquot recentioribus, *et gignentis essentiæ*.

(*c*) Er., Mir., Lips. et Par., *non tamen :* ubi Bad. cum omnibus mss. *non tam*. Græce autem, *μὴ ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ καὶ κατ' οὐσίαν ἐννοεῖ, non de eodem et secundum essentiam intelligat*.

(*d*) Ex græca lectione, *ταυτὸν λέγοι τὸ γεννᾷ με τῷ ἔκτισέ με*, clarius patet hic reprehendi eos, qui *creavit me* et *genuit me*, ita idem esse dicunt, ut *genuit me* velint ex verbo *creavit me* explicandum.

(*e*) Hic Hilarius legisse videtur, *ἀπὸ Θεοῦ τέλειον* ; cum melius apud Epiphanium exstet, *ἀπαθῶς τέλειον*. Quamquam neque hanc lectionem ignotam illi fuisse liquet ex subsequentibus.

(*f*) Apud Epiphanium græce et latine desideratur *ex duobus nominibus significatum filium, sed :* ac præterea hujus decreti versio latina Orientalium sententiæ prorsus contraria est. Porro illi damnant eos, qui cum audiant Sapientiam, quæ Christus est, se creatam simul et genitam profitentem, volunt eam his verbis originem suam, non ex Dei essentia, sed D ex nihilo significare ; ita ut Christus non sit Filius, sed tantummodo conditio : cum Sapientia verbo *creavit me* ad hoc utatur, ut cum subjicit *genuit me ;* et filium eum esse indicet, et sine passione genitum. Quam quidem Orientalium interpretationem Hilarius, lib. XII de Trin. n. 50, ut indoctam non probat, sed fatetur tamen non impiam : quamvis hic ad eorum sententiam, propriam reticens, sese accommodet.

(*g*) Verbum *perfectus*, antea omissum, restituitur ex mss.

(*h*) Ita omnes mss. At excusi, *omnes in generatione sua corporales passiones excludens*.

(*i*) Bad., *natus sit et ex Patre nascitur*. Mir., *natus est, sic et ex Patre*, etc. Editi alii, *natus est et ex Patre*, etc. Castigantur ope mss.

creaturam esse Dei filium profiteri ausa, damnatur : A quia impiam creaturæ ex nihilo opinionem, impassibili per eam (*a*) divinitatis perfectione monstrata, consequens professio naturalis generationis exstinguat.

VI. « Et si quis in Filio, (*b*) Patris similitudinem secundum essentiam quidem ipso Filio revelante per hæc quæ dicit : *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic et Filio dedit habere vitam in semetipso* (*Joan.* v, 26); juxta efficaciam autem per ea quæ docet : *Quæ enim Pater facit, eadem et Filius similiter facit* (*Ibid.*, 19), solam secundum efficaciam similitudinem concedens, (*c*) juxta essentiam vero, quod est principalissimum fidei nostræ, Filium fraudet : quasi semetipsum fraudans (*d*) cognitione vitæ perpetuæ, quæ est in Patre et Filio : anathema sit. »

19. *Virtutis similitudo non est nisi ex naturæ similitudine. Vita essentia significatur.* — Conclusi hæretici Scripturarum auctoritatibus, hoc solum tribuere solent Filio, ut Patri tantum virtute similis sit, adimunt autem ei similitudinem naturæ : stulti atque impii, non intelligentes non nisi ex naturæ similitudine similitudinem esse virtutis. Neque enim aliquando inferior natura, superioris a se potiorisque naturæ virtutem consequitur. Aut quid hæc asserentes de omnipotente Deo patre profitebuntur, si (*e*) virtuti suæ virtus naturæ inferioris æquatur? Non enim potest negari, quin Filius idem possit ; cum dixerit : *Quæcumque facit* **472** *Pater, eadem et Filius facit similiter* (*Joan.* v, 19). Sed similitudini virtutis naturæ similitudo succedit, cum dicit : *Sicut habet Pater vitam in se, ita et Filio dedit vitam habere in semetipso* (*Ibid.*, 26). In vita, naturæ et essentiæ significatio est : quæ sicut habetur, ita data esse docetur ad habendum. Tenet ergo vitæ similitudo virtutis similitudinem : similitudo enim virtutis non potest esse dissimilis naturæ. Atque ita necesse est, ut essentiæ similitudo virtutis similitudinem consequatur : quia sicut ea quæ Pater facit, eadem et Filius facit : ita sicut habens vitam Pater, sic habendam Filio dedit vitam. Condemnatur ergo impiæ professionis temeritas, quæ virtutis similitudinem confitens, dissimilitudinem ausa sit prædicare naturæ : cum principalis spei nostræ fides sit, indifferentem in Patre et Filio divinitatis substantiam confiteri.

VII. « Et si quis Patrem et Filium credere se promittens, Patrem dissimilis sibi essentiæ (*f*) patrem dicat, sed similis efficaciæ; quasi profanas et novas voces contra essentiam Filii loquens, et interimens (*g*) vere Dei filium esse : anathema sit. »

20. *Hæretici dolose Patrem et Filium confitentes. Refelluntur Filium negantes a Patre alium ob similitudinem naturæ.* —Confusis permixtisque verbis veritatem frequentissime hæretici eludunt, et incautorum aures communium vocabulorum sono capiunt, Patrem et Filium solis nominibus, non etiam per veritatem naturalis et genuinæ essentiæ prædicantes : quia omnium creationum sciant dici Deum patrem, et sanctos quosque nuncúpari meminerint Dei filios. Quo exemplo Patrem et Filium secundum communia unB versitatis nomina confitentur ; ut Pater et Filius dicantur potius, quam sint. Dicuntur enim, non etiam sunt, si in his differentis essentiæ discreta natura est ; cum non possit paterni nominis veritas nisi ex naturæ suæ progenie acquiri. Pater itaque non potest alienæ a se ac dissimilis substantiæ pater dici ; quia nativitas perfecta non habeat dissidentem originalis substantiæ diversitatem. Repudiatur ergo hæc omnis impietas, quæ Patrem non secundum naturam suam (*h*) geniti ex se filii patrem loquatur. Neque enim per id pater dicetur Deus, si habeat virtuti atque efficaciæ suæ similem creationem ; sed si genuerit non dissimilis atque alienæ a se essentiæ naturam : quia diversitatem paternæ naturæ nativitas naturalis non recipit. Atque ob id anathema sunt, qui **473** Patrem asserant dissimilis sibi naturæ patrem esse : ut ex Deo aliud quam Deus natus sit, et putent essentiam Patris a se in Filio degenerasse gignendo. Perimunt enim, quantum in se est, ipsam illam innascibilem Patris et indemutabilem essentiam, (*i*) qui ausi sunt ei in Unigeniti sui nativitate dissimilitudinem degeneratæ essentiæ naturalis ingerere.

VIII. « Et si quis intelligens (*j*) similem secundum essentiam Filium ejus, cujus et filius intelligitur ; eumdem dicens Filium quem Patrem, aut partem Patris, aut per emanationem aut aliquam passionem, quemadmodum corporales filios, ab incorporali Patre incorporalem Filium subsistentem : anathema sit. »

21. Cavetur in omnibus adversum singularum perC damnantur qui volunt Patrem gignere ac parere essentiam sui non similem.

(*a*) Supple, *professionem*, vel *vocem* qua nititur prædicta opinio impia, puta *creavit me*.

(*b*) Hic post *Patris similitudinem* (græce, πρὸς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα ὁμοιότητα), supplendum *sibi esse*.

(*c*) Clarius hoc ita enuntiaretur : *similitudine autem juxta essentiam, quod est principalissimum*, etc.

(*d*) Er., Mir., Lips. et Par., *cognatione* : male, ut perspicuum est ex græco sermone, ὡς ἑαυτὸν ἀποστερῶν τῆς ἐν γνώσει Πατρὸς καὶ Υἱοῦ αἰωνίου ζωῆς : quem minus confuse reddere sic liceret ; *tamquam se ipsum fraudans vita æterna, quæ in cognitione Patris et Filii sita est*, juxta verba Joan. XVII, 3.

(*e*) Editi, *virtutis suæ* : mendose.

(*f*) Editi hic non repetunt *patrem* : et antea Lips. et Par. vocabulum *sibi* suppresserunt. Restaurantur ope mss. et ex græco, τὸν Πατέρα μὴ οὐσίας ὁμοίας αὐτοῦ λέγοι πατέρα, ἀλλὰ ἐνεργείας : quibus verbis

(*g*) Sic mss. consentiente græco, καὶ ἀναίρων τὸ εἶναι ἀληθῶς Υἱόν. At excusi, *verum Dei Filium*.

(*h*) Er., Lips. et Par., *genitique ex se* : castigantur ex Bad. et potioribus mss. Mox vocabulis *Deus* et *pater* loco mutatis, clarior sic efficeretur oratio : *Neque enim per id Deus dicetur pater, si*, etc.

(*i*) Sic mss. Editi vero, *quia aust sunt in unigeniti sui nativitatem*.

(*j*) Minus obscura erunt hæc ita ordinata : *Et si quis intelligens Filium secundum essentiam similem ejus, cujus et filius intelligitur ; aut eumdem dicat* (λέγοι), *aut partem Patris*, ubi in vulgatis mendose, *aut patrem Patris*. Tum in mss. Colb. et Germ., *aut per enuntiationem*, non *aut per emanationem*.

versitatum vitia, neque occasio fraudis admittitur. Plures enim hæreticorum idcirco similem secundum divinitatem esse Patri Filium dicunt, ut per similitudinis proprietatem eumdem Patrem esse quem Filium confirment : quia indiscreta similitudo admittere videatur unici ac singularis occasionem. Quod enim non dissentit in genere, id videtur in unione manere naturæ.

22. *Filius eo quod natus, nec ipse qui Pater, nec aliud quam Pater. Filium a Patre aliud volentes, ob distinctionem personæ.* — Sed nativitas non admittit hanc fabulam ; quia unio non habet nativitatem. Quod enim natum est, habet nativitatis suæ patrem. Neque quia indiscreta est nascentis a gignente divinitas, ideo ipse est et generator et genitus ; cum non possit nisi alius atque alius esse et generans et natus, neque rursum (*a*) dissimilis esse possit natus et generans. Anathema ergo est, qui in Patre et Filio naturæ similitudinem ad abolendam Filii personalem significantiam prædicabit : quia cum in nullo differat res a re per mutuam similitudinem ; similitudo tamen ipsa, non recipiens unionem, Patrem et Filium per id, quod Filius indemutabilis similitudo Patris est, confitetur. Non enim aut pars est Filius Patris, ut unus dici possit et natus et generans. Neque emanatio est, ut continenti fluxu per corporalem et individuum procursum idem ipse fluxus retentus in origine, (*b*) ipsum sibi sit serie atque tractu cohærenti origo quod fluxus. Sed perfecta nativitas est, et cum naturæ similitudine manens : non conceptu et partu corporali corporaliter incohata, sed secundum ejusdem naturæ similitudinem incorporalis **474** Filius ex incorporali Patre subsistens.

IX. « Et si quis, propterea quod numquam Pater Filius intelligitur, et quod Filius numquam Pater intelligitur, alium dicens Filium præter Patrem, propterea quod alius sit Pater, alius sit Filius, secundum quod dictum est, *Alius est qui testimonium perhibet* (*c*) *mihi, qui me misit Pater* (*Joan.*, v, 32) : (*d*) propter hanc piam in Ecclesia intelligendam proprietatem personæ Patris et Filii, timens ne quando idem intelligatur Filius et Pater, similem (*e*) non dicat etiam juxta essentiam Patri : anathema sit. »

23. *Quam caute duæ hæreses contra Dei filium peremptæ.* — Dictum ad Apostolos Domini est : *Estote prudentes ut sunt serpentes, et simplices ut columbæ* (*Matth.*, x, 16). Per quod dissidentium a se animantium inesse nobis voluit naturam : sed ita, ut serpentinam prudentiam columbæ simplicitas temperaret, et simplicitatem columbæ prudentia serpentis instrueret ; fieretque et simplex sapientia, et sapiens simplicitas : quod præceptum in hujus fidei expositione servatum est. Namque cum superior, de qua locuti sumus, sententia id cavisset, ne, per similitudinem essentiæ, personalis unio prædicaretur ; neque ut naturæ indifferentia perimeret Filii nativitatem ; et unus ac solitarius nobis esset in sensu, quia alter ab altero non differret in genere : sed consequenti sententia illi prudentiæ serpentis, cui configurari cum columbæ simplicitate præcipimur, per simplicem atque apostolicam prudentiam rursum occursum est ; ne forte per id, quod personalis unio non reciperetur, quia alius sit Pater, alius et Filius, prædicatio iterum dissimilis naturæ possit obrepere : ne cum alius est qui miserit, et alius est qui missus est (quia non unus est missus et mittens), discretæ ac dissimilis naturæ existimarentur esse missus et mittens, cum diversæ essentiæ esse non possint natus et gignens. Retinetur itaque in Patre et Filio naturæ indifferentis similitudo per essentiæ nativitatem : non tamen damnum personæ affert, ut unus sit missus et mittens, similitudo naturæ. Neque rursum in personæ proprietate, cum non possit ipse sibi unus et filius et Pater dici, aufertur similitudo naturæ. Atque ita et nativitatis veritas ad similitudinem proficit essentiæ, et similitudo essentiæ non (*f*) amittit nativitatis personalem veritatem. Neque rursum professio gignentis et geniti **475** similitudinem excludit essentiæ ; quia cum gignens et genitus unus esse non possit, non tamen diversæ naturæ sint natus et generans.

X. « Et si quis in aliquo tempore patrem (*g*) Deum unigeniti filii intelligat, et non super tempora et super omnem humanam æstimationem (*h*) unigenitum filium sine passione exstitisse : quasi prætergrediens evangelicam prædicationem, quæ (*i*) temporum quidem intercapedinem de Patre et Filio ad-

(*a*) In mss. *indissimilis* : ac deinde in solo Vatic. *esse non possit*. Jam supra, n. 20, pro, *sed si genuerit non dissimilis*, in omnibus prope mss. exstabat, *non indissimilis* : quæ lectio, licet forsitan sincerior, ut sit *indissimilis* quasi *intrinsecus dissimilis*, a nobis tamen non revocatur, ne errandi sit occasio.

(*b*) Vetustior codex Colb. *ipsud* : quæ vox rursum infra, num. 25, et alibi eadem ratione in eo enuntiatur.

(*c*) In uno ms. Colb. et altero Sorbon. *perhibet de me*, græco, ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμοῦ, etiam consentiente : in quo deinde pro verbis, *qui misit me Pater*, subjicitur, καὶ, Μαρτυρεῖ γὰρ, φησὶ, ὁ πέμψας με Πατήρ, quæ sententia alia est ex Joan. v, 37, ad confirmationem ejusdem dicti allata.

(*d*) In versione latina Epiphanii, majoris claritatis ergo, non male hic adjicitur *si quis inquam*, etiamsi græce non habeatur, sed tantum, διὰ ταύτην τὴν ἐν σεβῇ ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ νοουμένην ἰδιότητα τῶν προσώπων, Πατρὸς μὲν καὶ Υἱοῦ : quod posset verti, *propter hanc, quæ pia* (*aut pie*) *in Ecclesia intelligitur, personarum Patris et Filii proprietatem*. Hinc liquet, male apud Par. et Lips. omitti *in Ecclesia*.

(*e*) Græce, ἀνόμοιον λέγοι, quod est, *dissimilem dicat*.

(*f*) Ms. Corb. aliique nonnulli, *non adimit*.

(*g*) In græca phrasi repetitur vox *patrem* loco vocabuli *Deum*. Arguitur hic doctrina Arii, qui Deum ex se æternum, tantum in tempore patrem fuisse asserebat.

(*h*) Græce, πιστεύει τὸν μονογενῆ υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς ἀπαθῶς ὑφεστάναι, *credat unigenitum filium ex Patre sine passione substitisse*.

(*i*) Mss. summo consensu, *temporum quidem interpretationem* : quod græce uno verbo enuntiatur τοὺς μὲν χρόνους. Deinde cum vertat Hilarius *adspernata*

spernata est, fideliter autem nos docuit, quòd *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.*, I, 1) : anathema sit. »

24. *Pater non intra tempora. Filium magis jam esse quam nasci docet Evangelium.* — Pia professio est, Patrem non intra tempora contineri : omnem enim intelligentiæ sensum excedit intemporalis paterni nominis veritas. Etsi ipsa paterni nominis, per quod impassibilis origo nascentis est, religiosa confessio est : non tamen tenetur in tempore ; quia non potest æternus et infinitus Deus pater intelligi temporalis, et secundum evangelicam prædicationem cognoscitur unigenitus Deus Verbum magis jam in principio apud Deum esse, quam nasci.

XI. « Et si quis seniorem (*a*) tempore Patrem dicat Filio ex se unigenito, juniorem autem Filium Patre (*b*) : anathema sit. »

25. *Filius ut Patris imago, non est eo junior. Ex eo quod Deus semel pater, semper fuit pater, semper et Filius.* — Similitudo essentiæ configurata in genere, indifferens quoque docetur in tempore : ne qui imago est Dei, qui Verbum est, qui Deus est apud Deum in principio, qui similis est Patri, interjecto inter se ac Patrem tempore, non perfectum in se habeat quod et imago est, et Verbum est, et Deus est. Si enim tempore junior prædicatur, amisit et imaginis et similitudinis veritatem : quia similitudo jam non sit, quæ dissimilis reperiatur in tempore. Quia ipsum illud, quod Deus pater est, tempus aliquod non potest habere ne Pater sit : ex quo nec in Filio tempus potest esse ne filius sit. Atque ob id, nec Pater Filio senior, nec Filius Patre junior esse dicendus est : quia utriusque nominis veritas non potest esse sine altero.

476 XII. « Et si quis intemporalem unigeniti filii de Patre (*c*) substantiam ad innascibilem Dei essentiam referat, quasi Filium (*d*) Patrem dicens : anathema sit. »

26. *Filius etsi intemporalis, non tamen innascibilis.* — Dedisse superior definitio occasionem hæreticis videbatur, cum tempus nativitatis Filii negaretur (quia nefas esset, si Pater esset in tempore : in tempore autem esset, si Filius tempori subderetur) : ut per hanc opportunitatem temporis abnegati, sub Filii nuncupatione, Pater, qui innascibilis esset, singularis atque unicus ipse sibi et pater et filius prædicaretur : quia ubi nascendi tempus excluditur, illic opinio videtur innascibilitatis admitti ; ut natus non putetur, cujus nativitas non sit in tempore. Idcirco ne per hanc occasionem temporis abnegati, hæresis (Sabelliana) unionis irreperet ; hæc impietas damnatur, quæ audeat intemporalem nativitatem ad unicam ac singularem innascibilis essentiæ referre substantiam : cum aliud sit intemporalem esse, aliud sit esse non natum ; quorum unum habet (*e*) (licet extra tempus) nativitatem, aliud ipsum sibi, ad id quod est, solus atque idem auctor æternus sit.

27. *Definitionum harum ratio. Expositio qualis ab Hilario adhibita. A quibus earum subscriptio extorta. Harum synopsis.*—Percucurrimus, charissimi Fratres, omnes (*f*) Orientalium episcoporum editas fidei definitiones, quas adversum emergentem proxime hæresim, (*g*) congregata intra se synodo condiderunt. Et nos, quantum potuimus, (*h*) ad intelligentiæ eorum sensum, expositionis nostræ sermonem coaptavimus, famulantes potius eorum dictis, quam dictorum alienorum auctores existimandi : quibus adversum novam et profanam impietatem, hæc conscientiæ suæ et adeptæ jam pridem doctrinæ (*i*) instituta decernunt, et eos, qui hanc apud Sirmium hæresim conscripserant, vel conscriptam susceperant, ignorationem confitentes ad subscriptionem decretorum talium coegerunt : ubi Filius Patris imago perfecta est : ubi sub indifferentis imaginis proprietate, per profanam fraudem Filius non abolettur, ut pater sit : ubi **477** imago Patris Filius prædicatus per similitudinis veritatem, a substantia Patris, cujus imago est, substantiæ diversitate non differt : ubi per habitam a Patre vitam et acceptam a Filio vitam, nihil differens in substantia, quæ significatur in vita, habeat Pater, quam Filius accepit ad habendum : ubi non creatura est Filius genitus, sed a natura Pa-

est, pro παρωσάμενον, quod est *rejecit*, legisse videtur καθορασάμενον, aut aliud verbum ab ὁράω, non ab ὤθω compositum.

(*a*) In aliquot mss. desideratur *tempore* : quæ vox græce exstat, non tantum hic, sed et infra post *juniorem*.

(*b*) Mss. *a Patre*.

(*c*) Græcam vocem ὑποστάσεως vertit Hilarius *substantiam* : quomodo lib. IV, n. 13, ubi græce habetur, τρεῖς εἰσὶν ὑποστάσεις, Πατὴρ, Υἱὸς, καὶ ἁγίου Πνεῦμα, latine legit ; *tres substantiæ sunt, Pater, Filius et Spiritus sanctus*. At ubi reperit οὐσίαν, constanter transfert *essentiam*.

(*d*) Græce uno verbo, υἱοπάτορα.

(*e*) Aut certe non excludit nativitatem. Mox in ms. Colb. *aliud ipsud* : quod notamus ut advertatur *ipsum* neutro genere esse intelligendum.

(*f*) Quas nimirum, uti monuimus, Sirmii publicarunt, non quas edidèrunt Ancyræ. Iis enim Epiphanius alias quinque præmittit, ac subjicit duas, quarum in postrema damnantur qui Filium Patri tautousion aut homousion propugnant. Et hujus quidem auctorem esse Eustathium Sebastenum notare videtur Basilius Cæsar, epist. LXXIV, ubi *anathematismum contra homousion in conventu Ancyræ habito eum scripsisse* memorat. Nisi quis verbo γράψαι intelligendum putet *subscripsisse*.

(*g*) Ita in mss. At in vulgatis, *congregati intra synodum*. Quomodo hic Hilarius *proxime emergentem*, ita episcopi Ancyræ congregati, apud Epiphanium, hær. LXXIII, n. 15 et 19, Anomœorum appellant *novam hæresim*, ejusque assertores *novos hæreticos*.

(*h*) Plerique mss., *ad intelligentiam eorum sensu*. Sollicite cavet Hilarius, ne dictorum, quorum est interpres, auctor judicetur : conscius scil. fidem illam, quam excusat, non esse omnino puram.

(*i*) In vulgatis, *doctrinæ suæ*. Abest *suæ* a mss. Novitati doctrinæ Anomœorum opponit Hilarius antiquitatem doctrinæ Orientalium : quia nimirum illi, apud Epiphan., hær. LXXIII, n. 2, postquam Antiocheni Concilii, an. 341, fidei sese adhærere professi sunt, hoc etiam subjiciunt : *Compererint illam nos fidem quam apostolicis inde temporibus continuata ad Patres nostros usque successione accepimus, velut patrimonium tueri ac defendere.*

tris indiscreta substantia est : ubi sicut inter Patrem et Filium indifferens virtus est, ita nullam inter se diversitatem patiatur (*a*) essentia : ubi Pater, generando Filium, nihil ex se (*b*) in eo degenerat diversitate naturæ : ubi quia nihil differat in utroque (*c*) similitudo naturæ, proprietas tamen similitudinis personalium nominum respuat unionem, ne subsistens unus sit, qui et Pater dicatur et filius : ubi quia pie dicitur et Pater mittens, et Filius missus ; in nullo tamen inter Patrem et Filium, id est, inter missum atque mittentem discernatur essentia : ubi non intra tempora paterni nominis veritas continetur : ubi Filius Patri non est posterior in tempore : ubi ultra tempus omne perfecta nativitas innascibilitatis in se non admittit errorem.

28. *Decreta quo tempore edita. Qua occasione, cur. Fides subinde aliæ.* — Et hæc quidem, Fratres carissimi, omnis quæ edita est fidei doctrina, per paucos (*d*) juxta universitatis modum Orientales, sub his ipsis prope diebus, quibus vos ingestam hæresim respuistis, emersit : cujus exponendæ ea fuit ratio, quod unius substantiæ **478** silentium (*e*) decernebatur. Sed jam superioribus diversisque temporibus, multis his causis postulantibus, fides alias necesse fuerit conscribi, quæ quales sint, ex ipsis intelligetur. Omnibus enim quæ ab iis gesta sunt cognitis, facilius tum et plenius earum rerum, de quibus inter nos quæstio est, absolutionem religiosam et unitati congruam afferemus.

Expositio (*an.* 341, *edita*) ecclesiasticæ fidei, quæ exposita est in synodo (*f*) habita per Encænias Antiochenæ ecclesiæ consummatæ. (*g*) Exposuerunt qui adfuerunt episcopi nonaginta septem, cum in suspicionem venisset unus (*h*) ex episcopis quod prava sentiret.

29. « Credimus consequenter evangelicæ et apostolicæ traditioni in unum Deum patrem omnipotentem, cunctorum quæ sunt ædificatorem et factorem (*i*) et provisorem, de quo omnia : et in unum Dominum Jesum Christum filium ipsius unigenitum, Deum per quem omnia, qui generatus est (*j*) ex Patre, Deum de Deo, totum ex toto, unum ex uno, perfectum de perfecto, regem de rege, Dominum de Domino, (*k*) verbum, sapientiam, vitam, lumen verum, viam veram, resurrectionem, pastorem, januam, (*l*) inconvertibilem et immutabilem, divinitatis essentiæque

(*a*) Editi, *essentiæ*. Rectius mss. *essentia*. Respicitur enim decretum 6, quo Filius virtute pariter atque essentia Patri similis asseritur.

(*b*) Bad. cum omnibus prope mss., *in eodem generat :* favente decreto 7 summatim hic retractato, quo *Patrem dissimilis sibi essentiæ patrem esse* dicens damnatur. Editi alii, *in eodem degenerat*. Retinemus cum ms. Carn., uno Colb. et altero Sorbon., *in eo degenerat :* maxime cum supra, n. 20, in prædicti decreti enarratione eos Hilarius probet rite esse damnatos, qui *putent essentiam Patris a se in Filio degenerasse.*

(*c*) Perverse in vulgatis, *naturæ proprietas, tamen,* omissa voce *similitudo :* quæ huc revocanda fuit ex mss. Silvæ majoris et reginæ Suecorum ; nisi forte quis malit *natura*, loco *naturæ*. Mox in ms. Carn., *refutat*, non *respuat*.

(*d*) Quotquot scilicet post acceptas Georgii Laodiceni litteras cum iis, qui jam Ancyræ ad consecrandam ecclesiam convenerant, celeriter potuerunt convocari, ut narrat Sozom. lib. IV, c. 15. Apud Epiphanium, hær. LXXIII, n. 12, tantum duodecim leguntur subscripti. Sed in iis non memorantur Eleusius Cyzici, et Leontius presbyter, quos cum Basilio et Eustathio ab hac synodo ad imperatorem legatos esse scribit Sozomenus loco laudato : quod indicio est non omnes ab Epiphanio esse recensitos. Falso autem credidit Vigilius Taps., lib. v contra Eutich. n. 3, duodecim illas sententias ab *universis Orientalibus episcopis* in unum congregatis fuisse editas : hoc, puto, delusus, quod Hilarius Orientales simpliciter et generatim laudare solet ut earum auctores.

(*e*) Hoc ita intelligere quis posset, ut orientalium fidem ideo sibi exponendam duxerit Hilarius, quia illi *unius substantiæ* vocabulum postrema definitione sua damnaverant. Nihil tamen sibi vult aliud, nisi ut Orientales benigne excuset quod fidem iterato exposuerint ; cum ex hæresis, quæ substantiæ silentium decernebat (tum Sirmio per Valentem et Ursacium, tum Antiochia per Eudoxium emergentis) occasione ad id præstandum fuerint adducti. Hinc apprime sequitur : *Sed diversis temporibus fides alias necesse fuerit conscribi*. Quibus lectis Vigilius, Hilarii consilium non satis prudenter advertens, catholicas putavit synodos, quas ille hic excusare conatur : et lib. v contra Eutychen, n. 2, in easdem respiciens asseverat *nimium imperitos et temerarios esse, qui nesciant multas fidei constitutiones, post Nicænam synodum, contra novorum hæreticorum insanas eruptiones, diversis in locis congregatos episcopos edidisse.*

(*f*) Celebrata est hæc synodus, ut tradit Athanasius lib. de Synod. præsente Constantio, Marcellino et Probino Coss. indict. 14, anno a morte Constantini 5, proindeque Julii Romani Pontificis 5, Christi 341, ex occasione dedicandæ ecclesiæ, cujus fundamenta ab annis decem jecerat Constantinus. Episcopos 90 in ea convenisse aiunt Athanasius et Socrates, lib. II, c. 8. Sozomenus autem, lib. v, c. 5, ex editione Valesii cum nostro Hilario consentit.

(*g*) *Aiebant*, Si Sozomeno, l. III, c. 5, habenda fides, *reperisse se hanc fidem scriptam manu ipsius Luciani ejus qui Nicomediæ martyrium perpessus est.* Verum, ut mox ostendemus, quædam ex ipsa Athanasius adscribit tamquam ab Acacio et Eusebio in Encæniis prolata, Acacius vero plura ejusdem verba Asterio attribuit. Neque obscure indicat Hilarius, eos ipsos, qui synodo intererant, formulæ hujus exstitisse auctores. Observamus obiter, longe aliud esse Antiochenæ ecclesiæ symbolum, quod, lib. VI de Incarn. c. 5, describit Cassianus.

(*h*) Baronius, ad an. 341, num. 22, unum illum putat fuisse Gregorium, eique objectum esse quod prava sentiret, cum primum in eo conventu destinatus est episcopus Alexandrinus. Aliam hujus formulæ conscribendæ causam affert Athanasius, lib. de Synod. p. 891, quod nimirum cum non unus, sed plerique et qui in hac synodo primas agebant, *ab omnibus de hæresi male audirent*, ambiguas professiones edendo saltem fucum facere conati sint.

(*i*) Voci *provisorem*, nulla græca respondet apud Socratem, sed apud Athanasium in novissima editione restituetur ex mss. καὶ προνοητήν.

(*j*) Græca exemplaria hic addunt πρὸ τῶν αἰώνων, *ante sæcula.*

(*k*) In græcis exemplaribus, λόγον ζῶντα, σοφίαν ζῶσαν : et mox apud Athanas. ὁδὸν ἀληθείαν ; et apud Socrat. ὁδὸν ἀληθείας, pro *viam veram.*

(*l*) Ms. Corb. cum pluribus aliis, *inconvertibilis et immutabilis :* quomodo alias exhibebatur hic locus,

et virtutis (*a*) et gloriæ incommutabilem **479** imaginem, primum editum totius creaturæ, qui (*b*) semper fuit in principio apud Deum Verbum Deus, juxta quod dictum est in Evangelio, *Et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1), per quem omnia facta sunt, et in quo omnia constant : qui in novissimis diebus descendit desursum, et natus est ex virgine secundum Scripturas, et (*c*) agnus factus est, mediator Dei et hominum, prædestinatus fidei nostræ, et dux vitæ. Dixit quippe : *Non enim descendi de cœlo, ut facerem voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui me misit* (*Joan.* VI, 38). Qui passus est et resurrexit (*d*) pro nobis tertia die, et adscendit in cœlos, et sedet in dextera Patris, et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum, qui in paraclesin et sanctificationem et consummationem credentibus datus est, juxta quod et Dominus Jesus Christus ordinavit (*e*) discipulos dicens : *Pergite, et docete universas gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19) : (*f*) manifeste utique Patris vere patris, certumque Filii vere filii, et Spiritus sancti vere spiritus sancti ; hisque nominibus non simpliciter neque otiose propositis, sed significantibus diligenter propriam uniuscujusque nominatorum substantiam et ordinem et gloriam, (*g*) ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum.

30. « Hanc ergo habentes fidem, et ab initio et usque in finem habituri in conspectu Dei et Christi, omnem hæreticam et pravam sectam anathematizamus : et si quis præter salubrem Scripturarum et rectam fidem docet, dicens aut tempus, aut spatium, aut sæculum, aut esse aut fuisse prius, quam (*h*) generatus Filius : anathema sit. Et si quis Filium conditionem dicit, quemadmodum unum conditionum ; aut nativitatem, sicut sunt nativitates ; aut factionem, sicut sunt facturæ, et non sicut divinæ Scripturæ tradiderunt singula quæque, **480** quæ superius dicta sunt ; et si quis aliud docet, aut evangelizat præter quam quod accepimus : anathema sit. Nos enim omnibus, quæ divinis Scripturis tradita sunt a prophetis et ab apostolis, vere et cum timore et credimus et sequimur. »

31. *Fides hæc quatenus suspecta.* — Minus forte expresse videtur de indifferenti similitudine Patris et Filii fides hæc locuta esse, maxime cum de Patre et Filio et Spiritu sancto ita senserit significatam in nominibus *propriam uniuscujusque nominatorum substantiam et ordinem et gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum.*

32. *Excusatur ex scopo concilii. Hæresis nova post Nicænam synodum. Trinitatis substantiæ tres qui apud Orientales recte dicantur.* — Et primum sciendum est, non adversum hæresim, quæ dissimilis substantiæ Patrem et Filium (*i*) ausa est prædicare, in Antiochia fuisse conventum ; sed adversus eam, (*j*) quæ post sanctam synodum Nicænam in id proruperat, ut tria nomina Patri vellet adscribere, de qua suo loco tractabimus. Memini enim me in exordio sermonis patientiam et æquanimitatem legentium atque audientium usque ad absolutionem omnium dictorum meorum poposcisse ; ne temerarius quisquam in me judex ante cognitionem perfecti sermonis exsisteret. Volens igitur congregata sanctorum synodus impietatem eam perimere, quæ veritatem Patris et Filii et Spiritus sancti nominum numero cluderet : ut non subsistente causa uniuscujusque nominis, triplex nuncupatio obtineret sub falsitate nominum unionem, et Pater solus atque unus idem atque ipse haberet et Spiritus sancti nomen et Filii : idcirco tres substantias esse dixerunt, subsistentium personas per *substantias* (*k*) edocentes, non substantiam Patris

lib. in Constant. n. 23. Verius potiores, Carn., duo Colb., Germ., Sorb., juxta græcum, *inconvertibilem et immutabilem*. Integram illam sententiam ut ab Acacio et Eusebio in Encæniis prolatam prodit Athanasius, lib. de Synod. pag. 911. Acacius autem, apud Epiphanium, hær. LXXII, n. 6, hæc et pleraque superiora verba Asterio attribuit.

(*a*) Græce, δυνάμεως, καί βούλης, καὶ δόξης τοῦ Πατρός.

(*b*) Abest *semper* apud Athanas. et Socrat. Ob hanc vocem, a qua Arianos vehementer abhorruisse Hilarius lib. IV de Trin. n. 5, indicat, ipse infra, n. 33, significat eam formulam sibi minus fuisse suspectam.

(*c*) Ex græca phrasi legendum *homo factus est* ; et mox *apostolus fidei*, non *prædestinatus fidei*.

(*d*) Apud Socratem, τὸν παθόντα ὑπὲρ ἡμῶν, καὶ ἀναστάντα ὑπὲρ ἡμῶν. Hoc secundum ὑπὲρ ἡμῶν abest apud Athanas.

(*e*) Sic Bad. cum mss. Aliæ vero edit., *discipulis*.

(*f*) Editi, *Manifesta utique Patris* (hic addit Bad. *persona*), *vere patris, certaque Filii vere filii, notaque Spiritus sancti* : castigantur ex græco et potioribus mss.

(*g*) Græce, ὡς εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἓν, quæ verba v. c. Huetius, lib. II Origen. q. 2, n. 3, deprompta fuisse conjectat ex Origene, lib. VIII contra Celsum, asserente, Patrem et Filium, ὄντα δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονάᾳ καὶ τῇ συμφωνίᾳ καὶ τῇ ταὐτότητι τοῦ βουλήματος.

(*h*) Lips. et Par. *generaretur*. Er. cum vetustiore ms. Colb. et Germ. *generatur*. Bad. cum cæteris, *generatus*. Græce, πρὸ τοῦ τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ.

(*i*) In prius vulgatis adjicitur hic *et Spiritum sanctum* : absque auctoritate.

(*j*) Hoc saltem obtendebant Eusebiani, qui sibi adversantes, Sabellianæ hæresis nomine solebant infamare.

(*k*) Quod enim vertit noster interpres *tres substantias*, illi τρεῖς ὑποστάσεις dixerunt. *Verum*, uti monet Epiphanius hær. LXXIII, n. 17, *ne quem hypostaseon appellatio perturbet, ob id enim hypostases ab Orientalibus usurpantur, ut personarum proprietates subsistentes exsistentesque declarent.* Et post pauca : *Merito subsistentis exsistentisque Patris et Filii et Spiritus sancti proprietates, subsistentium personarum hypostases appellant Orientales ; non ut tres illas hypostases tria principia tresve deos esse dicant : nam eos anathemate damnant, qui tres deos dicunt.* Neque vero tunc temporis hæresis suspicione laborabant, qui *tria* in divinis prædicabant. Hoc ipsum enim catholice etiam postea prædicavit Gregorius Naz. Or. XXIX, n. 3, et alibi ; prædicaverunt et Occidentales, puta, Consentius, epist. apud Augustinum CXIX, n. 4, scribens : *Una virtus est, quam trina possidet virtus ; una substantia est, in qua tria sunt quæ subsistunt.* Augustinus ipse, epist. CLXX, ad Maximum, n. 5 : *Et hæc omnia*, inquit, *nec confuse unum sunt, nec dis-*

et Filii (*a*) diversitate dissimilis essentiæ separantes. Quod autem dictum est : *Ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum*, non habet calumniam : quia (*b*) connominato Spiritu, id est paracleto, consonantiæ potius, quam essentiæ **481** per similitudinem substantiæ prædicari convenit unitatem.

33. *Hac formula eamdem Patris ac Filii essentiam prædicari. Nativitatis et innascibilitatis discrimen. Filius immutabilis.* — Cæterum omnis superior sermo in nullo Patrem et Filium essentiæ ac naturæ diversitate discrevit. Ubi enim dicitur, *Deum de Deo, totum ex toto ;* non ambigitur totum Deum ex toto Deo natum. Nam et Dei de Deo natura non differt: et totus ex toto in iis est ipse, quibus Pater est. *Unus ex uno* passiones humani partus et conceptionis excludit: ut dum unus ex uno est, non aliunde, nec diversus, aut (*c*) alius sit, qui est unus ex uno, perfectus a perfecto. Non differt præter originis causam ab innascibilitate nativitas; cum perfectio utriusque non differat. *Rex de Rege.* Non admittit uno atque eodem nomine potestas communcupata dissimilitudinem potestatis. *Dominum de Domino.* Dominatus quoque æquatur in Domino : nec recipit differentiam confessa in utroque sine diversitate dominatio. Illud vero, quod post multa alia subjectum est, *inconvertibilem et immutabilem, divinitatis et essentiæ et virtutis et gloriæ incommutabilem imaginem*, absolutum est. Nam ex Deo Deus, ex toto totus, ex uno unus, et ex perfecto perfectus, et ex rege rex, et ex Domino Dominus, cum in ea omni divinitatis gloria atque natura, in qua Pater permanet, natus quoque subsistat et Filius ; etiam hoc ex paterna substantia habet, ne demutabilis fiat. Non enim in eo nascente, ea, de qua natus est, demutata natura est : sed indemutabilem essentiam natus obtinuit ex indemutabilis (*d*) auctoritate naturæ. Nam quamvis imago est, tamen incommutabilis est imago (non commutata in eo scilicet per dissimilitudinem paternæ essentiæ, ex qua est genitus, natura), quia in eo imago paternæ essentiæ nasceretur. Jam vero cum primus editus (*e*) esse totius creaturæ docetur, et ipse ille semper fuisse in principio apud Deum Verbum Deus dicitur ; dum primus editur, natus fuisse ostenditur ; dum semper fuit, nec tempore separatur a **482** Patre. Non ergo videri potest divisio substantiarum (*supple*, ab hac synodo) (quæ nihil aliud studuit, quam ut per trium (*f*) substantiarum nomen, triplicis vocabuli excluderet unionem) ad separationem diversæ in Filio et in Patre substantiæ introducta : cum totius fidei expositio Patrem et Filium, innascibilem et unigenitum, nec tempore, nec nomine, nec essentia, nec dignitate, nec dominatione discernat. Dignum autem est conscientia communi etiam cæteras eorumdem episcoporum Orientalium diversis et locis et temporibus conscriptas fides noscere, ut per plures confessiones sinceritas conscientiæ possit intelligi.

(*g*) FIDES SECUNDUM ORIENTIS SYNODUM.

(an. 347.)

Sancta synodus in (*h*) Sardica congregata ex diversis provinciis Orientalium partium, Thebaida, Ægypto, Palæstina, Arabia, Phœnice, Syria Cœle, Mesopotamia, Cilicia, Cappadocia, Ponto, Paphlagonia, Galatia, Bithynia, Hellesponto, (*i*) Asia,

juncte tria sunt, sed cum sint unum, tria sunt ; et cum sint tria, unum sunt.

(*a*) Rursum hinc removimus voces, *et Spiritus sancti*, adjectas absque mss. auctoritate.

(*b*) In vulgatis, *cognominato*. Concinnius in mss. *connominato*. Quod vero sequitur, an ita intellexerit Hilarius, ut Spiritus sanctus, quemadmodum dicitur in Scholis, vi processionis suæ non procedat a Patre formaliter ut similis? Certe lib. XII, n. 55, magna fide profitetur se Spiritum sanctum numquam dicturum esse, aut genitum, aut creatum. Quam autem luculenter adstruat Spiritus sancti divinitatem, jam ostendimus præfat. in libros de Trin. n. 15, adeo ut suspectus nemini videri jam debeat iste locus.

(*c*) Sic mss. potiores, duo Colb., Carn., Germ., Sorbon. Alii vero libri, *aliud sit*. Ut sæpe Hilarius *aliud* usurpat ad distinctionem personæ, ita nunc *alius* ad distinctionem naturæ.

(*d*) Hic auctoritas non aliud sonat ac *auctor :* puta, natus ex auctore cujus est natura indemutabilis.

(*e*) Editi, *cum primus editus esset totius creaturæ, docetur et ipse ille semper fuisse in principio apud Deum. Verbum Deus dicitur, dum primus editur. Natus fuisse ostenditur*, etc.

(*f*) Unus codex Colb. cum Carn., Mic. et vulgatis, *subsistentiam*. Alter Colb. cum Germ., *substantium*. Præferimus cum cæteris *substantiarum :* cum hic excusentur Orientales, quod trinam hypostasim introduxerint, ac verbum græcum ὑπόστασις latino *substantiæ* nomine Hilarius reddat.

(*g*) Titulum hunc apud Bad. omissum, et in editionibus aliis ad marginem duntaxat adjectum, suo loco juxta mss. restituendum curavimus. Ejus loco in uno ms. Colb. habetur, *expositio fidei secundum Orientis synodum :* eodem sensu. Sed non audiendus recentior Remig. in quo exstat, *fides Serdica conscripta.*

(*h*) Mss. constanter et magno consensu, *Serdica.* Hæc mendax inscriptio plurimos fefellit, eaque Donatistæ Augustinum decipere tentarunt, ut ipse testis est epist. alias CLXIII, nunc. XLIV, n. 6. Illo minus cautus fuit Vigilius, lib. V contra Eutychen, n. 3. At Hilarium nostrum non fugit, a quibus prodierit sequens formula, quamvis non aperte prodiderit. Porro non Sardicæ, sed Philippopoli in Thracia edita fuit ab iis, qui sibi male conscii, Sardicensis synodi judicium formidabant. Quamquam, exceptis postremis hisce verbis, *Similiter eos, qui dicunt tres esse deos*, etc., primum vulgata est ab Eusebianis aliquot mensis post concilium Antiochiæ in Encæniis, et in Gallias per Narcissum, Marim, Theodorum et Marcum ad Constantem quasi a synodo delata, ut testis est Athanasius, lib. de Synod. p. 895; imo ut ibidem subjicit, iidem triennio post in consessum venientes eamdem prædictis appendicibus *Similiter eos*, etc., aliisque auctam, per Eudoxium, Martyrium aliosque in Italiam emiserunt. Demum quæ hic mox subjicitur contra Photinum, ab hac non differt, nisi anathematum additamentis.

(*i*) Aliquot mss. probæ notæ, *Asiæ Phrygiis.* Sic infra apud Bad. necnon in vetere ms. Colb. et aliis, *Europæ Thracia :* quod et apud Vigilium legitur lib. V contra Eutych. Neutra lectio confirmatur Fragmento III, ubi legere est, *Asia, Europa, Hellesponto, Thracia.*

Phrygiis duabus, Pisidia, Cycladum insularum, Pamphylia, Caria, Lydia, Europa, Thracia, Emimonto, (*a*) Mysia, Pannoniis duabus, hanc exposuimus fidem.

34. « Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, creatorem et factorem universorum, ex quo omnis paternitas in cœlis et in terra nominatur. Credimus et in unigenitum ejus filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui ante omnia sæcula ex Patre genitus est, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta sunt omnia quæ in cœlis et quæ in terra, visibilia et invisibilia : qui est verbum, et sapientia, et virtus, et vita, et lumen verum : et qui in novissimis diebus propter nos incarnatus est, et natus ex sancta Virgine, qui crucifixus est, et mortuus, et sepultus, et surrexit ex mortuis tertia die, et receptus in cœlo est, et **483** sedet in dextera Patris, venturus (*b*) judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera ejus; cujus regnum sine cessatione permanet in immensa sæcula. Sedet enim in dextera Patris non solum in hoc sæculo, sed et in futuro. Credimus et in Spiritum sanctum, hoc est, paracletum, quem promittens Apostolis post reditum in cœlos misit docere eos ac memorari omnia, per quem et sanctificantur sincere in eum credentium animæ. (*c*) Eos autem, qui dicunt de non exstantibus esse filium Dei, vel ex alia substantia, et non ex Deo, et quod erat aliquando tempus aut sæculum quando non erat, alienos novit sancta et catholica Ecclesia. Similiter et eos, qui dicunt tres esse deos; vel Christum non esse Deum et ante sæcula, neque Christum, neque filium eum esse Dei; vel eum ipsum esse Patrem et Filium et sanctum Spiritum, vel innascibilem filium; vel quod neque consilio neque voluntate Pater genuerit Filium : anathematizat sancta et catholica Ecclesia. » (*d*)

35. *Fides hæc Filii originem æternam statuit. Eamque ex Dei substantia.* — Brevibus expositio fidei hujus, sed absolutissimis usa est definitionibus. Nam condemnans eos, qui de non exstantibus esse Filium dicerent, originem ei non cœptam, sed manentem dedit. Ac ne hæc origo ejus, ex qua natus est manens, (*e*) alia potius quam Dei intelligeretur esse substantia; etiam eos blasphemos pronuntiat, qui ex alia aliqua substantia, et non ex Deo Filium natum esse loquerentur : atque ita (*f*) cum non ex nihilo substitit, neque aliunde quam ex Deo quod est exstitit, non potest ambigi in his natus esse quæ Dei sunt; quia neque de non exstantibus, neque alia quam de innascibili Patris et æterna substantia (*g*) unigenita Filii generatur essentia. Respuit vero et intervalla temporum ac sæculorum : ut qui per naturam non differt, non possit separabilis esse per tempus.

36. *Deus non nisi unus est; quatenus dicantur plures. Fides superior unam Patris ac Filii substantiam prædicat.* — Ex omni autem parte, qua se circumagere sollicitudo potuit, hæreticorum ingeniis aditus obstruitur, ne quid esse diversitatis prædicetur in Filio. Anathematizat namque eos, qui tres deos dicant : quia secundum **484** naturæ veritatem; numerum nuncupationum substantia ista non recipit, nisi ut in hominibus atque Angelis solet, cum nomen tribuitur ex honore meritorum, naturæ tamen inter eos et Deum (*h*) differente substantia; et idcirco dii plures sunt. Cæterum in natura Dei Deus unus est; ita tamen, ut et Filius Deus sit, quia in eo natura non differens sit : et cum Deus ex Deo sit, non potest non uterque Deus esse, quorum per generis indifferentiam non discernatur essentia. Numerus autem nominis in nuncupatione respuitur; quia non est in naturæ qualitate diversitas. Cum igitur anathema sit (*i*) deos dicens, et anathema sit Filium Deum denegans; absolute ostenditur unius ad utrumque nominis unitatem de proprietate indifferentis esse substantiæ : cum in confessione innascibilis Dei patris et unigeniti Dei filii, neutro a se dissimilitudine essentiæ differente, (*j*) uterque cum Deus sit, Deus tamen unus et credendus sit et prædicandus. Sollicita itaque multum diligentique cautela episcoporum fides nititur naturæ genitæ et gignentis indifferentiam nominis (*k*) unione confirmans.

37. *Non tamen fides solitarium Deum, Filium recte docet innascibilem. Qui ex voluntate nascatur.* — Taliquet cum ex pluribus locis, tum ex num. 40, ubi eodem sensu legere est, *Non est de non exstantibus, ut ei exstans origo sit.*

(*a*) In vulgatis, *Massilia cum Mysia*. In mss. habetur tantum *Mysia*, vel, ut in mss. Colb. et Germ. pingitur, *Moysia*. Provinciæ totidem et eodem ordine recensentur apud Vigilium. At infra Fragmento CXI, nonnulla est in ordine discrepantia.

(*b*) Fragmento CXI hic adjicitur *in fine mundi*; et in græcis formulis, quas supra annotavimus post concilium Antioch. in Gallias et Italiam missas, ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος.

(*c*) Epistola pseudosynodi Sardic. Fragmento CXI, hic exhibet, *Credimus in sanctam Ecclesiam catholicam, in remissionem peccatorum, in carnis resurrectionem, in vitam æternam :* quæ verba, omissis *in carnis resurrectionem*, inde huc revocata sunt editione Par. cum neque in aliis edit. exstent, neque in mss. neque in græcis formulis.

(*d*) Vetustior codex Colb. et Germ. hic adjiciunt *ita dicentes :* ubi apud Bad., *ita dicens*, in aliis autem edit., *Hilarius*.

(*e*) Ms. Silv., *ex alia potius quam de Dei*, etc. Proximum verbum *manens* idem esse quod *exstans*, eodem sensu legere est, *Non est de non exstantibus, ut ei exstans origo sit.*

(*f*) Lips. et Par., *non cum ex nihilo subsistit* : castigantur ex aliis libris.

(*g*) In vulgatis, *unigeniti*. Verius in mss. *unigenita*. Sic enim antea *innascibilis et æterna* ad patris substantiam referuntur, non ad ipsius patris vocabulum.

(*h*) Editi, *differens est substantia :* corriguntur e mss.

(*i*) Er., Mir., Lips. et Par. perperam hic adjiciunt *duos :* cum ex determinata Orientalium propositione, qua damnantur non qui *duos*, sed qui *tres deos* dicant, conficiat Hilarius indefinitam.

(*j*) In vulgatis, *dicitur ut uterque :* interpolatoris opera et absque auctoritate mss.

(*k*) Editi excepto Bad., *unionem*. Rectius alii libri, *unione*, hoc est, fides munit in genito et gignente naturæ indifferentiam, quam confirmat unione ac singularitate nominis.

men ne rursum unius Dei prædicatio unicam ac sine progenie sua solitarii Dei velit affirmare substantiam; statim hanc condemnat temeritatem, quæ quia Deus unus est, unum ac solitarium Deum patrem, habentem in se nomen et patris et filii confiteretur: cum in generante Patre et nascente Filio Deus unus esset ob indifferentis ab invicem naturæ substantiam prædicandus. Innascibilem quoque Filium sanctorum fides nescit: quia natura Filii nisi ex nativitate non exstat. Nativitatis autem in eo adeo perfecta natura est, ut qui ex substantia Dei natus est, etiam ex consilio ejus ac voluntate nascatur. Ex voluntate enim atque consilio, non ex corporalis passione naturæ, essentiæ Dei de essentia Dei genitæ absoluta perfectio est. Consequens autem est, ut eam nunc fidem retractemus, quæ non olim (*a*) cum Photinus episcopatu dejectus est, conscripta est.

485 *Exemplum fidei Sirmio* (*b*) *ab Orientalibus contra Photinum scriptæ* (ann. 351).

38. « Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, creatorem et conditorem, ex quo omnis paternitas in cœlo et in terris nominatur. Et in unicum ejus Filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui ante omnia sæcula ex Patre natus est, Deum ex Deo, lumen ex lumine, per quem facta sunt omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia. Qui est verbum, et sapientia, (*c*) et virtus, et vita, et lumen verum: qui in novissimis diebus propter nos incorporatus est, et natus de sancta Virgine, et crucifixus, et mortuus est, et sepultus: qui et surrexit ex mortuis tertia die, et adscendit in cœlum, et sedet in dextera Patris, et venturus est in consummatione sæculi judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua: cujus regnum sine fine perseverans, permanet in perpetua sæcula. Erit enim sedens in dextera Patris, non solum in hoc sæculo, verum etiam et in futuro. Et in Spiritum sanctum, id est, paracletum, quem promittens Apostolis, postea quam cœlum adscendit, misit docere eos, et commonere omnia, per quem et sanctificantur credentium in eum sinceriter animæ. (*d*)

I. « Eos autem qui dicunt: De nullis exstantibus Filius, vel de altera substantia, et non ex Deo; et quod erat tempus vel sæculum quando non erat: alienos scit sancta et catholica Ecclesia.

II. « Si quis autem Patrem et Filium duos dicit deos: anathema sit.

III. (*e*) « Et si quis, unum dicens Deum, Christum autem Deum ante sæcula filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur: anathema sit.

IV. « Et si quis innascibilem Deum, vel partem ejus, de Maria natum esse audet **486** dicere: anathema sit.

V. « Et si quis secundum (*f*) præscientiam vel prædestinationem a Maria dicit Filium esse, et non ante sæcula ex Patre natum apud Deum esse, et per eum facta esse omnia: anathema sit.

VI. « Si quis substantiam Dei dilatari et contrahi dicit: anathema sit.

VII. « Si quis dilatatam substantiam Dei filium dicat facere; aut latitudinem substantiæ ejus, (*g*) sicuti sibi videtur, Filium nominet: anathema sit.

VIII. « Si quis insitum vel prolativum verbum Dei filium dicat: anathema sit.

IX. « Si quis hominem solum dicit de Maria Filium: anathema sit.

X. « Si quis Deum et hominem de Maria natum dicens, Deum innascibilem sic intelligit: anathema sit.

XI. « Si quis *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14), audiens, Verbum in carnem translatum putet, vel demutationem (*h*) sustinentem accepisse carnem dicit: anathema sit.

XII. « Si quis unicum filium Dei crucifixum audiens, dealitatem (θεότητα) ejus corruptionem vel passibilitatem (πάθος) aut demutationem aut deminutionem vel interfectionem sustinuisse dicat: anathema sit.

XIII. « Si quis, *Faciamus hominem* (*Gen.* I, 26),

(*a*) Nimirum, uti notat Socrates, lib. II, c. 29: *post Consulatum Sergii et Nigriniani: quo anno propter tumultus bellicos nemo solemnem gessit Consulatum*, hoc est, anno CCCLI, cum Vetranione dejecto Sirmii moraretur Constantius.

(*b*) Socrates, lib. II, c. 30, varias variis temporibus Sirmi conscriptas formulas earumque auctores confundens, hanc a Marco Arethusio græce scriptam memorat. Verius noster Hilarius eam *Orientalibus*, id est, toti synodo attribuit. Concilium illud Vigilius, lib. V contra Eutych. n. 3, catholicum vocat et ex toto Oriente congregatum. Nulli autem Occidentalium, nisi forte quibusdam ex Illyrico, ad illud accedere tum licuit, quod Magnentius tyrannus transalpinas regiones atque Italiam occuparet.

(*c*) Ex uno ms. Colb. et altero Sorbon. addimus hic, *et virtus*: quæ vox exstat in superiore formula Sardicensi, ab hac non dissidente.

(*d*) Ludovicus Miræus admonuit, in uno codice ms. se reperisse decretis sequentibus præfixum hunc titulum: *Definitiones catholicarum propositionum* 26 *contra Photinum hæreticum et contra omnes opiniones infidelitatis hæreticæ.*

(*e*) Apud Athanasium et Socratem, καὶ εἴ τις λέγων Θεὸν τὸν χριστὸν πρὸ αἰώνων υἱὸν τοῦ Θεοῦ, ὑπουργηκότα τῷ Πατρί. Præferenda videtur lectio Hilarii nostri, cum altera non conveniat in Photinum, qui Deum unum confitens, Christum ante Mariam exstitisse negabat. Hujus autem decreti duplex est sensus; ut scilicet anathema sit, qui cum unum dicat Deum, Christum tamen Deum neget; sicque infra illud interpretatur Hilarius: alter vero, qui nobis præcipuus videtur, ut anathema sit, qui Christum in conditione mundi adstitisse, et perinde ante Mariam fuisse non confiteatur.

(*f*) Verba illa, *præscientiam vel prædestinationem*, uno græco vocabulo πρόγνωσιν enuntiantur. Deinde quod vertit Hilarius *a Maria*, legisse videtur cum Socrate ἐκ Μαρίας, non cum Athanasio πρὸ Μαρίας, *ante Mariam*; quod tamen infra, n. 45, legit, ac magis etiam hic placeret: ut sit anathema, qui Christum secundum præscientiam tantum ante Mariam esse concedat.

(*g*) In græcis codicibus nihil est, quod respondeat verbis, *sicuti sibi videtur*: quæ quidem infra, n. 43, omittuntur.

(*h*) Græce, ὑπομεμενηκότα: hoc est, demutationem sustinuisse cum accepit carnem.

non Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad semetipsum dicat Deum locutum : anathema sit.

XIV. « Si quis filium non dicat Abrahæ visum (*Gen.* XVIII), sed Deum innascibilem, vel (*a*) partem ejus : anathema sit.

XV. « Si quis cum Jacob non Filium quasi hominem colluctatum (*Gen.* XXXII, 24), sed Deum innascibilem, vel partem ejus dicat : anathema sit.

XVI. « Si quis, (*b*) *Pluit Dominus a Domino* (*Gen.* XIX, 24), non de Filio et Patre intelligat, sed ipsum a se dicat pluisse : anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre.

XVII. (*c*) « Si quis Dominum et Dominum **487** Patrem et Filium (quia *Dominus a Domino* [*supple* pluit]), duos dicat deos : anathema sit. Non enim exæquamus vel (*d*) comparamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus. Neque enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate; neque pluit ex se, sed a *Domino*, auctoritate scilicet Patris; nec sedet in dextera a semetipso, sed audit dicentem Patrem, *Sede ad dexteram meam*(*e*) (*Psal.* CIX, 1).

XVIII. « Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum unam personam dicat : anathema sit.

XIX. « Si quis Spiritum sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat : anathema sit.

XX. « Si quis, sicuti docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum a Filio ; dixit enim : *Et alterum paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo* (*f*) *ego* (*Joan.* XIV, 16) : anathema sit.

XXI. « Si quis Spiritum sanctum partem dicat Patris vel Filii : anathema sit.

XXII. « Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres dicat deos : anathema sit.

XXIII. « Si quis, quod dictum est : *Ego Deus primus, et ego Deus novissimus, et præter me non est Deus* (*Esai.* XLIV, 6), ad destructionem idolorum dictum et eorum qui non sunt dii, in destructionem (*g*) unigeniti ante sæcula Dei judaice intelligat : anathema sit.

XXIV. « Si quis voluntate Dei, tamquam unum aliquid de creatura, factum dicat Filium : anathema sit.

XXV. « Si quis nolente Patre natum dicat Filium : anathema sit. Non enim (*h*) nolente Patre coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, cum nollet genuit Filium : sed (*i*) mox voluit, sine tempore et impassibiliter ex se eum genitum demonstravit.

XXVI. « Si quis innascibilem et (*j*) sine initio dicat Filium, tamquam duo sine principio et duo innascibilia et duo innata dicens : duos faciat deos : anathema sit. Caput enim, quod est principium omnium, Filius; caput autem, quod est principium Christi, Deus : **488** ita enim ad unum qui est sine principio omnium principium, per Filium universa referimus.

XXVII. « Et iterum confirmantes Christianismi intellectum, dicimus, quoniam si quis Christum Deum filium Dei ante sæcula subsistentem et ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat ; sed ex quo de Maria natus est, ex eo et Christum et filium nominatum esse, et initium accepisse ut sit Deus, dicat : anathema sit (*k*). »

39. *Photini fraus multiplex retunditur. Filius a Patre nec substantia differt nec tempore.* — Necessitas et tempus admonuit eos, qui tum convenerant, per multiplices quæstiones latius ac diffusius expositionem fidei ordinare ; quia multis et occultis cuniculis in ca-

(*a*) Editi hic et articulo subsequenti necnon 21, *patrem :* renitentibus mss. et græca voce μέρος.

(*b*) In antiquis libris constanter, *pluvit, pluvisse.*

(*c*) Bad. *Si quis Dominum et Deum non Patrem et Filium intelligat ; quia Dominum et Deum duos dicat deos : anath.* Er. et Mir : *Si quis Dominum et Deum non Patrem et Filium quasi Dominum a Domino intelligat*, etc., ut Bad. At vero Lips. et Par : *Si quis Dominum et Dominum Patrem et Filium, quasi Dominum a Domino intelligat : quia Dominum et Dominum duos dicat deos : anath.* In vetusto codice Colbertino, *Si quis Deum et Dominum Patrem et Filium, qua Dominum a Domino, duos dicat deos : anath.* ; lectio non spernenda, cui favet Facundus, lib. x, cap. 6, ubi Hilarii hæc versio mendose exhibetur. At sincerior est, quam ex cæteris mss. exprimimus, græco Athanasii textu suffragante : nam apud Socratem mendis etiam scatet. Porro hic damnatur, qui cum audiat *Dominus a Domino pluit*, Patrem Dominum et Dominum Filium ita intelligat, ut vocabulis Domini et Domini duos dicat deos. Sic enim græce habetur : Εἴ τις ἀκούων κύριον τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν κύριον, καὶ κύριον τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν (ἐπεὶ κύριος ἐκ κυρίου), δύο λέγοι θεούς· ἀνάθεμα.

(*d*) Ita mss. At editi *exæquamus vel conformamus.* His duobus verbis unicum συντάσσομεν in græco respondet. Superius jam observatum, unam vocem πρόγνωσιν eadem ratione duabus fuisse redditam, quasi anceps Hilarius quæ aptior foret, utramque seligendam proponeret.

(*e*) Apud Athanasium et Socrat. hic subjicitur ἀνάθεμα ἔστω : et in versione latina conciliorum, *anathema sit :* quod omnino superfluit. Hic enim non novus anathematismus est, sed proxime allati explicatio.

(*f*) Sic mss. At editi, *quem rogabo eum.*

(*g*) In excusis et scriptis, *unici :* ubi ex græco verbo μονογενοῦς, et ex Hilarii interpretatione liquet legendum esse *unigeniti.* Postea ex tribus mss. reponimus *Judaice intelligat*, consentiente græco Ἰουδαϊκῶς ἐκλαμβάνοι : ubi in mss. Colb. et Germ., *quasi Judaice intelligens*, in vulgatis autem, *Judaice dictum intelligat :* quæ lectio infra, num. 57, obtinet in omnibus libris.

(*h*) Er. removerat *nolente Patre :* quod quamvis superfluere videatur, nec postulet græcus sermo ; restituimus tamen auctoritate Bad. et omnium mss.

(*i*) Mir., Lips. et Par. post Er., *mox ut voluit.* Hic et infra abest *ut* a Bad. et mss. Græce, ἀλλ' ἅμα τε ἐβουλήθη, καὶ ἀχρόνως καὶ ἀπαθῶς ἐξ ἑαυτοῦ αὐτὸν γεννήσας ἀπέδειξεν.

(*j*) Græcam vocem ἄναρχον hic dumtaxat vertit Hilarius *sine initio*, infra autem *sine principio.* Ubi enim græce habetur ὡς δύο ἄναρχα, *vertit tamquam duo sine principio :* et paulo post εἰς μίαν ἄναρχον τῶν ὅλων ἀρχήν, latine reddit *ad unum qui* (græcus sermo postulat *quod*) *est sine principio, omnium principium, per Filium universa* (græce hic subjicitur εὐσεβῶς, *pie*) *referimus.*

(*k*) Apud Socratem his additur ὡς ὁ Σαμοσατεύς : quod retinere si placet, non sic intelligendum est, *ut Paulus Samosatenus asserebat*, quemadmodum in latinis Socratis editionibus ante Valesium obtinuit ; sed, *sit anathema sicut est Samosatenus.*

tholicam domum ea, quæ per Photinum renovabatur, hæresis tentaret irrepere : ut per singula genera intemeratæ et illæsæ fidei, unicuique generi hæreticæ ac furtivæ fraudulentiæ contrairetur ; essentque (*a*) tot fidei absolutiones, quotidem essent quæsitæ perfidiæ occasiones. Ac primum post generalem illam atque indubitatam sacramentorum expositionem, hinc exponendæ fidei adversum hæreticos cœpit exordium.

I. « Eos autem qui dicunt : De nullis exstantibus Filius, vel de altera substantia et non ex Deo ; et quod erat tempus vel sæculum quando non erat : alienos scit sancta et catholica Ecclesia. »

40. Quis hic ambiguitatis locus ? aut quid ex sinceræ fidei conscientia reliquum est ? Non est de non exstantibus : ut ei exstans origo sit. Non est exstans ei ad originem substantia aliqua alia, nisi sola quæ Dei est : ut in eo nihil aliud natum esse possit, quam omne (*b*) quod Dei sit ; quia non ex nihilo exstans, aliunde non subsistit. Non differt in tempore : ut cum Patre sit intemporalis et Filius. Inseparabilia itaque inter innascibilem Patrem et unigenitum Filium cuncta sunt, quos in tempore pares ipsa illa unius tantum (*c*) paternæ exsistentis, ex qua nativitas sumitur, indifferentia in nullo discernat essentiæ.

489 II. « Si quis autem Patrem et Filium duos dicit deos : anathema sit.

III. Et si quis unum dicens Deum, Christum autem Deum ante sæcula filium Dei obsecutum Patri in creatione omnium non confitetur : anathema sit. »

41. *Ut essentiæ nomine, ita sunt unum essentiæ genere.* — Rerum nobis absolutam intelligentiam ipsa illa nominis religiosa professio tribuit. Cum enim in damnatione sit, Patrem et Filium duos deos dicere ; et rursum anathema sit, Filium Deum negare : substantiæ diversæ alterius ab altera opinio in prædicandis diis duobus excluditur. Non enim est alia, præter illam Dei patris ex qua Dei filius Deus intemporalis est natus, essentia. Nam cum necessario Deum patrem confitemur, et absolute Christum Dei filium Deum prædicamus, et inter hæc duum deorum sit irreligiosa confessio : non possunt, secundum naturæ indifferentiam et nomen indifferens, non unum esse in essentiæ genere, quorum essentiæ nomen non licet esse nisi unum.

IV. « Si quis innascibilem Deum, vel partem ejus, de Maria natum esse audet dicere : anathema sit. »

42. *Filii et Patris non una persona. Contra eos qui asserunt Filium ante Mariam non esse nisi per prædestinationem.* — Ne quod nuncupatæ essentiæ in Patre et Filio, per indissimilem naturam, nomen unum est, occasionem hæreticis præstaret, ut innascibilem Deum, vel partem ejus, nasci de Maria prædicarent ; occursum est salutaris definitione sententiæ, ut anathema esset hoc confitens. Non enim religiosa unitas nominis, ex indifferentis naturæ essentia constituta, personam genitæ ademit essentiæ, ut (*d*) unici ac singularis Dei substantia per unionem nominis intelligatur : cum utriusque essentiæ nomen unum, id est, Deus unus, ob indiscretæ in utroque naturæ indissimilem substantiam prædicetur.

V. « Si quis secundum præscientiam (*e*) et prædestinationem ante Mariam dicit Filium esse, non ante sæcula ex Patre natum apud Deum esse, et per eum facta esse omnia : anathema sit. »

43. Deum omnium nostrum Dei filium, ante quam corporeus nascitur, negaturi tamen secundum præscientiam et prædestinationem, non secundum naturæ subsistentis essentiam, fuisse confirmant : id est, ut per præscientiam Patris, quia eum prædestinavit ut esset aliquando, scilicet gignendus ex virgine, nuntiatus nobis fuerit potius, quam ante sæcula in naturæ divinæ substantia natus exstiterit : utque omnia, quæ ipse in prophetis de corporationis suæ ac passionis sacramentis locutus est, ipsa illa secundum præscientiam **490** de eo a Patre sint dicta. Itaque doctrinæ hujus perversitas condemnatur : ut cognitus nobis unigenitus Dei filius, natus potius ex Patre ante sæcula, et ipsa sæcula cum creaturis omnibus condens, quam prædestinatus sit esse gignendus.

VI. « Si quis substantiam Dei dilatari et contrahi dicit : anathema sit. »

44. *Dilatatio et contractio in Deum non cadunt. Nec Filius est divinæ substantiæ dilatatio.* — Contrahi et dilatari, corporalis est passio : Deus autem, qui spiritus est, et spirat ubi vult, non se per demutationem substantiæ aut dilatat, aut contrahit. Extra corporalis enim naturæ necessitatem liber manens, quod vult, et cum vult, et ubi vult, id præstat ex sese. Impium ergo est substantiæ demutationem libertati tantæ virtutis adscribere.

VII. « Si quis dilatatam substantiam Dei Filium dicat facere, aut latitudinem substantiæ ejus Filium nominet : anathema sit. »

45. Superior sententia, etsi indemutabilem Deum docere voluerit, ad hanc se tamen sequentem hæresim præparavit. Quidam enim ausi sunt innascibilem Deum usque ad sanctam Virginem substantiæ dilatatione protendere (*Vid. lib.* I *de Trinit. n.* 16 *et lib.* X, *n.* 50) : ut latitudo deducta quodam naturæ suæ tractu assumensque hominem filius nuncupare-

(*a*) In vulgatis, *totidem*. At in mss. *tot* : et mox *quot eidem*, pro *quotidem*. Eadem loquendi ratione habemus cap. 15 in Matth. n. 10 : *In tot partium millia plebs dinumerata satiatur*, *quotidem de partibus*, etc.

(*b*) Excusi excepto Mir. omittunt *omne*, quod probe exstat in omnibus mss. Excludendus enim est error hæreticorum, qui Filium partem Patris esse asserebant.

(*c*) Editi, *paternæ innascibilitatis æternitas*, *ex qua nativitas sumitur* : tum Bad., *indifferentiam in nullo* ; Er., Mir., Lips. et Par., *indifferenti in nullo*. Castigantur ex scriptis.

(*d*) In vulgatis ac pluribus mss. *unica*. Rectius in Colb. et Germ. *unici*, id est solitarii ; unica est enim Dei natura, sed non singularis ac solitarius Deus.

(*e*) In ms. Corb. ac pluribus aliis non habetur *et prædestinationem*. Deinde ex mss. prope omnium consensu restituimus *ante Mariam* ; quamvis superius, ut hic in excusis, exstet *a Maria*. Hanc opinionem Paulo Samosatensi nominatim adscribit Athanasius sub finem libri de Incarn. Christi.

tur; neque Filius ante sæcula perfectus Deus natus, A idem postea et homo natus sit. Totum hoc itaque catholica fides damnat, in quo et demutabilis Pater dicitur, et natus Filius abnegatur.

VIII. « Si quis insitum et prolativum verbum Dei filium dicat : anathema sit. »

46. *Hæretici quo sensu filium Dei verbum prædicent. Filius de Maria Deus et homo.* — Hæretici perimentes, quantum in ipsis est, Dei filium, verbum esse tantum confitentur, prodeuntem scilicet loquentis ore sermonem, et (*a*) insubstantivæ vocis incorporalem sonum : ut Deo patri istius modi sit verbum Filius, cujusmodi per insitam nobis loquendi naturam verbum omne profertur in vocem. Fraus ergo hæc omnis in damnatione est : quæ Deum Verbum, quod in principio apud Deum erat, tanquam verbum esse insitæ ac prolatæ vocis affirmet.

IX. « Si quis hominem solum dicat de Maria Filium : anathema sit. »

Filium Dei de Maria non prædicamus, nisi et hominem et Deum prædicemus. (*b*) Sed ne id, quod Deum et hominem prædicamus, fraudis habeat occasionem, continuo subjecit.

X. « Si quis Deum et hominem de Maria natum dicens, Deum innascibilem sic intelligit : anathema sit. »

47. *Filius sola nativitate a Patre discernitur. Carnem assumens non demutatus est.* — Conservatur substantiæ et nomen et **491** virtus. Cum enim in anathemate sit, qui ex Maria Dei filium hominem sine Deo dixerit; et in eodem judicio sit, qui in homine innascibilem Deum dixerit : non Deus is, qui in homine est, non esse Deus dicitur; sed Deus innascibilis abnegatur, Patre a Filio non naturæ nomine, quia nec (*c*) diversitate substantiæ, sed sola innascibilitatis auctoritate discreto.

XI. « Si quis *Verbum caro factum est* audiens, Verbum in carnem translatum putet, vel demutationem sustinentem accepisse carnem dicat : anathema sit. »

48. *Filio Dei crucifixo corruptionem non est perpessa deitas.* — Conservatur dignitas (*d*) divinitatis : ut in eo, quod Verbum caro factum est, dum Verbum caro fit, non amiserit per carnem quod erat Verbum, neque translatum (*e*) in carnem sit, ut Verbum esse desineret; sed Verbum caro factum est, ut caro potius hoc inciperet esse (*f*) quod Verbum. Alioquin unde carni in operibus virtutes, (*g*) in monte gloriam, in cogitationibus humanorum cordium scientiam, in passione securitatem, in morte vitam? Sed demutationem Deus nesciens, nihil ex substantiæ suæ bonis B caro factus amisit.

XII. « Si quis unicum Filium Dei crucifixum audiens, dealitatem ejus corruptionem vel passibilitatem aut demutationem vel deminutionem vel interfectionem sustinuisse dicat : anathema sit. »

49. *Passibilitas et passio quid. Filium patribus visum esse.* — Absolute ostenditur, cur Verbum, licet caro factum sit, non tamen translatum fuerit in carnem. Cum enim hæc passionum genera infirmitatem carnis afficiant, Deus tamen Verbum caro factus non potuit (*h*) a se demutabilis esse patiendo. Non enim id ipsum est, pati et demutari : quia omnem carnem passio cujusque generis demutet sensu, dolore, (*i*) tolerantia. Verbum autem, quod caro factum est, licet se passioni subdiderit; **492** non tamen demu- C tatum est passibilitate patiendi. Nam (*j*) pati potuit, et passibile esse non potuit : quia passibilitas naturæ infirmis significatio est; passio autem est eorum quæ sint illata perpessio : (*k*) quæ quia indemutabilis Deus est, cum tamen Verbum caro factum sit, habuerunt in eo passionis materiam sine passibilitatis infirmitate.

(*a*) In prius vulgatis vocabulum hoc perperam in duo divisum fuisse liquet ex lib. x de Trin. n. 21, ubi arguuntur iidem hæretici *volentes unigenitum Deum... non substantivum Deum esse, sed sermonem vocis emissæ*, etc. Videsis ibid. n. 50 et Tertullian. contra Prax. n. 7 et 8.

(*b*) Duos versus subsequentes in ante vulgatis suo loco motos, et interpolationibus depravatos, restituimus et castigamus ope mss.

(*c*) Apud Bad., *quia nec diversitate esset, sola.* Pejus in editis aliis, *quia nec diversitas esset, sola.*

(*d*) Id est, substantia divinitatis.

(*e*) Quo sensu quidam hæretici tunc temporis asseruerint Verbum assumendo carnem translatum esse in carnem, repetendum ex lib. x de Trin. n. 50, ubi arguuntur qui *defecisse omnino Deum Verbum in animam corporis volunt, ut non idem fuerit Jesus Christus hominis filius, qui et filius Dei; et de se defecerit Deus Verbum, dum corpus officio animæ vivificat.* Hinc Verbum in carnem translatum eatenus dixisse intelliguntur, quatenus Verbum in animam corporis defecisse, seu vices animæ supplevisse sentiebant. Sic vero Potamium nominatim sensisse manifestum est ex Phœbadio Agenn.

(*f*) Non ut caro esse desineret, sed ut Verbi potentiæ, gloriæ aliarumque dotum consors facta, divinitatis in se exprimeret naturam, cujus virtutes ostenderet. Sed neque errori locum permittunt subnexa. Videsis pag. 59, not. *c* (*not.* d *col.* 85 nostræ editionis).

(*g*) Omnes prope mss. *in morte.* Retinendum cum uno Colb. et altero Sorbon. *in monte*, puta in quo transfiguratus est Christus. Sic lib. x de Trin. n. 23 : *Naturæ propriæ ac suæ corpus illud est, quod in cœlestem gloriam conformatur in monte*, etc.

(*h*) Apud Bad., *se demutabilis.* Postea expuncto *se* retentum est tantum *demutabilis.* Ex mss. et Mir. restituimus *a se*, hoc est, quantum ad naturam suam attinet, licet demutabilis non negetur quantum ad carnem assumptam.

(*i*) In edit. hic adjicitur *patientia :* quod abest ab omnibus mss.

(*j*) Ita mss. At excusi, *pati quidem potuit passione, sed passibilitate passibilis esse non potuit.*

(*k*) In vulgatis, *itaque quia;* et mox *passiones materiam*, loco *passionis.* Melius in mss. *quæ :* hoc est, quæ illata sunt, quia Deus Verbum caro factus est, habuerunt in eo passionis materiam, ex cujus affectione passus esse prædicaretur; sed habuerunt tamen sine passibilitatis infirmitate, quia idem indemutabilis Deus est. Neque aliud hic sibi vult Hilarius, quam quod in Psal. LXVIII, n. 9, licet aliis verbis ait, *Non fuit in unigenito Deo naturalis infirmitas, sed assumpta*, et rursum n. 18 : *Cunctæ nostræ, quæ in eo fuerunt, infirmitates non naturales sunt, sed assumptæ :* quod perinde est ac si diceret : Infirmitates ita in Verbi personam cadunt propter assumptam carnem ipsi substantialiter unitam, ut Verbi ejusdem naturam non afficiant. Hoc quippe passibilitatem vocat, quod

Manet itaque indemutabilis etiam in passione natura; quia auctori suo indifferens (*a*) ex impassibilis essentiæ nata substantia est.

XIII. « Si quis, *Faciamus hominem* (*Gen.* I, 26), non Patrem ad Filium dixisse, sed ipsum ad semetipsum dicat Deum locutum : anathema sit. »

XIV. « Si quis Filium non dicat Abrahæ visum (*Gen.* XVIII, 1), sed Deum innascibilem vel partem ejus : anathema sit. »

XV. « Si quis cum Jacob non Filium, quasi hominem colluctatum (*Gen.* XXXII, 26), sed Deum innascibilem vel partem ejus dicat : anathema sit. »

XVI. « Si quis, *Pluit Dominus a Domino* (*Gen.* XIX, 4), non de Filio et Patre intelligat, sed ipsum a se pluisse dicat : anathema sit. Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre. »

50. *Photini sententia.* — Hæc quia Photinus, adversus quem tum conventum erat, negabat, inserenda fidei fuerunt : ne quis auderet non ante Dei filium quam virginis filium prædicare, et superiora omnia, quæ propria Dei filio sunt, stultissima hæreticæ insaniæ perversitate Deo innascibili coaptaret; et dum hæc ad Patrem referret, Filio substantiam denegaret. Quæ quia absoluta sunt, necessitatem nobis interpretandi non reliquerunt.

XVII. « Si quis Dominum et Dominum (*b*) Patrem et Filium (quia *Dominus a Domino*), duos dicat deos : anathema sit. Non enim exæquamus vel comparamus Filium Patri, sed subjectum intelligimus. Neque **493** enim descendit in Sodomam sine Patris voluntate; neque pluit ex sese, sed *a Domino*, auctoritate scilicet Patris; nec sedet in dextera a semetipso, sed audit dicentem Patrem, *Sede ad dexteram meam* (*Ps.* CIX, 1). »

51. *Definitio hæc a suspicione liberatur. Filius quatenus Patri non æquandus, manente naturæ æqualitate.* — Et superiora et consequentia suspicionem, si qua esse in his dictis videbitur, penitus excludunt, ne diversitas dissimilium deitatum in Domino et Domino prædicetur. Et in eo non comparatur, quia duos deos dici impium sit : non autem idcirco non comparatur vel exæquatur Filius Patri, ne Deus ipse non esse credatur. Cum enim anathema sit Christum Deum denegans, non potest idcirco profanum videri, duos deos connominari, ne et Christus Deus prædicetur; cum per essentiæ naturalis proprietatem idcirco Deus unus est, quia ex innascibili Deo patre, qui unus est Deus, unigenitus filius Deus natus, non aliunde quam ex Deo habeat esse quod Deus est : et indifferenti (*c*) ejus qui genitus est ab eo qui genuit essentia, non potest non indifferentis unum nomen esse naturæ. Et vel in eo quidem maxime non comparatur nec coæquatur Filius Patri, dum subditus per obedientiæ obsequelam est, dum pluit Dominus a Domino, ne a se ipse secundum Photinum aut Sabellium pluerit, ut Dominus a Domino; dum ad dexteram Dei tum consedit, cum sibi ut consideret dictum sit; dum mittitur, dum accipit, dum in omnibus voluntati ejus qui se misit obsequitur. Sed pietatis subjectio non est essentiæ diminutio, nec religionis officium degenerem efficit naturam : cum per id, quod cum et innascibilis pater Deus est, et unigenitus filius Dei Deus est, Deus tamen unus sit; et subjectio filii doceatur et dignitas, (*d*) dum et ipsi illi nomini Filius nuncupandus subjicitur, quod cum Dei patris sit, tamen sibi ex natura sit nomen. Habens nomen, sed ejus cujus et filius est, fit Patri et obsequio subjectus et nomine; ita qui tum ob hujus, tum ob tertii canonis commodam interpretationem illum ex albo Catholicorum dispungit : hoc magis iniquus, quod pius Præsul statim monet in ipsis Concilii dictis suspicionem nonnullam esse, sed ex superioribus et consequentibus eam excludi; sed et his loquendi modis referti sunt libri antiquorum, qui propterea apud nonnullos de Trinitatis mysterio haud satis recte sentire immerito audierunt. Unum ex Justino dial. cum Triph. exemplum proferimus in eumdem Genesis locum sic loquente : *Duos propheticus sermo numero esse indicat, alterum in terris, qui descendisse se ait, ut clamorem Sodomorum inspiceret, alterum in cœlis, qui etiam Dominus est Domini in terra apparentis, ut pater et Deus atque auctor ipsi, ut sit et potens et Dominus et Deus.*

naturam afficit; passionem autem, quod personæ attribuitur. At passio non attribuitur Verbo, nisi quia afficit carnem quam assumpsit; et ut proxime docuit, *omnem carnem* (ne Christi quidem excipit) *passio cujusque generis demutat sensu, dolore, tolerantia :* non sentit igitur Christum secundum carnem a dolore immunem. Et certe hic perspicuum est, eum uni Verbo hoc privilegium vindicare.

(*a*) Editi, *et impassibilis*, antea particula *quia* et post verbo *est* omissis. Restaurantur ex mss.

(*b*) Er. et Mir. nunc cum Bad. legunt, *Si quis Dominum et Deum non Patrem et Filium intelligat, quia Dominum et Deum duos dicat deos, anath.* Lips. et Par. : *Si quis Dominum et Dominum non Patrem et Filium intelligat, cum Dominum et Dominum duos dicat deos, anath.* Magis sibi constant mss.

(*c*) Sic mss. Editi vero, *et indifferenti ipsi qui genitus est, ab eo qui genuit, non potuit esse : nam indifferentis unum nomen est naturæ.* Quod subjicit Hilarius, ut explicet quatenus Filium Patri non coæquandum intelligat, illustratur his tract. Psal. CXXXVIII, n. 17 : *Est enim Pater major Filio : generatione, non genere. Filius enim est, et ex eo exivit : et licet paternæ nuncupationis proprietas differat, tamen natura non differt. Natus enim a Deo Deus non dissimilis est a gignente substantia. Non potest ergo ad eum ex quo est exæquari.* In quibus Filium Patri subjectum, quatenus ab eo est, eique, quatenus ipse non est a se, non comparandum ita fatetur, ut ipsi essentiæ, naturæ ac substantiæ unitatem constanter asserat. Quocirca iniquæ ac malæ fidei convincitur anonymus quidam Calvinista,

(*d*) In vulgatis, *dum ei ipsi non nisi filius nuncupandus subjicitur. Quod cum Dei patris sit, tamen sibi ex natura sit, nomen habens alienum, sed ejus cujus et filius est, ut sit* (Bad. *et sit*) *Patri et obsequio*, etc. Sequimur mss. In his habetur catholica totius superioris canonis explicatio. Dum Patrem et Filium Dominum et Dominum vocant, utrique tribuunt unum naturæ nomen. Atqui ut dicitur lib. V de Trin. n. 14 : *Si* in Filio *natura non sit, naturæ non competit nomen; si autem naturæ in eo nomen est, non potest ab eo veritas abesse naturæ.* Dum autem ita Dominum et Dominum vocant, ut nolint esse duos deos, sequitur Patrem et Filium unum esse Deum : ita tamen unum, ut alium Patrem, alium Filium nuncupent; qui proinde filii nomine sic ostenditur subjectus, ut eodem nomine testetur propriam sibi esse ipsam Patris substantiam.

tamen, ut subjectio nominis proprietatem naturalis atque indifferentis testetur essentiæ.

494 XVIII. « Si quis Patrem et Filium unam personam dicit : anathema sit. »

52. *Pater et Filius non una persona.* — Non habet necessitatem contradicendi sibi absoluta perversitas : et tamen stultus quorumdam furor in id prorupit, ut personam unam duum nominum ausus sit prædicare.

XIX. « Si quis Spiritum sanctum paracletum dicens, innascibilem Deum dicat : anathema sit. »

53. *Spiritus sanctus non innascibilis Deus. Alius est a Filio.* — Adjectio nunc Paracleti, anathemati obnoxiam facit innascibilis in eo Dei prædicationem. Impiissimum enim est, innascibilem Deum eum dici, qui ad consolationem nostram est missus a Filio.

XX. « Si quis, sicuti docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum a Filio ; dixit enim : *Et alterum Paracletum mittet vobis Pater, quem rogabo ego :* anathema sit. »

54. *Cur dicatur mitti a Patre.* — A Filio Paracletum missum meminimus, et in principio hoc fides ipsa exposuit. Sed quia frequenter Filius per indifferentis naturæ virtutem opera sua opera Patris esse dixit, dicens : *Ego opera Patris mei facio* (*Joan.* x, 37), missurus quoque Paracletum, sicuti frequenter spopondit, interdum eum et mittendum dixit a Patre, dum omne quod ageret, pie referre (*a*) est solitus ad Patrem. Ex quo hæretici occasionem frequenter arripiunt, ut ipsum esse Filium Paracletum dicant : cum in eo, quod alium Paracletum mittendum a Patre sit precaturus, differentiam missi rogantisque significet.

XXI. « Si quis Spiritum sanctum partem dicat Patris vel Filii : anathema sit. »

55. *Non est pars Patris aut Filii.* — Stultitia hæretici furoris hæc coegit in scripta referre, non quæstio. Nam cum Spiritus sancti nomen habeat suam significationem, et Spiritus sanctus paracletus habeat substantiæ suæ et officium et ordinem, et cum ubique indemutabilis Pater et Filius prædicetur : quomodo pars esse aut Patris aut Filii Spiritus sanctus asseritur ? Sed quia sicut inter cætera insaniarum genera, etiam hoc quoque proferri ab impiis solet ; idcirco a sanctis debuit improbari.

495 XXII. « Si quis Patrem et Filium et Spiritum sanctum tres dicit deos : anathema sit. »

56. *Dii tres negantur.* — Duum deorum professio cum irreligiosa sit, quia nusquam nisi unum Deum prædicatum meminerimus et prædicemus : quanto magis trium deorum in Patre et Filio et Spiritu sancto nuncupatio damnabilis est ? Quod tamen quia hæretici dicunt, recte catholici condemnant.

XXIII. « Si quis quod dictum est, *Ego Deus primus, et ego Deus novissimus, et præter me non est Deus* (*Esai.* XLIV, 6), ad destructionem idolorum dictum et eorum qui non sunt dii, in destructionem unigeniti ante sæcula Dei judaice dictum intelligat : anathema sit. »

57. *Illud,* non est Deus præter me, *Filium non negat Deum.* — Deorum numerositate damnata, et Deo tantum uno prædicato, negari Deus filius Dei non potest. Verum naturæ istud præstat genuina proprietas, ut nomen, quod negatur ad numerum, debeatur essentiæ ; et id, quod *non est Deus præter me*, non possit Filio auferre quod Deus est : quia Deus alius, præter quam qui est ex Deo, nullus est. Et per hanc vocem Dei patris non potest non Deus esse, qui ex (*b*) se indifferenti ad naturam suam est natus essentia. Quod idcirco Judæi ad unionem Dei referunt, quia unigenitum Deum nesciunt. Sed nos cum duos deos negamus, diversitatem in Patre et Filio naturalis abominamur essentiæ : quia id, quod *non est Deus præter me*, impiam de falsis diis perimit opinionem. Cum vero unum Deum confitentes, Filium quoque Deum dicimus ; nihil diversum per substantiam in utroque sub uno nomine prædicamus.

XXIV. « Si quis voluntate Dei tamquam unum aliquid de creatura Filium factum dicat : anathema sit. »

58. *Filius ex Dei substantia, non ut creaturæ ex voluntate.* — Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit : sed naturam Filio dedit ex impassibili ac non nata substantia perfecta nativitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia esse Deus voluit : Filius autem natus ex Deo talis substitit, qualis et Deus est. Nec dissimilem sui edidit natura naturam : sed ex substantia Dei genitus naturæ secundum originem attulit, non secundum creaturas, voluntatis essentiam.

XXV. « Si quis, nolente Patre, natum dicat Filium : anathema sit. Non enim nolente patre coactus Pater, vel naturali necessitate ductus, **496** cum nollet genuit Filium ; sed mox voluit, sine tempore et impassibiliter ex se eum unigenitum demonstravit. »

59. *Non tamen ex invito Patre Filius.* — Cum non ex voluntate, ut cætera, Filius subsistere doceretur, ne secundum voluntatem tantum, non etiam secundum naturam haberet essentiam ; data hæreticis occasio videbatur, ut necessitatem Deo patri gignendi ex se Filii adscriberent, tamquam (*c*) naturæ lege co-

(*a*) Quod præstat salva naturæ suæ æqualitate. Ut enim habetur in Psal. CXXXVIII, n. 28 : *Contestatam de se potestatem per reverentiæ honorem ei, cui omnia meminerat confitenda, subjecit, non sibi adimens quod similia Patri posset, sed eum per quem similia posset ostendens.* Vide tract. Psal. CXLI, n. 6.

(*b*) Vocabulum *se* hic adjicimus auctoritate mss. Colb. et Germ.

(*c*) Ita mss. At editi, *naturali lege coactus invito se*, etc. Filium voluntate natum dici eo sensu permittit Hilarius, quo lib. XII de Trin. n. 50, et superius, n. 17, generationem illius creationem vocari sinit, ad removendam scil. omnem Patris in Filii generatione passionem aut repugnantiam. *Verendum enim esset,* inquit apposite Gregorius Naz., Or. XXXV, n. 2, *ne coactam quamdam generationem inveheremus, ac velut naturale quoddam excrementum* (περίττωμα) *retentuque difficile, in divinitatem minime quadrans.* Paulo aliter subinde locuti sunt Theologi, quos inter auctor lib. de Trinit. et unit. Dei, apud Augustinum, cap. 2 : *Nec voluntate nec necessitate genuit Pater Filium : non necessitate, quia necessitas in Deo non est ; non voluntate, quia voluntas præire sapientiam non potest, quæ est Filius. Igitur prius est rationabiliter sapere, quam ra-*

gente invitus ediderit. Sed hæc passionum non est in Deo patre conditio : (*a*) cum inenarrabili et perfecta nativitate Filii, nec voluntas sola genuit Filium, nec demutata aut coacta imperio naturalis legis essentia est. Nec ad gignendum quæsita substantia est, nec gignentis in genito diversa natura est, nec in tempore paterni nominis solitudo : sed ante tempora omnia Pater ex naturæ suæ essentia, impassibiliter volens, Filio dedit naturalis (*b*) nativitatis essentiam.

XXVI. « Si quis innascibilem et sine initio dicat Filium ; tamquam duo sine principio et duo innascibilia et duo innata dicens, duos faciat deos : anathema sit. Caput enim, quod est principium omnium, Filius : caput autem, quod est principium Christi, Deus ; sic enim ad unum (*c*) ininitiabilem, omnium initium, per Filium universa referimus. »

60. *Filium innascibilem unitas Dei non patitur.* — Filium innascibilem confiteri, impiissimum est. Jam enim non erit Deus unus : quia Deum unum prædicari natura unius innascibilis Dei exigit. Cum ergo unus Deus sit, duo innascibiles esse non possunt : cum idcirco Deus unus sit (cum et pater Deus sit, et filius Dei Deus sit), quia innascibilitas sola penes unum sit. Filius autem idcirco Deus, quia ex innascibili essentia natus exsistat. Respuit ergo innascibilem Filium prædicari fides sancta ; ut per unum innascibilem Deum, unum Deum prædicet : ut naturam unigenitam, ex innascibili genitam (*d*) essentia, in uno innascibilis Dei nomine complectatur. Caput enim omnium Filius est, sed caput Filii Deus est. Et ad unum Deum omnia hoc gradu atque hac confessione referuntur : cum ab eo sumant universa principium, cui ipse principium sit (*scil.* Deus pater).

XXVII. « Et iterum confirmantes Christianismi intellectum, dicimus, Quoniam si quis Christum Deum, filium Dei ante sæcula **497** subsistentem, et ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat ; sed ex quo de Maria natus est, ex eo et Christum et filium nominatum esse, et initium accepisse ut sit Deus dicat : anathema sit. »

61. *Photini hæresis. Fidei nostræ principale.* — Concludi damnatio ejus hæresis, propter quam conventum erat, expositione totius fidei cui adversabatur, oportuit : quæ initium Dei filii ex partu Virginis mentiebatur. Hoc enim fidei nostræ secundum evangelicam et apostolicam doctrinam principale est, Dominum nostrum Jesum Christum Deum et Dei filium a Patre nec honoris confessione, nec virtutis potestate, nec substantiæ diversitate, nec intervallo temporis separari.

62. *Difficultas de Deo paucis loquendi.*—Multifarie, ut intelligitur, episcoporum consiliis atque sententiis quæsita veritas est, et intelligentiæ ratio exposita est per singulas scriptæ fidei professiones : singulis quibusque generibus impiæ prædicationis exstinctis. Non enim infinitus et immensus Deus brevibus humani sermonis eloquiis vel intelligi potuit, vel ostendi. Fallit enim plerumque et audientes et docentes brevitas verborum : et compendio sermonum aut non intelligi potest quod requiritur, aut etiam corrumpitur quod significatum magis, quam enarratum, rationis absolutione non constat. Et idcirco episcopi (*e*) intelligentiæ sensu loquentes, ob difficultatem naturalis intelligentiæ, et plurimis definitionibus et copiosioribus verbis usi sunt ad docendum : ut et sensum audientium distinctione editæ per multa veritatis imbuerent, et de divinis rebus nihil (*f*) aliud periculosum aut obscurum in hac multimoda plurium sententiarum absolutione loquerentur.

63. *Fides in Oriente. Frequenter exposita ; in paucis sana. Osius. Fidei coactæ subscriptiones. Occidentales scriptas fides nesciunt.*—Nihil autem mirum videri vobis debet, Fratres charissimi, quod tam frequenter **498** exponi (*g*) fides cœptæ sunt : necessitatem hanc furor hæreticus imponit. Nam tantum Ecclesiarum Orientalium periculum est, ut rarum sit hujus fidei (quæ qualis sit, vos judicate) aut sacerdotes aut populum inveniri. (*h*) Male enim per quosdam impietati auctoritas data est : et exsiliis episcoporum, quorum causam non ignoratis, vires auctæ sunt profanorum. Non peregrina loquor, neque ignorata scribo : audivi ac vidi vitia præsentium ; non laicorum, sed episcoporum. Nam absque episcopo (*i*) Eleusio et paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem provinciæ, intra

tionabiliter velle. Unde nec voluntate, nec necessitate, sed naturaliter sola sapientia Pater genuit Filium.

(*a*) In mss. Colb. et Germ., *cui*, non *cum*.

(*b*) Editi, *nativitatem essentiæ*.

(*c*) In vulgatis, *ininitiabile* : quod referre licet ad *principium*, idque, ut supra observatum est, postulat græcus sermo. At cum idem verbum ἄναρχον n. 39 versum sit *qui est sine principio*, non *quod est*, retinemus cum mss. *ininitiabilem*.

(*d*) In mss. *essentiam*. Fides sancta in uno innascibilis Dei nomine naturam unigenitam complectitur, cui Dei nomen ita tribuit, ut tamen respuat duos deos.

(*e*) In vulgatis, *intelligentiæ suæ*. Abest *suæ* a mss.

(*f*) Ita potiores mss. At editi, *nihil aut periculosum*.

(*g*) Hincmarus, lib. de non trina Deit., c. 10, relatis hisce verbis addit : *Propter stylos plures a S. Hilario dictæ sunt plurali numero fides, et propter pluralitatem scriptionum, non propter credulitatis divisionem.*

(*h*) Mss. Corb., Prat., Rem., Faur., *Multa enim*.

(*i*) Eleusium tamen inter Semiarianos recenset Epiphanius, hær. LXXIII, n. 25. Et a Socrate quidem, lib. II, c. 40, acute reprehenditur, quod ægerrime ferret innovari Eucæniorum fidem, cui Nicænam ipse posthaberet. Liberio, ut homousion respueret, ipsum cum aliis auctorem fuisse Sozomenus testis est lib. IV, cap. 15, qui cum Socrate, lib. II, c. 38, scribit eumdem Macedonio conjunctum et crudelitatem illius imitatum esse. Immo, si eidem Sozomeno lib. IV, c. 20, habenda fides, consubstantialis defensores divexavit. Quamquam valde probabile est, hanc ei tum a Socrate tum a Sozomeno inustam fuisse crudelitatis notam ob ea, quæ ad Novatianos reprimendos egit. Et fatetur quidem Sozomenus, lib. IV, c. 20, eum et Macedonio mitiorem, et vita bona et integra exstitisse. Hunc igitur, quem vitæ integritas commendabat, ab iis qui Deum nescirent excipiens Hilarius, non sic spectavit, ut qui fidem Nicænam profiteretur, sed ut quia ad eum proxime accederet, et adversus Anomœos acerrime decertaret. Cum enim Aetius in

quas consisto, vere Deum (*a*) nesciunt. Atque utinam penitus nescirent; cum procliviore enim venia ignorarent, quam obtrectarent. Sed horum episcoporum dolor se intra silentium non continens, unitatem fidei hujus quærit, quam jam pridem per alios amisit. Nam illa (*b*) in primo collatæ expositionis fides hanc habuit necessitatem : quia apud Sirmium per immemorem gestorum suorum dictorumque Osium novæ et tamen (*c*) suppuratæ jam diu impietatis doctrina proruperat. Sed de eo (*d*) nil loquor, qui idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur qualis ante vixisset. Ubique autem scandala, ubique schismata, ubique perfidiæ sunt. Hinc illud est, ut ad professionem subscribendæ fidei aliqui eorum, qui ante aliud scripserant, cogerentur. Nec queror de patientissimis viris Orientalibus episcopis, quibus sufB fecit post blasphemiæ voluntatem coactæ saltem fidei professio : gratulandum enim videtur in tanta blasphemantium episcoporum hæretica pertinacia, aliquem ex his suscipi pœnitentem. Sed inter hæc, o beatos vos in Domino et gloriosos, qui perfectam atque apostolicam fidem (*e*) conscientiæ **499** professione retinentes, conscriptas fides huc usque nescitis ! Non enim eguistis littera, qui spiritu abundabatis. Neque officium manus ad scribendum desiderastis, qui quod corde a vobis credebatur, ore ad salutem profitebamini. Nec necessarium habuistis episcopi legere, quod regenerati neophyti tenebatis. Sed necessitas consuetudinem intulit, exponi fides, et expositis subscribi. Ubi enim sensus conscientiæ periclitatur, illic littera postulatur. Nec sane scribi impedit, quod C salutare est confiteri.

64. *Hilarii fides de Patre et Filio.*—Confitemur sane in sancti Spiritus dono semper innocentes, et scribimus volentes, non deos duos, sed Deum unum : neque per id non et Deum Dei filium ; est enim ex Deo Deus. Non innascibiles duos, quia auctoritate innascibilitatis Deus unus est : neque per id non et Unigenitus Deus est; namque origo sua innascibilis substantia est. Non unum subsistentem, sed (*f*) substantiam non differentem. Non unum in dissimilibus naturis Dei nomen, sed unius nominis atque naturæ indissimilem essentiam. Non præstantem quemquam cuiquam genere substantiæ, sed subjectum alterum alteri nativitate naturæ. Patrem in eo majorem esse quod pater est, Filium in eo non minorem esse quod filius est. Significationem interesse, non interesse naturam. Patrem non intra tempora confiteri, sed cointemporalem Patri Filium non negare. Patrem in Filio prædicare, quia nihil in se habeat Filius a Patre dissimile : Filium in Patre confiteri, quia non est aliunde quod filius est. Mutuam sibi ac similem invicem naturam non nescire, quia par sit : quod unus sit non existimare, quia unum sunt : unum eos sic per indissimilis naturæ indifferentiam prædicare, ne unus sit.

65. *Hilario desunt verba, non sensus.* — Exposui, Charissimi, quantum humani sermonis consuetudo patiebatur, et Dominus mihi (*g*) semper ut ipse scit a me oratus indulsit, communis fidei conscientiam. Et si quid minus, immo quia minus ac prope nihil dictum est, mementote non sensum mihi, sed verba deesse. Arguam forte in eo naturam meam, non tamen arguam voluntatem : et ignosco naturæ, si loqui de Deo quod vult non potest, cujus sufficiat ad salutem, credidisse quæ Dei sunt.

66. *Transit ad alteram libelli partem. Ante finem ne judicetur.* — Nunc quia (*h*) fides mea atque vestra, quantum mihi conscius sum, apud Deum **500** non periclitatur; et ostendi vobis, sicut voluistis, quæ ante expositæ fides essent ab Orientalibus episcopis, sed paucis (repetam enim, quia secundum numerum Ecclesiarum Orientalium, episcoporum paucorum fides ista est) ; ipse quoque, quid de divinis rebus secundum doctrinam apostolicam sentirem, professus sum : reliquum est, ut (*i*) quæ errorem nobis ex simratam impietatem non de Osio, sed de doctrina prædicat.

Syria, et Photinus in Illyrico aliisque provinciis Filii divinitatem penitus rejecissent; episcopi, qui illis impense restiterunt, a nostris haberi cœperunt veluti catholici et divinitatis Christi defensores : et tum, ut loquitur Gregorius Naz., Or. XXI, n. 43 : *levior impietas pietatis opinionem ferebat.*

(*a*) Hoc loco olim abutebatur Vincentius Rogatista : ad quem Augustinus, epist. alias XLVIII, nunc XCIII, n. 21 : *Hilarii libros mihi opponis, uti neges Ecclesiam crescentem in omnibus gentibus usque in finem sæculi.* Quibus ille respondet n. 31 et 32. Vide et quæ ea D de re annotavimus (*not.* b *col.* 157 *nost. edit.*).

(*b*) Editi, *in prima collatæ expositionis synodo fides hanc habuit necessitatem, cum apud*, etc. At mss. *in primo* (supple, loco) *collatæ* (Carn. *conlocatæ*) *expositionis fides*, etc. Hic excusantur qui Ancyræ convenerunt, quod novam fidei expositionem adorsi sint.

(*c*) Recentiores mss. *soporatæ.*

(*d*) In excusis, *nihil queror.* Cum persuasum haberet Hilarius, fidei perversitatem ex morum scaturire pravitate, adeo ut Fragmento II, n. 19, dicat : *Et hoc ita sæpe est, ut cum incrementa vitiorum detrimenta in amore Dei fecerunt, vesanum depravatæ scientiæ studium increscat :* facile credidit hanc Osii infidelitatem non fuisse subitam, sed latentem jam diu animi pravitatem prodidisse. Quamquam forte hanc suppu-

(*e*) In vulgatis et aliquot mss., *conscientia et professione.* Melius in potioribus Colb., Carn., Germ., etc., *conscientiæ professione.* Namque alludit Hilarius ad pium Ecclesiæ morem, quo Symboli fidem Competentium cordi non cartæ solebat commendare. Rursum ad eumdem morem respicit lib. in Const. num. 6. Utique autem illi loco illustrando valet illud Augustini Serm. CCXII, n. 2 : *Nec ut eadem verba Symboli teneatis, ullo modo debetis scribere, sed audiendo perdiscere; nec cum didiceritis, scribere, sed memoria semper tenere atque recolere. Quod non licet scribi, commemoratio fit promissionis Dei, ubi per prophetam prænuntians Testamentum Novum dixit. Hoc est testamentum, quod ordinabo post dies illos, dando legem meam in mente eorum, et in corde eorum scribam eam. Hujus rei significandæ causa, audiendo Symbolum discitur, nec in tabulis vel in aliqua materia, sed in corde scribitur.*

(*f*) Editi, *sed unam substantiam.* Abest *unam* a manuscriptis.

(*g*) Romanus codex, alias Reginæ Christinæ, *sæpe* (quod etiam habet Silv. a secunda manu) non *semper.*

(*h*) In vetusto ms. Colb., *de fide mea.*

(*i*) Bad., Er. et Mir. : *ut professio quæ errorem no-*

plicitatis securitate afferunt, cognoscatis sine suspicione aliqua; quia jam nec relicta est audiendi. Et quamquam jam non vereor de me judicari secundum expositionem totius fidei; tamen patimini, (*a*) ut velim de me adhuc, nisi absolutis omnibus, judicari.

67. *Homousion quando recte prædicetur.*—Multi ex nobis, Fratres charissimi, ita unam substantiam Patris et Filii prædicant, ut videri possint non magis id pie quam impie prædicare : habet enim hoc verbum in se et fidei conscientiam, et fraudem paratam. Nam si secundum naturæ proprietatem ac similitudinem, ut similitudo non speciem (*b*) solam afferat, sed genus teneat; religiose unam substantiam prædicamus, dummodo unam substantiam proprietatis similitudinem intelligamus, ut quod unum sunt, non singularem significet, sed æquales. Æqualitatem dico, id est, indifferentiam similitudinis, ut similitudo habeatur æqualitas; æqualitas vero unum idcirco (*c*) dicatur esse, quia par sit; unum autem, in quo par significatur, non ad unicum vendicetur. Una igitur substantia, si non personam subsistentem perimat, nec unam substantiam partitam in duos dividat, religiose prædicabitur : quæ ex nativitatis proprietate, et ex naturæ similitudine ita indifferens sit, ut una dicatur.

68. *Vocis ejusdem triplex sensus pravus.* — At vero si idcirco unius substantiæ Pater et Filius dicatur, ut hic subsistens, sub significatione licet duum nominum, unus ac solus sit : confessum nomine Filium conscientia non tenemus, si unam substantiam confitentes ipsum sibi unicum ac singularem et Patrem esse dicimus et Filium. Quin etiam et hujus (*d*) statim erroris occurrit occasio, ut divisus a sese Pater intelligatur, et partem exsecuisse quæ esset sibi filius. Id enim hæretici unam substantiam prædicantes contendunt : et his multum piæ confessionis nostræ sermo blanditur, ut dum hoc verbum indefinita brevitate dubium est, proficiat ad errorem. Est præterea error hic **501** tertius, ut cum unius substantiæ Pater et Filius esse dicatur, significari existimetur substantia prior, quam inter se duo pares habeant : ac sic tres res sermo significet, substantiam unam, et duos unius substantiæ velut cohæredes. Ut enim cohæredes duo sunt, et hæreditas anterior est cujus duo sunt cohæredes : ita unius substantiæ anterioris duo (*e*) pares *bis aspergere videtur simplicitatis ex sermone sine suspicione aliqua, quia jam nec relata est, audienda sit.* Lips. et Par. : *ut quæ errorem vobis ex simplicitatis securitate afferunt, cognoscatis sine sciscitatione aliqua, quia jam nec relicta est audientia.* Castigantur ex mss. Timens Hilarius, ne forte male audiat, ubi homœusion prima fronte approbare videbitur, quamvis post tam disertam fidei suæ declarationem nulla relicta sit male audiendi occasio, his verbis omnem a se suspicionem amovere curat.

(*a*) Sic mss. nisi quod in recentiore Carn., *ut non velim.* At editi, *ut nolim.*

(*b*) Par. post Lipsium, *speciem suam.* Rectius alii libri, *speciem solam;* id est, unam substantiam si prædicamus cum similitudine, quæ non formam duntaxat externam, sed et genus ac naturam teneat, religiose prædicamus.

possunt videri esse consortes. Atquin ita una substantia Patris et Filii prædicata, aut unum qui duas nuncupationes habeat subsistentem significat; aut divisam unam substantiam, duas imperfectas fecisse substantias; aut tertiam priorem substantiam, quæ a duobus et usurpata sit et assumpta, quæ idcirco una dicatur, quia in duas una desecta sit. Et ubi post hæc nativitas? Ubi Pater, ubi Filius intelligitur; si Patrem et Filium vel desectio potius, vel anterioris substantiæ communio, quam naturæ nativitas prædicabit?

69. *Homousion quo loco tuto proferatur.* — In his igitur tot et tam gravibus fidei periculis, verborum brevitas temperanda est; ne impie dici existimetur, quod pie intelligitur : ne secura atque innocente conscientia, per occasionem hæreticam, reus sermo sit. Dicturus unam catholicus substantiam Patris et Filii, non inde incipiat : neque hoc quasi maximum teneat, tamquam sine hoc vera fides nulla sit. Tuto unam substantiam dicet, cum ante dixerit, Pater ingenitus est; Filius natus est, subsistit ex Patre, Patri similis est virtute, honore, natura. Patri subjectus est, ut auctori : nec se per rapinam Deo, cujus in forma manebat, æquavit; obediens usque ad mortem fuit. Non est ex nihilo, sed (*f*) nativitas est. Non est innascibilis, sed cointemporalis. Non est pater, sed ex eo filius est. Non est portio aliqua, sed totus est. Non est auctor ipse, sed imago est : imago Dei ex Deo in Deum nata. Non est creatura, sed Deus est. Non alter Deus in genere substantiæ, sed unus Deus per substantiæ indifferentis essentiam. Non persona Deus unus est, sed natura : quia nihil in se diversum ac dissimile habeat natus et generans. Et post hæc, unam substantiam Patris et Filii dicendo, non errat : aut unam substantiam negando, jam peccat.

70. *Ne nude et ante alia prædicetur.* — Nemo itaque unam substantiam negari a nobis putet : cujus idcirco ratio ostenditur, ne negetur. Nemo unam substantiam brevi ac nudo sermone putet prædicandam : ut possit religiose dici una esse substantia. Non enim ego audio, Christus ex Maria natus **502** est; nisi et audiam, *In principio erat Verbum et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). Non audiam, Christus (*g*) esurivit; nisi post quadraginta dierum jejunium audiam, *Non in pane solo vivit homo* (*Matth.* IV, 4). Non audiam, si-

(*c*) In vulgatis, *dicitur.* Verius in mss. *dicatur,* præposita prius particula *ut* id postulante.

(*d*) Sic mss. At editi, *hujus tanti erroris.* Mox codex Rom., *ex se secuisse.* Confer, si lubet, lib. IV de Trin. n. 4.

(*e*) Vox *pares* cum sequenti verbo *esse* desideratur in prius vulgatis.

(*f*) Lipsius, ac post eum Par., *sed natus est* : non alio sensu, sed tamen absque auctoritate. Pessime autem postea *contemporalis* cum reliquis editis habet.

(*g*) Obiter observare est, quam non neget Hilarius Christum esuriisse, sitisse, et passum esse secundum hominem : dum hæc ita considerari vult, ut aliud in eo attendatur, quod prorsus expers erat hujusmodi affectionum.

tivit ; nisi audiam, *Qui biberit de aqua, quam ego dedero ei, non sitiet in æternum* (*Joan.* IV, 13). Non audiam, Christus passus est ; nisi audiam, *Nunc est hora ut Filius hominis clarificetur* (*Joan.* XII, 23). Non audiam, mortuus est ; nisi audiam, resurrexit. Nihil solitarium ex divinis sacramentis ad suspicionem audientium et ad occasionem blasphemantium proferamus. Ante nativitas Filii, ante subjectio, ante similitudo naturæ prædicanda est : ut non impie unius esse et Pater et Filius substantiæ prædicetur. Et non intelligo, cur ante cætera tamquam maximum et potissimum et solitarium prædicandum sit, quod nec pie possit ante cætera prædicari, et jam impie necesse sit post cætera denegari.

71. *Et pie dici potest, et pie taceri.* — Non est, Fratres charissimi, una Patris et Filii neganda substantia : (*a*) sed nec irrationabiliter prædicanda. Sit una substantia ex naturæ genitæ proprietate ; non sit aut ex portione, aut ex unione, aut ex communione. Potest una substantia (*b*) pie dici, et pie taceri. Habes nativitatem, habes similitudinem. Quid verbi calumniam suspiciose tenemus, rei intelligentia non dissidentes? Credamus, et dicamus esse unam substantiam ; sed per naturæ proprietatem, non ad significationem impiæ unionis. Una sit ex similitudine, non ex solitudine.

72. *Vox homœusion an minus propria.* — Sed forte parum proprietatis in se habere similitudo videatur. Hoc si est, quæro quo modo possim alterum ad alium nisi per similitudinem coæquare? Aut numquid non idem est, esse (*c*) similes quod æquales? Si unum dico, habet et unici suspicionem : si similem dixero, habet indifferentis comparationem. Inter similem et unum quæro quem locum habeat æqualis : et interrogo utrum similitudinis potius, aut solitudinis res sit. Non est æqualitas in dissimilibus, nec similitudo est intra unum. Aut quid differunt similes, et æquales ; ut ab uno iterum discernatur æqualis? Non sunt itaque dissimiles æquales : Et quid aliud possunt esse similes quam æquales, cum in dissimilibus non sit æqualitas ?

73. *Æqualitatem perfectam significat similitudo naturæ. Quod Moysi similitudo, id Joanni æqualitas.* — Prædicantes itaque, Fratres charissimi, similem Filium in omnibus Patri, nihil aliud quam æqualem prædicamus. Perfectæ æqualitatis significantiam habet similitudo : et hoc ex sanctis Scripturis intelligendum est. **503** Legimus (*d*) namque : *Vixit autem Adam ducentis triginta annis, et genuit secundum effigiem suam et secundum similitudinem suam, et cognominavit nomen ejus Seth* (*Gen.* V, 3). Quæro cujusmodi similitudinem et effigiem suam Adam in Seth genuerit. Tolle corporum infirmitates, tolle conceptus initium, tolle dolores (*e*) partitudinis, et omnem humanam necessitatem : quæro similitudo hæc, quæ in Seth est, utrum per naturam dissentiat auctori, aut utrum alterius generis essentia fuerit in utroque, ne non naturalem habuerit Adæ Seth natus essentiam. Sed similitudo Adæ est, (*f*) etiamsi negemus ; quia non est natura dissimilis. Similitudo autem naturæ non habuit in Seth alterius generis naturam, quia non aliunde Seth natus est : ita similitudo res ipsas (*g*) naturalis coæquat, per similitudinem non indifferentis essentiæ. Omnis itaque filius, secundum naturalem nativitatem, æqualitas patris est ; quia est et similitudo naturæ. Et beatus Joannes docet in natura Patris et Filii, quam Moyses in Seth et Adam similitudinem dicit, hanc eamdem æqualitatem esse naturæ, ait enim : *Propter hoc eum magis quærebant Judæi interficere, quoniam non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Joan.* V, 18). Quid tantorum virorum doctrinis atque dictis inserimus torpentia peccatis gravibus ingenia, et sensus hebetes atque temerarios (*h*) adversum indissolubiles prædicationes impii fatigamus? Per Moysen Seth Adæ similitudo est, per Joannem Filius Patri æqualis est : et quærimus tertium nescio quid inter Patrem et Filium, quod natura non recipit. Similis est Patri, filius Patris est, ex eo natus est : per hoc solum pie potest quod unum sint prædicari.

74. *Similitudinem sine æqualitate confitentes refelluntur.* — Nec me fallit, Fratres charissimi, quosdam esse, qui similitudinem confitentes, negant æqualitatem. Sed loquantur ut volunt, et blasphemiæ suæ virus ingerant ignorantibus. Si inter similitudinem

(*a*) Lips. et Par., *sed ne* : tum cum cæteris edit. sequentia sic conjungentes, *irrationabiliter prædicanda sit una substantia*, etc., efficiunt sensum ab Hilario alienum.

(*b*) Ita in mss. nisi quod in Carnut. ut in vulgatis exstat, *impie dici*.

(*c*) Sic ms. Carn. Alii autem, *similes et æquales* : ubi editi habent, *simile quod æquale*.

(*d*) Origenes, lib. I Periarch. c. 2, ex iisdem Scripturis confirmat imaginem interdum id dici, quod ejus cujus imago est naturam obtineat, eaque ratione Filium Patris imaginem nuncupari : *Sicut secundum historiam dicimus imaginem Adæ esse filium ejus Seth ; ita enim scriptum est, Et genuit Adam Seth secundum speciem suam. Quæ imago etiam naturæ ac substantiæ Patris et Filii continet unitatem.*

(*e*) In plerisque mss., *paritudinis*. Vocabulum *paritudinis* jam occurrit n. 17.

(*f*) Lips. et Par., *etiam sine genere* : contra mss. fidem et Hilarii mentem. Vetus ms. Carn. cum Mich., Tell., necnon edit. Bad., Er. et Mir., *etiamsi genus* : quod commodum animo offert sensum, puta, Seth etiamsi genus Adæ obtineat, ipsius tamen similitudinem cognominari. Præferimus tamen cum Corb., Pratel., Silv., Remig., Theod., Rom. et altero Carn., *etiamsi negemus* : maxime cum num. 75, rursum occurrat, *æqua plane est etiamsi negemus* : ubi denuo Lipsius de suo posuit, *etiam sine genere*.

(*g*) In excusis, *naturales*, elegantius ac verius in mss. *naturalis*. Tum in his verbis, *per similitudinem non indifferentis*, abundat quidem particula negans, nec male omittitur in ms. Rom., sed hujusmodi locutionis jam non semel exempla vidimus. V. lib. VII de Trin. n. 73.

(*h*) Ita mss. At editi, *adversum indissolubilis prædicationis auctoritatem* ; et mox, *Patris æqualitas est*, non *æqualis est*.

et æqualitatem differre dicunt; quæro unde comparetur æqualitas. Namque si secundum essentiam et virtutem et gloriam et tempus Patris Filius similis est; interrogo ex quo non videatur **504** (*a*) æqualis. Nam etiam hæc in superiori fide constituta damnatio est: ut anathema esset, qui Patrem dissimilis sibi essentiæ diceret patrem. Si ergo naturam neque aliam, neque dissimilem ei, quem impassibiliter generabat, dedit; non potest aliam dedisse, nisi propriam. Ita similitudo proprietas est, proprietas æqualitas est, et æqualitas nihil differt. Quæ autem nihil differunt, unum sunt; non unione personæ, sed æqualitate naturæ.

75. *Filii et Patris eadem virtus.* — Quamquam vero et communi sensu, et divinis auctoritatibus, inter similitudinem et æqualitatem nihil differre intelligatur; quippe cum secundum Moysen et Joannem Patri Filius et similis sit, et æqualis: tamen videamus an Dominus, Judæis irascentibus quod Patrem sibi Deum dicendo Deo se coæquasset, se esse docuerit Deo æqualem. Ait enim, *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Joan.* v, 19). Auctorem discrevit cum ait, *Non potest ab se facere:* (*b*) obedientiam significat cum addit, *nisi quod viderit Patrem facientem.* Non enim virtutis differentia est, non posse nisi videat; quia virtutem magis præstat natura, quam visus: at vero obsequela est, tunc posse cum videat. Atque ita per id, quod tunc potest cum videt, significat non ex visu se accipere virtutem, sed auctoritate visus præsumere potestatem. Non ergo differt naturæ virtus in Patre et Filio: cui hoc posse quod Pater possit, non ex incremento aliquo naturæ profectus tribuat, sed (*c*) auctoris exemplum. Denique honorem, quem subjectio conservavit, naturæ virtus æquavit. Subjecit enim: *Quæcumque enim ille facit, eadem et Filius similiter facit* (*Ibidem*). Numquid similitudo (*d*) non æqua est? Æqua plane est etiamsi negemus: *eadem* enim *similiter facit.* Numquid similiter facta non eadem sunt? aut eadem non recipiunt æqualitatem? aut aliud aliquid inter simile differt, et æquale; cum quæ similiter fiunt, eadem fieri intelligantur? Nisi forte quisquam quæ eadem sunt, negabit æqualia; ut quæ similia sunt, non dicantur æqualia: cum quæ similiter fiunt, non modo æqualia fieri, sed eadem prædicentur.

505 76. *Homœusion recte dici posse.*—Caret igitur, Fratres, similitudo naturæ contumeliæ suspicione: nec potest videri Filius idcirco in proprietate paternæ naturæ non esse, quia similis est: cum similitudo nulla sit, nisi ex æqualitate naturæ; æqualitas autem naturæ non potest esse, nisi una sit; una vero non personæ unitate, sed generis. Hæc fides pia est, hæc conscientia religiosa, hic salutaris sermo est, unam substantiam Patris et Filii idcirco non negare, quia similis est: similem vero ob id prædicare, quia unum sunt.

77. Exposita, Charissimi, unius substantiæ, quæ græce homousion dicitur, et similis substantiæ, quæ homœusion appellatur, fideli ac pia intelligentia; (*e*) et vitiis, quæ ex verborum vel brevitate subdola, vel periculosa nuditate accidere possint, absolutissime demonstratis: reliquus mihi sermo ad sanctos viros Orientales episcopos dirigendus est; ut quia jam de fide nostra nihil inter nos suspicionis relictum est, ea quæ adhuc in suspicionem ex verbis veniunt purgentur: et dabunt veniam, ex communis conscientiæ fide secum liberius locuturo.

78. *Orientalium laus ob hæresim coercitam.* — O studiosi tandem apostolicæ atque evangelicæ doctrinæ viri, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit! Quantam spem revocandæ veræ fidei attulistis, constanter audacis perfidiæ impetum retundendo! Antea enim in obscuro atque in angulis Dominus Christus Dei esse secundum naturam filius negabatur: et essentiæ inops paternæ, accepisse cum creaturis originem de non exstantibus prædicabatur. At vero nunc publicæ auctoritatis professione hæresis prorumpens, id quod antea furprobarem; et tamen solam piam esse similitudinis intelligentiam admonerem, quæ unitatem substantiæ prædicaret.

In eo vero, quod laudans eos (Orientales scil. homœusion propugnantes) *in invidiam deducor a quibusdam; parum intellectus sum. Non enim eos veram fidem, sed* SPEM REVOCANDÆ VERÆ FIDEI *attulisse dixi: ut sicut illi auditi sunt, ita et nos ex hoc contra Valentem et Ursacium possemus audiri, et* (in mss. Mich. *coaptandus*, in Carnutensi autem et Tell. *coapta ea Deus:* an pro *quo aptæ ad eos*, vel *cæptus ad eos*) *allocutionis sermo blandus nihil aliud quam procacium conviciorum effugeret fœditatem; cum amarius atque etiam probrosius in consequentibus occulta expositionum essem scandala proditurus.*

Adest jam tertium responsum libri hujus apologeticum: cujus prima pars cadit in hæc verba, *pia intelligentia*, altera vero ad numeri sequentis initium attinet. Ex eo liquet 1° hunc librum Lucifero displicuisse, 2° Hilarium etiam *quibusdam* propter eumdem librum in suspicionem venisse, 3° eum veram non existimasse Orientalium fidem, 4° quo eos consilio tot laudibus efferat, ac demum cur tam multa edisserat in gratiam similitudinis essentiæ.

(*a*) Rursum hic in vulgatis, *æqualitas est.* Verbis sequentibus laudatur Ancyranæ synodi definitio septima.

(*b*) Obedientiæ nomen, quod hic sano sensu admittit Hilarius ad significandam Filii a Patre originem, simpliciter respuit Gregorius Nazianz., Or. XXXVI: *Ut enim Verbum*, inquit, *nec obediens erat, nec inobediens, ὡς μὲν γὰρ λόγος οὔτε ὑπήκοος, οὔτε ἀνήκοος.*

(*c*) Michaelinus codex cum Telleriano, *auctoritatis exemplum:* quod non abhorret ab Hilariana locutione. Hic *auctoris* vel *auctoritatis exemplum* perinde est, quod supra *auctoritas visus*, quod lib. VII de Trin. n. 18: *virtutis ac naturæ in se paternæ conscientia.*

(*d*) Lips. et Par., *non æqua plane est etiam sine genere?* corrupte.

(*e*) In antiquiore ms. Carnut. et Michaelino una serie hic adtexitur, quod in altero Carn. ac Telleriano ad libri oram est rejectum: *Non puto quemquam admonendum in hoc loco, ut expendat quare dixerim similis substantiæ piam intelligentiam, nisi quia intelligerem et impiam; et idcirco similem non solum æqualem, sed etiam eamdem dixisse: ut neque similitudinem, quam tu, frater Lucifer, prædicari volueras, im-*

tim mussitabat, nunc (*a*) non clam victrix gloriabatur. **506** Quibus enim antea cuniculis in catholicam Ecclesiam non tentavit irrepere? Quas non (*b*) exseruit, falsæ religionis blandimento, sæculi potestates? Homines enim perversi eo usque proruperant, ut cum hoc ipsi prædicare publice non auderent, Imperatorem tamen fallerent ad (*c*) audiendum. Fefellerunt enim ignorantem regem, ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, et credendi formam Ecclesiis nondum regeneratus imponeret. Contradicentes episcopos ad exsilium coegerunt. Coegerunt enim nos ad voluntatem exsulandi, dum impietatis imponunt necessitatem. Sed exsulemus semper, dummodo incipiat verum prædicari. Domino enim gratias, quod ignorationem per vos admonitus Imperator agnovit, et errorem non suum, sed (*d*) adhortantium, per has fidei vestræ sententias recognovit: et se invidia apud Deum atque homines impiæ voluntatis exemit, cum legationem vestram honorifice habens, falsitatem eorum, quorum auctoritate in invidiam deducebatur, coacta (*e*) a vobis ignorantiæ suæ professione, cognovit.

79. *Sirmiensis formulæ auctores semper fallaces. Lepide carpuntur ac refelluntur. Christus unus, non duo. Valentis et Ursacii suspecta subscriptio.* — Fallunt enim, quantum et vereor et mihi videtur, Fratres charissimi, fallunt; quia semper fefellerunt: et ipsa illa præsens nunc subscriptio non caret falsitate. Excusant enim se idcirco homousion et homœusion taceri voluisse, quia unum atque idem significari verbo utroque existimarent. Rudes credo episcopi et ignorantes homousii significationem: quasi numquam de hoc aut synodus fuisset, aut lites. Sed esto ignoraverunt homousion, (*f*) aut nesciebant homœusion id significari, quod similis esset essentiæ. **507** Jam si hoc nesciebant, cur nesciri volebant generationem Filii? (*g*) Numquid si inenarrabilis est, ideo et ignorabilis est? Sed si ignoratur quo modo natus est; numquid ignorari vel hoc potest, quod Filius Deus non ex alia substantia, sed ex Deo natus, non diversam habeat essentiam? Numquid non legerunt, sicut Patrem, ita et Filium honorificandum (*Joan.* v, 25): ut Patrem honore præferrent? Numquid incognitum habebant Patrem in Filio videri (*Joan.* xiv, 9): ut Filius apud eos dignitate, claritate, majestate differret? An et hoc ex ignorantia venit, ut cum cæteris Patri subjectus sit Filius: ut dum cum cæteris subjicitur, non discernatur a cæteris? cum subjectio Filii naturæ (*h*) pietas sit, subjectio autem cæterorum creationis infirmitas sit. Passum quidem sciebant: sed dicant, oro, compassum (*i*) quando cognoverunt? Evitant homousion et homœusion, quia nusquam mussitabat, nunc (*a*) non clam victrix gloriabatur. **506** Quibus enim antea cuniculis in catholicam Ecclesiam non tentavit irrepere? Quas non (*b*) exseruit, falsæ religionis blandimento, sæculi potestates? Homines enim perversi eo usque proruperant, ut cum hoc ipsi prædicare publice non auderent, Imperatorem tamen fallerent ad (*c*) audiendum. Fefellerunt enim ignorantem regem, ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, et credendi formam Ecclesiis nondum regeneratus imponeret. Contradicentes episcopos ad exsilium coegerunt. Coegerunt enim nos ad voluntatem exsulandi, dum impietatis imponunt necessitatem. Sed exsulemus semper, dummodo incipiat verum prædicari. Domino enim gratias, quod ignorationem per vos admonitus Imperator agnovit, et errorem non suum, sed (*d*) adhortantium, per has fidei vestræ sententias recognovit: et se invidia apud Deum atque homines impiæ voluntatis exemit, cum legationem vestram honorifice habens, falsitatem eorum, quorum auctoritate in invidiam deducebatur, coacta (*e*) a vobis ignorantiæ suæ professione, cognovit.

79. *Sirmiensis formulæ auctores semper fallaces. Lepide carpuntur ac refelluntur. Christus unus, non duo. Valentis et Ursacii suspecta subscriptio.* — Fallunt enim, quantum et vereor et mihi videtur, Fratres charissimi, fallunt; quia semper fefellerunt: et ipsa illa præsens nunc subscriptio non caret falsitate. Excusant enim se idcirco homousion et homœusion taceri voluisse, quia unum atque idem significari verbo utroque existimarent. Rudes credo episcopi et ignorantes homousii significationem: quasi numquam de hoc aut synodus fuisset, aut lites. Sed esto ignoraverunt homousion, (*f*) aut nesciebant homœusion id significari, quod similis esset essentiæ. **507** Jam si hoc nesciebant, cur nesciri volebant generationem Filii? (*g*) Numquid si inenarrabilis est, ideo et ignorabilis est? Sed si ignoratur quo modo natus est; numquid ignorari vel hoc potest, quod Filius Deus non ex alia substantia, sed ex Deo natus, non diversam habeat essentiam? Numquid non legerunt, sicut Patrem, ita et Filium honorificandum (*Joan.* v, 25): ut Patrem honore præferrent? Numquid incognitum habebant Patrem in Filio videri (*Joan.* xiv, 9): ut Filius apud eos dignitate, claritate, majestate differret? An et hoc ex ignorantia venit, ut cum cæteris Patri subjectus sit Filius: ut dum cum cæteris subjicitur, non discernatur a cæteris? cum subjectio Filii naturæ (*h*) pietas sit, subjectio autem cæterorum creationis infirmitas sit. Passum quidem sciebant: sed dicant, oro, compassum (*i*) quando cognoverunt? Evitant homousion et homœusion, quia nus-

(*a*) Editi, *nunc victrix*: tum Mir. *gloriabitur*; Lips. et Par. *gloriatur*. Veteres mss. Colb., Carn. et Germ., *nunc jam victrix gloriabatur*. Magis placet cum Corb., Prat., Fatr., Rom., Rem., Silv., etc., *nunc non clam victrix gloriabatur*: scil. post concilium Sirmiense an. 357. Antea enim, ut Sulpicii Severi verbis utamur lib. II, pag. 243: *Ariani perfidiam suam occultabant: non ausi palam erroris sui dogma prædicare, catholicos se gerebant.* Quo spectat illud Luciferi sub finem lib. I pro Athanasio, ubi Constantio exprobrat quod egerit *more meretricum, quæ primo clam scortentur, postea vero ita sunt inverecundæ, ut velint scortari in propatulis.*

(*b*) Sic mss. At Editi, *exercuit*.

(*c*) Longe mallemus *ad audendum*. Certe cum his apprime convenit, quod Sulpicius Sever., lib. II, narrat Mediolanensi synodo an 355 factum esse: quod nimirum *Valens et Ursacius cæterique metu plebis non ausi piacula profiteri, epistolam sub Imperatoris nomine miltunt omni pravitate refertam, eo nimirum consilio, ut si ea æquis auribus populus recepisset, publica auctoritate cupita proferrent. Sin aliter fuisset excepta, omnis invidia esset in rege, et ipsa etiam venialis, quia etiam tum catechumenus sacramentum fidei merito videretur potuisse nescire.* Ex hac porro synodo Lucifer Calarit. ut ipse narrat initio libri, quem Moriendum esse pro Dei filio inscripsit, cum Constantio intra velum stanti contradixisset, in exilium pulsus est. Pulsi etiam sunt eamdem ob causam Eusebius Vercell., Dionysius Mediolan. ac postmodum Liberius.

(*d*) In excusis, *astantium*. Concinnius in mss. *adhortantium*, scil. Eudoxii, Acacii, Uranii, Valentis, etc., quorum hæresis per Basilium, Eustathium, Eleusium et Leontium Ancyranæ synodi legatos patefacta, continuo ab Imperatore damnata est, ut narrat Sozomenus, lib. IV, c. 12 et 13.

(*e*) Editi, *coacta a nobis:* mendose. Sermo enim est ad legatos Ancyranos, qui Valentem et Ursacium coegerunt ignorantiam fateri, uti jam indicatum est num. 3 et 63.

(*f*) In aliquot mss. hic additur, *numquid ignoraverunt homœusion?* Apud Ancyranæ synodi legatos, qui homousion respuerant, ea valebat excusatio, qua homousii et homœusii unam et eamdem significationem se existimasse reponebant.

(*g*) Haud aliter Africani jussu Hunerici in unum coacti subjecto Esaiæ loco respondent apud Victorem Vit., lib. III de Persec. Afric.: *Divina enim*, inquiunt, *generatio inenarrabilis est, non ignorabilis. Nam usque adeo non est ignorabilis, id est, non ignoratur unde sit, ut et Pater de se ipso genuisse, et Filius de Patre se natum sæpissime protestetur.* Altera ratione Phœbadius Sirmiensis formulæ auctores sic sugillat: *Illud autem quis ferre possit, ut quem initium habere pro certo asserunt, hujus nativitatem habeant in incertum?* Eodem spectat illud Victorini initio lib. I contra Arium: *Addit Eusebius principium Filii sciri nec ab homine posse, nec ab aliqua superiore vel potentia vel excogitatione: et audet tamen dicere figmentum esse Filium, voluntate et sententia Patris subsistere.* Apposite Leontius hanc hæreticorum in divinis mysteriis ignorantiæ professionem, qua ineffabilia ea esse volunt, vocat *reverentiam a reverentia revera alienam:* quippe qui *ut licenter impietate abutantur, ad honesta nomina tamquam ad propugnaculum quoddam validum et inexpugnabile confugiunt.* Contra christiana pietas, in divinis mysteriis, magnum inter rem reique modum novit ponere discrimen; neque rem in dubium vocat eo obtentu, quod modum nesciat; sed de cæteris sentit, quod de Deo sentiendum tradit Hilarius, lib. II de Trin. n. 7: *Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias.*

(*h*) Hic locus apud Bad., Er. et Mir. est omnino depravatus. In editionibus aliis, *naturæ proprietas*, non *pietas:* quod malumus cum mss. Sic supra, n. 51: *Pietatis subjectio non est essentiæ diminutio.*

(*i*) Editi, *quomodo cognoverant*. Eadem Sirmiensis blasphemiæ verba pariter agnoscit Phœbadius fraude ac veneno referta, eaque prope simili ratione convellit. *Primum*, inquit, *non video cur maluerint compassibilem dicere, quam libere passibilem confiteri. Quasi vero aliud sit compati, quam pati. Porro autem si*

quam scriptum sit : quæro compassum esse unde præsumpserint? Aut numquid volunt duos esse qui passi sunt? id enim compassio testatur. Ubi illud est *Jesus Christus Filius Dei?* aut numquid alius est Jesus Christus, alius filius Dei? Si non idem atque unus intra extraque Dei filius est; credite (*a*) in homousio ignorationem, si hæc ignorari licet. Si autem in his ipsis ipsa illa ignoratio impia est, quæ tamen non potest, nec falso, excusari; vereor ne et (*b*) homœusii ignorationem professio mentiatur. Non queror admodum de venia quam **508** dedistis: religiosum est Deo sua reservare, et ignorationis error humanus est. Sed ignoscant mihi jam duo episcopi Valens et Ursacius, quod eos (*c*) pro ætate atque exercitatione sua ignorasse non credo. Et difficillimum est ne mentiri existimentur, qui se in alio (*d*) negotio non possunt nisi mendacio purgare. Sed Dominus hoc magis tribuat, ut nos male opinemur, quam illi (*e*) non ignoraverint. Malo enim ego male existimans judicari, quam fidem vestram hæreticæ conscientiæ communione violari.

80. Oro autem vos, sanctissimi viri, ut cum bona venia sollicitudines meas æstimetis. (*f*) Testis enim Dominus est conscientiæ meæ, in nullo me expositiones has, quas Sirmium detulistis, fidei vestræ velle convellere. Sed date veniam, si quædam intelligere non possum, et consolabor me: quia legi: *Spiritus prophetarum prophetis subjectus est* (I *Cor.* XIV, 32). Ex quo forte non impudenter etiam a me præsumitur, ut et ego intelligam, quod alius ignoret. Non quod quidquam vos secundum mensuram scientiæ ignorare ausus sim dicere: sed super fidei catholicæ unitate, patimini non minus in nobis esse sollicitudinum, quam in vobis.

81. *Epistola Sirmium delata de homousii et homœusii expositione. Homousion ob nativitatem male respuitur.* — Epistolam, quam a vobis de homousii et de homœusii expositione apud Sirmium Valens et Ursacius et Germinius poposcerunt legi, intelligo in quibusdam non minus **509** circumspectam esse, quam liberam. Et ipsa homousii et homœusii demonstratio nihil reliquit difficultatis. Et quidem de homœusio, quod est similis essentiæ, commune judicium est. De homousio vero, quod est unius essentiæ, tractantes, primum idcirco respuendum pronuntiastis, quia per verbi hujus enuntiationem substantia prior intelligeretur, quam duo inter se partiti essent. Intelligo vitium in intelligentia. Et profanus hic sensus est, et communi judicio ab Ecclesia respuendus. Secundo quoque id addidistis, quod patres nostri, cum Paulus (*g*) Samosateus hæreticus pronuntiatus est, etiam homousion repudiaverint: quia per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem et Filium prædicabat. Et hoc sane nunc quoque profanissimum Ecclesia recognoscit, Patrem et Filium in his nominum professionibus ad unionis ac singularis solitudinem negata personarum proprietate revocare. Tertio etiam hæc causa improbandi homousii commemorata a vobis est: quia in synodo, quæ apud Nicæam fuit, coacti patres nostri propter eos qui creaturam Filium dicebant, nomen homousii indidissent: quod non recipiendum idcirco sit, quia nusquam scriptum reperiretur. Quod a vobis dictum satis miror. Si enim homousion propter novitatem repudiandum sit; vereor ne et homœusion periclitetur, quia nusquam (*h*) scriptum reperiatur.

82. *Quo sensu judicio communi damnetur.* — Sed

impassibilis Deus, utique incompassibilis. Tam ergo compassus non est, quam nec passus est, ex ea tamen conditione qua Deus. Ex quo, ut et ex nostro Hilario manifestum est, hæreticos dicentes *filium Dei hominem de Maria suscepisse, per quem compassus est*, duos in Christo asseruisse, quorum unus esset suscipiens, alter susceptus, uterque vero passibilis. Nam si dixissent *per quem passus est;* sequeretur tantum Christum passum esse secundum naturam hominis: at cum scribunt *per quem compassus est*, passione hominis naturam Verbi similiter affici significant.

(*a*) Omnes mss. *in homousion.*

(*b*) Nonnulli mss. cum excusis, *homousii.* Rectius Colb., Corb., Pratel., Faur., etc., *homœusii.* Hic redit Hilarius ad id quod jam delibarat dicens, *Et ipsa illa nunc præsens subscriptio non caret falsitate:* homœusii autem, non homousii professioni subscribere coacti sunt. Sed quam vere de Ursacio et Valente subodoratus sit, eos non ex animo homœusion suscepisse, testis est Germinius Fragmento XV, n. 3: *Miror autem,* inquit nominatim de Valente, *prædictum Valentem aut oblitum esse, aut certe subdole dissimulare quod in præteritum gestum sit,* etc., *quando Filium similem Patri per omnia esse manu nostra subscripsimus. Quippe isti duo,* ut notat Socrates, lib. II, cap. 37: *Semper ad eorum partes transibant, qui plus posse viderentur.*

(*c*) Ut pote qui anno 335 Tyrio conciliabulo interfuerant, et abhinc per 23 annos innumeris prope conventibus, in quibus solemnes erant de prædictis vocibus controversiæ.

(*d*) Satis advertunt prudentes, hic indicari litteras a Valente et Ursacio ad Julium post Sardicense concilium conscriptas, quibus expresse confessi sunt falsa esse omnia quæ adversus Athanasium divulgarant.

(*e*) Abest *non* a quibusdam mss. male.

(*f*) Erasmus monet se in recentiore quodam codice reperisse hic additum: *Pro prudentia vestra expendite, quid sit a sanctissimis viris poscere, ut cum bona venia audiant dicentem; et an ejusdem sit adulari, et objurgare. Hoc ideo ita dictum est, quia ea, quæ ad præsens tacita ab his fuissent, eram proditurus, non tamen in his quæ possent tamquam excusabilia defendi, viderer calumniari.* Erasmi notam ac verba retinuit Miræus, quæ in sequentibus edit. prorsus suppressa sunt. Qui autem Remigianum codicem ante annos 400 pinxit, eadem ad marginem exscripsit, præmonens ea *in quibusdam exemplaribus* haberi. Exstant in recentiore Carn. et Tell. ad oram libri; at in altero Carn. ante annos 900 scripto et Mich. etiam in ipso textu. His quarto se purgat Hilarius, ostenditque se non adulationis vitio, sed charitate dictante Orientales *sanctissimos viros* appellasse: quo scil. prodesset correctio, quam eis adhibiturus erat.

(*g*) In vetusto codice Colb. et Germ. *Noateus.* An Paulum sic vocat Hilarius a Noeto, cujus hæresim quodam modo instauravit? Epiphanius enim tradit hær. LXV, n. 1, Paulum opinatum esse, *filium Dei subsistentiam habere per sese nullam, sed in Deo subsistere: id quod Sabellio quoque placuit, Novato, et Noeto.*

(*h*) Argumentum a vocis novitate petitum Athanasius, Or. II, pag. 316 et 336, et Epiphanius, hær. LXXIII,

hinc non calumnior. Malo enim aliquid novum commemorasse, quam impie respuisse. Prætermissa itaque quæstione novitatis, ne in his quidem residet quæstio, quæ communi omnium nostrum judicio damnantur. Quis enim sanæ mentis tertiam substantiam, quæ et Patri et Filio communis sit, prædicabit? Vel quis secundum Samosateum, in Christo renatus, et Filium confessus ac Patrem, quod Christus in se sibi et pater et filius sit confitebitur? Par itaque in condemnandis impietatibus hæreticorum nostra sententia est : et hanc homousii intelligentiam non modo respuit, sed et odit. **510** Atque ita non relinquitur vitiosæ intelligentiæ quæstio, ubi in vitii damnatione communis assensus est.

83. *Quod pie a Nicæna synodo susceptum, non debeat improbari.* — Dicturo autem me tandem de tertia quæstione, oro vos, ne ubi pax conscientiæ est, ibi sit pugna suspicionum : neque quidquam me nisi ad unitatis profectum proferre existimetis. Inane enim est, calumniam verbi pertimescere, ubi res ipsa, cujus verbum est, non habeat difficultatem. Displicet cuiquam in synodo Nicæna homousion esse susceptum? Hoc si cui displicet, placeat necesse est quod ab (*a*) Ariis sit negatum. Negatum enim idcirco est homousion, ne ex substantia Dei patris Deus filius natus, sed secundum creaturas ex nihilo conditus prædicaretur. Nihil novum loquimur, pluribus edita litteris ipsa Ariorum perfidia sibi testis est. Si propter negantium impietatem pia tum fuit intelligentia confitentum; quæro cur hodie convellatur, quod tum pie susceptum est, quia impie negabatur? Si pie susceptum est : cur venit constitutio pietatis in crimen, quæ impietatem pie per ea ipsa quibus (*b*) impiabatur exstinxit?

84. *Nicænæ synodi scopus. Symbolum Nicænum.* — Videamus igitur quid Nicæna synodus (*c*) studuerit, homousion, id est, unius substantiæ confitendo : non utique hæresim parturire, quæ de homousii vitiosa opinione concipitur. Non, opinor, illud loquentur, quod unam anteriorem substantiam Pater et Filius in substantiam suam partiendo diviserint. Et ipsam quidem religiose tum scriptam fidem, nunc quoque A huic sermoni nostro non irreligiose inseremus.

« Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est, de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiæ cum Patre, (*d*) quod græce dicunt homousion, per quem omnia facta sunt quæ in cœlo et in terra, qui propter nostram salutem descendit (*e*), incarnatus est, et homo **511** factus est, et passus est, et resurrexit tertia die, et adscendit in cœlos, venturus judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, Erat quando non erat, et ante quam nasceretur non erat, et quod de non exstantibus factus est, vel ex alia substantia aut essentia, dicentes convertibilem et demutabilem Deum : hos anathematizat catholica Ecclesia. »

Non hic sanctissima religiosorum virorum synodus nescio quam priorem, quæ in duos divisa sit, substantiam introduxit, sed Filium natum de substantia Patris. Numquid et nos negamus? aut quid aliud confitemur? Et post cæteras communis fidei expositiones ait, « Natum non factum, unius substantiæ cum Patre, quod græce dicunt homousion. » Quæ hic vitiosæ intelligentiæ occasio est? Natus esse de substantia Patris Filius, non factus prædicatur : ne nativitas divinitatis, factura sit creationis. Idcirco autem *unius substantiæ* : non ut unus subsistat aut solus, sed ut ex substantia Dei natus non aliunde subsistat, neque ut in aliqua dissidentis substantiæ diversitate subsistat. Aut numquid non hæc fides nostra est, ut non aliunde subsistat, neque quod indissimilis subsistat? Aut aliud hic testatur homousion, quam ut una atque indissimilis duum sit secundum naturæ (*f*) progeniem essentia, quia essentia Filii non sit aliunde? Quæ quia aliunde non est, unius recte esse ambo credentur essentiæ; quia substantiam nativitatis Filius non habeat nisi de paternæ auctoritate naturæ.

85. *Homousion num improbandum, quia vitiose soleat intelligi.* — Sed forte e contrario dicetur, id-

n. 14 et 19, in ipsos hæreticos pariter retorquent : quippe qui patrem dixere *ingenitum*, Filium vero *ex non ente*, et *non fuisse prius quam nasceretur*, et alias voces excogitarunt Scripturis prorsus incognitas. Verum, ut docet Athanasius, lib. de Synod. p. 913, Hilario nostro hic suffragante, *nihil id refert, si quis voces in Scriptura non repertas usurpet, quam diu pias sententias, complectitur. Contra hæreticus tametsi voces suas e sacris litteris usurpet, nihilominus suspectus animoque corruptus audiet a Spiritu, Quare tu enarras justitias meas?*

(*a*) Excusi hic, *quod ab Arianis est negatum* ; et infra, *Arianorum* : dissentientibus mss. Sic et apud Phœbadium *Arii*, non *Ariani* nuncupantur. Quomodo hic Hilarius, ita Athanasius, lib. de Syn. p. 920, idem vocabulum homousion recte et ab Antiochena synodo contra Samosateum rejectum, et a Nicæna contra Arianos susceptum probat ex scopo utriusque concilii.

(*b*) Sic mss. Editi vero, *impiebatur*. Verbo *impiari* usus est Plautus : quod quidem ad instar græci ἀσεβεῖν, id est, impietatem agere, confictum videtur. Porro illud *impiabatur* ad Samosatei hæresim referri commode queat : ut qua ille voce nude posita impietatem suam enuntiabat, ea ipsa per alias superiores exposita Arii impietatem Nicæna synodus exstinxerit. Nisi forte quis mallet hic alludi ad eam rationem, qua vocem homousion adversus Eusebii argutias Nicææ susceptam narrat Ambrosius, lib. III de Fide c. 15, n. 125, quod minus probabile est.

(*c*) In vulgatis, *statuerit*. Verius mss. *studuerit* : cum non tam quæratur an homousion statutum sit, quam quo consilio.

(*d*) Aliquot mss. ut Fragmento II, num. 27, *quod Græci dicunt homousion*. Hæc autem verba non habet exemplar Corb. sæculo sexto exaratum, quod hoc Symbolum cum aliis antiquis monumentis continet.

(*e*) Addunt editi, *de cœlis* : quod neque hic in mss. exstat, neque Fragmento II, neque apud Luciferum lib. de non parcendo, etc.

(*f*) Ita mss., ubi in vulgatis, *propaginem*.

circo improbari oportere, quia vitiose intelligi soleat. Hoc si timemus, deleamus in Apostolo quod dictum est : *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus* (I *Tim.* II, 5); quia ad auctoritatem hæresis suæ Photinus hoc utitur : et non legatur a nobis, quia ab illo male intelligatur. Pereat quoque ad Philippenses scripta epistola, aut igni aut spongia : ne in ea Marcion relegat: *Et habitu repertus ut homo* (*Philip.* II, 7), phantasiam corporis confitens esse, non corpus. Non exstet Evangelium Joannis : ne Sabellius discat: **512** *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30). Neque isti nunc creaturæ prædicatores scriptum habeant : *Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Neque illi, qui dissimilem Patri Filium affirmare volunt, legant : *De die autem et hora nemo sit, neque Angeli in cœlis, neque Filius, nisi Pater solus* (*Marc.* XIII, 32). Non sint quoque libri Moysi : ne tenebræ Deo, qui innascibilem lucem habitat, coævæ sint; quia in Genesi(I, 2) post noctem dies cœpta sit : ne anni (*a*) Mathusalæ ætatem diluvii excedant (*Gen.* V, 26), et non tantum octo sint animæ reservatæ (I *Pet.* III, 20) : ne clamorem Sodomorum repletis jam peccatis Deus audiens, tamquam ignorans clamorem, descendat ut videat an plena sint cum clamore peccata, et reperiatur Deus nescire quod sciret (*Gen.* XVIII, 21) : ne quisquam quoque sepelientium sepulti (*b*) Moysi sciat sepulcrum (*Deut.* XXXIV, 6) ; ne per hæc, ut hæretici putant, diversa lex ipsa sibi hostis sit. Et quia hæc ab his non intelliguntur, non legantur a nobis. Pereant quoque, si videtur (quod non ego dixerim, sed responsionis necessitas), omnia divina illa et sancta Evangelia salutis humanæ : ne se invicem contraria dictorum opinione compugnent : ne missurus Dominus Spiritum sanctum ipse de Spiritu sancto natus legatur : (*c*) ne mortem gladio denuntiaturus usuris, emi gladium passurus indicat (*Matth.* XXVI, 52) : ne ad inferos descensurus, in paradiso sit cum latrone (*Lucæ* XXII, 36) : ne postremo apostoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti jussi (*Matth.* XXVIII, 19), tantum in Jesu nomine (*d*) baptizaverunt (*Act.* X, 48). Vobis enim, Fratres, vocis dico, qui jam non lacte alimini, sed firmo cibo valetis (*Hebr.* V, 12) : Numquid, quia ista sapientes mundi non intelligunt, et his stulta sunt, nos cum mundo sapientes erimus, ut hæc stulta credamus? Et quia hæc impiis cæca sunt, nos non lucebimus intellecta veritate doctrinæ? Male sanctis rebus præjudicatur, si quia non sanctæ a quibusdam habeantur, esse non debent. Non ergo gloriemur cruce Christi, quia scandalum mundo est : neque in vivente Deo mortem prædicemus, ne ab impiis mortuus Deus arguatur.

86. *An quia ab* 80 *episcopis rejectum.* — Male intelligitur homousion : quid ad me bene intelligentem? Male homousion **513** (*e*) Samosatenus confessus est : sed numquid melius Arii negaverunt? Octoginta (*f*) episcopi olim respuerunt; sed trecenti et decem octo nuper receperunt. (*g*) Et mihi quidem stitutus sit, quamvis dandus in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.

(*a*) De annis Mathusalæ teste Augustino, lib. XV de Civ. Dei c. 13, olim fuit *quæstio famosissima*, iis tamen, ut idem docet lib. II de pecc. Orig. c. 23, annumeranda, quæ ignorari salva Christiana fide possunt. Hanc quoque Hieronymus in Quæst. Hebr. dicit *disputatione omnium ecclesiarum ventilatam.* Disputatio hinc nata est, quod secundum LXX interpretum editionem Mathusala 14 annos post diluvium vixisse computaretur : atque adeo animæ plus quam octo fuissent reservatæ. Secundum Hebræam tamen, cui nostra Vulgata consonat, nulla est difficultas : cum ipso diluvii anno defunctus reperiatur. Ubi autem codices dissentiunt, *ei potius linguæ credatur*, inquit Augustinus, loco jam laudato de Civ. Dei, *unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Quamquam, ut idem ibid. subjicit, *in quibusdam codicibus græcis tribus, uno latino, et uno etiam Syro inter se consentientibus inventus est Mathusalem sex annis ante diluvium fuisse defunctus.*

(*b*) Non negat Hilarius, uti Scultetus loquitur, mortem Moysi contra ipsissima Scripturæ verba : sed eam ita in sacris litteris expressam docet, ut summam sub earum verbis difficultatem latere indicet. Videsis quod ea de re annotatum est ad num. 10, cap. 20 comm. in Matth.

(*c*) Editi, *ne mortem et gladium.* Rectius mss. *ne mortem gladio*, scil. *usuris.*

(*d*) Id est, baptizasse leguntur in Actis, quorum proinde locutio concilianda est cum præcepto Domini, quo jussit baptizare in nomine Patris, etc. Agnoscit Hilarius hoc apostolis a Christo præceptum : atqui procul abest, ut apostolos præcepti Christi transgressores existimet : superest itaque ut dubitaverit saltem, an apostoli in solo Christi nomine baptizaverint, quidquid adversus Bellarminum reclamet Scultetus. Baptismus in nomine Jesu dici potuit, qui non ut prius Joannis, sed Jesu Christi auctoritate in-

(*e*) Athanasius, lib. de Synod., p. 919, insinuare velle videtur, Paulum Samosatenum non verbo *homousion hæresim suam expressisse*, sed cum declinare tentaret condemnationem, illud per sophisma sic objecisse : *Si Christus non ex homine Deus factus est ; igitur consubstantialis est Patri : et necessario sequitur tres esse substantias, unam quidem quæ prior sit ut princeps, reliquas vero duas ex ea oriundas.* Adeoque ille non sincero animo homousion confessus est, quamvis aliud hic asserat noster Hilarius. Cujus tamen sententiam confirmat legatorum Ancyranorum epistola superius summatim relata, qua vocem homousion a Patribus Antioch. ideo repudiatam esse testantur : *Quia Samosateus per hanc unius essentiæ nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem et Filium prædicabat.* Et vero Athanasius Antiochenæ synodi contra Paulum congregatæ epistolam sibi hæc scribenti defuisse præmonens, satis indicat non exigendam a se esse accuratam rei narrationem. Nihilo tamen minus cum Hilario defendit vocabulum homousion eadem fide et ab Antiocheno concilio repudiatum et a Nicæno receptum.

(*f*) Septuaginta tantum memorantur ab Athanasio lib. de Synod., p. 918 et 919. Contra Basilius diac. aliique monachi in libello quem in Ephesino concilio obtulerunt, centum octoginta recensent t. III Concil. p. 425 ; scribit vero Eusebius, lib. VII, c. 29, prope innumerabiles in eam synodum convenisse.

(*g*) Ita Liberius, apud Socratem, lib. IV, c. 12, ad Orientales rescribens : *Non fortuito casu*, inquit, *sed divino nutu tot episcoporum numerus adversus Arii vesaniam congregatus est ; quanto scilicet numero beatus Abraham tot hostium millia per fidem profligavit.* Quibus consentiunt prologus Ambrosii in lib. I de Fide, n. 5, et præfatio lib. I de Spiritu sancto, qui Paschasio diacono vulgo tribuitur, de quo si quidem in-

ipse ille numerus hic sanctus est, in quo Abraham victor regum impiorum (*Gen.* XIV, 14), ab eo qui æterni sacerdotii est forma, benedicitur. Illi contra hæreticum improbaverunt : numquid et isti non adversum hæreticum probaverunt? Gravis auctoritas est veterum : numquid et horum levis sanctitas est? Si contraria invicem senserunt, debemus quasi judices probare meliora : si vero et probando et improbando unum (*a*) utrumque statuerunt, quid bene constituta convellimus?

87. *An quod tacendum decrevit Osius, qui Nicææ interfuit.*—Sed forte dicetur mihi, Aliqui hodie ex his, qui tum synodo interfuerunt, tacendum (*b*) de homousio esse decreverunt. Et ego invitus (*c*) licet respondebo dicenti : Numquid non et ipsi tacendum de homœusio esse constituunt ? Oro vos, ne quisquam alius ex his præter senem Osium, et ipsum illum nimium sepulchri sui amantem, reperiatur, qui **514** tacendum esse existimet de utroque. Et quo tandem in tantis hæreticorum furoribus recidemus, si dum non utrumque recipimus, neutrum retinemus ? Non enim videri potest impie dici, ut quia neutrum scriptum reperiatur, aut neutrum confitendum sit, aut utrumque.

88. *Homousion quid intelligat Hilarius. Adversus homousion scrupuli levantur.*— Homousion, sanctissimi viri, intelligo ex Deo Deum, non dissimilis essentiæ, non divisum, sed natum, et ex innascibilis Dei substantia (*d*) coingenitam in Filio, secundum similitudinem, unigenitam nativitatem. Ita me antea intelligentem, non mediocriter ad id confirmavit homousion. Quid fidem meam in homousion damnas, quam per (*e*) homœusii professionem non potes non probare ? Damnas enim fidem meam, vel potius tuam, cum damnas intelligentiam ejus in nomine. Sed male alius intelligit? Damnemus in commune vitiosam intelligentiam, non auferamus fidei securitatem. Synodo (*f*) Samosatenæ subscribendum putas, ne secundum Samosateni intelligentiam quisquam sibi usurpet homousion ? Subscribamus et Nicææ **515** synodo, ne homousion (*g*) improbent Ariani. Sed (*h*) verendum est, ne secundum fidem non homœusion

cidit sermo, non gravabitur lector, si quædam hic momenta afferamus, quibus duos libros de Spiritu sancto ipsi falso adscriptos esse confirmemus.

Observaruut jam nonnulli, libros illos in Vaticano ms. Fausto Rhegiensi attribui. Cui inscriptioni suffragatur Gennadii auctoritas, duos libros de Spiritu sancto inter Fausti opera recensentis : favet vero plurimum mira illorum librorum cum cæteris Fausti Operibus consensio. Namque, verbi gratia, lib. I, c. 5, objectum contra Filii æternitatem eadem diluitur ratione, qua in epistola Fausti XVI. Item lib. II, c. 1, non secus ac in prædicta epistola, propugnatur Deum solum incorporeum esse, non animam humanam aut angelos. Plura suppetunt hujusmodi argumenta ; sed res non est hujus loci. Nobis tamen iterum ignoscat lector, si eum hinc plurimum adjuvari posse moneamus, ad plerarumque pseudo-Eusebii Gallicani homiliarum auctorem indagandum atque recognoscendum. Conferat enim primum horum librorum præfationem cum una prædicti Eusebii homilia de Symbolo, tum hanc cum altera de Symbolo pariter inscripta, ac deinde utramque cum duabus de Nativitate ac plerisque de Pascha, de Ascensione, etc. : tantam porro in iis inveniet consensionem, ut neque de parente amplius dubitaturus sit. Præterea qui Eusebianam homiliam in festo S. Trinitatis cum cap. 9 et 12 prædicti libri I de Spiritu sancto, necnon cum lib. II, c. 4, compararit, utrumque opus ad eumdem pertinere facili negotio deprehendet.

(*a*) Sic cum Bad. mss. nisi quod in Remig. et Mich. *uterque*. At Er., Lips. et Par. *utrique*. Utraque illa res, scil. homousii probatio et improbatio, una est ob unitatem finis, quo in unam Filii divinitatem æternitatemque confirmandam conspirarunt.

(*b*) In mss. *de homousion*, ac postea *de homœusion*. Facile quisque advertit objectum illud peti ex Osio, qui cum Nicænæ synodo interfuisset, in conventu Sirmiensi homousion tacendum esse decrevit, aut certe consensit. Quod subinde dicit Hilarius eum *sepulcri sui nimium amantem*, Baronius ad an. 357, n. 16, interpretatur *corporis sui nimium amantem*. Sic tamen hoc videtur potius intelligendum, ut morti proximus in exsilio vitam finire, et natalium sepulcro carere metuerit. Quod apertius Marcellinus ac Faustinus in libello eloquuntur his verbis : *Osius metuens ne senex et dives exsilium proscriptionemve pateretur, dat manus impietati.* Sensum nostrum confirmat Ambrosius, epist. LXXXII ad Vercellenses n. 69, ubi de sanctis Eusebio et Dionysio in exsilium pulsis ait : *Non desiderarunt patrium sepulcrum, quibus reservabatur cœleste domicilium.*

(*c*) In hæc verba manifeste cadit apologetica illa nota : *Satis absolute, Domine frater Lucifer, cognosci potuit, invitum me homœusii mentionem habere : sed quia tu similitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonstratio ejus a me fuit exponenda sine vitio.* In mss. tamen Carnut. et aliis, ex quibus nunc primum eruitur, inserta est proxime post hæc versus superioris verba : *Sed forte dicetur mihi.*

(*d*) Par. post Lipsium, *coingenitam :* male et contra fidem cæterorum librorum. Repugnat quippe ut nativitas sit, et ingenita. Non displiceret *congenita*. Nativitatem *congenitam* dicit Hilarius ; quia genita est simul atque exstitit innascibilis essentia. Addit *secundum similitudinem* ; ne degener putetur.

(*e*) In mss. *homousii :* quod non placet. Hic urgentur Orientales, quod homœusion vel sincere profiteantur, vel non ; si sincere, id intelligant hoc verbo, quod Hilarius voce homousion ; ac proinde damnando ac proscribendo homousion, aut suam ipsorum fidem damnare, aut certe homœusion non sincere profiteri convincantur.

(*f*) Veteres libri cum Bad., *Samosateno*. Unus e mss. Colb. *Samosathei*. Tellerianus, *Samosatheni*. Plures adversus Paulum coactas esse synodos indicat Eusebius, lib. VII Hist. c. 27, 20 et 30, sed nullius Samosatenæ mentionem facit. Primam namque et postremam aperte declarat cap. 27 et 29, Antiochiæ esse celebratam. Et cum dicat cap. 28, Firmilianum uni ex illis interfuisse, postremæ synodi Antiochenæ epistola narrat eumdem jam antea bis Antiochiam convenisse.

(*g*) Tellerianus codex, *improperent Ariani*. Tum cum duobus Carn. uno Remig. et Mich. subjicit : *Numquid et hic de homœusione legentem admonui, non aliter ostendens suscipi oportere, nisi ad unitatem substantiæ referretur*. Quibus verbis pergit Hilarius ab iniquis se suspicionibus purgare. Mallemus initio : *Numquid et hic homœusion eleyentem*, seu *eligentem*. Ex Miræi margine posset restitui : *Numquid et hic, ne homœusion negligenter suscipiatur, non admonui*. Non hoc solum libro, sed et lib. VII de Trinit. ea utitur cautela, ut similitudinem prædicans, eam num. 26 cum æqualitate jungat, et num. 37 ac 39 cum unitate.

(*h*) Hunc locum in editis diversimode fœdatum, et in aliquot mss. mutilum, resarcimus ope vetustioris exemplaris Colb., Germ., Corb., unius Carn., etc.

significare videatur homousion? Decernatur nihil differre, unius et similis (*a*) esse substantiæ. Sed homousion potest male intelligi? Constituatur qualiter bene possit intelligi. (*b*) Unum atque idem pie sapimus, rogo ut unum atque idem quod sapimus, pium inter nos esse velimus. Date veniam, Fratres, quam frequenter poposci : Ariani non estis : cur negando homousion censemini Ariani?

89. *Homœusion non caret offendiculo. Similitudo vera.*— Sed dicis : Movet me cum scandalo homœusii ambiguitas. Iterum audi, oro, sine scandalo : et me movet homœusii nuditas. (*c*) Multa sæpe fallunt, quæ similia sunt. Timeo aurum bracteæ, quia me fallere possit interius : et tamen auro simile est quod videtur. Timeo lactis similitudinem, ne oblatum mihi lac, non lac ovium sit : quia ei simile videatur et bubulum. Ut lac ovium lacti ovium simile sit, non potest simile esse, nisi ovis sit. Similitudo vera in veritate naturæ est. Veritas autem in utroque naturæ (*d*) non negatur homousion. Hæc est enim secundum essentiam similitudo, si massa massæ **516** consimilis non fallat in bractea, si lac quod concolor est, non diversum sit in sapore. Simile auro quidquam non potest esse, nisi aurum : simile lacti, nisi sui generis sit, esse non poterit. Fefellit me frequenter color vini : et tamen (*e*) gustatu, alterius generis liquorem recognovi. Vidi carnes carnibus similes : sed postea mihi naturæ (*f*) dissimilitudinem sapor prodidit. Has enim similitudines, quæ non ex unitate naturæ sint, (*g*) metuo.

90. *Ancyræ fides quibusdam tacitis Sirmium delata.* —Vereor enim, Fratres, Orientis hæreses in tempora singula pullulantes : et (*h*) quid vereri me dicam, jam et legi. Nihil quidem (*i*) in his, quæ vos, de Orientalium quorumdam assensu, susceptæ legationis ministri subscribenda Sirmium detulistis, nihil suspicionis relictum est : sed habuerunt ab exordio non nihilum offensionis, quæ credo vos, sanctissimi viri Basili et (*j*) Eustathi et Eleusi, ne quid scandali (*k*) afferretur, abolenda tacuisse. Quæ si recte scripta sunt, taceri non debuerunt. Si autem quia non recte scripta sunt (*l*) nunc tacentur, cavendum est ne aliquando dicantur. (*m*) Parcens enim adhuc de his nihil dico : tamen mecum recognoscitis, **517** quod

(*a*) Bad. *essentiæ et substantiæ.* Quidam mss., *essentiæ substantiæ*, alii, *essentiam substantiæ*, alii, *essentiæ substantiam.* Retinendum cum Carn., uno Colb. et altero Sorbon., *esse substantiæ.*

(*b*) In vulgatis, *unum atque idem sapimus, pium inter nos*, etc. Integrior visa est lectio antiqui codicis Carnut., cui favent et cæteri, maxime Colb. et Germ., in quibus exstat : *Unum atque idem pie sapimus; rogo ut unum atque idem quod sapimus inter nos esse velimus.*

(*c*) Et hic subnectitur in mss. sæpe nominatis : *Anne quisquam me existimare poterit homœusion velle suscipere, de quo ista tractavi?* quod cum apologeticis accensendum.

(*d*) Sic magno consensu mss., id est : cum veritas naturæ in utroque est, utrumque illud non negatur homousion. At editi, *non negatur homœusios.* Porro in eo, quod subsequitur, probatio habetur superioris propositionis, *Similitudo vera;* non proximæ hujus, *veritas autem.*

(*e*) Lips. et Par., *gustu.* Carnut. ms., *gustato alterius generis liquore :* male. Nam hoc ipsum, quod vinum videbatur, vinum non esse gustatu dicit se recognovisse.

(*f*) Mss. Tell., Mich. et Carn. *similitudinem sapor prodidit.* Magis placet *dissimilitudinem.* Tum iidem mss. cum altero Carn. et Remig. subjungunt : *Numquid et hic similitudinis negligens fui?* verba ad Apologiam pertinentia, quæ in sequentem sententiam aptius cadunt.

(*g*) Lipsius, *non metuo*, particula negante de suo prave addita, sine qua superius jam legerat : *Timeo aurum bracteæ;* neque tamen in posterioribus edit. castigatus fuit.

(*h*) Sic mss. Editi vero, *et quid verear edicam. Jam et legi. Mihi quidem.* Jam legit superius, quod hic dicit se vereri. Timet quippe ne non sincera sit Orientalium fides; quia Ancyræ damnarunt homousion. Hoc autem illis jam num. 81 exprobravit in hunc modum : *Quid fidem meam in homousion damnas*, etc.

(*i*) Puta in duodecim definitionibus tractatus hujusce initio relatis et expositis : quas solas Sirmium fuisse delatas declarat secundum Apologiæ responsum, relatum supra n. 13, post primam Ancyranæ synodi definitionem. Delatas eas fuisse ut subscriberentur, nunc primum disertis verbis significat Hilarius, sed aliquos ut iis subscriberent Sirmii coactos esse jam non semel enarravit. Deinde quod asserit factum *de Orientalium quorumdam assensu*, non ita videtur intelligendum, ut Orientales quidam censuerint duodecim tantum synodi definitiones, cæteris suppressis, Sirmium esse deferendas; hanc enim suppressionem solis Basilio, Eustathio et Eleusio, et id quidem ex conjectura, infra adscribit : sed ut tota synodus Ancyrana statuerit placita sua Sirmium deferenda, et ab iis subscribenda esse, qui contraria tuebantur. Ideo autem hæc synodus *quorumdam* dicitur, quia neque Orientales omnes, neque admodum frequentes in eam convenerant.

(*j*) In mss. Colb. et Germ., *Eustachi.* In Carn., Corb. et aliis quibusdam, *Eustasi.* Pessime autem apud Er., Lips. et Par., *Basilii et Eustathii et Eleusii* in secundo casu, cum oratio exigat quintum. Hic quippe Hilarius sermonem habet ad Basilium, Eustathium et Eleusium, ut qui inter Orientales Ancyræ congregatores eminebant, et inde ad Imperatorem legati fuerant.

(*k*) Antiquior ms. Colb. cum Germ. faventibus aliis, *offerretur.*

(*l*) Editi, *adhuc tacentur :* emendantur ex mss.

(*m*) Verbum *dicantur* in ms. Remig. excipit additamentum, quod in Carn. et Mich. superiori sententiæ, *Si autem quia non recte scripta sunt*, etc., minus apte prælegitur; habetur vero ad oram alterius Carn. et Tell. : *Ante existimor suspicionem ab his adimere, vel ea laudare quibus parco? Parcere enim, et cum dilatione ad hoc* (ms. Mich. *ab hoc*) *parcere, nihil improbi est et remissi.*

An hic similem substantiam aliud patior esse nisi unam? quæ si non una sit antea confitenda, jam postea impie sit similis prædicanda. Quo responso apposite ostendit Hilarius, se ab Orientalibus suspicionem non adimere. Nam qui timet ac cavet, ne quod tacitum est, aliquando dicatur, non est sine suspicione. Longe minus laudat, qui parcendum putat. Non parcit autem nisi cum dilatione, qui mox tandem animum suum aperit in hunc modum : *Date veniam, fratres, dolori meo : impium est quod audetis.* Quem in locum melius rejiceretur secunda pars superioris responsi, ab his scil. verbis, *An hic similem*, etc. Ubi de Orientalium progressu non ita gratulatur quin quasdam in eis impietatis quisquilias advertat, de quibus sibi dolendum sit.

non ita omnis (*a*) conscripta apud Ancyram fides se habebat. Non famæ fabulam loquor : litterarum fidem teneo, non a laicis sumptam, sed ab episcopis datam.

91. *Ad homousion suscipiendum adhortatio. Nicænam fidem non nisi exulaturus audivit.* — Oro vos, Fratres, adimite suspicionem, excludite occasionem (*b*). Ut probari possit homœusion, non improbemus homousion. Cogitemus tot sacerdotes sanctos et quiescentes : quid de nobis Dominus judicabit, si nunc anathematizantur a nobis? Quid de nobis erit, qui rem eo deducimus, ut quia episcopi non fuerunt, nos quoque (*c*) nec cœperimus? Ordinati enim ab his sumus, et eorum sumus successores. Renuntiemus episcopatui, (*d*) quia officium ejus ab anathemate sumpserimus. Date veniam, Fratres, dolori meo : impium est (*e*) quod audetis. Non patior hanc vocem, ut in anathemate sit homousion secundum religiosam intelligentiam confitens. Nomen nihil habet criminis, quod sensum non perturbat religionis. **518** (*f*) Homœusion nescio, nec intelligo, nisi tantum (*g*) ab similis essentiæ confessione. Testor Deum

(*a*) In vulgatis, *scripta... se habeat :* et mox apud Bad. et Mir., *non a lectoribus sumptam*, pro *non a laicis sumptam*. Hic significat Hilarius, non ita Ancyræ conscriptam esse fidem, qualis Sirmii edita est; seque hoc non rumore vulgi, sed ex ipsismet synodi litteris didicisse; easque litteras non laicorum, sed episcoporum nomine editas ac subscriptas esse. Quod videtur dixisse, quia in concilio Mediolan. an. 355, quamdam fidei formulam emiserant Constantii nomine, ut si eam exhorrerent catholici, haberent unde se excusarent, uti jam observatum est n. 78. Illas autem litteras exhibet Epiphanius hær LXXIII, n. 2, qui tamen epistolam *de homousii et homœusii expositione* superius n. 81, summatim relatam nec ipse nobis transmisit, nec ullus alius.

(*b*) Supple, *male de vobis sentiendi*.

(*c*) Mir., Lips. et Par., *nec ceperimus*. Melius alii libri, *nec cœperimus*, supple *esse*. Postea omnes mss. uno excepto, *sumus successio*, non *successores*. Argumento eodem Arianos urget Athanasius, lib. de Synod. pag. 882. *Quo*, inquit, *jure ipsi episcopi esse poterunt, si ab episcopis, quos ipsi criminantur, constituti sunt*. Sententiæ hujus rationem sic reddit Socrates lib. II, cap. 40 : *Quonam modo eorum* (Nicænorum Patrum) *ordinationem tamquam probam ac legitimam susceperunt, quorum fidem velut falsam ac reprobam rejecerunt? Nam si illi non habuerunt Spiritum sanctum, qui per ordinationem infunditur, sacerdotium non acceperunt. Quomodo enim acceperunt ab iis, qui non habebant quod darent?* Hinc apud Theodoretum lib. IV hist. eccl. c. 23, Moyses a Lucio Ariano patriarcha Alexandrino episcopalem ordinationem recipere vehementer recusavit his verbis : *Absit ut ego manu tua ordiner : te enim invocante non supervenit gratia Spiritus sancti.* Huc accedit quod Innocentius I, epist. ad Macedones cap. 3, habet : *Asseritur eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus, et verum est. Certe quia quod non habuit, dare non potuit; damnationem utique, quam habuit, per manus impositionem dedit : et qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.* Ob hæc aliaque Patrum verba, maxime ex Ebbonis Remensis occasione, disputatum est an valida esset episcopi consecratio ab iis facta, qui anathemate damnati erant. Verum ex verbis Innocentii liquet, eum non tam negasse collatam ordinationem, quam ordinis honorem, et ipsius exercendi potestatem : quia, inquit, *nostræ lex est Ecclesiæ, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare.* Unde quod Anisius statuerat, ut a Bonoso ordinati reciperentur, quamvis contra pristinum morem, tamen pro utilitate Ecclesiæ rite sancitum esse non negat. Fatetur etiam, Novatianis a Nicæna synodo indultum esse, ut ad Ecclesiam redeuntes in Clero permanerent : hoc cæteris ita negatum esse propugnans, ut et potuisse concedi, et quod negatum fuerit, ex disciplinæ consuetudine, non autem quod irrita existimaretur hæreticorum ordinatio, factum esse satis indicet. Sed et Romanæ Ecclesiæ quale ea de re judicium fuerit, loculplex testis est Augustinus, epist. alias L, nunc CLXXXV, n. 47 : *Hoc*, inquit, *ab initio servavit Africana catholica, ex episcoporum sententia qui in Ecclesia Romana inter Cæcilianum et partem Donati judicaverunt, damnatoque uno quodam Donato... cæteros correctos, etiamsi extra Ecclesiam ordinati essent, in suis honoribus suscipiendos esse censuerunt.* Ita etiam intelligi potest ac debet noster Hilarius, ut nimirum qui episcopatus officium ab anathemate sumpserint, disciplinæ rigore a nulla synodo eis relaxato, episcopi non sint, seu non censeantur esse; ea videlicet ratione, qua episcopos, quamvis legitime ordinatos, eos non esse declarat, qui in anathemate sunt constituti. Valet quippe Augustini ratio, lib. II contra epistolam Parmeniani c. 13 : *In ipsa præcisione vitium, non in sacramentis : quæ ubicumque sunt ipsa, vera sunt.* Quocirca Hieronymus, Dial. contra Luciferianos morem defendens Ecclesiæ, quæ ab Arianis venientes episcopos recipiebat, ad objectum quod Spiritum sanctum præstare non valeant sic respondet : *Si Arianus Spiritum non potest dare, ne baptizare quidem potest; quia Ecclesiæ baptisma sine Spiritu sancto nullum est.* Ultro tamen concedit Augustinus, epist. CLXXXV, n. 47, *foris ab unitate corporis Christi* Spiritum sanctum haberi non posse. Neque hic expendimus quo sensu Hieronymus eum ab Ariano dari non posse inficietur : hoc enim potest etiam vere dici, sed alterius est quæstionis.

(*d*) Quia scil., ut loquitur Innocentius I, epist. ad Macedones c. 3, Romanæ *lex est Ecclesiæ venientibus ab hæreticis, per manus impositionem, laicam tantum tribuere communionem*, etc.

(*e*) Bad. et Er. cum aliquot recentioribus mss. *quod auditis :* male. Deinde soli editi, *non patiar*. Hic tandem declarat Hilarius, quod hactenus dissimulavit, ultimum videlicet Ancyranæ synodi decretum : quod cum reliqua epistola apud Epiphanium hær. LXXIII habetur, et num. 11, refertur his verbis : Εἴ τις ἐξουσίᾳ καὶ οὐσίᾳ λέγων τὸν Πατέρα πατέρα τοῦ Υἱοῦ, ὁμοούσιον δὲ ἢ ταυτοούσιον λέγοι τὸν Υἱὸν τῷ Πατρὶ, ἀνάθεμα ἔστω. *Si quis Patrem potestate simul et substantia Filii patrem asserens, consubstantialem vel ejusdem cum Patre substantiæ Filium esse dicat, anathema sit.*

(*f*) Carnutensis codex, unus Colb. et alter Sorbon., *homousion nescio*, etc., quam lectionem ultro præferremus, si sinerent prima subsequentis notæ apologeticæ verba.

(*g*) Ita cum tribus prædictis mss. alii duo. At Er. et Lips. et Par., *similis essentiæ confessionem*. Bad. cum pluribus mss., *absimilis essentiæ confessionem*. Loco *absimilis*, non displiceret *ob similis*, vel cum ms. German. ab antiqua manu secunda, *ad similis*. Post hæc verba sequitur in mss. sæpe jam laudatis postrema hæc Apologiæ pars : *Numquid videor, quod nescivi, probare potuisse? Non utique. Sed quia fides catholica non debeat nisi per unitatem similitudinem credere; ut similitudinem tantum ad excludendam unionem commemoret, non ad discidium unitatis : idcirco me dixi, cum nomina homousii atque homœusii nescissem* (mendose in mss. uno recentiore Carn. excepto, *nescissent*, et mox *recepissent*), *tamen per unitatem similitudinem recepisse. Hoc ipsum statim sequens sententia absolvit : Testor Deum cœli*, etc.

cœli atque terræ, me cum neutrum audissem, semper tamen utrumque sensisse, quod (*a*) per homousion homœusion oporteret intelligi : id est, nihil simile sibi secundum naturam esse posse, nisi quod esset ex eadem natura. Regeneratus pridem, et in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicænam numquam nisi exsulaturus audivi : sed mihi homousii et homœusii intelligentiam Evangelia et Apostoli intimaverunt. Pium est quod volumus. Ne damnemus patres, ne animemus hæreticos : ne dum hæresim apellimus, hæresim nutriamus. Interpretati patres nostri sunt post synodum Nicænam homousii prolatem (*b*) religiose, exstant libri, manet conscientia : si quid ad interpretationem addendum est, communiter consulamus. Potest inter nos optimus fidei status condi : ut nec ea quæ bene sunt constituta **519** vexentur, et quæ male sunt intellecta resecentur.

(*a*) In vulgatis, *per homœusion homousion*. Cum verbis Hilarii modo allatis, *se per unitatem similitudinem recepisse*, magis consonat lectio mss.

(*b*) In excusis, *religiosi extant libri*. At in mss., *religiose* : quod refertur ad verbum *interpretati sunt*, et illustratur his verbis n. 27 libri contra Constant. : *Exstant enim litteræ, quibus id, quod tu criminosum putas, pie tunc esse susceptum docetur*. Porro etiamnum apud Socratem lib. I, sub finem cap. 8, exstant Eusebii Pamphili litteræ, quibus hanc vocem sibi pie ac religiose expositam se suscepisse scribit.

92. Egressus sum, Fratres charissimi, humanæ conscientiæ pudorem : et humilitatis meæ immemor, de tantis ac tam reconditis rebus, et ad usque hanc ætatem nostram intentatis ac tacitis amore vestri coactus hæc scripsi, et quæ ipse credebam locutus sum : conscius mihi, hoc me Ecclesiæ militiæ meæ stipendium debere, (*c*) ut per has litteras, episcopatus mei in Christo vocem, secundum doctrinas evangelicas, destinarem. Vestrum **520** est in commune tractare ac providere atque agere, ut quod usque nunc inviolabili fide manetis, religiosa conscientia conservetis, et teneatis quod tenetis. Mementote exsilii mei in orationibus sanctis : a quo me, post expositionem hujus fidei, nescio an tam jucundum est ad vos (*d*) in Domino Jesu Christo reverti, quam securum est mori. Deus et Dominus noster incontaminatos vos et illæsos in diem revelationis reservet opto, Fratres charissimi. (*e*)

(*c*) Editi, *et* pro *ut;* et mox, *destinare* pro *destinarem :* corriguntur ex mss. Præferre tamen licet cum Colb. et Germ. *debere per has litteras... destinare.*

(*d*) Er., Mir., Lips. et Par., *in domum Christi reverti*, Bad. et omnibus mss. renitentibus.

(*e*) In recentioribus mss. sic absolvitur hic liber : *Homousion græcum est. Interpretatio homousion, unius substantiæ : et homœusion interpretatur similis substantiæ ; sed per homousion oportet intelligi :* quæ studiosi alicujus potius nota videtur, quam auctoris.

521-522 SANCTI HILARII
APOLOGETICA AD REPREHENSORES
LIBRI DE SYNODIS RESPONSA (*f*).

I. *In hæc num.* 3: Et licet non sine aliquo aurium scandalo.... restiterint *Orientales Anomœis.*

Si diligenter sententia hæc expensa esset, forte totius tractatus mei ratio non fuisset suspiciosa. Non enim (*g*) tacui esse illic, quod non nisi cum scandalo esset audiendum.

II. *Initio num.* 13, *post recitationem primi decreti Ancyranæ synodi.*

Expositiones omnes (*Ancyranæ synodi, quæ hoc libro describuntur*), si quid habent criminis, intra se habent ; cæterum non habere in publica facie existimantur. Sed quia scirem ea sola Sirmium esse delata (*f.* eas solas delatas).

III. *Respicit ista num.* 77 : Exposita similis substantiæ, quæ homœusion appellatur, fideli ac pia intelligentia.

Non puto quemquam admonendum, in hoc loco ut expendat, quare dixerim SIMILIS SUBSTANTIÆ CPIAM INTELLIGENTIAM, nisi quia intelligerem et impiam : et idcirco similem, non solum æqualem, sed etiam eamdem dixisse, ut neque similitudinem, quam tu, frater Lucifer, prædicari volueras, improbarem ; et tamen solam piam esse similitudinis intelligentiam admonerem, quæ unitatem substantiæ prædicaret.

IV. *In mss. cum superiori uno tenore continuatum pertinet ad hoc num.* 78 : O studiosi tandem apostolicæ atque evangelicæ doctrinæ viri.... quantam spem revocandæ veræ fidei attulistis ?

In eo vero, quod laudans eos in invidiam deducor a quibusdam ; parum intellectus sum. Non enim eos veram fidem, sed SPEM REVOCANDÆ VERÆ FIDEI attulisse dixi : ut sicut illi auditi sunt, ita et nos ex hoc contra Valentem et Ursacium possemus audiri, et (*h*) coaptandus ad eos allocutionis sermo blandus nihil aliud, quam procacium conviciorum effugeret fœditatem ; cum amarius atque etiam produm duxerimus, quamvis exstet in mss. *tacuissem illic.*

(*f*) Primum typis mandata in ed. Veronensi, quam recudimus.

(*g*) Hoc ita evidenter postulat sensus, ut præferendum duxerimus, quamvis exstet in mss. *tacuissem illic.*

(*h*) Ita ms. Mich. At Carn. et Tell. *coapta ea deus.* Forte, *quo aptæ ad eos*, vel *cæptus ad eos.*

brosius in consequentibus (*præsertim num.* 91), occulta expositionum essem scandala proditurus.

V. *Aptatur his num.* 80: Oro autem vos, sanctissimi viri, ut cum bona venia sollicitudines meas æstimetis.

Pro prudentia vestra expendite, quid sit a sanctissimis viris poscere, ut cum bona venia audiant dicentem; et an ejusdem sit adulari, et objurgare. Hoc ideo ita dictum est, (*a*) quia quæ ad præsens tacita ab his (*Legatis Sirmium missis*) fuissent, eram proditurus (*num.* 90 *et* 91); non tamen in his, quæ possent tamquam excusabilia defendi, viderer calumniari.

VI. *Attinet ad hæc num.* 87: Et ego invitus licet, respondebo, *etc.*

Satis absolute, Domine frater Lucifer, cognosci potuit, invitum me homœusii mentionem habere. Sed quia tu similitudinem Filii ad Patrem prædicabas, demonstratio ejus a me fuit exponenda sine vitio.

VII. *His subnectitur num.* 88: (*b*) Synodo Samosatenæ subscribendum putas.. Subscribamus et Nicææ synodo.

Numquid et hic (*c*) de homœusione legentem, admonui, non aliter ostendens suscipi oportere, nisi ad unitatem substantiæ referretur?

VIII. *Reprehensorum oculis exponit hoc num.* 89: Et me movet (cum scandalo) homœusii nuditas, *etc.*

Anne quisquam me existimare poterit homœusion velle suscipere, de quo ista tractavi?

IX. *Huic affine, adducitur post allata exempla eorum quæ externa similitudine fallunt.*

Numquid et hic similitudinis negligens fui?

523-524 X. *Convenit his num.* 90: Parcens enim adhuc de his nihil dico, *quæ Ancyræ cum scandalo decreta sunt.*

Anne existimor suspicionem ab his adimere, vel ea laudare quibus parco? Parcere enim, et cum dilatione ad hoc parcere, nihil improbi est et remissi.

XI. *In mss. decimo continuatum cadit in illa n.* 91: Ut probari possit homœusion, non improbemus homousion; *item et in ista ejusdem numeri:* Impium est quod audetis, *etc.*

An hic similem substantiam aliud patior esse nisi unam? quæ si non una sit antea confitenda, jam postea impie sit similis prædicanda.

XII. *Subjicitur post hæc num.* 91: Homœusion nescio nec intelligo, nisi tantum ab similis essentiæ confessione, *etc.*

Numquid videor quod nescivi probare potuisse (*accipiendo homœusion pro similitudine non substantiali*)? Non utique. Sed quia fides catholica non debeat nisi per unitatem similitudinem credere; ut similitudinem tantum ad excludendam unionem commemoret, non ad discidium unitatis: idcirco me dixi, cum nomina homousii atque homœusii nescissem, tamen per unitatem similitudinem recepisse. Hoc ipsum statim sequens sententia absolvit.

(*a*) Particula *ut* videtur hic deesse.

(*b*) Aptius subjungeretur illis ejusdem numeri verbis, *Decernatur nihil differre, unius et similis esse substantiæ.*

(*c*) Ex Erasmi et Miræi margine, ubi hæc apologetica nota jacet, restitui potest, *ne homœusion negligenter suscipiatur, non admonui.*

ADMONITIO

IN EPISTOLAM SEQUENTEM ET SUBJUNCTUM EI HYMNUM.

Hanc epistolam nugamentum hominis otiose indocti *vocat Erasmus, Gillotius scribit a Fortunato sibi videri confictam; idque eum* verissime *scripsisse Scultetus, pag.* 321, *asseverat. At Fortunato ipsi, qui illius se non auctorem, sed testem facit, fidem non detrectandam merito censent æquiores rerum æstimatores. Non enim credunt, sanctum Pictavensis ecclesiæ Præsulem mentitum, cum eam propria Hilarii manu subscriptam sua ætate Pictavis pro munere conservatam esse testatus est. Longe minus veritati consentaneum est, ut cum genuinam Hilarii epistolam præ manibus haberet, ea suppressa adulterinam supposuerit. Si quid autem in summa, quam ex ea exprimit, paulo aliter enuntiat quam in illa continetur; eo ipso palam facit, illam a se cusam non fuisse. Nihil porro in ea advertunt pio ac prudente indignum parente, qui carissimam filiam simul et puellam tenerrimam verbis ad ipsius captum accommodatis a vanis sæculi pompis ac deliciis avocat, ut eam cœlesti sponso bonisque melioribus præparet. Cum autem sermonis obscuritates et ænigmata ad excitandas ingenii vires valde idonea sint: non imprudenter iis utitur sollicitus pater, multis jam annis a patria domo remotus, ut ex responsis filiæ ingenium ac studium illius experiatur. Jam enim triennio saltem Abram non viderat, cum hanc ei epistolam scripsit. In ea hymnum matutinum pariterque serotinum ipsi se mittere memorat. Excidit serotinus: sed matutinum una cum epistola ad calcem gestorum Hilarii a Fortunato scriptorum in quam plurimis mss. reperire est. Utrumque illud opus in antiquis Hilarii editionibus libro de Synodis non male subjungitur. Nam ut litteras Abræ cum Gallorum litteris ab eo acceptas fuisse, ita et illius rescriptum cum libro de Synodis missum esse veri simillimum est.*

525-526

SANCTI HILARII

EPISTOLA AD ABRAM FILIAM SUAM.

(CIRCA FINEM ANNI 358 MISSA.)

Dilectissimæ filiæ (*a*) Abræ Hilarius in Domino salutem.

1. *Abra patris absentiam dolet.* — Accepi litteras tuas, in quibus intelligo desiderantem te mei esse : et certum (*Mss.* certe) ita habeo. Sentio enim quantum præsentia horum qui amantur optabilis sit. Et quia gravem tibi esse absentiam meam scirem, ne me forte impium esse erga te existimares, qui tam diu a te abessem : excusare tibi et profectionem meam et moras volui, ut intelligeres me non impie tibi, sed utiliter deesse. Namque cum te, filia, ut unicam, ita, quantum a me est, et unanimem habeam; vellem te pulcherrimam omnium et sanissimam vivere.

2. *Hilarius abest, ut vestem et margaritam pretiosam filiæ conquirat.* — Nuntiatum ergo mihi est, esse quemdam juvenem, habentem margaritam et vestem inæstimabilis pretii : quam si quis ab eo posset mereri, super humanas divitias et salutem et dives et salvus fieret. Ad hunc (*b*) his auditis profectus sum : ad quem cum per multas et longas et difficiles vias venissem, videns eum statim procidi. Adest enim tam pulcher juvenis, ut ante conspectum ejus nemo audeat consistere. Qui ubi me procidisse vidit, interrogari me jussit quid vellem, et quid rogarem : et ego respondi, audisse me de veste sua et margarita, et ob id venisse ; et si eam mihi dignaretur præstare, esse mihi filiam quam vehementer diligerem, cui hanc vestem atque margaritam quærerem. Et (*c*) inter hæc prostratus in faciem fleo plurimum, et noctibus ac diebus ingemiscens, rogo uti audire dignaretur precem meam.

3. *Vestis hæc et margarita quanti facienda.* — Post quæ, quia bonus est juvenis et (*d*) melius illo nihil est, ait mihi, Nosti hanc vestem atque hanc margaritam, quam a me lacrymis rogas uti eam filiæ tuæ concedam? Et ego respondi illi, Domine, auditu cognovi de ipsis, et fide credidi : et scio quia optimæ sunt, et salus vera est hac veste uti, et hac margarita ornari. Et statim ministris suis præcepit, ut mihi et vestem hanc et margaritam ostenderent : et confestim ita fit. Ac vestem primo vidi : vidi, filia, vidi quod eloqui non possum. Numquid non sericum secundum subtilitatem ejus (*e*) spartum erat? Numquid candori ejus nives comparatæ non nigrescebant? Numquid aurum juxta fulgorem ejus non lividatur? Ipsa enim multicolor, et nihil prorsus comparatum ei poterat æquari. Post quam vidi margaritam : qua visa statim concidi. Non enim potuerunt oculi mei sustinere tantum ejus colorem. Nam nec cœli, nec lucis, nec maris, nec terræ species pulcritudini ejus poterat comparari.

4. *Utriusque commoda et dotes.* — Et cum prostratus jacerem, ait mihi quidam de assistentibus, Video te sollicitum et bonum patrem esse, et hanc vestem atque hanc margaritam ad filiam tuam desiderare : sed ut magis desideres, ostendo tibi quid adhuc hæc vestis atque margarita boni habeat. Vestis hæc numquam tineis comeditur, non usu atteritur, non sorde inficitur, non vi scinditur, non damno amittitur : sed semper talis qualis est permanet. Margaritæ vero hæc virtus est, ut si quis eam induerit, non ægrotet, non senescat, non moriatur. Nihil omnino in se habet, quod sit (*f*) noxium corpori : sed utenti ea nihil accidit, quod aut mortem afferat, aut ætatem demutet, aut impediat sanitatem. Quod ubi audivi, filia, exanimari magis desiderio margaritæ et vestis istius cœpi : et sicut prostratus jacebam, indeficienti fletu et intenta oratione juvenem precari cœpi, dicens : Domine sancte, miserere preci meæ, et miserere sollicitudini et vitæ meæ. Si enim hanc vestem mihi et margaritam non concedis, miser futurus sum, filiamque meam (*g*) viventem perditurus : ego propter hanc vestem et margaritam peregrinari volo. Scis, Domine, quia tibi non mentior.

527 5. *Hilarii filiæ promittuntur, modo vana ornamenta abjiciat.* — Post quam vocem meam audivit, jubet me levare ; et ait mihi, moverunt me preces et lacrymæ tuæ, et bene est quod hoc credidisti. Et quia dixisti, te pro hac margarita ipsam vitam tuam velle impendere, non possum eam tibi negare : sed scire debes propositum et voluntatem meam. Vestis, quam ego dedero, talis est, ut (*h*) si quis voluerit veste alia colorata et serica et aurata uti, vestem meam sibi vestis subtilitati comparatum sericum prorsus spartum esse, ex quo scil. funes nautici et sportæ olim fiebant.

(*a*) In plerisque mss. *Apræ.*

(*b*) In uno ms. Colb. *ad hunc videndum*, sine *his auditis.*

(*c*) Sic mss. At editi, *in terram prostratus facie.*

(*d*) Exempla sancti Petri de Cultura Cenoman. *melior illo nullus est.*

(*e*) Bad., Er. et Mir. *partem habuerat.* Lips. ex Erasmi margine, *par erat.* Novissima editio Par. *parsum erat.* Beccensis ms. *præparatum non erat.* Ottobonius, *spartim erat.* Significat Hilarius, monstratæ

(*f*) Editi, *obnoxium :* emendantur ex mss.

(*g*) In uno ms. Colb. *juvenem*, non *viventem.*

(*h*) Alter e mss. Colb. cum Boheriano, Ottob. et Cenom., *si qua puella :* et mox solus Ottob. *in veste mea capi non possit.* Huc spectat illud Cypriani de Discipl. et Habitu virginum, *Sericum et purpuram indutæ, Christum induere non possunt.* Sic Hieronymus,

capere non possit. Sed illi dabo eam, quæ contenta sit, non serico habitu, sed (*a*) nativis coloribus et insumptuoso textu vestiri : ita ut propter consuetudinem, purpuram (*b*) perangustam vestis habeat : non etiam purpura ipsa (*c*) diffundatur in vestem. Margarita vero, quam a me petis, naturæ ejus est, ut habere eam nemo possit, qui margaritam aliam habuerit : quia aliæ margaritæ aut de terra aut de mari sunt ; mea autem, ut ipse tu vides, speciosa et pretiosa est, incomparabilis et cœlestis est, nec dignatur ibi esse ubi aliæ sunt. Non enim rebus meis convenit cum rebus hominis : quia qui veste mea et margarita utitur, in æternum sanus est ; non febre exardescit, non vulneri patet, non annis demutatur, non morte dissolvitur ; (*d*) æqualis enim semper et æternus est. Ego tamen hanc vestem et hanc margaritam meam petenti tibi dabo, ut eam filiæ tuæ perferas. Sed prius scire debes quid velit filia tua. Si se hujus vestis et margaritæ meæ dignam faciat, id est, si vestes sericas et auratas et infectas habere noluerit, si omnem margaritam alteram oderit ; tunc hæc quæ me rogas tibi præstabo.

6. *Filiam hortatur ut modestis utatur vestibus.* — Post quam vocem, filia, lætus exsurgo, et secretum hoc habens, hanc ad te epistolam feci : rogans te per multas lacrymas meas, ut te huic vesti et margaritæ reserves, neque miserum senem tali damno tuo (*e*) facias, si hanc vestem et hanc margaritam **528** non habueris. Testor (*f*) autem tibi, filia, Deum cœli et terræ, quia nihil hac veste atque hac margarita pretiosius est ; et tui juris est, ut hanc habeas. Tu modo, (*g*) si quando tibi vestis alia afferatur, vel serica, vel infecta, vel deaurata, dicito ei qui tibi offert : Ego vestem alteram exspecto, propter quam pater meus a me tam diu peregrinatur, quam mihi quærit, quam non possum habere si hanc habuero. Sufficit mihi lana ovis meæ, sufficit mihi color quem natura attulit, sufficit mihi textus insumptuosus : cæterum vestem illam desidero, quæ dicitur non absumi, non atteri, non scindi. At vero si tibi margarita offeratur aut suspendenda collo, aut digito coaptanda, dices ita, Non mihi impedimento sint istæ inutiles et sordidæ margaritæ : sed exspecto illam pretiosissimam, pulcherrimam et utilissimam. Credo patri meo, quia et (*h*) ille ei, qui hanc spopondit sibi, credidit, propter quam mihi significavit se etiam mori velle : hanc exspecto, hanc desidero, quæ mihi præstabit salutem et æternitatem.

7. *Filiæ exspectat rescriptum. Hymnus matutinus et serotinus. Abræ mater.*—Ergo, filia, subveni sollicitudini meæ, et hanc epistolam meam semper lege, et huic vesti et margaritæ te reserva. Et ipsa tu mihi, nullum interrogans, quibuslibet potes litteris rescribe, utrum vesti huic et margaritæ te reserves, ut sciam quid juveni illi respondeam : et ut si illam desideras, si exspectas, lætus possim ad te reditum cogitare. Cum autem mihi rescripseris, tunc tibi et ego quis sit hic juvenis, et qualis sit, et quid velit, et quid premittat, et quid possit, indicabo. Interim tibi hymnum matutinum et serotinum misi, ut memor mei semper sis. Tu vero si minus per ætatem hymnum et epistolam intellexeris, interroga matrem tuam, quæ optat ut te moribus suis genuerit Deo. Deus qui te genuit, hic et in æternum custodiat opto, filia desideratissima.

epist. VII ad Lætam, ubi narravit quas pœnas dederit Prætextata nobilissima, quod viro Hymetio jubente filiæ Deo consecratæ habitum cultumque mutasset, concludit : *Sic ulciscitur Christus violatores templi sui, sic gemmas et pretiosissima ornamenta defendit.* Quod autem ibi de virginum cultu habet, maxime vero illud, *Habeat alias margaritas, quibus postea venditis emptura est pretiosissimum margaritum*, haud mediocriter confirmat hanc epistolam Hilarii ætatem redolere, neque ipsius stylo esse indignam. V. tract. ps. CXVIII, lit. 16, n. 16.

(*a*) Nativos habituum colores commendant, et arte quæsitos damnant etiam alii Patres. *Neque enim*, inquit Cyprianus de Discipl. et Habitu virg. *Deus coccineas aut purpureas oves fecit, aut herbarum succis et conchyliis tingere et colorare lanas docuit.* Quod ex Tertulliano, lib. II de Cultu femin. n. 10, expressit Cyprianus.

(*b*) Par. *purpuram per augustam vestis.* Editiones aliæ, *purpuream per augustas vestes.* Duo mss. *purpuram per angustas vestes.* Melius alii, *perangustam vestis :* ad distinctionem scil. *latioris purpuræ*, cujus meminit Tertullianus, de Pallio num. 4, unde est *clavus latus* ab eodem memoratus, n. 13 de Corona. Hieronymus vero, epist. 22, ad Eustochium depingens et carpens quasdam virgines, quæ in publico notabiliter incedebant, inter alia ait, *purpura tantum in veste tenuis.* Nonnihil confert hic Hilarii locus ad explorandam generis illius nobilitatem.

(*c*) Editi, *defundatur in veste :* emendantur ex scriptis.

(*d*) Ita omnes fere mss. Editi vero, *æqualis æternis.* Codex Ottob. *æqualis enim est vestis mea et æterna :* et paulo ante *non vulnera patitur*, pro *non vulneri patet.*

(*e*) Beccensis codex, *efficias.* Cenom. *conficias.* Bohierianus et aliquot alii, *neque misero seni tale damnum tuum facias.* Unus Colb. *neque miserum semen tali damno tuo te facias.* Cui consentit Germ. nisi quod ab eo abest *te.*

(*f*) Hujusmodi obtestationis exemplum legimus lib. de Synodis, num. 91, puta, *Testor Deum cœli atque terræ, me cum neutrum audissem*, etc.

(*g*) Ita ms. Ottob. At editi, *tu modo quando tibi vestis alia affertur.*

(*h*) Excusi, *ille qui spopondit ei se credidit :* corriguntur ex ms. Bohier.

529-530

SANCTI HILARII

HYMNUS FILIÆ SUÆ ABRÆ MISSUS.

Lucis largitor splendide (*al.* optime),
Cujus sereno (*al.* sermonis) lumine,
Post lapsa noctis tempora,
Dies refusus (*al.* refulsus) panditur.

Tu verus mundi lucifer,
Non is qui (*a*) parvi sideris,
Venturæ lucis nuntius,
Angusto fulget lumine :
Sed toto sole clarior,
Lux ipse totus et dies,
Interna nostri pectoris
Illuminans præcordia.
Adesto rerum conditor,
Paternæ lucis gloria,
Cujus (*b*) admota gratia,
Nostra patescunt corpora;
Tuoque plena spiritu,
Secum Deum (*supple*, sunt) gestantia :
(*c*) Ne rapientis perfidi
Diris patescant fraudibus :

A

Ut inter actus sæculi,
Vitæ quos usus exigit,
Omni carentes crimine,
Tuis (*d*) vivamus legibus.
Probrosas mentis castitas
Carnis vincat libidines,
Sanctumque puri corporis
Delubrum servet Spiritus.
Hæc spes precantis animæ,
Hæc sunt votiva munera,
Ut matutina nobis sit
Lux in noctis custodiam.
Gloria tibi Domine,
Gloria Unigenito,
Cum Spiritu paraclito,
Nunc et per omne sæculum. Amen.

B

CENSURA ALTERIUS HYMNI HILARIO PERPERAM TRIBUTI.

In ms. alias Cardin. Sirleti, tum Altempensis bibliothecæ, nunc Cardinalis Ottoboni, hunc hymnum sequitur alter prolixior, qui serotinus existimari possit in superiore ad Abram epistola memoratus. Certe in serotinum tempus apprime convenit. Ab astris enim exordium ducit, estque generalis quædam confessio animi, qui lasciviæ, superbiæ, invidiæ, discordiæ, inanis gloriæ, gulæ ac gestientis lætitiæ vitiis se impetitum ingemiscens, una Dei misericordia Christique meritis fretus veniam precatur. Præterea Arianæ hæresis tempora in hoc sapit, quod fidelem animum professus, Arium ac Sabellium nominatim detestatur, nec ullum his addit hæreticum, nisi, forte ad complendos versus, Simonem magum. Tamen dictio non videtur Hilario digna. Ubique versuum mensura syllabarum potius quam pedum numero terminatur. Et cum sermo deberet esse feminini generis, si a filia canendus esset hic hymnus, ubique est masculini. Ex initio et fine judicet lector, quid de hymno reliquo sentiendum sit.

INITIUM.

Ad cœli clara non sum dignus sidera
Levare meos infelices oculos
Gravi depressos peccatorum pondere :
(*e*) Parce redemptis.
Bonum neglexi facere quod debui,
Probrosa gessi sine fine crimina,
Scelus patravi nullo clausum termino :
Subveni, Christe.

C

FINIS.

Hymnum fideli modulando gutture,
Arium sperno, latrantem Sabellium :
Assensi numquam grunnienti Simoni
Aure susurra.
Zeloque Christi sum zelatus nomine :
Sancta nam mater lacte me catholico
Tempus per omne Ecclesia nutrivit
Ubere sacro.

(*a*) Editi, *parvus oritur*.

(*b*) Ita ms. Germ. ubi Ottob., duo Colb. et alius sancti Petri de Cultura, *amota gratia nostra pavescunt corpora :* male In Vulgatis autem, *ad nutum gratiæ nostra patescunt corpora.* Tum in alio ms. German. subjicitur :

Tuaque sancta dextera,
Tuere nos per sæcula.
Post hujus vitæ terminum,
Vitam perennem tribue,

ac deinde subsequitur : *Tuoque plena spiritu*, pro quibus in vulgatis : *Tu quoque pleno spiritu.*

(*c*) Germanensis codex, *nihil adrepentis perfidi occultis pateat fraudibus.*

(*d*) Excusi, *nitamur legibus :* renitentibus mss.

(*e*) Melius hic conveniret *Subveni, Christe;* et post, *Parce redemptis.*

D

531-532

IN SEQUENTEM LIBRUM ADMONITIO.

NONNULLA DE LIBRIS ALIIS AD CONSTANTIUM PRÆLIBANTUR.

I. *Librorum ad Constantium ordo.* — Tres libros subsequentes, quo eos ad manum habere quisque valeat, ab invicem non separamus : quamvis ordo temporum postularet, ut eorum primus libro de Synodis præponeretur. In illis tamen inter se ordinandis habita est temporum ratio, quæ prius neglecta fuerat.

II. *An aliqui libri ad Constantium exciderint.*—Ambigi possit, an plures, quam qui nunc exstant, sub iisdem titulis ab Hilario scripti sint. Namque post Sulpicium Severum Fortunatus testatur, ipsum, dum Constantinopoli opperiretur regis voluntatem, tribus libellis regis audientiam poposcisse : nec jam nobis superest nisi unicus Constantinopoli editus, quo audientia postuletur. Deinde in nullo librorum sequentium reperire est fragmentum, quod Hilarii nomine ut

scribentis ad Constantium imperatorem in concilio laudavit Cœlestinus papa I, et Arnobius lib. II de conflictu cum Serapione inseruit. Postremo Hieronymus librum Hilarii in Constantium jam vita functum memorat : cum vivo Constantio tres istos scriptos fuisse constantissimum sit.

III. Quæ licet ita sint, alios tamen ab his minime desiderandos arbitramur : et Fortunatum quidem a Sulpicio deceptum esse; hunc vero nimio brevitatis studio tres libros, quos habemus, sub titulo eorum uni dumtaxat conveniente comprehendisse, aut potius, sicut et multa alia, confudisse. Neque ullum fere dubium est, quin Hieronymus librum, qui tertio loco exhibetur, contra Constantium vita functum dixerit. Fragmentum autem a Cœlestino et Arnobio memoratum cum ultro recipiamus, ut Hilarii calamo et ingenio prorsus consentaneum, neque falso inscriptum putemus; facile tamen opinamur, illud ad eam primi libelli partem pertinere, quæ manifeste mutila atque truncata est.

IV. *In primo libro aliquid deest. An aliquid habeatur aliunde adsutum.* — Nonnulla enim in hoc primo libro deesse jam adverterunt eruditi, et perspicuum est vel ex his num. 7 : *Moveret enim absolutionem ejus*, etc., quæ cum ad Athanasium referri necesse sit, in animum inducunt sermonem de sancto illo viro antea habitum desiderari. Rursum num. 8, Nicænæ fidei mentio jam facta memoratur; quamvis nullum in superioribus de ipsa verbum occurrat. Aliqui etiam dubitarunt, an non huic libello aliunde adsuta sint, quæ a num. 4 supersunt. Nam neque cum superioribus, neque inter se satis cohærere videntur : nusquam ab hinc ad imperatorem convertitur oratio : tractandi autem ratio magnam affinitatem habet cum iis quæ in Fragmentis historiæ Ariminensis concilii disseruntur. Quocirca non satis certam putant Baronii opinionem, hunc librum anno 355 scriptum non aliunde probantis, quam quod Hilarius num. 8, de Eusebii Vercellensis exsilio locuturus, rem *recens* gestam aggredi se prædicet. Sed et ei opponunt Fragmenti I, num. 6, verba, ubi Synodi Arelatensis acta sex septemve post annis narraturus, ea tamen dicat *proxime* gesta.

V. *Quando scriptus sit.*—Recens non est libelli hujus plaga, quam neque ex codice S. Petri de Urbe sæculo quinto ineunte exarato resarcire licuit. At cum in vetusto illo exemplari non solum in fronte exstet : *Incipit ejusdem ad Constantium;* sed et ad calcem adscribatur : *Explicit liber* I *S. Hilarii ad Constantium. Incipit l.* II *ejusdem ad eumdem, quem et Constantinopoli ipse tradidit :* non videtur facile dandum, aliunde quidquam adsutum esse. Certe **533-534** utraque pars easdem deflet calamitates, eadem ratione perstringit Arianorum violentiam. Et neutram quidem ante annum 355 scriptam esse liquet : non postremam, qua non modo Paulinus ex Arelatensi synodo an. 354, sed et ex Mediolanensi an. 355, Eusebius ac Dionysius in exsilium ejecti narrantur, neque etiam primam, qua egregiorum sacerdotum ab exsilio reditus suppliciter postulatur. Non enim ante prædictas synodos sacerdotum suorum exsilia novit Occidens; cujus præsertim malis Hilarium hic commoveri quis non assentiatur? Neque minus constat, hunc libellum ab eo ante exsilium ipsius scriptum esse. Nam præter quam quod in iis, quos exsul scripsit, tacere non solet exsilium, certe non satis idoneus esset exsul, qui aliorum ab exsilio reditum deprecaretur. Cum autem sub anni 356 initium relegatus sit : ad Baronii sententiam redeundum.

VI. *Qua occasione.* — Porro libelli hujus scribendi ex Constantii litteris nata videtur occasio. Cum enim an. 355, teste Ammiano lib. XVI, frequentes essent in Gallias barbarorum incursus, propter quos reprimendos Julianus eodem anno exeunte Cæsar creatus est; verisimile est, Constantium Gallorum dissidia et seditiones veritum ad eosdem scripsisse, quo eos in officio contineret. Imo commotæ seditionis suspicionem jam sibi ab improbis susurronibus injectam eum Gallis significasse innuunt hæc num. 2 : *Non quisquam perversus aut invidus maligna loquatur : nulla quidem suspicio est, non modo seditionis, sed nec asperæ admurmurationis. Quieta sunt omnia et verecunda.* Hanc igitur opportunitatem nactus Hilarius, plus ab Arianis timendum rescribit, a quibus perturbantur omnia : et ab iis illata Ecclesiis mala enixe deprecatur.

VII. *Cur primus dicatur. Hilarii de fidei libertate sententia.* — Hieronymus libelli hujus non meminit : qui *primus* inscribitur, non quod cum secundo connexus, sed quod prior editus. Illum epistolæ nomine libenter donaremus, si cum auctoritate liceret. Quod autem in eo edisserit sapientissimus Præsul ad libertatem fidei commendandam, non ita intelligendum est, ut hæreticos ad profitendam fidem veram cogere numquam licere existimarit. Nam lib. de Synodis Orientales laudat, *quibus sufficit, post blasphemiæ voluntatem, coactæ saltem fidei subscriptio :* quæ licet in multis suspecta ipsi merito videatur, gratulandum tamen putat, saltem *aliquem ex his suscipi pœnitentem.* Sed dissuadet licentiam, qua hæretici Catholicos cogunt, ut a vita et apostolica fide deserta, commenta nuper inventa amplectantur. *Cogunt nempe*, inquit num. 6, *non ut Christiani omnes sint, sed ut Ariani.* Quamquam episcopalem considerans animum, quem ad clementiam semper pronum esse, ac veram et non fictam populorum fidem quærere deceat; ipsi convenientissimum esse prædicat, ut ne ad veram quidem fidem, vim eam, quam Ariani per varia tormenta catholicis inferebant, adhiberi patiatur.

535-536

SANCTI HILARII

AD CONSTANTIUM (a) AUGUSTUM

LIBER PRIMUS.

(Scriptus anno 355 aut 356.)

1. *Ecclesiæ ne a fratribus affligantur. Judices sæculares ne cognoscant causas clericorum.* —Benignifica natura tua, domine beatissime Auguste, cum benigna voluntate concordat. Et quoniam de fonte paternæ pietatis tuæ misericordia largiter profluit; quod rogamus, facile nos impetrare posse confidimus. Non solum verbis, sed etiam lacrymis deprecamur, ne diutius catholicæ Ecclesiæ gravissimis injuriis afficiantur, et intolerabiles sustineant (*b*) persecutiones et contumelias, et quod est nefarium, a fratribus nostris. Provideat et decernat clementia tua, ut omnes se (*abundat* se) ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos (*c*) sola cura et sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa se observantia abstineant : neque posthac præsumant atque usurpent, et putent se causas cognoscere clericorum, et innocentes (*d*) homines variis afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere atque vexare.

2. *Ne inviti vi subjiciantur heterodoxis. Catholicorum oppressorum vox, ne rectores locorum hæreticis favorem præstent. Mysteriorum solemnia, et preces pro rege.* — Intelligit singularis et admirabilis sapientia tua, non decere, non oportere cogi et compelli invitos et repugnantes, ut se his subjiciant et addicant vi oppressi, qui non cessant adulterinæ doctrinæ A corrupta semina adspergere. Idcirco laboratis, et salutaribus consiliis rempublicam regitis; excubatis etiam, et vigilatis : ut omnes quibus imperatis, dulcissima libertate potiantur. Non alia ratione (*e*) quæ turbata sunt componi, quæ divulsa sunt coerceri possunt; nisi unusquisque nulla servitutis necessitate adstrictus, integrum habeat vivendi arbitrium. Certe (*f*) vox exclamantium a tua mansuetudine exaudiri debet: Catholicus sum, nolo esse hæreticus; Christianus sum, non Arianus : et melius mihi in hoc sæculo mori, quam alicujus privati potentia dominante castam veritatis virginitatem corrumpere. Æquumque debet videri sanctitati tuæ, gloriosissime Auguste, ut qui timent Dominum Deum et divinum judicium, non polluantur aut contaminentur exsecrandis blas- B phemiis; sed habeant potestatem, ut eos sequantur episcopos et præpositos, qui et inviolata conservant fœdera charitatis, et cupiunt perpetuam et sinceram habere pacem. Nec fieri potest, nec ratio patitur, ut repugnantia congruant, dissimilia conglutinentur, vera et falsa misceantur, lux et tenebræ confundantur, dies quoque et nox habeant aliquam conjunctionem. Si igitur, quod sine dubitatione et speramus et credimus, hæc permovent non insitam, sed ingenitam tuam bonitatem ; præcipe ut non studium, non gratiam, non favorem, locorum Rectores gravissimis

(*a*) Deest *Augustum* in codice Vaticanæ basilicæ : in quo uno deinde, ut in vulgatis, subjicitur *benignifica* : cum in cæteris mss. habeatur *benigna*.

(*b*) In sex mss. *passiones* Arianis etiam in catholicos crudeliter sævientibus dulce fratrum nomen non C denegat Hilarius. Qua ratione Gregorius Naz., Or. XXXIII, n. 17 : *Fratres*, inquit, *adhuc vos appello, tametsi parum fraterno erga nos sitis animo.* Sozomenus, autem lib IV, c. 26, similem memorans persecutionem, narrat eam propter infamiam prudentibus visam esse tanto acerbiorem, quam quæ sub ethnicis Imperatoribus grassata fuerat, quod *et is qui persequebatur, et ille qui persecutionem sustinebat, ambo de Ecclesia erant... cum tamen divina lex prohibeat, ne adversus extraneos ejusmodi animo simus.* Propterea hic adjecit Hilarius, *quod est nefarium.*

(*c*) Tellerianus mss. *ad quos solos:* eo sensu potest admitti, ut sicut soli causas sæculares, ita soli episcopi causas cognoscant ecclesiasticas. Exstat l. XII de Episcopis et Clericis cod. Theod. lex Constantii, qua vetat ne episcoporum causæ apud alios judicentur quam apud episcopos. Baronius ad an. 355, n. 78, eam his Hilarii precibus hoc anno datam arbitratur.

(*d*) Exemplar Vat. bas., *innocenter* : quod intelligere sic liceret, *nec putent se innocenter vexare homines*, etc. Magis tamen placet alia lectio.

(*e*) In eodem codice, *non alia ratione, quam ut quæ turbata sunt componi, quæ divulsa sunt cohærere possint, et ut unusquisque nulla*, etc. quod primum arriserat. Sed cum excubiarum regiarum ratio jam hæc præmissa sit, *ut omnes dulcissima libertate potiantur;* inconcinne venit illud *non alia ratione* cum superioribus copulandum.

(*f*) In vulgatis, *voces*; et mox, *decet*, pro *debet*. Tum in mss. Tell. et Mich., *clamantium*. Hunc fidelium clamorem memorat pariter ac laudat Lucifer, lib. Moriendum pro Dei filio : *Cernimus*, inquit, *una hac voce religiosa :* CHRISTIANUS SUM, *nolo esse ut tu es Constanti apostata, omne crimen excludi, hac una voce tribui præsidium salutis, vinculum libertatis*, etc. De Africanis, cum sub Hunerico ad Arianam pellicerentur hæresim, id ipsum a Victore Vit., l. II de Persec., narratur, *illis ingenti vociferatione clamantibus et dicentibus :* CHRISTIANI SUMUS, *catholici sumus.* Quem exclamandi morem a Martyribus didicerunt fideles. Ut enim in actis Martyrum Lugdunensium apud Eusebium, lib. V Hist. c. I, legitur, Blandinæ *erat refectio et quies, sensumque omnem præsentis doloris adimebat prolatio horum verborum*, CHRISTIANA SUM. Ita in iisdem actis Sanctus ad omnes interrogationes respondisse scribitur, CHRISTIANUS SUM; *hoc sibi nomen, patriam, genus, omnia denique esse.* Responsi D hujus sapientiam probat Chrysostomus sub finem homil. XLVI, ubi S. Lucianum laudat, quod pariter ad interrogata quælibet nihil aliud respondisset, *hoc uno ac simplici verbo diaboli caput percutiens.* Innumera alia ejusdem rei exempla suppeditant acta Martyrum.

hæreticis præstent. Permittat lenitas tua populis, ut A quos voluerint (mss. volunt), quos putaverint, quos delegerint, audiant docentes, et divina mysteriorum solemnia concelebrent, **537** (*a*) et pro incolumitate et beatitudine tua offerant preces.

3. *Suspicio seditionis eximitur. Arianorum astus.* — Non quisquam perversus aut invidus maligna loquatur : nulla quidem suspicio (*b*) est non modo seditionis, sed nec asperæ obmurmurationis. Quieta sunt omnia, et verecunda. Et nunc, qui Ariana et pestifera contagione inquinati sunt, non cessant ore impio et sacrilego animo evangeliorum sinceritatem corrumpere, et rectam apostolorum (*c*) regulam depravare. Divinos prophetas non intelligunt. Callidi et astuti artificio quodam utuntur, (*d*) ut inclusam perniciosam corruptelam inquisitorum verborum velamine contegant, et non prius venenatum virus effundant, quam simplices et innocentes sub prætextu nominis Christiani raptos atque irretitos, (*e*) ne soli pereant, participes horrendi criminis sui reos faciant.

4. *Sacerdotes pii ad suas sedes remeent.* — Et hoc obsecramus pietatem tuam, ut eos, qui adhuc (egregii videlicet sacerdotes, qui tanti nominis præpollent dignitate), aut in exsilio, aut in desertis locis tenentur, jubeas ad sedes suas remeare : ut ubique grata libertas sit, et jucunda lætitia.

5. *Ariana hæresis novella.* — Quis non videt, quis non intelligit? Post quadringentos fere annos, post quam Dei unigenitus Filius humano generi pereunti subvenire dignatus est, quasi ante non apostoli, non post eorum martyria et excessus fuerint Christiani, novella nunc et teterrima lues, non corrupti aeris, sed exsecrandorum (*f*) blasphemorum, Ariana effusa est. **538** Ita illi, qui ante crediderunt, inanem spem immortalitatis habuerunt? Nuper didicimus commenta hæc fuisse inventa et a duobus (*g*) Eusebiis et a Narcisso et (*h*) a Theodoro et ab Stephano et Acacio et Menophanto, et (*i*) imperitis atque improbis duobus adolescentibus Ursacio et Valente : (*j*) quorum epistolæ proferuntur, et idoneis testibus etiam convincuntur, qui eos magis oblatrantes quam B disputantes audierunt. (*k*) Quibus qui communionem suam imprudenter et incaute commiscent, quia sunt socii scelerum, participes criminum necesse est (*l*) etiam eos, qui jam in hoc sæculo abjecti sunt et abdicati, cum advenerit dies judicii, pati supplicia sempiterna.

6. *Litteræ et legatio post absolutionem Athanasii. Arianorum crudelitas.* — Jam nemini dubium est, (*m*) cujuscemodi curam in absolutionem Athanasii, sancti illi viri receperint : ut post synodi sententias, quas, pro sacerdotalis judicii reverentia, fas fuerat

(*a*) Desideratur *et* in mss.

(*b*) In vulgatis, *erit :* et mox, *Quieta sint omnia et verecunda. At nunc.* Reponimus *est* auctoritate ms. Vat. bas. cujus ac cæterorum consensu subsequentia emendantur. His Verbis, uti præmonuimus, sedat Hilarius Constantii animum, ne Galli res novas molirentur, extimescentis.

(*c*) Quod hic Hilarius *Apostolorum regulam*, lib. II ad Constant. n. 6, ut et lib. de Synodis n. 63, vocat *fidem apostolicam*, et dicto lib. II, num. 4, *quod in regenerationis sacramento est confitendum.* Quo spectat illud lib. XII de Trin. n. 56 : *Regenerationis meæ fidem obtinens nescio.* Quibus loquendi modis apostolorum symbolum significari perspicuum est.

(*d*) Editi hic omisso *ut*, mox subjiciunt, *exquisitorum verborum velamine contegunt, non prius venenatum virus effundunt.*

(*e*) In vulgatis, *irretitos involvant, ne soli pereant, sed participes.* Removimus verbum *involvant* cum omnibus mss. et particulam *sed* cum Carnutensi.

(*f*) Vat. bas. codex cum carn., *blasphemiorum.*

(*g*) Nicomediensi nimirum et Cæsariensi, de quibus Athanas. lib. de Synod. p. 886 : *Eusebius Nicomediensis magnificis verbis Arium in epistola laudavit : Cum recte, inquiens, sentias, opta cunctos ita sentire*, etc. *Eusebius quoque ex Cæsarea Palestinæ in litteris ad Euphrationem episcopum non veritus est palam dicere, Christum non esse verum Deum.* Ita et ab Hieronymo, epist. LXV ad Pammach. et Ocean., Eusebius Cæsariensis appellatur *impietatis Arii apertissimus propugnator.* Duos illos Eusebios hic notat Hilarius juxta epistolam synodi Sardicensis.

(*h*) In mss. magno consensu, *Theodoto.* Athanasius quidem, de Synod. pag. 886, inter primarios Arii sectatores memorat Theodotum. Arius ipse epist. ad Eusebium Nicomed. apud Theodoretum lib. I, c. 4, inter suos recenset Theodotum Laodiceæ. Nihil tamen immutamus; cum hæc Hilarius expressisse videatur ex epistola Sardicensi, in qua *Theodorus* legitur, non *Theodotus* : sic enim habet Fragm. II, n. 7 : *Sunt autem istorum, post Eusebios duos, auctores etiam* THEODORUS *ab Heraclia, Narcissus a Neroniade Cili-*

ciæ, Stephanus ex Antiochia, Georgius ex Laodicia... Acacius ex Cæsarea Palæstinæ, Menophantus ab Epheso Asiæ, Ursacius a Singiduno Mœsiæ, Valens a Mursa. Neque aliter exstat apud Sulpicium Severum, qui Hilarii quantum ad voces vestigia premens lib. II, p. 244, sic scribit : *Principes mali istius habebantur, a* C *Singiduno Ursacius, Valens a Mursa, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius a Cæsarea, Menophanes ab Epheso, Georgius a Laodicea, Narcissus a Nerophi.* Eamdem ob causam postea retinemus *Acacio*, non cum Bad., Er. et omnibus mss. *Archaico.*

(*i*) Eosdem illos sic notat Concilium Alexandrinum, apud Athanasium, p. 733, ubi legatis in Mareotem an. 338, memoratis ait : *His addunt duos ætate ac moribus juniores Ursacium et Valentem.* Rursum duodecim post annis Sardicensis synodus, Fragm. II, n. 13, ad Julium de ipsis scribit : *Quid autem de impiis et imperitis adolescentibus Ursacio et Valente statutum sit accipe :* quæ verba imitatur Hilarius, habita ratione temporis quo commenta Ariana inventa confirmataque sunt, non quo ipse hunc libellum composuit, ut constat ex lib. de Synodis, n. 79, ubi eos jam spectat veluti senes et in rebus valde exercitatos.

(*j*) Illud *quorum* Scultetus ad unos Valentem et D Ursacium, alii ad cæteros etiam prænominatos probabilius referunt. Quod Hilarius hic prænominatorum, hoc Fragm. II n. 25 omnium hæreticorum proprium esse significat, scil. adversus catholicam fidem oblatrare.

(*k*) Excusi, *quibusque communionem ;* et mox *quia fient socii* : castigantur ex mss.

(*l*) Abest *etiam* a mss. ex quibus postea revocamus, *jam.* Maxime arrideret *necesse est cum eis, qui jam* etc. Prædicti autem episcopi Narcissus, Theodorus, etc., abjecti sunt sententia synodi Sardicensis Fragm. II, n. 7 et 13.

(*m*) Exemplar Vat. bas., *hujuscemodi cura absolutionem.* Exstat etiam *hujuscemodi* in aliis tribus : in Mich., *quin hujuscemodi.* Tum Silv., *in absolutionem sancti Athanasii illi viri.* Hanc curam in se receperunt episcopi Sardicæ congregati, qui rerum a se gesta-

sacerdotali vel ecclesiastica (*a*) conscientia contineri, A scribi ad regem, legationemque instrui oportuerit. Sed quid aliud his litteris, quam libertatem fidei et contagionem Ariani nominis deprecantur, orantque vincula, carceres, tribunalia, et omnem illum feralem habitum, novas etiam in reos quæstiones inhiberi? Deus cognitionem sui docuit potius, quam exegit : et operationum cœlestium admiratione præceptis suis concilians auctoritatem, coactam confitendi se adspernatus est voluntatem. Si ad fidem veram istius modi vis adhiberetur; episcopalis **539** doctrina obviam pergeret, diceretque : Deus universitatis est Dominus, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem. Non fallendus est, sed promerendus. Nostra potius, non sua causa venerandus est. Non possum nisi volentem recipere, nisi B orantem audire, nisi profitentem signare. Simplicitate quærendus est, confessione discendus est, charitate amandus est, timore venerandus est, voluntatis probitate retinendus est. At vero quid istud est, quod sacerdotes timere Deum vinculis coguntur, pœnis jubentur? Sacerdotes carceribus continentur, plebs in custodia catenati ordinis constricta disponitur, virgines nudantur ad pœnam, et sacrata Deo corpora, (*b*) publico exposita conspectui, ad fructum spectaculi et quæstionis aptantur. Cogunt nempe, non ut Christiani omnes sint, sed ut Ariani : et confessam in Deo fidem ad consortium piaculi sui (*c*) scelere compellunt. Auctoritate etiam nominis sui in errorem Imperatorem transducunt : rectum affirmantes, ut sub specie timoris Dei, in hac perversi- C tate subditos sibi tradant. Quæstiones poscunt, judiciorum subsidia desiderant, auctoritatem regiam implorant : et nec sic perversitatem sceleris sui erubescunt, extorquere (*d*) conniventiam plebium nec cogendi jure potuerunt.

7. *Judicialis forma in causa Athanasii non servata.* — Hæc si de veteribus chartulis prolata ætatis nostræ tempus instruerent; ambigendum, ut opinor, tantis de rebus fuisset. Et cum ab aliis quibusque pronuntiari posceretur reus; quæreretur in fidem litterarum, in judicum vitam, in accusatorum fidem, in ipsius quoque hominis mores atque actus. Moveret enim absolutionem ejus Arianorum juncta damnatio : magnique periculi esset, judicium simul cum reatus et innocentiæ non (*e*) suscepta rursum inquisitione dissolvere : totaque in patrocinium suum, cum fidei doctrina, auctoritas sibi antiquitatis assisteret. At cum ipsi, qui tunc Ariani hæretici damnati sunt, rem exagitent, turbent **540** omnia, omnesque ex potestate et ambitione corrumpant, et Athanasius si fuit, esse adhuc reus potest; testes loquantur, videant judices, fidei doctrina præceptis evangelicis atque apostolicis eluceat : quæ obtusio intelligentiæ est? quæ cordis hebetudo? quæ oblivio spei? (*f*) qu amor scelerum? quod odium veritatis? in damnatorum favorem, Dei amorem transducunt.

8. *Eusebii Vercellensis injusta damnatio.* — Venio nunc ad id, quod recens gestum est, in quo se etiam professio sceleris (*g*) in secreto artis suæ dedignata est continere. Eusebius Vercellensis episcopus est vir omni vita Deo serviens. Hic post Arelatensem synodum, cum Paulinus episcopus tantis istorum sceleribus contraisset (Arelate an. 353), venire Mediolanum præcipitur (an. 355). Collecta jam illic malignantium synagoga, decem diebus ad Ecclesiam est vetitus accedere, dum adversus tam sanctum virum (*h*) malitia se perversa consumit. Suppuratis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est, advocatur. Adest una cum Romanis clericis (Hilario diac. et Pancratio), et Lucifero Sardiniæ episcopo. (*i*) Conventus ut in Athanasium subscriberet, ait, De sacerdotali fide prius debere constare; compertos sibi quosdam ex his, qui adessent, hæretica labe pollutos. Expositam fidem apud Nicæam, cujus superius meminimus (*j*), posuit in medio : spondens omnia se, quæ postularent esse facturum, (*k*) si fidei professionem scripsissent. Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit : ubi profiteri scribendo cœpit, Valens calamum et chartam e manibus ejus violenter extor-

rum statim per litteras certiores fecerunt Imperatores : ac postea teste Theodoreto, lib. II, c. 8, Constans ad fratrem Constantium duos ex illis delectos cum litteris misit. An in hæc gesta hic respicitur? Quamquam etiam nonnulla nobis incidit suspicio, hæc de Arianis actis ac litteris ab ecclesiastica indole et episcopali clementia alienis ironice dicta esse.

(*a*) Editi, *continentia* : corriguntur ex mss.

(*b*) Miserandum hujusmodi spectaculum, Georgio Alexandrinam sedem invadente, Sebastianus exhibuit; cum accenso rogo, uti narrat Theodoretus lib. II, c. 14, virgines illi admovit, ac nudatas turpiter concidit. Sed antea simile flagitium ab Arianis perpetratum esse notat Sardicensis synodi epistola, Fragm. II, n. 3.

(*c*) Sic mss. At editi, *sui sceleris*.

(*d*) In aliquot mss., *convenientiam plebium*. Tum in editis, *nec cogi de jure* : ubi in omnibus mss. *nec cogendi jure*, præmisso vocabulo *quod* in solo Carnutensi. Hanc sententiam perinde intelligimus, ac si legeretur : *nec sic... erubescunt, quod extorquere conniventiam plebium nec cogendi jure potuerunt*. Jus cogendi hic vis illata appellatur ea fere ratione, qua l. IX de Trin. n. 58, dicitur, *Ad hujus nos intelligentiæ impietatem hæreticorum furor jure quodam necessariæ confessionis compellit*. Laudat autem Hilarius, Fragment. II, n. 24, Sardicensis synodi gesta, *ubi insectatione Arianorum omnia in Athanasium crimina conficta esse monstrantur, et vis adhibita plebi Dei, ut in pestiferam letalis doctrinæ conniventiam transirent.*

(*e*) Mss. excepto Carn. *non suspecta*. Proxime antea mallemus *cum reatus, tum innocentiæ*. Athanasius ante concilium Sardicense reus judicatus, in eo innocens declaratus est, absolutioni ipsius juncta Arianorum damnatione.

(*f*) Ita codex Vat. bas. Alii vero, *quæ mors scelerum*. Antea in mss., *obtunsio*, non *obtusio*.

(*g*) Mss. *et secreto*.

(*h*) In mss., *malitiose perversa consumit*. Tum excusi, *soporatis* : ubi ex mss. Vat. bas. restituimus *suppuratis*. Sic lib. de Synod. n. 63, ubi ex antiquioribus mss. exstat *suppuratæ impietatis doctrina*, in recentioribus legitur *soporatæ*.

(*i*) Codex S. Petri cum aliis mss. *conventis ut in Athanasium subscriberent*.

(*j*) Desideratur pars ea, in qua mentio hæc erat.

(*k*) Editi, *si pro fidei professione* : castigantur ex mss., in quibus *scripsissent*, perinde est atque *subscripsissent*.

sit, clamans non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est : gravis omnium dolor ortus est, impugnata est a sacerdotibus fides. Verentes igitur illi populi judicium, e Dominico ad palatium transeunt. Cujusmodi sententiam in Eusebium longe ante, quam ecclesiam (*a*) ingrederetur, scripserint : de se loquitur ipsa sententia.

(*a*) Mss. summo consensu, *ingrederentur*. Deinde in solo Vat. bas. *de se loquatur ipsa*, omisso *sententia*.

541-542

IN LIBELLUM SUBSEQUENTEM ADMONITIO.

Hilarius, Hieronymo teste, cum Constantinopoli versaretur, libellum Constantio ipse tradidit. Huc enim Seleucia synodi legatos secutus, ut cum Sulpicio Severo loquamur, ubi extremum fidei periculum animadvertit, audientiam regis poposcit, ut de fide coram disputaret. Quod in hunc libellum maxime convenire, vel ex titulo in omnibus mss. prænotato perspicuum est. Oblatus est autem sub lite famosa, *dum alii substantiæ nomen retinendum, alii rejiciendum esse contenderent;* sub synodo dissidenti, *Constantinopolitana scilicet, quæ non minus fide, quam privatis jurgiis, varias in partes scindebatur : proindeque anno* 360 *ineunte, quo hæc synodus celebrata est. Quæ cum ita sint, tum a Ferrando diacono epist. ad Pelagium et Anatol. num.* 2, *tum in veterrimo Basilicæ Vaticanæ exemplari non ideo inscribitur* liber ad Constantium secundus, *quod cum superiore cohæreat, sed quod tempore posterior sit. Aliis hic suspiciendam relinquimus incredibilem sanctissimi præsulis vigilantiam, fortitudinem, prudentiam ac fidem, qua unus quamvis exsul, hæreticis imperatoris potestate armatis, in ipsa regia civitate sese non timuit opponere, imo sui terrorem incutere valuit. Neque enim inani conatu se hæreticis opposuit, qui licet non obtinuerit quod hoc libello poscebat, eos certe infirmitatis suæ convicit. Ita etiam hac animi sui significatione apud omnes paravit sibi fidem, ut cum paulo post asperiora in Constantium scripturus, nulla se impatientia, nullis humanis affectibus ad id impelli diceret, crederetur. Erasmo etsi minutus visus est hic liber : nihil in eo tamen prorsus desiderandum est. Nam operosum illud et exactum, quod eum polliceri nec præstare notat, non ad hunc libellum pertinet, sed ad publicam de fide disputationem, cujus potestas hoc libello postulatur.*

Synopsis. — *In ejus exordio Hilarius se exsulem confessus, petit ut Saturninum præsentem usque ad confessionem falsorum quæ in ea causa gessit adducat. Tum quæ sua sunt oblitus, imperatori fidei cognoscendæ cupido exponit, qui ex frequenti mutatione acciderit evangelicæ fidei corruptio : adeoque ad baptismi fidem redeundum suadet. Imperatoris deinde studium laudat, fidem tantum secundum ea quæ scripta sunt desiderantis. Commonet tamen, nullum esse hæreticum, qui commenta sua ex Scripturis non confirmet. Demum pollicitus nihil se non ex Scripturis, nihil non ad Orientis et Occidentis pacem, nihil non cum honore regni ac regiæ fidei dicturum, quoddam sermonis futuri pignus præmittit.*

543-544

SANCTI HILARII
AD CONSTANTIUM AUGUSTUM
LIBER SECUNDUS;
QUEM ET CONSTANTINOPOLI EIDEM IPSE TRADIDIT.

(Scriptus anno 360.)

1. *Hilarius in regis præsentia.* — Non sum nescius, piissime imperator, ea quæ (*a*) de nonnullis negotiis ad conscientiæ publicæ audientiam proferantur, pro dignitate eorum qui eloquuntur, vel gravia existimari solere, vel levia : (*b*) dum distantibus opinionibus, ambiguam sententiam ad studium intelligentiæ promovet hominis contemptus, aut gratia. Sed mihi apud te de divina re pia dicturo, nullus vulgatæ consuetudinis metus est : quia, cum sis bonus ac religiosus, nec vitium judicii apud prudentes religionum, quid a quo audiat, sed an quæ audiat sint religiosa, dijudicet. Et quia mihi a Deo præsentiæ tuæ opportunitas præstita est, nec erga hæc quidem conscientiæ meæ cessavit officium : ut in eum, quem apud te habeo de religione sermonem, indignitas forte aliqua tecum loquentis offendat.

2. *Galliæ Ecclesiis communicat. Exsulat factione. De sua innocentia securus.* — Episcopus ego sum in omnium (*c*) Gallicarum ecclesiarum atque episcoporum communione, licet in exsilio, permanens, et Ecclesiæ adhuc per presbyteros meos communionem distribuens. Exsulo autem non crimine, sed factio-

(*a*) Codex Vat. basilicæ, *de plerisque de nonnullis*. Forte, *a plerisque de nonnullis*.

(*b*) In mss. *dum his tantis opinionibus :* et mox *permovet*, non *promovet :* ac postea in duobus *gloria*, pro *gratia*.

(*c*) Mss. *Galliarum*.

ne; et falsis nuntiis synodi ad te imperatorem piuni, non ob aliquam criminum meorum conscientiam, per impios homines (*a*) delatus. Nec levem habeo querelæ meæ testem dominum meum religiosum Cæsarem tuum Julianum : qui plus in exsilio meo contumeliæ a malis, quam ego injuriæ, pertulit. In promptu enim sunt pietatis vestræ litteræ : falsa autem eorum omnia, (*b*) quæ in exsilium meum procuraverunt, non in obscuro sunt. Ipse quoque (Saturninus, *vid. lib. de Synod. n.* 2) vel minister, vel auctor gestorum omnium, intra hanc urbem est. Circumventum te Augustum, illusumque Cæsarem tuum ea confidens conscientiæ meæ conditione patefaciam, ut si indignum aliquid non modo episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate gessisse docear, non jam sacerdotium per veniam exspectem, sed intra pœnitentiam laici consenescam.

3. *Audiri rogat exsilii sui auctore præsente. Libelli hujus causæ.* — Hæc autem nunc, dignantissime imperator, arbitrio tuo derelinquo, quatenus et quomodo me jubes loqui, et ea quæ maxime tecum in tempore hoc agenda sunt prosequor. Dabis quidem id in præsens instructionis ad causam, ut præsentem eum, cujus ministerio exsulo, usque ad confessionem falsorum quæ gessit adducam. Sed nihil de eo, nisi cum jusseris, loquar. Nunc autem (*c*), quia mihi metus est de mundi periculo, de silentii mei reatu, de judicio Dei, cura autem est de spe, de vita, de immortalitate non tam mea, quam tua, universorumque. Quæ quia mihi cum plurimis communis est, hæc a me communis spei exspectatio est.

4. *Constantius optat fidem audire ab episcopis et non audit. Fides in baptismo jurata. Fides subinde nova et ideo nulla.* — Recognosce fidem, quam olim, optime ac religiosissime imperator, ab episcopis optas audire, et non audis. Dum enim a quibus ea requiritur, sua scribunt, (*d*) et non quæ Dei sunt prædicant; orbem æternum erroris et redeuntis in se semper certaminis circumtulerunt. Oportuerat enim, humanæ infirmitatis modestia, omne cognitionis divinæ sacramentum illis tantum conscientiæ suæ finibus contineri quibus credidit, neque post confessam et juratam in baptismo fidem *in nomine Patris et filii et Spiritus sancti*, quidquam aliud vel ambigere, vel innovare. Sed quorumdam aut præsumptio, aut (*e*) facilitas, aut error, apostolicæ doctrinæ indemutabilem **545** constitutionem partim fraudulenter confessa est, partim audacter egressa : dum in confessione Patris et Filii et Spiritus sancti veritatem naturalis significationis eludit, (*f*) ne id maneret in sensu, quod in regenerationis sacramento est confitendum. Ob hoc penes quorumdam conscientiam nec Pater pater, nec Filius filius, nec Spiritus sanctus spiritus sanctus est. Sub cujus necessitatis (*g*) tamquam improbabili occasione, scribendæ atque innovandæ fidei exinde usus inolevit. Qui post quam nova potius cœpit condere, quam accepta retinere; nec veterata defendit, nec innovata firmavit : et facta est fides temporum potius quam Evangeliorum, dum et secundum annos describitur, et secundum confessionem baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum atque etiam miserabile est, tot nunc fides exsistere, quot voluntates; et tot nobis doctrinas esse, quot mores; et tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt : dum aut ita fides scribuntur ut volumus, aut ita ut (*h*) nolumus intelliguntur. Et cum, secundum unum Deum et unum Dominum (*i*) et unum baptisma, etiam fides una sit, (*j*) excedimus ab ea fide quæ sola est : et dum plures fiunt, ad id cœperunt esse, ne ulla sit.

5. *Unde tot fides scribantur. Fides quater mutata.* — Conscii enim nobis invicem sumus, post Nicæni conventus synodum, nihil aliud quam fidem scribi. Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio (*k*) est, dum (*l*) de

(*a*) Vat. bas. ms. *delatis*. Ex subnexis conficitur, Julianum aut Biterris interfuisse, aut non procul abfuisse, cum Hilarius inde in exsilium missus est. Porro, ut ex Ammiano, lib. XVI, constat, Julianus, anno 355 exeunte Cæsar creatus, statim in Gallias Viennam secessit, ibique mansit, donec inde migraret Augustodunum, quo Junii 24 die pervenit.

(*b*) Ita tres mss. Alii vere cum vulgatis, *qui*. Hic indicat Hilarius se, quamvis in odium fidei, sub alio tamen obtentu exsilio esse multatum : quasi nimirum fecisset, quod ipse fatetur *indignum non modo episcopi sanctitate, sed etiam laici integritate*. Facile autem veritatis inimicis fuit, eum apud imperatorem animi inquieti et ad seditionem parati accusare, cujus rei jam ab anno 355 suspicio injecta erat, ut vidimus libro superiore, n. 3.

(*c*) Supple, *loquor*. Tum in excusis, *quia metus est*, omisso *mihi* : et mox, pro *cura autem est de spe*, prave legebatur *cur autem est desperandum*.

(*d*) In omnibus mss., *et non Dei prædicant*.

(*e*) Exemplar Vat. bas., *aut facultas*. Forte, *aut fatuitas*.

(*f*) Vat. bas. ms. *neque ut maneret*. Alii, *ne quid maneret*.

(*g*) Voces, *necessitatis tamquam*, in sex mss. desiderantur. Legendum videtur, *sub cujus necessitatis tamquam non improbabili*, vel cum ms. Remig., *tamquam probabili*.

(*h*) Ita mss. At editi, *ut volumus*. Sic Hieronymo teste dial. contra Lucif. post Ariminensem synodum *ingemuit totus Orbis, et Arianum se esse miratus est :* dum nimirum recte sentiens, eo quo noluit modo intellectus est.

(*i*) In quinque mss. hic adjicitur *et unam fidem :* quod supervacaneum est. Hoc enim sibi vult : sicut ab Apostolo Ephes. IV, 5, unus Deus, unus Dominus et unum baptisma, ita etiam una fides prædicatur. Ex eodem Apostoli loco Hilarius initio libri II de Trinit. et in Constant. n. 24, instat, apud hæreticos fidem non esse.

(*j*) Lips. et Par., *excidimus*. Concinnius alii libri, *excedimus*, scil. ab una fide ad plures.

(*k*) Supple, disputandi, contradicendi et male de se invicem suspicandi.

(*l*) Ferrandus diac. his verbis in suam ad Pelagium et Anatolium epistolam translatis, postmodum monet ea non sua esse, *sed beati Hilarii in secundo libro quem ad Constantium scribit.* In qua Ferrandi epistola Petrus Fr. Chiffletius, pro *dum de auctoribus querela est*, ex mss. Jurensi atque Arvernensi edidit, *dum de auribus querela est :* existimatque apertam hac lectione fieri Hilarii mentem, *quasi dicat*, *dum*

auctoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum (*a*) in consensu difficultas est, dum alter **546** alteri anathema esse cœpit : prope jam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur : et aut dum docemus, perturbamus; aut dum docemur, erramus. Jam vero proximi anni fides, quid jam de immutatione in se habet? Primum, quæ homousion decernit taceri : sequens rursum, quæ (*b*) homousion decernit et prædicat : tertium deinceps, quæ usiam simpliciter a patribus præsumptam, per indulgentiam excusat : postremum quartum, quæ non excusat, sed condemnat. Et quo tandem processum est? ut neque penes nos, neque penes quemquam ante nos, sanctum exinde aliquid atque inviolabile perseveret. De similitudine autem Dei filii ad Deum patrem quod (*c*) si miserabilis nostri temporis fides est, ne non aut ex toto, aut tantum ex portione sit similis; egregii scilicet arbitri cœlestium sacramentorum, conquisitores invisibilium mysteriorum, professionibus de fide Dei calumniamur. Annuas atque menstruas de Deo fides decernimus, decretis pœnitemus, pœnitentes defendimus, defensos anathematizamus; aut in nostris aliena, aut in alienis nostra damnamus; et (*d*) mordentes invicem, jam absumpti sumus ab invicem (*Gal.* v, 15).

6. *Fides evangelica corrumpitur.* — Fides deinde quæritur : quasi fides nulla sit. Fides scribenda est (*Vid. l. de Syn. n.* 65) : quasi in corde non sit. Regenerati per fidem, nunc ad fidem docemur, quasi regeneratio illa sine fide sit. Christum post baptisma discimus; quasi baptisma aliquod esse possit sine Christi fide. Emendamus, quasi (*e*) in Spiritum sanctum peccasse sit venia. Sed impietatis **547** ipsius hinc vel præcipue causa perpetua est, quod (*f*) fidem apostolicam septuplo proferentes, ipsi tamen fidem evangelicam nolumus confiteri : dum impietates nostras nobis in populis multiloquiis defendimus, et magniloquentiæ vanitate aures simplicium verbis fallentibus illudimus; dum evitamus de Domino Christo ea credere, quæ de se docuit credenda, et per speciosum pacis nomen in unitatem perfidiæ subrepimus, et sub rejiciendis novitatibus rursum ipsi novis ad Deum vocibus rebellamus, et sub Scripturarum vocabulo non scripta mentimur : vagi, prodigi, impii, dum et manentia demutamus, et accepta perdimus, et irreligiosa præsumimus.

7. *Ad fidem in baptismo confessam redeundum.* — Quod hieme undoso mari observari a navigantibus maxime tutum est, ut naufragio desæviente, in portum ex quo solverant revertantur; vel incautis adolescentibus convenit, ut cum in tuenda (*g*) domo sua, mores paternæ observantiæ trangressi, profusa libertate sua usi sunt, jam sub ipso amittendi patrimonii metu solus illis ad paternam consuetudinem necessarius et tutus recursus sit : ita inter hæc fidei naufragia, cœlestis patrimonii jam pene profligata hæreditate, tutissimum nobis est, primam et solam evangelicam fidem confessam in baptismo intellectamque retinere, nec demutare quod solum acceptum atque auditum habeo bene credere : non ut ea, quæ synodo patrum nostrórum continentur, tamquam irreligiose et impie scripta damnanda sint, sed quia

non desunt, qui se surdis querantur cecinisse, adeoque sibi tribui quæ ab illis ne recte audita quidem, nedum intellecta sint. At cum editionibus Hilarianis consentientibus omnibus nostris mss. tutum non est ab ipso fonte ad rivulum declinare. Proxime ante quam hæc scriberet Hilarius querela fuerat de auctore blasphemiarum, quas Seleuciensis synodi legati Eudoxio adscribebant, Eudoxius autem in Aetium rejecit.

(*a*) Apud Ferrandum, *de consensu*. In ms. Vat. bas., *de consessu*.

(*b*) Nulla est Arianorum fidei confessio, quæ homousion decernat ac prædicet; hoc enim ab Hilarii scopo videtur alienum, ut homousion in Ariminensi concilio primum ab iis qui cum Valente et Ursacio stabant rejectum, a catholicis deinde approbatum et prædicatum fuisse dicat. Quocirca hic, forte etiam antea, pro *homousion*, substituendum videtur *homœusion*. Neque satis apertum est, quas hic notet Hilarius fidei confessiones. Sunt qui putent, primum designari Sirmiensem an. 358, 11 kal. Junii editam, tum Antiochenam an. 341, Seleuciæ subscriptam, postea Arimineusem, demum Seleuciensem ab Acacianis vulgatam. Sed non alia videtur fides Sirmii, alia Arimini edita. Deinde vix credere est, Encæniorum fidem denuo subscriptam in novæ demutationis exemplum ab Hilario fuisse afferendam. Sed neque in hac homousion aut homœusion prædicatur. At vero si voces *proximi anni* non ita stricte ut sonant, sed paulo latius acceperis, primam intelligere licebit Sirmiensem Osii et Potamii nomine editam, quæ non modo homousion, sed et homœusion decernit taceri; alteram Ancyranam, quæ homœusion definitionibus 3, 4, 5, etc., decernit et prædicat; tertiam Arimini ac deinde Nicææ in Thracia lectam, in qua usiæ a Patribus simpliciter præsumptæ excusatur prædicatio, apud Athanas., de Synod. p. 875, postremam denique Seleuciæ ab Acacio vulgatam, apud eumdem Athanas., p. 904, quæ substantiæ nomen non jam excusat, sed simpliciter et absolute condemnat.

(*c*) Particula *si* ex codice Vaticanæ basilicæ huc revocatur, qua efficitur hic sensus : si de similitudine Filii ad Patrem id nunc sentiamus ac credamus, ut Filius non ex toto, sex ex portione sit similis Patri; professionibus de fide (vel de se) Dei calumniamur : egregii scilicet arbitri, etc.

(*d*) Bad., Er. et Mir., *morientes morum vice*. Mss., *morientes mori invicem*. Forte, *mordentes nos invicem*.

(*e*) Exemplar Vat. bas., *in Spiritu sancto* : hæc casuum mutatio frequens est in veteribus libris. Ad intelligentiam hujus loci juverit ex cap. XII in Matth. n. 17, in memoriam revocare, hoc Hilario peccatum esse in Spiritum sanctum, scilicet *Christo negare quod Deus sit, et consistentem in eo Paterni Spiritus substantiam adimere.* Similia habet cap. V, n. 15. Quibus consentanea sunt hæc apud Athanasium tom. I, p. 237 : *Deitatem ergo Verbi ipse Christus Spiritum sanctum appellat :* et paucis interjectis, *Sicut alii, qui in Spiritum sanctum impingunt : atque ita in Christi divinitatem, blasphemias dicunt*, etc.

(*f*) *Fidem apostolicam* vocat Hilarius apostolorum Symbolum, quo longe fusiores ediderunt Ariani fidei confessiones; nec tamen retinuere *fidem evangelicam*, id est, quæ baptismi verbis enuntiatur. Hoc ita intelligendum esse magis liquet ex postremis hujus libri verbis.

(*g*) Quatuor mss., *humo sua*. Vat. bas., *in tuenda domus amoris paterni observantiæ transgressores suæ, profusa*, etc., mendose.

per temeritatem humanam usurpantur ad contradictionem, quod ob hoc sub nomine novitatis Evangelium negaretur, (*a*) ut periculose tamquam sub emendatione innovetur. Quod emendatum est, semper proficit, ut dum omnis emendatio displicet, emendationem omnem emendatio consecuta condemnet : ac si jam, quidquid illud est, non emendatio aliqua sit emendationis, sed cœperit esse damnatio.

8. *Audientiam rogat Hilarius, fidem e Scripturis ostensurus.* — In quantum ego nunc beatæ religiosæque voluntatis (*b*) vere te, domine Constanti Imperator, admiror, fidem tantum secundum ea quæ scripta sunt desiderantem : et merito plane ad illa ipsa unigeniti Dei eloquia **548** quia festinans, ut imperatoriæ sollicitudinis capax pectus etiam divinorum dictorum conscientia plenum sit. Hoc qui repudiat, antichristus est, et qui simulat, anathema est. Sed unum hoc ego per hanc dignationis tuæ sinceram audientiam rogo, ut præsente synodo (Constantinopolit.), quæ nunc de fide litigat, pauca me de Scripturis evangelicis digneris audire, et loquar tecum verbis Domini mei Jesu Christi, cujus vel exsul sum, vel sacerdos. Habent enim vasa testea non ignobiles thesauros : et infirmiora corporum magis reverenda sunt : et apud nos modo Deum indocti piscatores locuti sunt. Super humilem et trementem verba sua, secundum prophetam, Deus respicit (*Esai.* LXVI, 2). Fidem imperator quæris : audi eam, non de novis chartulis, sed de Dei libris. Scito et posse eam in Occidente donari, unde venientes in regno Dei cum Abraham et Isaac et Jacob recumbent. (*Matth.* VIII, 11). Memento eam (*c*) non quæstionem philosophiæ esse, sed Evangelii doctrinam. Non tam mihi autem rogo audientiam, quam tibi atque ecclesiis Dei. Ego enim penes me habeo fidem, exteriore non egeo : quod accepi teneo, nec demuto quod Dei est.

9. *Scripturas hæretici suas ad partes trahunt.* — Sed memento tamen, neminem hæreticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus Verbum Dei cum legit nescit. Hinc Photinus hominem Jesum Christum cum loquitur ignorat. Hinc et Sabellius, dum quod *ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30) non intelligit, sine Deo patre et sine Deo filio est. Hinc et Montanus per insanas feminas suas (*d*) paracletum alium defendit. Hinc et Manichæus et Marcion legem odit : quia littera occidit (II *Cor.* III, 6), et mundi princeps diabolus est. Omnes Scripturas sine (*e*) Scripturæ sensu loquuntur, et fidem sine fide prætendunt. Scripturæ enim non in legendo sunt, sed in intelligendo; neque in prævaricatione sunt, sed in charitate.

10. *Sermonis, cujus copia rogatur, modus.* — Audi, rogo, ea quæ de Christo sunt scripta : ne sub eis ea quæ non scripta sunt prædicentur. Submitte ad ea, quæ de libris locuturus sum, aures tuas : fidem tuam ad **549** Deum erigas. Audi quod proficit ad fidem, ad unitatem, ad æternitatem. Locuturus tecum sum cum honore regni et fidei tuæ, omnia ad Orientis et Occidentis pacem (*f*) proficientia, sub publica conscientia, sub synodo dissidenti, sub lite famosa.

11. *Pignus futuri sermonis.* — (*g*) Præmitto interim pignus futuri apud te sermonis mei. Non aliqua ad scandalum, neque quæ extra Evangelium sunt, defendam : sed intelliges a me in sacramento solius Dei veri, et quem misit Jesum Christum (*Joan.* XVII, 3), prædicari unum Deum patrem ex quo omnia, et unum Dominum Jesum Christum per quem omnia (I *Cor.* VIII, 6), natum ex Deo, qui est ante tempora æterna (II *Tim.* I, 9), et erat in principio apud Deum Deus Verbum (*Joan.* I, 1) : qui est imago Dei invisibilis (*Coloss.* I, 15), in quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter (*Col.* II, 9) qui cum **550** in forma Dei esset, humilians se salutis nostræ causa, formam servi ex conceptu Spiritus sancti de virgine accepit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis (*Philip.* II, 6) : et post resurrectionem mortis deinde in cœlestibus sedens (*Ephes.* I, 20), aderit judex vivorum et mortuorum (*Act.* X, 42), et

(*a*) In vulgatis, *impericulose :* ubi ex ms. Vat. bas. reponimus *ut periculose.*

(*b*) In mss., *verum te.*

(*c*) Editi, *non in quæstione philosophiæ esse, sed in Evangelii doctrina :* emendantur ex ms. Vat. bas. Verbis sequentibus non minus apparet Hilarii fides, quam charitas : qualem nimirum in Martyribus exstitisse animadvertit Augustinus in Ps. LXV, n. 24 : *Qui enim,* inquit, *tum Christum prædicabant, non sibi quibus tum erat cognitus, sed nobis qui futuri adhuc eramus, vel quibus tum erat incognitus, prædicabant,* etc.

(*d*) Priscam scil. et Maximillam, quas Hieronymus, ep. LIV, ad Marcellam, ad imitationem Hilarii, *insanas feminas* vocat. Vid. Tertullian. l. de Monogam. n. 2, et contra Praxeam n. 1.

(*e*) Nomen *Scripturæ* in vulgatis omissum, restituimus ope mss. Subsequentem Hilarii sententiam imitatur et illustrat Hieronymus ad calcem Dial. contra Lucifer, dicens : quod *Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo : alioqui si litteram sequimur, possumus et nos quoque novum nobis dogma componere. Omnes enim hæretici,* inquit Augustinus, ep. CXX ad Consent. n. 13, *qui eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum suos potius sectentur errores; ac per hoc non quod eas contemnant, sed quod eas non intelligant, hæretici sunt.* Et ut observat Athanas., Or. II cont. Arianos p. 313, *excogitator inventorque hæreseon diabolus, metu suæ graveolentiæ, Scripturarum voces usurpat; ut illis obtectus, adsperso veneno suo, simplices decipiat.*

(*f*) Sic mss. Editi vero *profutura.* Deinde *sub publica conscientia,* id est, coram et publice. Hoc Ambrosius in more Ecclesiæ fuisse innuit, ut episcopus in ecclesia et coram populo de fide disputaret. Quippe jussus ut ad imperatoris consistorium veniret, scribit, ep. XXI, n. 17 : *Venissem, Imperator, ad consistorium clementiæ tuæ, ut hæc coram suggererem, si me vel episcopi vel populus permisissent, dicentes de fide in ecclesia coram populo debere tractari :* et Serm. de basilicis tradendis n. 3, tom. II, p. 864 : *Ad palatium imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, ut in palatio magis certarem, quam in ecclesia.... Causam fidei in ecclesia agendam quis abnuat?*

(*g*) Antiquæ editiones cum mss. *prætermitto :* quod a Lipsio non male correctum est.

rex omnium æternorum sæculorum. Est enim unigenitus Deus (*Joan.* I, 18), et Deus verus, et Deus magnus, et super omnia Deus (*Rom.* IX, 5) : et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria Dei patris est (*Phil.* II, 11). Hæc ego in Spiritu A sancto ita credidi, ut ultra hanc de Domino Jesu Christo fidem non possim doceri : non per hæc adimens patrum fidei religionem, sed secundum regenerationis meæ symbolum, et doctrinæ evangelicæ scientiam, ab ea juxta ista non dissonans.

PRÆVIA DISSERTATIO
IN LIBRUM CONTRA CONSTANTIUM.

I. *Hic liber cum aliis videtur pugnare.* — Quam sibi sanctissimus Christi confessor constantis ac moderati animi gloriam comparavit aliis libris, eam hoc uno apud plerosque pene totam amisit. Tanta enim in omnium animis regum reverentia insita est, ut nullam ipsi rationabilem causam fuisse putent, cur in Constantium vehementer adeo invehereturB. Eo illum adductum dixit non nemo prolixioris exsilii impatientia, plurimi alii innata ferventioris atque austerioris animi indole. Aliis etiam visus est in hoc opusculo sibi non constare, ac de Orientalibus eorumque fidei confessionibus nec non de vocabulo homœusion loqui aliter quam libro de synodis scripserat : quasi in hoc aperte respuat ac damnet, quod in altero aut laudavit, aut excusavit. Erit forte aliquando, qui cum utrumque illud opus non moribus solum (quia libri de synodis verba omnia summam humanitatem spirant), sed et sententiis dissidere posuerit, alium ab Hilario hujus auctorem quæritet : putetque huic opinionem suam eo se posse confirmare, quod in superioribus ad Constantium libellis longe aliter erga eumdem Imperatorem se gerat. In iis nempe morem gerit piæ consuetudini, qua, ut ipse tradit in Psal. XIII, num. 1 : *quis verba regis interpretans, et præcepta ejus in aurem populi deducens curat diligenter et caute per officii reverentiam regis satisfacere dignitati, ut cum honore ac religione omnia et relegantur et audiantur.* Cum autem non consuetudine solum, sed et ea etiam ratione, quod *omne regnum a Deo* sit, potissimam regi reverentiam deberi Fragmento I, num. 5, approbet, ac sermo ipsius doctrinæ huic ubique concinat; eum tum subito mutatum esse ægre sibi persuadebit.

II. *Cum libro de Synodis conciliatur.* — Verum nemo obtinebit umquam, ut libellus is Hilario eripiatur, quem inter opera illius recenset Hieronymus, quemque ipsi Facundus Hermianensis lib. contra Mocianum, nec non Vaticanæ basilicæ codex a duodecim pene sæculis exaratus, et omnes mss. magno consensu adscribunt. Neque vero ulla est illius cum libro de synodis pugna; sed quod in uno minus diserte ac paucioribus verbis, in altero fusius et apertius declaratur. Certe in utroque Hilarius, animo ac sententia non mutatus, mutata rerum facie diversam init disserendi rationem. Ubi enim speravit Orientales ad veram fidem et catholicæ Ecclesiæ sinum revocare, errores ipsorum, quantum licuit illæsa veritate, et dissimulavit et excusavit. Ubi vero spe jam frustratus, timuit ne dissimulati in perniciem fidei crescerent, eosdem et publicavit palam et improbavit. Quamquam ut in libro de Synodis Orientales Ecclesiæ conciliandi studio non ita abreptus est, ut quod in eis esset reprehendendum taceret : sic et in hoc libello ita se temperat, ut cum omnes eorum fidei professiones improbet, eas tamen non neget vitiis carere potuisse. Luculentum est illud num. 24 : *Etiamsi in his omnibus* (confessionibus) *nihil vitiorum subjacere affirmetur ; non tamen causa religiosæ voluntatis inesset : quia mali meditatio est bonorum demutatio.* Rursum cum num. 23, affirmet, Nicæna fide fundatos, Antiochena aut Sardicensi aut Sirmiensi non egere ; ultro tamen concedit, quædam in his esse verba Arianis *inimicissima*, quorum professione Constantius sese *pium* apud Occidentales mentiebatur. Neque etiam homœusion, quamvis, num. 25, sibi *ad fidem otiosum* asserat, prorsus respuit ; sed ea omnino ratione, qua libro de Synodis, illud approbat num. 22, ubi ait : *Mihi quidem similitudo, ne unioni detur occasio, sancta est.* Quis denique eum erga Orientales, qui homœusion propugnabant, aliter affectum existimet; quem non semel audit Constantio exprobrantem quod vim eis fecerit, ut pristinam fidem desererent? Non obscure quidem significat num. 12; sibi non satis probatam eorum fidem ; ibi tamen eorum aliquos nonnulla pie verbis præferre testificatur : in vituperando non minus, quam in laudando moderatus.

III. *Innata Hilarii lenitas vindicatur ex testimonio veterum.* — Pluribus opus esse non arbitramur, ut vulgaris ruat opinio, qua Hilarium hoc libro retractasse ac revocasse putant, quod libro de Synodis in gratiam Orientalium disseruerat. Difficilius forte erit satis iis facere, qui immiti eum animo fuisse ex hoc libro arguunt, aut saltem in eo ingenitæ bonitatis atque lenitatis esse oblitum. Illis tamen primo opponimus Rufinum (*lib.* I *Hist. eccl.*, *cap.* 31), non solum conceptis verbis testantem quod *natura lenis erat et placidus*, sed et verba sua ex gestis ipsius confirmantem. Rarus certe erit, apud quem non multum valeat testimonium tam insigne : at nullus esse debet, quem non moveat antiqua Ecclesiæ consuetudo, qua olim in ipso sacrosancti sacrificii sui meditullio, in Præfatione scilicet

ante Canonem, Hilarium *morum lenitate pollentem* decantabat.

IV. *Constantii palliata impietas ac nefaria persecutio.* — Quibus vero de ipso hic liber aliam sententiam injecit, expendendum est primo quando scriptus sit. Scriptum porro invenient post Seleuciense Concilium, eo ipso tempore quo, Sozomeno teste, l. IV, cap. 25, *omnes ubique Ecclesias quædam quasi persecutio occupavit, cujusmodi olim sub ethnicis imperatoribus grassata fuerat.* Tum ubi perspexerint, præcipuum persecutionis hujus auctorem fuisse Constantium, persecutionis genus attendant. Certe ille dolis magis quam aperta vi tentans fidem exstinguere, animas tanto plures occidebat, quanto magis parcebat corporibus. Quamvis enim lupus, ovis tamen audire ac videri appetebat. Nec decrat unde deciperet, qui verbis utebatur, veritatis speciem mentientibus, pacem et unitatem obtendebat, et inter minas ac supplicia jactitabat sese conciliorum placita vindicare. Eo autem periculosior erat illa persecutio, quod episcopis ipsis utebatur Constantius velut ministris, quo omnes ad hæresim quam amplexabatur attraheret : ut vere de eadem persecutione institutum sermonem prosequens Sozomenus dixerit : *Et si hæc, quod quidem ad cruciatus attinet, remissior videbatur, prudentibus tamen viris propter infamiam visa est acerbior. Utrique enim, et is qui persequebatur, et ille qui persecutionem sustinebat, ex Ecclesia erant.*

V. *Pseudoepiscoporum adulatione laudata.* — Pseudoepiscopi illi, ut moris est iis qui causæ iniquæ assensionem elicere tentant, Constantii nomine, auctoritate, virtutibus sive veris sive fictis, omni denique ratione qua poterant, fucum facere conabantur. Alius itaque, quantum ex hoc libro subodorari est, extollebat Constantii in ecclesiis construendis et adornandis magnificentiam, alius reverentiam erga episcopos laudabat. Ille in comprimendis hæresibus, hic in cogendis synodis studium ac sedulitatem in medio ponebat. Ipse etiam Constantius (quod Lucifer fusius prosequitur) non modo pietatis, sed et doctrinæ gloriam sibi arrogabat. Condebat fidem, cui ab episcopis subscriberetur, illos lubentissime auscultans assentatores, qui cum episcopis Arimini lapsis ipsi rescriberent, *Inlustrati pietatis tuæ scriptis maximas Deo retulimus et referimus gratias, quod nos beaveris, intimans nobis illa, quæ cum discursione pietatis tuæ facere deberemus* (*Fragm.* IX, *n.* 1). Plurimi denique ubi Constantii benignitatem, religionem, pietatem commendarant, sumebant non passurum fuisse Deum, ut rex tam pius tamque religiosus fidem tueretur non rectam; nec levem re ipsa optimæ illius fidei esse notam atque fructum, incredibilem ipsius regni prosperitatem. Multa alia præterimus, quæ populos edictis, minis, suppliciis territos, palliatam Constantii perfidiam tum deprehendere non permittebant.

VI. *An vero Pastori dissimulanda fuerit.* — Quærendum hic venit, num Hilario licuerit pallium amovere, hoc est, num pastori licuerit lupum latentem detegere, num Præsuli hostem fidei insidiantem Christianis manifestum facere. Certe cum Constantius, uti monstratum est, pellem ovinam præ se ferret, et animum lupinum; alterutrum videbatur amanti Ecclesiæ præsuli necessario præstandum, aut ipse nimirum persuadendus ut lupinum animum deponeret, aut admonendi populi ne ipsos pelle ovina deciperet. Primum illud, quod moderato viro magis consentaneum, primo etiam tentavit Hilarius, cum libello dato audientiam ab imperatore reverentissime poposcit, spoponditque se, si copia de fide coram ipso disputandi sibi fieret, pari reverentia locuturum. At non obtinuit illud, quo nutanti Ecclesiæ, illæso Augusti nomine, consulium peroptasset. Restabat igitur alterum, ut cum lupum arcere aut mutare non valeret, oves adversus illius insidias saltem munire conaretur. Is est totus hujus libri scopus; illum enim, non ad Constantium insultandi ei causa, sed ad catholicos instruendi et exhortandi gratia directum esse infra demonstrabimus.

VII. *Sermonis vehementis ratio.* — At sermo vehementior? Frigidus forte nihil profecisset, ubi persecutio incalescebat : nec sine clamore auditus fuisset ab iis, quorum animos jam perfubarat ingens edictorum Constantii strepitus.

VIII. *Qui Constantium antichristum vocet Hilarius.* — Si autem vehemens, non debuit certe esse contumeliosus : nec moderati animi esse putant, quod Constantium in eo non semel legant antichristum appellatum. Hoc nimirum nomen horrent piæ aures, quo quidquid exsecrandum dici aut animo fingi potest, cogitant. At Constantium vulgari illa notione nec dixit nec sensit Hilarius antichristum : sed ea tantum ratione, qua Joannes scripsit, *Antichristus jam venit, et nunc antichristi multi facti sint* (I *Joan.* II, 18). Quod subinde explicans, *Hic est*, inquit, *antichristus, qui negat Patrem et Filium* (*Ibid.*, 22). Ut enim notatur contra Auxent. num. 2, *nominis antichristi proprietas est, Christo esse contrarium.* At vero Constantium Christo contrarium quis neget? Neque aliter eum a se antichristum vocari non obscure significat Hilarius his num. 7 verbis : *Christianum te mentiris : Christi novus hostis es, antichristum prævenis, et arcanorum ejus mysteria operaris.* Sane qui antichristum prævenit, alius ab eo sit necesse est.

IX. *Non tam illum carpere, quam Ecclesiam tueri vult.* — Illum igitur ut hostem, se vero ut militem Christi respiciens, indignum putavit ut commilitonibus non proderet, quem latendo pluribus nocere posse prævidebat. Quod ita efficit, ut a cæteris Constantii vitiis carpendis sese temperarit. Cæsareæ enim majestati, quantum in se erat, nihil ereptum volens, dum divinitati Christi suum jus et honorem integrum et illæsum servare unice contendebat; hoc tantum indigne tulit, quod de jure Christi sublatum videbat. Denique cum Constantium Ecclesiæ Christi non minus infestum existimaret, quam olim fuerant

Decius, Maximianus aliique tyranni; dignum ipsius fortitudine videbatur, ut martyrii spe accensus eo quo poterat modo Ecclesiæ consuleret.

X. *Nihil ex vehementi sermone contra innatam lenitatem confici.* — Si quis rursum hoc eum vehementiori sermone præstitisse volet, ad memoriam quidem revocabit, quod Gregorius Nazianz., Or. XXI, num. 33, de sanctis viris illa tempestate exsistentibus memoravit: *Qui tametsi alioqui pacati ac moderati sint, hac tamen in re lenes et faciles esse non sustinent, cum per silentium et quietem Dei causa proditur; verum admodum bellaces sunt atque in confligendo acres et feroces:* at apud æquos rerum æstimatores numquam efficiet, ut eum præ nimia morum austeritate animi impotentem existiment, quem *morum lenitate pollentem* tum antiquitatis testimonio, tum totius vitæ gestis didicerint. Eum Spiritus sancti impulsu potius, quam bilis commotioris impetu, ad hoc opus adductum credent, cujus animus quinquenni exsilio nihilo segnior, sed probatior atque fortior factus esse inde ostenditur, quod brevi postea illius ope tam uberes in Ecclesiam fructus redundarint. Quis enim nesciat prudentiæ ejus, quam singularis morum lenitas condiebat, nos debere totius prope Occidentis reconciliationem? Hanc quippe proxime post hunc librum aggressus, felicem tandem ad exitum perduxit. Si enim Sulpicium audiamus: *illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas* (*Sulpic. l.* II). Quod autem Sulpicius Galliis nostris, hoc eum Rufinus (*lib.* I *Hist. eccl. c.* 31) Italiæ suæ atque Illyrico non minus morum lenitate quam doctrina præstitisse testificatur. Eo etiam pacto progressus compescuit Luciferiani schismatis, quod a nimia austeritate exortum, coerceri nisi contraria animi affectione non debuit.

XI. *Plura moderationis Hilarii exempla ex hoc libro deprompta.* — Re vera Facundus contra Mocianum in Hilarium velut in moderationis exemplar respici jubet, et quæ in hoc ipso libro præbet virtutis hujus exempla, adversariis suis, quos zelo ferventiori peccare existimat, imitanda proponit. Et certe a Facundo *moderatus ac prudens Ecclesiæ gubernator* ex eo libro approbari merito potest, dum duobus tribusve hæreseos fautoribus negata communione, cæteris resipiscendi facultatem indulgendam decernit; dum hoc decretum suum confessorum judicio ac placito permittit; dum nullam respuit ineundæ pacis honestam conditionem; dum etsi iniqua factione relegatus, toto tamen exsilii sui tempore nihil contra hæreticos scribit famosum aut maledicum; dum Seleuciæ et Constantinopoli ita cum omnibus urbane se gerit, ut Anomœis etiam, a quibus vehementer abhorrebat, facilem ad se aditum præbeat, ac placide et tranquille blasphemias eorum auscultet; dum denique sermone usurus vehementiori, ad id se non sua sed Christi causa adductum esse tanta cura tantoque studio præmonstrat.

XII. *Apologiæ conclusio.* — Quæ cum ita sint, A singulare singularis viri factum pie venerari tutius est, quam temere reprehendere. Si enim ob asperum sermonem Hilarium animi immitis arguere liceat; licebit forte et Stephanum, ubi in Judæos tam acerbe invehitur, pariter bilis commotioris accusare; sui quoque impotentes fuisse arguentur prophetæ, qui principum vitia tanta libertate reprehenderunt; nec parcetur ipsi mansuetudinis exemplari Domino nostro, et ab innata cordis lenitate videbitur excidisse, ubi Pharisæos tam amare tamque acerbe increpavit. Quin potius quod de Stephano sensit ac dixit Augustinus (*in Psal.* CXXXII, *n.* 8), *Quasi sæviebat Stephanus; sæviebat ore, corde diligebat:* hoc sentiamus ac dicamus de Hilario nostro, *Quasi sæviebat Hilarius; sæviebat calamo, corde diligebat.*

XIII. *Epistola est Catholicis, non Constantio inscribenda.* — Hoc opus in mss. Colbertino et Martiniano *epistola* non male nuncupatur; quamvis non placeat quod in iisdem *ad Constantium imperatorem transmissa* subinde notetur. Ad eos enim epistola transmissa censenda est, quos illius scriptor in principio alloquitur, non ad quos deinde per locutionem figuratam sermonem convertit. Toto autem hujus Operis exordio alloquitur Hilarius *Fratres*, ad quos etiam redit num. 12, etc. Ad Constantium igitur non est sermo nisi figuratus: qua figura Orientales diu copioseque alloquitur in libro de Synodis, quamvis non ad illos, sed ad Gallicanos episcopos destinato. Non est itaque assentiendum Chiffletio, qui (notis in Ferrand.) hunc librum aut *in Constantium* aut *ad Constantium* indifferenter inscribi posse voluit.

XIV. *Vivo Constantio scriptus est hic liber.* — Inscribitur in perantiquo basilicæ S. Petri codice, ut et in Telleriano, *liber in Constantium imperatorem;* in aliis autem mss. *liber contra Constantium Augustum:* quibus cum temere addidisset Erasmus, *jam vita functum;* posterioribus tamen editionibus castigatus non fuit. Errandi occasio ei nata est ex verbis Hieronymi, inter Hilarii opera librum in Constantium post mortem ipsius scriptum recensentis. Et Hieronymus quidem cum unicum Hilarii librum in Constantium memoret, cumque ex hoc libro, qui præ manibus est, verba quædam, uti jam annotavimus, epist. XXVII ad Eustochium exprimat; nullum fere dubium est, quin hunc ipsum post mortem Constantii scriptum crediderit. Ipse tamen Hilarius, num. 2, conceptis verbis testatur, eum se quinto anno post exsilia Eusebii, Luciferi et Dionysii, hoc est, quinquennio post concilium Mediolanense anni 355, proindeque anno 360, uno ante Constantii mortem scripsisse. Neque ambigendum videtur, quin illum scripserit cum Constantinopoli versaretur, postquam de fide coram disputandi potestatem sibi fieri enixe poposcisset, nec impetrasset, imo etiam post quam ibidem inchoasset Seleuciensis atque Ariminensis concilii historiam. Verum propter verba Hieronymi libenter assentiemur iis, qui hunc licet ante mortem Constantii scriptum, editum tamen volent dumtaxat post mortem ipsius: maxime cum paulo post Hilario

in Occidentem redeundi facta potestate, facultas ei data sit hoc apud suos longe facilius atque liberius per se præstandi, quod per hunc librum facere proposuerat.

XV. *Non est imperfectus, sed a manu peregrina auctus.* — Rursum Erasmi opinioni, qua hunc librum imperfectum existimavit, subscripsere quotquot post eum Hilarii Opera ediderunt. Nobis contra non modo integer et absolutus, sed et ab aliena manu ex libris de Trinitate non mediocriter auctus apparet; eorum forsitan opera, qui ex variis eorumdem librorum centonibus libros de Patris et Filii unitate, necnon de essentia Patris et Filii contexuerunt. Hæc accessio antiqua quidem est, cum etiam in ms. Colbertino ab annis circiter 600 exarato, et Martiniano qui hunc antiquitate superat, necnon in aliis septem exstet; ab auctore tamen minime prodiisse facile judicatur, tum quia fragmentis constat inter se omnino dissolutis, tum quia tota abest a laudato S. Petri codice omnium longe veterrimo.

XVI. *Synopsis.* — Totum hoc opus in sex partes distribui commode potest. Prima orationis tam vehementis rationes præmittit. Perstringit secunda persecutionem, quam Constantius a concilio Arelatensi usque ad Ariminense, sive blanditiis ac simulatione ovem se mentiens, sive minis ac suppliciis lupum agens excitavit. Gesta Seleuciensis synodi tertia attingit. Concilii ejusdem fidem, qua *Filium Patri secundum Scripturas similem* definierat, dictumque Constantii, *Nolo quæ non scripta sunt dici :* Sigillat quarta atque confutat, Filii et Patris demonstrans æqualitatem. Quinta Arianorum ipsiusque Constantii in fide inconstantiam repræsentat. Postrema denique, si tamen libri hujus pars dici potest, quæ licet Hilarii verbis constet, a peregrina tamen manu adtexta est, Patris naturam et æternam Filii nativitatem humani ingenii vires superare declarat.

561-562

SANCTI HILARII
CONTRA CONSTANTIUM IMPERATOREM
LIBER UNUS.

(SCRIPTUS ANNO 360.)

1. *Exhortatio ad certandum pro fide.* — Tempus est loquendi: quia jam præteriit tempus tacendi. Christus exspectetur: quia (*a*) obtinuit antichristus. Clament pastores: quia mercenarii fugerunt. Ponamus animas pro ovibus : quia fures introierunt, et leo sæviens circuit. Ad martyrium per has voces exeamus, quia angelus satanæ transfiguravit se in Angelum lucis. Intremus per januam : quia nemo vadit ad Patrem nisi per Filium (*Joan.* XIV, 6). Manifestentur in pace sua pseudoprophetæ: quia in hæresi et schismate manifestabuntur probati. Sustineatur tribulatio, qualis non fuit a constitutione mundi: sed intelligantur breviandi dies propter electos Dei (*Matth.* XXIV, 22). Impleta est prophetia, dicens: *Erit tempus, quando sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros scalpentes aures: et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur* (II *Tim.* IV, 3); sed exspectetur promissio protestantis, *Beati estis, cum vos maledicent, et persequentur, et dicent omne malum adversum vos propter justitiam. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo. Sic enim persecuti sunt et prophetas qui erant ante vos* (*Matth.* V, 11, 12). Stemus ante judices et potestates pro Christi nomine: quia beatus est qui usque in finem perseveraverit (*Matth.* X, 22). Non timeamus eum qui potest corpus occidere, animam autem non potest : sed timeamus eum, qui potest corpus et animam occidere in gehennam (*Ibid.*, 28). Nec solliciti de nobis simus: quia capilli capitis nostri numerati sunt (*Ibid.*, 30). Et per Spiritum sanctum sequamur veritatem: ne per spiritum erroris credamus mendacio. Et commoriamur Christo, ut Christo conregnemus. Ulterius enim tacere, diffidentiæ signum est, non modestiæ ratio, quia non minus periculi est semper tacuisse, quam numquam.

2. *Ut Hilarius in tuenda fide semper paci studuerit. Ut modestiam cum adversariis servarit.* — Ego, Fratres, ut mihi omnes, qui me vel audiunt vel familiaritate cognitum habent, testes sunt, gravissimum fidei periculum longe antea prævidens, post sanctorum virorum exsilia (*b*) Paulini, Eusebii, Luciferi, Dio-

(*a*) In tribus mss. *obticuit.* Rectius in aliis, *obtinuit*, supple, *Imperium*, aut quid simile. Constantium antichristi præcursorem coram vocare non trepidarunt Romanæ Ecclesiæ legati. *Cum te*, ait ad ipsummet Lucifer lib. I pro Athanasio, *urgeremus nos legati beatæ Ecclesiæ, sectam damnandam Arii, et illam dixisti magis esse catholicam; prænuntiavimus te antichristi fuisse præcursorem.*

(*b*) Paulinum ab Arelatensi synodo anno 353 desinente e sua sede pulsum esse constat tum ex libello I ad Constantium, n. 8, tum maxime ex Fragmento I, n. 6; Luciferum autem, Eusebium ac Dionysium a Mediolanensi an. 355. Neque ignoravit Athanasius quid utraque illa synodo gestum sit, de quibus scribit ad Solitarios, pag. 829: *Cum autem esset* (Imperator) *Arelate et Mediolani, omnia pro hæreticorum adhortatu suggestioneque faciebat: vel potius illi ipsi agebant insultabantque in omnes Cæsaris potestate succincti.* Quia tamen ille, Apolog. pag. 692, quemadmodum hic noster Hilarius, Paulini exsilium una cum exsiliis Eusebii, Luciferi ac Dionysii memorat; factum est ut Socrates, lib. II, cap. 36, et Rufinus, lib. I

nysii, quinto abhinc anno, a Saturnini et Ursacii et Valentis communione me cum Gallicanis episcopis separavi, indulta cæteris consortibus eorum resipiscendi facultate: ut nec pacis abesset voluntas, et principalium morborum fœtida, et in corruptionem totius corporis membra (*a*) proficientia desecarentur; si tamen hoc ipsum beatissimis confessoribus Christi editum decretum (*b*) tum a nobis manere placuisset. **563** (*c*) Qui postea per factionem eorum pseudoapostolorum ad Biterrensem synodum compulsus, cognitionem (*d*) demonstrandæ hujus hæreseos (*e*) obtuli. Sed hi timentes publicæ conscientiæ, audire ingesta a me noluerunt: putantes se innocentiam suam Christo posse mentiri, si volentes nescirent, quod gesturi postmodum essent scientes. Atque exinde toto hoc tempore in exsilio detentus, neque decedendum mihi esse de Christi confessione decrevi, neque honestam aliquam ac probabilem ineundæ unitatis rationem statui respuendam. Denique exinde nihil (*f*) in tempora maledictum, nihil in eam, quæ tum se Christi ecclesiam mentiebatur, nunc autem antichristi est synagoga, famosum ac dignum ipsorum impietate scripsi, aut locutus sum: neque interim criminis loco duxi, quemquam aut cum his colloqui, aut suspensa licet communionis societate, orationis domum adire, aut paci optanda sperare; dum erroris indulgentiam, ab antichristo ad Christum (*g*) recursum, per pœnitentiam præpararemus (*Vid. l. de Synod. n. 4 et* 8).

3. *Quod jam dicturus est, non est impatientiæ, sed libertatis christianæ.* — Si quis igitur prudens rationem silentii mei percipit, profecto me usque nunc recentis injuriæ acerbitatem moderatum, nunc demum fideli in Christo libertate (*h*) testante, non aliquo vitio humanæ perturbationis, ad hæc scribenda arguet incitatum. Neque enim immature loquar, qui diu tacui, nec sine modestia tacui, qui aliquando jam loquor: neque injuriam queror, qui dissimulavi recentem, et qui, ne quid ex causa mea loqui existimarer, (*i*) tantum adhibui ad silentium temporis. Nunc mihi non alia ad dicendum causa, quam Christi est: cui **564** et hoc debui, quod usque nunc tacui; et (*supple*, cui) ex reliquo me intelligo debere, ne taceam.

4. *Persecutorum optat tempora.* — Atque utinam illud potius, omnipotens Deus et universorum creator, sed et unius Domini nostri Jesu Christi pater, ætati meæ et tempori præstitisses, ut hoc confessio-

Hist. Eccl. c. 19, Paulinum cum cæteris ab una synodo Mediolan. in exsilium trusum esse existimarint. Imo his addit Rufinus Hilarium atque Rodanium: qui a Sulpicio Severo pariter superioribus adjunguntur. Unde Blondellus Hilarium anno 354 relegatum scribit. At hos omnes exsilio conjunxit, non tempus, sed causa una, Athanasii scil. ac fidei Nicænæ defensio.

(*a*) Apud Par., *proficienda*. In codice Vat. bas., *proficiscentia*. In Colb. et Martin., *profitentia*. Malumus cum aliis, *proficientia*. Namque ut in bonam, ita et in malam partem Hilario familiare est verbum *proficere*. Quam scierit inter lepram et lepram, inter seductos ac seductores Arianos dijudicare, hoc loco probat; quamvis Erasmo aliter scribere placuerit.

(*b*) Septem mss. *edita decreta tum*. Alii duo *editum decretum*, sine particula *tum*. Decreti hujus condendi Hilarium auctorem præcipuum exstitisse valde probabile est. In hunc locum haud dubie respicit Facundus Hermian. epist. ad Mocianum, ubi cum iis, qui Calchedonense concilium impugnabant, communionem non ineundam esse contendens, ait: *Hoc cum suis collegis Hilarius fecit, qui nullo adhuc in præjudicium Nicæni concilii procedente decreto, cum prima contrariorum molimina præsumpsissent, properaverunt ab eorum se communione dividere.* Plusculum tamen ei attribuit. Non enim omnia morbida membra desecat, sed *in corruptionem totius corporis proficientia*, tres scil. episcopos dumtaxat: neque hoc statim post prima eorum molimina; sed postquam Mediolanensi synodo prosecuti sunt, quod Arelatensi primum tentarant. Etsi latet an hoc decretum confirmarint sancti confessores, certe non aliam regulam secuti sunt, qui an. 362 Alexandriæ congregati, uti narrat Rufinus, lib. I, cap. 28, sanxerunt, *ut tantum perfidiæ auctoribus amputatis, reliquis sacerdotibus daretur optio, si forte velint, abjurato errore perfidiæ, ad fidem patrum statutaque converti.* Deinde, uti loquitur Hieronymus, Dial. Contra Lucif., *assensus est huic sententiæ Occidens, et per tam necessarium consilium satanæ faucibus mundus ereptus est.* Ita Innocentius papa patres concilii Milevitani regulæ eidem adhærentes confirmat his verbis: *Ut durum arbitror conniventiam præstare peccantibus: ita impium judico manum negare conversis.* Ea quoque Leone teste, epist. nunc CXXV ad Leonem c. 1, in Calchedonensi concilio servata est moderatio, *ut rebellibus tantum ac pertinacibus ab Ecclesiæ unitate rejectis, nulli correcto venia negaretur.* Quod Leo ipse approbat, epist. alias XXXIX, nunc LIX: *quia devotionis utrumque est christianæ, ut et pertinaces veritas justa coerceat, et conversos charitas non repellat.*

(*c*) Editi, *quibus postea*: mox Bad., Er., Mir. et Lips., *ad Biturensem synodum compulsis*; Par., *ad Betherensem synodum compulsis*: emendantur ex mss. e quibus soli Martin. et Colb. habent, *a Byterensi synodo compulsus*: minus vere. Hilarius hic paucis perstringit qui ad Biterrensem synodum an. 356 venerit, tum quid in ea gesserit, ac tandem ob quid ex ea in exsilium pulsus sit.

(*d*) Verbum *demonstrandæ*, ab Erasmo primum expunctum, restituimus ex Bad. et mss.

(*e*) Martinianum exemplar cum Colb., *audientibus obtuli. Sed hi timentes propriæ conscientiæ pondus, audire*, etc. Magis placet cum aliis, *timentes publicæ conscientiæ*, supple, *manifesti fieri*. Hunc suum timorem jam ab anno superiore prodiderant; *verentes enim populi judicium e Dominico ad palatium transierunt*, uti legimus lib. I ad Constantium n. 8, cum contra Hilarius nihil magis in votis haberet. Hoc Biterris nondum exsul, hoc exsul Constantinopoli enixe rogavit, ut de fide *sub publica conscientia* disserendi facultas sibi daretur. Quod Ariani constanter reformidantes, eum post primam petitionem in exsilium, post alteram in patriam miserunt.

(*f*) Bad., Er. et Mir. cum mss., *in tempore*. Tum ex his duo, *maledicum*. His verbis se præstitisse significat, quod lib. X de Trinit. n. 4 proposuerat, ubi ait: *De temporibus non queremur*, etc.

(*g*) Editi, *recurrentium*: obnitentibus omnibus mss. quibus favet illud cap. 2 in Matth., n. 2, ubi per pœnitentiam *reditus ab errore et recursus a crimine* esse dicitur. Tum quatuor mss. *præparemus*: alii duo, *præparamus*.

(*h*) In mss. Colb. et Martin., *libertate stantem*: quod Bandinus ac Latinius legendum esse conjectarunt.

(*i*) Apud Lips. et Par., *tamen adhibui ad silentium tempus*. Rectius aliis in libris, *tantum.... temporis*, scil. quadriennium, quod jam in exsilio exegerat.

nis meæ in te atque in unigenitum tuum ministerium Neronianis, Decianisve temporibus explessem! Nec ego, per misericordiam Domini et Dei filii tui Jesu Christi calens (*a*) Spiritu sancto, equuleum metuissem, qui desectum Esaiam scissem, nec ignes timuissem, inter quos Hebræos pueros cantasse meminissem: nec crucem et fragmenta crurum meorum (*b*) vitassem, postquam in paradisum translatum latronem recordarer: nec profundum maris et Pontici æstus absorbentem rheumam trepidassem, cum per Jonam et Paulum docuisses fidelibus esse in mari vitam. Adversus enim absolutos hostes tuos felix mihi illud certamen fuisset; quia nec dubium relinqueretur, quin persecutores essent, qui ad negandum te pœnis, ferro, igni compellerent: neque ad testificandum plus tibi nos, quam mortes nostras liceret impendere. Pugnaremus enim palam et cum fiducia contra negantes, contra torquentes, contra jugulantes: et nos populi tui, tamquam duces suos, ad confessionis religionem intelligentia persecutionis publicæ comitarentur.

5. *Constantii persecutio qualis.* — At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem (*c*) blandientem, contra Constantium antichristum: qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed (*d*) ditat in mortem; **565** non trudit carcere ad libertatem, sed intra palatium honorat (*e*) ad servitutem; non latera vexat, sed cor occupat; non caput gladio desecat, sed animam auro occidit; non ignes publice minatur, sed gehennam privatim accendit. Non contendit, ne vincatur; sed adulatur, ut dominetur. Christum confitetur, ut neget; (*f*) unitatem procurat, ne pax sit; hæreses (*g*) comprimit, ne christiani sint; sacerdotes honorat, ne episcopi sint; (*h*) ecclesiæ tecta struit, ut fidem destruat. Te in verbis, te in ore circumfert; et omnia omnino agit, ne tu (*i*) Deus ita, ut pater, esse credaris.

6. *Hilarius a maledicti suspicione se purgat.* — Cesset itaque maledictorum opinio, et mendacii suspicio. Veritatis enim ministros decet vera proferre. Si falsa dicimus, infamis sit sermo (*j*) maledicus: si vero universa hæc manifesta esse ostendimus, non sumus extra apostolicam libertatem et modestiam post longum hæc silentium arguentes. Sed temerarium me forte quisquam putabit, quia dicam Constantium antichristum esse. Quisquis (*k*) petulantiam istud magis quam constantiam judicabit, relegat primum Joannem dixisse ad Herodem, *Non tibi licet facere istud* (*Marc.* VI, 18): sciat a Martyre esse dictum regi Antiocho, *Tu quidem iniquus de præsenti vita nos perdis, sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus* (*l*) *in æternam vitam in resurrectione suscitabit* (II *Mach.* VII, 9): et rursum beata fidelique voce alium increpasse, *Potestatem*, inquit, *inter homines habens, cum sis corruptibilis facis quod vis: noli autem putare genus nostrum* **566** *a Deo esse derelictum. Patienter sustine, et vide magna potestas ipsius qualiter te et semen tuum torquebit* (*Ibid.*, 16, 17). Et quidem ita pueri. At vero fœmina nihil minus perfectis et

(*a*) Auctoritate ms. Martin. adjecimus *Spiritu sancto*. Hic Hilarii locus cum simili Chrysostomi epist. CXXV Cyriaco conferendus.

(*b*) Martin. et Colb. mss., *crurium meorum formidassem*: et infra *undam*, pro *rheumam*. Non obscure hic significat Hilarius, id Martyribus proxime post mortem donari, quod latroni concessum est. Atqui Paradisum ei datum vocat in psal. CXLI, n. 6, *sortem et regnum hæreditatis suæ*, id est, Christi; et lib. X de Trin. n. 34, *consummatæ beatitudinis delicias*. Nec proinde dubitasse videtur, cœlestem beatitudinem Martyribus non differri.

(*c*) Falsas illas Constantii blanditias Lucifer, lib. Moriendum pro Dei filio, pariter arguit his verbis: *In hoc vero scelestissimus judicaris, quod sub specie dilectionis et consulere cupiens, ad nos blandiaris dejiciendos*. Sic Athanasius, ad Solit. p. 838, narrat Osium a Constantio devictum *nunc quidem blandiente, patremque eum appellante, nunc interminante et relegatos enumerante*, etc.

(*d*) Multos hac arte delusos esse testificatur Liberius apud Theodoretum, lib. II Hist. Eccl. c. 16, dum ait: *Quicumque non diligunt gloriam Dei, ii tua munera anteponentes, eum, quem ipsi non viderant nec judicaverant, condemnarunt*. In his *Potamius*, ut Faustinus et Marcellinus lib. ad Imp. aiunt: *primum quidem fidem catholicam vindicans, postea vero præmio fundi fiscalis, quem habere concupierat, fidem prævaricatus est*. Tales vocat Gregorius Naz., Or. XXI, *auri magis quam Christi amantes*, φιλοχρύσους μᾶλλον ἢ φιλοχρίστους: additque Constantium bona pauperum in malos illos usus insumpsisse. Quamquam in mss. Colb. et Martin. desideratur, *non proscribit ad vitam, sed ditat in mortem:* neque hoc vere diceretur, si *proscriptio* solum exsilium, non etiam bonorum et capitis multam sonaret: plurimos enim exsilio jam punierat. Vel certe hic exhibetur Constantius, qualis videri affectabat. Nam licet Lucifer, lib. Mor. pro Dei filio, de ipso scribat: *Spolias, proscribis, mactas gladio*, etc., postea tamen subjicit: *Qui in innocentes tam rabide sævis, Christianum te, pium, prudentem atque justum videri posse censes*.

(*e*) Vat. bas. aliique duo mss. *onerat*: quod notamus, quia infra legere est, *sacerdotes honorat*.

(*f*) Hanc saltem obtendebat. Ipsa Constantii in Concilio Mediolanensi an. 355, verba refert Lucifer, lib. De non conven. cum hæret.: *Dixisti, Pacem volo firmari in meo Imperio, cupiens violare in nobis pacem dominicam, scindere desiderans Dei populum*, etc. Rursum post pauca, *Nobis dicebas, Pacem volo fieri:* et circa initium, *Dixisti nos fuisse atque esse inimicos pacis, hostes unitatis, adversarios etiam fraternæ charitatis*.

(*g*) Photini videlicet, uti declaratur infra, num. 23: *Omnem rursum adversum Photinum Sirmium catholicæ doctrinæ tuæ commoves curam*.

(*h*) Ita et Lucifer, lib. I pro Athanasio, imperatorem alloquitur: *quod cum sis memorias Martyrum instaurans, tamen servorum unius filii Dei cruorem fundas*. Et Theodoretus, lib. III Hist. Eccl. c. 12, testis est, Constantium splendidis ac magnificis vasis templa ditasse.

(*i*) In vulgatis et aliquot mss. *ne tu ut Deus, ita pater*. Præferimus cum Vat. bas., Martin., Colb. et Carn., *ne tu Deus ita, ut Pater*, supple, *est Deus:* ut ad Christum referatur, *Te in ore*, etc., cujus divinitatem paternæ inæqualem Constantius inducere velle reprehenditur.

(*j*) Exemplar Vat. bas., *maledicens*.

(*k*) In ms. Carnut., *petulantia istud magis quam constantia dici*.

(*l*) Colbertinus codex cum Martin., *in æternæ vitæ resurrectionem suscitabit*. Græce, εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει.

beatis viris locuta est, dicens: *Tu vero, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Si enim nobis* (*a*) *vivis propter increpationem et correptionem Dominus modicum iratus est, sed iterum* (*b*) *reconciliabitur servis suis* (*Ibid.*, 31 *et seqq.*). Non est istud temeritas, sed fides; neque inconsideratio, sed ratio; neque furor, sed fiducia.

7. *Constantius Neroni, Decio*, etc., *confertur.*—Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni loculturus fuissem, quod ex me Decius et Maximianus audirent: Contra Deum pugnas, contra Ecclesiam sævis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus (*c*) non jam humanorum, sed divinorum es. Hæc tibi a me atque illis socia atque communia sunt: at vero nunc propria tua accipe. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es: antichristum prævenis, et arcanorum mysteria ejus operaris. Condis (*d*) fides, contra fidem vivens. Doctor profanorum es, indoctus piorum (*e*) episcopatus tuis donas, bonos malis demutas. Sacerdotes custodiæ mandas, exercitus tuos (*f*) ad terrorem Ecclesiæ disponis, synodos contrahis, et Occidentalium fidem ad impietatem compellis, conclusos urbe (Ariminensi) una minis terres, fame debilitas, hieme conficis, dissimulatione depravas. Orientales autem dissensiones artifex nutris, (*g*) blandos elicis, fautores instigas: veterum **567** turbator es, profanus novorum es. Omnia sævissima sine (*h*) invidia gloriosarum mortium peragis. Novo inauditoque ingenii triumpho de diabolo vincis, et sine martyrio persequeris.

8. *Martyrum Reliquiæ venerandæ: earum virtus.* — Plus crudelitati vestræ, Nero, Deci, Maximiane, debemus. Diabolum enim per vos vicimus. Sanctus ubique beatorum Martyrum sanguis exceptus est, (*i*) et veneranda ossa quotidie testimonio sunt: dum in his dæmones (*j*) mugiunt, dum ægritudines depelluntur,

(*a*) Silvæ majoris ms., *unus*. Colb., *nunc*. Magis placeret, *vivus* vel *vivens*, juxta græcum verbum ζῶν.

(*b*) In excusis, *recordabitur*. Rectius mss. Colb. et Martin., *reconciliabitur*: consentiente græco, καταλλαγήσεται.

(*c*) Hoc est, non jam humanarum, sed divinarum rerum tyrannus es. Hæc a me dicta, tibi atque illis socia et communia sunt. Unde hic non notantur quæcumque hactenus dicta sunt (nam Constantii maxime sunt propria quæ ante hunc numerum 7 continentur), sed quæ Hilarius Neroni ac Decio se proclamaturum fuisse proxime testificatus est.

(*d*) Editi, *condis fidem*. Concinnius ms. Vat. bas. cum aliquot aliis, *condis fides* numero plures, et perinde falsas: *contra fidem vivens*, eam scil. quæ una et vera est, nec animo nec moribus tenens. Fides illas intelligit, frequentes fidei expositiones Constantio præsente, vel favente scriptas; aut etiam libros illos, de quibus Lucifer de non parcendo in Deum delinquentibus: *Quantum enim apud te est, tradidisti eum* (Christum), *de quo et libros scriptos dedisti, et prædicatores benigni voti in omni loco constituisti*: et sub initium ejusdem libri: *Convincent te libelli recitati a te, ac dati Romæ episcopis etiam catholicis, ad hoc videlicet, ut in omni loco tua roborari posset blasphemia.* Unde cum lib. II pro Athanasio eum *legisperitum* velle videri, et lib. Mor. pro Dei filio, eum sese *peritum* arbitrari et *dictatorum designatum numerum* habere memoret; non negat subinde, quin sermo illius sit *politus, ornatus, qui etiam dici mereatur disertus ac dulcis per artem quæsitus.* Quibus illustrantur proxima Hilarii verba, *Doctor profanorum es.*

(*e*) In omnibus mss. *episcopatus tuos.* Tum in plerisque, *donans.* Et hic Lucifer audiendus, lib. De non parcendo in Deum delinq.: *Transfiguratus es in Apostolos Christi, qui tamquam vere ad te omnis cura Ecclesiæ pertineat. sic sollicitus videlicet ne quis alicubi catholicus præsit Ecclesiæ episcopus . . . tollis episcopos catholicos, ordinas hæreticos. Cui*, inquit lib. Mor. pro Dei filio, *crebro sunt acclamantes Ariani dogmatis tui episcopi, Episcopum te esse episcoporum.* De hac bonorum episcoporum in malos demutatione videndus quoque Athanasius ad Solit. p. 858, quo spectat illud ejusdem pag. 860: *Quinquaginta sedium episcopos cum satellitio militari ad invitos populos submittis*, etc. Forte etiam Hilarius hic respiciat immutationem episcoporum constantinop. synodo proxime factam, de qua infra, num. 15.

(*f*) Colb. ms. *ad errorem.*

(*g*) Martinianum exemplar, *blanditiis religas.* Tum Colbertinum, *fautor instigas.* Non displiceret, *blandus elicis, fautor instigas.* Hic tanguntur dissensiones Seleuciæ excitatæ, ac deinde Constantinopoli nutritæ.

(*h*) In ms. Colb., *sine injuria.* Hoc ipsum Lucifer non tacuit lib. Mor. pro Dei filio: *Sic nos*, inquit, *quos tam infeste persequeris, varie excarnificari cupis, et quidem momentis omnibus; interficiendos vero non esse statuisti, tamquam mors tantummodo beatos milites Christi facial*, etc. Eleganter deinde Hilarius Constantium, ingenio et arte Christianos torquendi, diabolo superiorem esse enuntiat.

(*i*) Verba, *et veneranda ossa quotidie testimonio sunt*, in antiquo basilicæ Vaticanæ codice ab aliquo forsitan Eunomii aut Vigilantii discipulo primum suppressa, postea in ectypis et vulgatis defuere. Conservata sunt in mss. Colbertino et Martiniano, quorum ope restauratur, quod orationis integritati deficiebat. Verba enim: *Dum in his dæmones mugiunt*, etc. quæ ad superiora: *Martyrum sanguis exceptus est*, referri nequibant, jam apprime cohærent cum his, *veneranda ossa testimonio sunt.* Hæc quippe portenta, cum eorum qui occisi sunt, tum ejus pro quo occisi sunt, gloriam ac virtutem præclare testantur. Quod illustratur his lib. XI de Trin. n. 3: *Hunc* (Christum) *Apostolorum et Martyrum loquuntur sepulcra . . . hunc punitorum dæmonum resonant mugitus.* Hilarii verbis inhæret Hieronymus contra Vigilant., ubi sacras Apostolorum Reliquias appellat *secundum nos venerauda ossa*, quas Vigilantius cum Eunomio *vilem pulviscutum* vocitabat.

(*j*) Quinque mss. *rugiunt.* Potiores cum vulgatis, *mugiunt*: quomodo lib. XI de Trin., n. 3, legimus *dæmonum mugitus*, non *rugitus.* Illis tamen favet Hieronymus epist. XXVII, ad Eustochium, c. 6, ubi similia narrans ait: *Cernebat* (Paula) *variis dæmones rugire cruciatibus, et ante sepulcra Sanctorum ululare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, mugire taurorum; alios rotare caput, et post tergum terram vertice tangere suspensisque pede feminis vestes* (adde *non*) *defluere in faciem.* Quæ postrema verba ad Hilarii imitationem expressa, indicio sunt hunc librum Hieronymo ignotum non fuisse. Eumdem quoque locum imitatur Sulpicius, dum Martini in expellendis dæmonibus virtutem sic enarrat Dial. III: *Cerneres miseros diverso exitu perurgeri, hos sublatis in sublime pedibus quasi de nube pendere, nec tamen vestes defluere super faciem, ne faceret verecundiam nudata pars corporum.* Ita et Paulinus, in Nat. 7, S. Felicis, hominem a dæmone obsessum repræsentat ad limina ejusdem Sancti:

Corpore verso.
Suspendi pedibus spectantem tecta supinis:
(Cui) Vestibus ut rigidis, aut ad vestigia sutis,

elevari sine laqueis corpora, et suspensis pede feminis vestes non defluere in faciem, uri sine ignibus spiritus, confiteri (*a*) sine interrogatione vexatos, agere omnia non minus cum profectu examinantis, quam incremento fidei. At tu, omnium crudelium crudelissime, damno majore in nos, et venia minore desævis. Subrepis (*b*) nomine, blandimento occidis, specie religionis impietatem peragis, Christi fidem Christi mendax prædicator exstinguis. Non relinquis saltem miseris excusationes, ut æterno judici suo pœnas et aliquas laniatorum corporum (*c*) perferant cicatrices, ut infirmitas defendat necessitatem. Scelestissime mortalium, omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et in peccato veniam, et in confessione martyrium. Sed hæc ille (*d*) pater tuus artifex humanarum mortium docuit, **568** vincere sine contumacia, jugulare sine gladio, persequi sine infamia, (*e*) ordire sine suspicione, mentiri sine intelligentia, profiteri sine fide, blandiri sine bonitate, agere (*f*) quod velis, nec manifestare quæ velis.

9. *Domini nomen in verbis Constantii, non in gestis. Deum inducit fallacem.* — Sed me ipse unigenitus Deus, quem in me persequeris, admonuit ne tibi crederem, neque me hoc fallax in te ementitumque nomen illuderet, dicens : *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum : sed qui facit voluntatem Patris mei, (g) qui in cœlis est, hic intrabit in regnum cœlorum* (*Matth.* VII, 21). Agnoscis ne nunc divinæ in te prophetiæ veritatem et dominicæ sententiæ fidem, (*h*) qua non professio nominis in cœleste regnum, sed obedientia paternæ voluntatis admittitur? At vide tu, si præferens nomen Domini in verbis, voluntatem efficias Dei patris in rebus. Clamat ille : *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (*Matth.* III, 17) : et tu decernis non esse filium, neque esse patrem; sed adoptionis nomina, externas nuncupationes, et simulantem de se omnia Deum novus hodie religionis divinæ persecutor inducis. Antehac patres tui (Nero, Decius, etc.) in solum Christum hostes fuerunt : tu autem ad Patrem Deum certas, ut mendax sit, ut fefellerit, ut hoc de se professus sit quod non esset, quasi neque esse possit, Clamat Filius : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30) ; et, *Operibus meis credite, quia Pater in me, et ego in Patre* (*Ibid.*, 38) : et, *Omnia, quæ Patris* **569** *sunt, mea sunt* (*Joan.* XVI, 15) : tu Christum objurgas (*i*) veritatis, tu Patrem arguis professionis. Emendas Deum homo, vitam moderaris corruptio, et nox lucem illuminas, et promulgas fidem infidelis, et (*j*) pietatem impius mentiris, et orbem terræ profana simultate committis : negans hoc de Deo, quod ipse de se professus est.

10. *Constantio vestis ovina.* — Sed (*k*) præter hanc emendationem falsitatis, aliud me Dominus, ad intelligendum te, dictum docuit, dicens : *Attendite a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, (l) ab intus autem sunt lupi rapaces : a fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 15, 16). Est enim aliquid in corde, quod dissimulatur in vultu, et velatum est mente : et ovem putantes, lupum senserunt. Si quæ ovium sunt agunt, credantur et oves esse : si autem (*m*) rapacium luporum opus peragunt,

Corporis omne sacrum casto velatur operto :
Scilicet ut divini operis reverentia tectis
Corporibus maneat, nec pœna dæmon in ipsa
Qua cruciatur ovet, nudis prodendo pudorem
Artubus, illæso gravius torquetur honesto.

Hujusmodi portentum nostra ætate vidit Lotharingia, uti fidem faciunt Commentaria Marchionis *de Beauvau* gallice Scripta, p. 6.

(*a*) Et hunc locum restauramus ex mss. Colb. et Martin. in quibus tamen exstat *age* pro *agere*, et *profecto* non *profectu*. In aliis autem libris habetur, *confiteri sine interrogantis incremento fidei. At tu omnium crudelitatum crudelissime.* Hic ostendit Hilarius, immundos spiritus occulta quadam vi agi ac torqueri, dum eorum *occulta* est *plaga*, *et pœna manifesta*, ut loquitur Cyprianus, epist. II ad Donatum, ubi et tormenta ipsis per Exorcistas inflicta videsis. In illis autem tormentis confitebantur alii Christi divinitatem, ut ab Hilario audivimus, lib. XI, n. 3, alii totius Trinitatis fidem, cujus rei luculentum est exemplum apud Ambrosium, epist. nunc XXII, n. 21. Alii vero, uti testis est Cyprianus, lib. ad Demetrianum, *ejulantes et gementes voce humana, et potestate divina flagella et verbera sentientes, venturum judicium confitentur.* Interdum etiam, inquit lib. de Idol. Vanit. : *Videas illos nostra voce et operatione majestatis occultæ flagris cædi, igne torreri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari; unde veniant, et quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus, confiteri.* Sed maxime omnium Sulpicius Severus, Dial. III, Hilarii verba dum mutuatur, illustrat in hunc modum : *In parte alia videres sine interrogatione vexatos, et sua crimina confitentes. Nomina etiam nullo interrogante prodebant; ille se Jovem, iste Mercurium fatebatur.*

(*b*) In vulgatis, *nomine blandientis*. In sex mss., *nominis blandimento*. Rectius in Vat. bas., Martin. et Colb., *subrepis nomine*, supple, quo te Christianum fingis, ut declarat num. 9, *blandimento occidis*, etc.

(*c*) Excusi, *proferant*. Hilarius hic accedit ad sententiam Cypriani, qui lib. de Lapsis mitius agendum censet cum iis qui in tormentis lapsi sunt. *Quæri*, inquit, *de tormentis potest, qui per tormenta superatus est; excusationem obtendere, qui victus est in dolore*, etc.

(*d*) Scil. inimicus homo omnium hæreticorum parens, dum in agro patris-familias superseminat zizania.

(*e*) In mss. Colb. et Martin., *occidere sine suspectione.*

(*f*) Vat. bas. ms. cum Colb. et Mart., *quod velle.* Alii, *quod velles.*

(*g*) Tres prædicti mss. omittunt *qui in cœlis est.*

(*h*) Solus Vat. bas. codex, *quam non . . . admittit.*

(*i*) In mss. Michaelino, *pietate veritatis.* Minus displiceret *impiatæ*, quasi læsæ, *veritatis.* Quamquam presso quidem sermone, sed cui nihil desit, hoc significatur : Christum objurgas tamquam non vera dicentem, Patrem arguis ut falsa profitentem.

(*j*) Sex mss., *contra pietatem :* et mox, *commisces*, loco verbi *committis.* Paulo post in editis desiderabatur *de se.*

(*k*) Codex Martin. cum Colb., *propter hanc emendationem falsitatis, aliud quoque me.* Magis placet cum aliis *præter hanc*, scil. regulam ex Matth. VII, 21, petitam, qua te falsam pietatem ac solam Christiani nominis larvam ostentare recognosco; unde et emendo quod de te prima fronte cogitatur.

(*l*) In ms. Colb. *intrinsecus;* in Martin., *intus :* omisso *ab* in utroque.

(*m*) Sic duo prædicti codices. Alii vero, *rapacia lu-*

lupi esse per opus suum intelliguntur; et gestorum fructu, vestimentorum species arguitur. Vestem ovis tuæ, lupe rapax, cernimus. Auro reipublicæ sanctum Dei (*a*) oneras, et vel detracta templis, vel publicata edictis, vel exacta pœnis Deo ingeris. Osculo sacerdotes excipis, quo et Christus est proditus : caput benedictioni submittis, ut fidem calces : convivio dignaris, ex quo Judas ad proditionem egressus est : (*b*) censum capitum remittis, quem Christus, ne scandalo esset, exsolvit (*Matth.* XVII, 26) : vectigalia Cæsar donas, ut ad negationem Christianos invites : quæ tua sunt relaxas, **570** ut quæ Dei sunt amittantur. Hæc tua, falsa ovis, indumenta sunt.

11. *Gesta lupi. Quid perpessa Alexandria, quid Treviri, quid Mediolanum, quid Roma, quid Tolosana.* — At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi. Neque ego alia potius quam quæ gesta sunt in Ecclesia refero, (*c*) aut tyrannidem aliam præter quam Dei proferam. Non queror, quia causam ignoro, sed tamen querela famosa est, jussos a te episcopos non esse, quos condemnare nullus audebat, etiam nunc

A in ecclesiasticis (*d*) frontibus scriptos metallicæ damnationis titulo recenseri. Adest mecum Alexandria tot concussa bellis, tantum commotarum expeditionum pavens tumultum. (*e*) Brevius enim adversum Persam, quam adversum eam armis certatum est. Mutati præfecti, electi duces, corrupti populi, commotæ legiones, ne ab Athanasio Christus prædicaretur. Taceo de minoribus (*f*) populis et civitatibus, quibus per totum Orientem aut terror, aut bellum est. Postquam omnia contulisti arma adversum fidem Occidentis, et exercitus tuos convertisti in oves Christi : fugere mihi sub Nerone licuit. Aut tu Paulinum beatæ (*g*) passionis virum blandimento sollicitatum relegasti (*an.* 353), et ecclesiam sanctam Trevirorum tali sacerdote spoliasti. Edictis fidem terB ruisti. Ipsum usque ad mortem demutasti exsiliis et fatigasti, extra Christianum quoque nomen relegasti : (*h*) ne panem aut de horreo tuo sumeret, aut de Montanæ Maximillæque antro profanatum exspectaret. **571** Mediolanensem piissimam plebem (*i*) quam tu furore terroris tui turbasti! Tribuni tui adie-

porum oves peragunt. Ut superius *agunt*, ita hic *peragunt* ad pseudoprophetas referendum videtur.

(*a*) Editi, *honoras :* emendantur ex mss. e quibus Colb. et Martin., *Spiritum Dei operas, et vel detractas templis, vel publice editis, vel exactas pœnis opus Dei ingeris.* Forte, *vel publicatas edictis... opes Deo ingeris.* Hic notatur, quod Lucifer ad calcem lib. I, pro Athanasio innuit, Constantium scil. eleemosynam dare solere *de lacrymis alienis, de eorum bonis qui deportari, interfici, proscribique maluerint*, quam Christum negare. Notum est illud Liberii apud Theodoretum lib. II, Hist. Eccl., c. 16 : *Ecclesias orbis terrarum expilasti, et mihi ut damnato eleemosynam affers.*

(*b*) Colb. ms. *censum capitis.* Vectigalis hujus meminit Joseph, lib. II de Bello Jud., c. 16, ubi Agrippa ad populum edisserit, magnitudinem vectigalium, quæ Romanis Ægyptus pensitare solebat, *ex censu singulorum capitum* æstimari posse. Rursum apud eumdem, lib. XII Antiquit. Jud., scribit Antiochus : *Remittitur senatoribus, sacerdotibus, scribis templi atque cantoribus tributum, quod penditur pro capite.* In gratiam clericorum exstat lex. C. Theod. l. I, Coll. lustrali data mense Decembri an. 356 : *Negotiatores omnes convenit aurum argentumque præbere, clericos tantum excipi.* Alia est lib. XIV de Epis. et Cler. eodem mense an. 357, data : *Omnis a Clericis indebitæ conventionis injuria et iniquæ exactionis repellatur acerbitas*, etc. Immunitates alias eis concedunt leges datæ an. 353, et in eodem Cod., l. X, de Episcopis memoratæ.

(*c*) Editi, *ut tyrannidem aliam præter quam Dei referrem. Non quia*, omisso verbo *queror*. Sex mss. *nec tyrannidem aliam præter quam Dei referre quæro* (Mich. *queo*) : *non quia*. Colb. et Martin. *aut tyrannidem aliam præter quam in Deum proferam. Non quæro quia*, etc. Arrideret illud *in Deum*, nisi jam occurrisset, num. 7, *tyrannus non jam humanorum es.* Sequimur exemplar Vat. bas. aliis faventibus. Notatu dignum est, primum quam scrupulose referat Hilarius, quæ publicis licet testimoniis comprobata, per se tamen non satis certo compererit : deinde quam modeste, pro Ecclesia loquens, ab iis referendis se abstineat, quæ non contra ipsam gesta sint. Superius enim, pro *quæ gesta sunt in Ecclesia*, melius legeretur *in Ecclesiam.*

(*d*) Martin. et Colb. mss., *in Ecclesiasticis promptibus.* Quod Athanasius Arianis attribuit ad Solit., p. 859, ubi ait : *Hos quidem in lapidicinis manciparunt, illos vero ad necem persecuti sunt :* hoc cum Hilario nostro Lucifer, lib. mor. pro Dei filio, adscribit Constantio, cujus auctoritate factum est : *Omnia*, inquit, *metalla, omniaque loca, exsilia vocari quæ putabantur digna, nostro tuæ calliditati resistentium replesti numero : relegando insontes, fame, siti, nuditate vexando non desistis.* Porro ex hoc loco intelligitur Constantius restaurasse morem, quem pater ipsius abrogarat lege II de pœnis Cod. Th., qua cavet ut *si quis in ludum fuerit, vel in metallum damnatus, minime in ejus facie scribatur... quo facies, quæ ad similitudinem pulcritudinis cœlestis est figurata, minime maculetur.*

(*e*) In codice Vat. bas. hic additur *magis :* quod et habet Martin. in quo sicut in Colb. antea præfertur *levius*, non *brevius.* Nec leve, nec breve fuit bellum adversus Persam, quo postmodum Julianus concidit, cum jam diutinum fuisset.

(*f*) Exemplar Colb. cum Martin., *de minoribus fama populis :* et mox, *Post quæ omnia.*

(*g*) Ms. Martin., *beatæ confessionis virum.*

(*h*) Colbertinus codex, *ut panem :* quamdam præ se fert veritatis speciem, sed falsam. Ut enim observat Baronius ad an. 355, n. 29 : *Hæc idcirco dicit de Paulino Hilarius, quod prius relegatus fuerit in Phrygiam, ubi erant Cataphryges hæretici Montani Maximillæque sectarii, inde vero ad barbaros amandatus :* quasi diceret, Parum erat Constantio, Paulinum inter Cataphrygas amandasse; cum etiam extra Christianum nomen expulit. Quod hic *Montanæ* legitur, librariorum lapsum putamus, præsertim cum lib. II ad Constant. exstet *Montanus*, non *Montana.*

(*i*) Quod hic prius videbatur deesse, mutata interpunctione restauratur. Alias præferendum esset cum mss. Colb. et Martin. *quanto furoris tui terrore turbasti!* Mediolanensis plebs merito piissima, ob eam præsertim fidei constantiam quam anno 355 demonstravit. Nam cum pseudosynodus pravam fidem apud eam divulgare non auderet, hoc tamen tentasset Imperatoris nomine; tantum in se populi horrorem commovit, ut intra ecclesiam convenire jam non sibi tutum existimans, in palatium secesserit, uti jam notatum lib. I ad Constant. n. 8. Hæc autem mala eodem anno videtur perpessa, cum Dionysio expulso *impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanensem ecclesiam armis exercituque occupavit*, ut loquitur Ambrosius, l. III de Spiritu sancto, c. 10.

runt sancta sanctorum, et viam sibi omni per populum crudelitate pandentes, protraxerunt de altario sacerdotes. Levius te putas, sceleste, Judæorum impietate peccasse? Effuderunt quidem illi Zachariæ sanguinem; sed, quantum in te est, (*a*) concorporatos Christo a Christo discidisti. Vertisti (*b*) deinde usque ad Romam bellum tuum, eripuisti illinc (*Liberium*) episcopum : et o te miserum, qui nescio utrum majore impietate relegaveris, quam remiseris! Quos tu deinde in ecclesiam Tolosanam exercuisti furores! Clerici fustibus cæsi, diacones plumbo elisi, et in ipsum, ut (*c*) sancti mecum intelligunt, (*d*) in ipsum Christum manus missæ. Hæc, Constanti, si ego mentior, ovis es : si vero tu peragis, antichristus es.

12. *De Seleuciæ synodo.* — Nunc quia hæc, quæ conscientia publica **572** tenentur, non magis a me maledicta sunt (*e*) dicta quam vera; si cui in Christo reliqua spes est, si quis judicii diem metuit, si quis diabolo renuntiavit, si quis se regeneratum in vitam recordatur, accipiat quæ dico, et (*f*) de his judicio, quo in se judicandum est, judicet. Quæ enim dicturus sum, non aliunde cognovi : sed ipse audivi, et præsens adfui cum gerebantur. In Christo itaque non mentior, quia discipulus (*g*) veritatis, testis quoque nunc veritatis. Assisto (*die* 27 *Sept. an.* 359) Orientalium in Seleucia synodo, ubi reperi tantum blasphemorum, quantum Constantio placebat. Nam (*h*) prima secessione in ea (*i*) deprehendi, ut centum

(*a*) Solus codex Martin. *concorporatus... discessisti*, corrupte. *Concorporatos* vocat Hilarius sacerdotes, ob corpus Domini quod ex altari percipiunt : a quo cum divelluntur, a Christo quodam modo discinduntur. *Altare* enim, inquit Optatus, lib. VI, *sedes est corporis et sanguinis Christi*. Unde et contra altarium effractores subjicit : *Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus et sanguis habitabat?* Tum eos Hilarii nostri more cum Judæis comparans ait : *Hoc modo Judæos estis imitati. Illi injecerunt manus Christo in cruce : a vobis percussus est in altari.* Neque vero ambo Judæorum sceleri recte comparassent Arianorum Donatistarumve crimen, nisi verum Christi corpus ex altari accipi credidissent.

(*b*) Quam malitiose, quam violenter, vide apud Athanas. ad Sol., p. 832, ubi post multa : *Cœpit tum Roma experimentum Christi perduellium. Cognovit tandem, quod antea non credebat, quomodo Ecclesias in singulis urbibus devastassent.*

(*c*) Ita mss. At editi, *ut sanctissimi*. Antea in ms. Vat. bas., *et impie*, non *et in ipsum*.

(*d*) In mss. Martin. et Colb., *in Christum gentilium manus missæ*. In aliis quoque non repetitur *in ipsum*. Hæc post Biterrensem synodum perpetrata esse nullum fere dubium est. Quis vero ille Christus, in quem manus missæ? Non certe Rodanius, qui Biterris in exsilium ejectus, ad ecclesiam suam redire nequaquam permissus est. Vehemens suspicio est *ipsum Christum* vocari veneranda corporis et sanguinis Christi sacramenta; idemque hic esse, *ut sancti mecum intelligunt*, quod aliis Patribus, ubi de iisdem sacramentis sermonem habent reconditiorem, vulgatum illud, *Norunt fideles.*

(*e*) Verbum *dicta*, apud Er., Lips. et Par. omissum, revocatur ex Bad. et septem mss. Hinc prius mallemus *maledica*, juxta illud num. 6 : *Si falsa dicimus, infamis sit sermo maledicus.*

(*f*) Editi, *de his judicet quomodo in se judicandum est :* dissidentibus mss.

(*g*) In excusis, *quia discipulus veritatis assisto :* locus mutilus. Restauratur ex mss. Vat. bas., Martin. et Colb. hoc sensu : quia ut discipulus veritatis, ita nunc quoque testis sum veritatis. Aut si verbum *assisto* malet quis connectere cum superioribus; quia post sequitur *ubi reperi* non *ubi reperio :* legendum deinde erit cum duobus postremis mss. : *Orientalium in Seleucia synodum reperi, ubi, tantum blasphemorum est, quantum*, etc. Quamquam lib. III de Trinit., n. 20, jam legimus : *Dominus fidem confirmaturus assistit, palpandi corporis et contrectandi vulneris obtulit facultatem :* ubi tempus præsens *assistit*, in narrationis ejusdem serie excipit præteritum *obtulit.*

(*h*) In vulgatis, *post secessionem meam.* Pro *post*, omnes omnino mss. habent *primam :* ac deinde Tell. *successionem meam*, Silv. *sessionem in ea;* reliqui, *secessionem meam.* Expuncta littera *m*, quæ veteribus in libris in fine verborum sæpissime abundat, restat *prima secessione mea*, vel *in ea;* utrumque enim in mss. non aliter pingitur. Ex quo efficitur sensus rerum gestarum veritati prorsus consentiens. Namque primo die Acaciani a Concilio secesserant, uti narrat Socrates, lib. II, c. 39. Tum hac secessione facta discriminari ac dinumerari cœperunt qui uni parti, quive alteri adhærerent; quod etiam Athanasius, lib. de Synod., p. 881, notat his verbis : *Postea secessione facta disscissi sunt, aliique Acacio, sed pauci et suspecti adhæsere; alii vero, qui illum reliquerant, magno numero fuere.* Hanc autem secessionem Hilarius primam nuncupat; quia iidem tertio die Leonæ opera convenientes in unum, denuo unius partis secessione disjuncti sunt. Neque enim hic, ut nonnulli putant, de secunda secessione loquitur; cum postea narret quid die tertio gestum sit, quo contigit altera illa secessio. Ii ipsi, priorum editionum falsa lectione adducti, existimant Hilarium ante a concilio se recepisse, quam omnes in unum a Leona congregarentur. Quod confirmant ex verbis Socratis, lib. II, c. 40, quibus memorantur *Acaciani ad concilium occurrere noluisse, ex conventu ejiciendos prius esse dicentes, tum eos qui jam antea depositi, tum illos qui in præsentia accusati erant*, iisque tandem egressis accessisse. At eo in loco non ait Socrates egressos esse qui dudum erant abdicati : sed, *Ii*, inquit, *qui in crimen vocati fuerant, egressi sunt; Acaciani vero introiere.* Hilario autem nullum crimen objectum fuerat. Deinde quis credat eum a concilio expulsum, cum statim ab initio, Sulpicio teste, lib. II, *Exposita fide sua in societatem receptus Concilioque adscitus sit?* Cum etiam omnium benevolentiam sibi ita conciliarit, ut vel ipsi Anomœi sua ei sensa confidenter aperirent. Nil itaque cogit, ut eum a concilio recessisse arbitremur. Neque propterea sentiendum est, ipsum aut Egyptios episcopos ei conventui interfuisse, in quo formula Antiochiæ in Encæniis edita subscriptionibus rata facta est : privatus enim fuit ille conventus, et ex iis solis constitit, qui homœusion defendebant.

(*i*) Excusi, *deprehendi ut Christum Jesum centum et quinque episcopi ὁμοιούσιον, id est, dissimilis essentiæ*, additis quibusdam, pluribus omissis : restaurantur ex mss. Vaticanæ basilicæ, Martiniano et Colbertino : cum a cæteris etiam absit *Christum Jesum.* Testatur quidem Socrates, lib. II, c. 39, a parte Anomœorum stetisse triginta quatuor episcopos, Epiphanius autem hær. LXIII, n. 26, tres supra quadraginta : sed majori fide dignus est Hilarius testis oculatus, favente Athanasio, lib. de Synod., p. 881, ubi eosdem numero paucos exstitisse scribit. Imo Socrates ad Hilarii sententiam quodam modo redit, c. 40, dum nomina eorum recensens, quos pars Acacianis adversa aut ab episcopatu, aut a communione sua removit, novem depositos nominat, totidemque extra communionem factos. Porro totum concilium Athanasius episcopis circiter 160, Socrates definite 160, Theodoretus 150, constitisse tradunt.

et quinque episcopi homœusion, id est, similis essentiæ prædicarent, et decem et novem anomœusion, id est dissimilis essentiæ, profiterentur, et soli Ægyptii præter Alexandrinum hæreticum (*Georgium*) homousion constantissime obtinerent. **573** Cogente (*Concilii* 3° *die*) itaque Leona Comite, in unum omnes (*a*) congregati sunt. Ex his, qui homœusion prædicabant, aliqui nonnulla pie verbis præferebant : quod et ex Deo esset, id est, de substantia Dei filius, et semper fuisset. Qui vero (*b*) anomœusion defendebant, nihil nisi profanissimum asserebant : negantes quidquam substantiæ Dei simile esse posse, neque de Deo posse exsistere generationem, sed esse Christum creaturam ; (*c*) ita quod creatus est, id ei nativitas deputaretur : ex nihilo autem esse ; et idcirco non esse filium, nec Deo similem.

13. *Blasphemiæ publice recitatæ.* — Loquor autem vobis, quod ego ipse recitari in conventu publice audivi, (*d*) quod prædicante episcopo Antiochiæ exceptum habebatur. Hæc ergo ita dicta esse ab eo commemorabantur : « Erat Deus, quod est. Pater non erat, quia neque ei Filius : nam si filius, necesse est ut et femina sit, et colloquium, (*e*) et sermocinatio, et conjunctio conjugalis verbi, et blandimentum, et postremum ad generandum naturalis machinula. »

O miseras aures meas, quæ tam funestæ vocis sonum audierunt, hæc de Deo ab homine dici, et de Christo in ecclesia prædicari ! Post multas autem istiusmodi impietates, cum Patrem et Filium ex nominibus potius quam ex natura comparasset, ait : « Quantum enim Filius se extendit cognoscere Patrem, tantum Pater superextendit se (*f*) ne cognitus Filio sit. » Quibus recitatis, tumultus exortus est.

574 14. *Dissimilitudinem quo sensu damnent negantes similitudinem.* — Cum autem intellexissent et hi, qui dissimilem Deum dicunt, humanas aures tantæ impietatis verba non suscepturas esse ; rursum hi ipsi, (*g*) fallaces potius quam Ecclesiæ episcopi, fidem scribunt, (*h*) homousion et homœusion et dissimilitudinem damnant. Quod cum contrarium (*i*) ipsis sensu audientium esset : ipse ego quemdam eorum, qui forte ad me pertentandum accesserat, quasi ignorans rerum gestarum percontatus sum, quid sibi vellet istud, ut qui unam substantiam Filii esse cum Patre damnassent, vel esse similis substantiæ denegassent, dissimilitudinem damnarent. Tunc mihi ait : « Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse. » Rursus hoc obscurius mihi adhuc videbatur. De quo cum iterum interrogarem, tunc hæc ita locutus est : « Dico eum dissimilem Deo esse, similem

(*a*) In vulgatis, *congregati sunt ex his qui ὁμοιούσιον prædicabant. Aliqui eorum :* vitiosa interpunctione falsus efficitur sensus, quasi soli ii a Leona congregati sint, qui homœusion prædicabant. Abundat quoque postrema vox *eorum*, quæ auctoritate mss. Colb. et Martin. removetur.

(*b*) Editi, *qui vero ὁμοιούσιον defendebant :* emendantur ex potioribus mss.

(*c*) Post *ita* supplendo *ut*, integra erit lectio quam exhibemus ex fide mss. cum prius legeretur, *Itaque quod creatus esset.* Tum mss. Colb. et Martin., *in Dei nativitate.* Hæreticos dicentes : *Pater Deus, semper etiam Filius creatus ; idem enim est in Deo creare et gignere*, ab Antiochenis *Psathyrianos* vocatos esse tradit Theodoretus, lib. IV Hæret. Fab. c. 4.

(*d*) Hanc optimam lectionem sæpe laudatis mss. Colb. et Mart. debemus. Eamdem expressit Baronius ad an. 359, n. 67. In aliis autem libris, *quod prædicatum Antiochiæ exceptum habebatur... ab eo commemorantur :* primo deest nomen, ad quod referatur illud *ab eo ;* deinde latet quis ille sit homo, cujus impudentiam infra stupet Hilarius ; postremo non habetur in quem cadant verba paulo post sequentia, *comparasset, ait.* Jam vero et integra est oratio, et in Eudoxium Anomœorum ducem apprime conveniens. Nec repugnat quod Theodoretus, lib. IV Hæret. Fab. c. 2, scribit, illum ad Seleuciensem synodum ire jussum, accessisse quidem, sed non ausum esse consessum ingredi. Non enim Hilarius dicit, Eudoxium hoc Seleuciæ prædicasse, sed cum alias prædicasset (haud dubie in eo conventu, quem Antiochiæ, statim atque invasit hanc sedem, convocavit), publice lectum esse Seleuciæ ; et quidem ante quam Acaciani novam fidei formulam cuderent, et proinde in consessu primo. His favet quod narrat Theodoretus, lib. II Hist. eccl. c. 27, Eudoxium ab Eustathio aliisque Seleuciensis synodi legatis apud imperatorem accusatum, quod horrendas in Dei Filium blasphemias evomuisset, Constantii in sui ipsius gratiam quantumvis propensi iram temperare non aliter potuisse, quam earum auctorem non se, sed Aetium esse affirmando.

(*e*) In vulgatis, *colloquium sermonis, et compunctio.* Reponimus *colloquium et sermocinatio* ex mss. Colb. et Martin, ac deinde *et conjunctio* ex Carnut.

(*f*) Tres mss., *ne cognitus Filius sit :* prave. Stupenda Eudoxii impudentia, qui cum hæc de Dei filio blasphemaret, Aetii et Eunomii patrocinium suscipiebat : quorum hic Theodoreto teste, l. IV Hæret. Fab. c. 5, gloriabatur, *se nihil de rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam Dei essentiam exacte se nosse, eamdemque de Deo notitiam habere, quam Deus ipse habet de se ipso ;* ille vero apud Epiphanium, hær. LXXVI, n. 4, ausus est dicere : *Scio Deum, et adeo ipsum novi, ut ne quidem me magis noscam, quam Deum.* At jam observavit Athanasius, lib. de Synod. p. 871, Arianos hominibus tribuere non dubitasse, quæ filio Dei negarent.

(*g*) Editi cum mss. Vat. bas., *palatio.* Sex mss. *palatii :* quod legendum conjectavit Latinius, et Baronius ad an. 359, n. 68, prætulit. Verius tamen libri Colb. et Martin. *fallaces*, quos nimirum Hilarius percontando expertus est aliud præferre verbis, aliud animo sentire : adeoque non esse episcopos, quos num. 6, *ministros veritatis*, et num. 12, *veritatis discipulos* esse, suo nomine declaravit.

(*h*) Ita Bad. cum mss. Vat. bas., Mich. et Sylv. nisi quod careant particula *et* ante *dissimilitudinem.* Hanc revocamus ex mss. Colb. et Martin. in quibus tamen exstat hoc alterum mendum, quod pro *homœusion*, habeant *anomœusion.* Pessime autem Mir., Lips. et Par. post Erasmum, *fidem scribunt ὁμουσίου*, et *ὁμοιουσίου dissimilitudinem damnant.* Palam est Hilarium hic respicere in formulam ab Acacio Leonæ porrectam, et in tertio Seleuciensis synodi consessu ejusdem Leonæ opera perlectam, in qua apud Athanasium, lib. de Synod., p. 904, et apud Socratem, lib. II, c. 40, occurrit, *τὸ μὲν ὁμοούσιον καὶ τὸ ὁμοιοούσιον ἐκβάλλομεν ὡς ἀλλότριον τῶν Γραφῶν· τὸ δὲ ἀνόμοιον ἀναθεματίζομεν.* Apud Epiphanium autem, hær. LXXIII, n. 25, desideratur vox *ὁμοιοούσιον*, quam restituendam liquet tum ex Athanasio et Socrate, tum ex nostro Hilario.

(*i*) Lips. et Par. *ipsi sensui.* Rectius alii libri, *ipsis*, scil. Anomœis ; *sensu audientium*, hoc est, aurium judicio et quantum ad vocabulorum sonum.

Patri posse intelligi; quia Pater voluisset creaturam istiusmodi creare, quæ similia sui vellet : et idcirco similem Patri esse, quia voluntatis esset potius filius, quam divinitatis; dissimilem autem Deo esse, quia neque Deus esset, neque ex Deo, id est, de substantia Dei natus esset. » Hæc audiens hebui, neque credidi, donec (*a*) cum publice ex consensu omnium eorum profanissimæ hujus similitudinis ratio prædicaretur.

15. *Damnati rursus dominantur.* — Ili autem, qui homœusion prædicabant, omnes eos, qui maxime sine aliquo impietatis pudore impudentissime hæc loquebantur, condemnaverunt (*b*). Condemnati **575** ad regem suum advolaverunt : exceptique honorifice impietates suas quanta potuerunt ambitione confirmaverunt, similem Deo esse, vel ex Deo natum, vel naturalem esse filium denegantes. Pauci plurium (*c*) dominati sunt. Constantius res blasphemiæ suæ, metu extorsit exsilii. Vicisse se jam Orientales gloriatus, quia decem legatos (*d*) voluntati suæ subdidisset, comminatusque et populo per præfectum, et episcopis intra palatium, per maximas (*e*) Orientis civitates hæreticos episcopos subrogatos communione hæretica munivit. Nihil prorsus aliud egit, quam ut orbem terrarum, pro quo Christus passus est, diabolo condonaret.

16. *Verba non scripta male vetat Constantius. Ipse admittit non scripta.* — Utitur autem etiam nunc, ut in cæteris ante, artis suæ consuetudine, ut per recti speciem prava confirmet, et per rationis nomen insana constituat. « Nolo, » inquit, « verba quæ non scripta sunt dici. » Hoc tandem rogo (*f*) quis episcopis jubeat? et quis apostolicæ prædicationis vetet formam? Dic prius, si recte dici putas : Nolo adversum nova venena novas medicamentorum comparationes, nolo adversum novos hostes, nova bella, nolo adversum novas insidias consilia recentia. Si enim Ariani hæretici idcirco (*g*) homœusion hodie evitant, quia prius negaverunt; nonne tu hodie idcirco refugis, ut hi nunc quoque denegent? Novitates vocum, sed (*h*) profanas devitare jubet Apostolus (I *Tim.* VI, 20) : tu cur pias excludis? cum præsertim ab eo dictum sit : Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est (II *Tim.* III, 16). Innascibilem scriptum nusquam legis : numquid (*i*) ex hoc negandum erit, quia novum est? Decernis (*j*) *similem Patri Filium.* Evangelia non prædicant : quid est quod non refugis hanc vocem? In uno novitas eligitur, in alio submovetur. **576** Ubi impietatis occasio patet, novitas admittitur : ubi autem religionis maxima et sola cautela est, excluditur.

17. *Scripturæ tradunt æqualem Patri Filium.* — Sed diabolici ingenii tui fallentem subtilitatem non tacebo. Similem, quod scriptum non est, Patri Filium decernis prædicari : ut æqualem Christum Deum, certe quod comminatus erat, brevi perfecit. Mox enim Macedonio, Cyrillo, Basilio, Eleusio, etc., episcopi alii fuere subrogati.

(*a*) Particulam *cum* adjecimus auctoritate mss. Publice autem hoc manifestum fuit, cum lecta Acacii formula quæsitum est, *qua in re Filius similis esset Patri. Et Acaciani quidem*, inquit Socrates lib. II, c. 40, *sola voluntate similem esse dicebant, non autem substantia.* Quæ responsio novos tumultus excitavit, et totius Concilii dissolutionem.

(*b*) Hoc est, deposuerunt : cæteros autem a communione segregarunt. Jam notavimus a Socrate recenseri novem episcopos depositos, aliosque novem a communione segregatos. Quod factum dicit quarto concilii die, quo Leonas et Acaciana factio ad consessum venire renuerunt. Quod deinceps sequitur, ad concilium Constantinop. pertinet.

(*c*) In excusis, *damnati*. Rectius in scriptis, *dominati*, Acaciani videl. numero pauci adversariorum longe plurium : quorum primarios proxime post Constantinopoli e sedibus suis detruserunt. *Ita*, inquit Sulpicius, p. 261, hunc veluti commentans locum, *optimis sacerdotibus aut metu territis, aut exsilio deductis, perfidia paucorum cuncti concesserunt.* Vid. Sozomen. lib. IV, c. 24.

(*d*) Colbertinus codex cum Martiniano, *violentiæ*, non *voluntati*. Utraque vox infra, num. 26, ubi de eadem re rursum incidit sermo, simul copulatur. Hanc vim legati perpessi sunt pridie calendas jan. Ut enim narrat Sozomenus, lib. IV, c. 23, Constantius totum illum diem necnon maximam insequentis noctis partem consumpsit cum episcopis, *disceptans donec legati, qui a concilio Seleuciensi advenerant, formulæ fidei ab Ariminensi oppido allatæ subscripsissent.* Hoc ipsum Sulpicius sic exponit : *Ibi repertos Seleuciensis synodi legatos vi regia compellunt, exemplo Occidentalium pravam illam fidem accipere. Plerique abnuentes injuriosa custodia ac fame vexati captivam conscientiam dedere.*

(*e*) In ms. Vat. bas. hic adjicitur *se*. Quocirca parum abfuit, quin cum Colb. et Martin. præferremus, *per maximas se Orientis civitates hæreticos episcopos subrogaturum, communionem hæreticam munivit.* At

(*f*) In mss. Mich. et Colb., *quis episcopus jubeat?* Magis placet cum aliis libris, *quis episcopis jubeat?* quia nimirum principum christianorum est credendi formam ab episcopis expetere, non illis præscribere. Unde et Athanas. ad Solit. pag. 845 : *Quando a condito sæculo auditum est? quando judicium Ecclesiæ auctoritatem suam ab imperatore accepit?* etc. Ita cum Valentinianus concertationum fidei arbiter sedere vellet, ad eum rescripsit Ambrosius, ep. nunc XXI, n. 4 : *Quando, audisti clementissime imperator, in causa fidei laicos de episcopo judicasse?* Quod igitur Constantius sibi arrogabat, hoc merito Hilarius testatur fieri contra apostolicæ prædicationis formam : quia ab apostolis traditum est, non solum laicis in episcopos in rebus fidei jus nullum esse, sed et adversum novas hæreses nova remedia esse excogitanda.

(*g*) In nonnullis mss. *homousion* : quod potest et recte poni. Hoc enim sibi vult : si hactenus hæretici refugerunt vocem homœusion (quanto magis homousion!), quia rem ea voce significatam, nempe Filium Patri esse substantia similem, negabant; tu dum jubes ut hæc vox evitetur, nonne eis concedis ut rem eidem voci subjectam negent? Eodem argumenti genere lib. de Synod. n. 83, habet : *Displicet cuiquam in synodo Nicæna homousion esse susceptum? Hoc si cui displicet, placeat necesse est quod ab Ariis sit negatum.*

(*h*) Silvæ majoris ms., *Sed et vanas* : tribus aliis faventibus, in quibus exstat *sed advenas*.

(*i*) Lips. et Par., *et hoc*. Concinnius alii libri, *ex hoc*. Porro *innascibilis* seu *ingeniti* vocabulum non modo Scripturis incognitum, sed et apud gentiles valde ambiguum esse multis ostendit Athanasius, Or. II cont. Ar. p. 337.

(*j*) Ratam volens ab omnibus haberi formulam, quæ primum Arimini proposita, ac post Nicææ in Thracia, Seleuciæ, et Constantinopoli ab Arianis approbata est.

quod scriptum est, taceas. Domini enim mortis hæc causa est : *Propter hoc magis Judæi quærebant eum occidere, quia non solum solvebat sabbatum, sed quod patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo* (*Joan.* v, 18). Hoc Joannes loquens magna voce proclamabat : ut professus Filius sibi patrem Deum, professus (*a*) se æqualem esse Deo intelligatur. Quod si forte dicis, æqualitatem sibi et Deo negasse Christum, quia dixerit : *Non potest Filius ab se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem* (*Ibid.*, 19) : memento Christum et respondisse de sabbato, quod violasse arguebatur, ut in hoc ipso Patris in se operantis præferret auctoritatem, et æqualitatem sibi virtutis honorisque (*b*) sumpsisse : *Omnia quæcumque Pater facit, eadem et Filius facit similiter* (*Ibidem*) ; et iterum, *Ut honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (*Ibid.*, 23) : et, *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum* (*Ibidem*). Si virtus eadem est, si honor idem est ; quæro in quo desit æqualitas ?

18. *Natura unum.* — Sed similitudo tibi placet ; ne audias, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30) ? Numquid et hoc quod *unum sumus*, in quo neque unio, neque diversitas relinquebatur, calumniantibus rursum Judæis quod se per hoc dictum Deum faceret, Dominus denegavit, dicens : *Si non facio opera Patris mei, nolite mihi credere : sin autem facio, et non vultis mihi credere, vel operibus meis credite, quia Pater in me est, et ego in Patre* (*Ibid.*, 37, 38) ? Quid rogo æqualitati Dei deest ? An opus ? an natura ? an **577** professio ? Nam *Pater in me est, et ego in Patre* (*Ib.*, 38). æqualitas est : quæ vicissitudinem æqualitatis expressit, dum inesse atque esse commune est. Opera vero patris sui facere, non aliud est, quam virtutem in se paternæ divinitatis operari. Unum vero quod sunt, hoc est non æqualitatem abnuere, sed incremento intelligentiæ fidem æqualitatis instruere.

19. *In eadem forma et gloria.* — Vetas igitur non scripta dici : et ipse tamen non scriptis uteris, neque quæ sunt scripta loqueris. Similem vis Patri Filium prædicari : ne ab Apostolo audias : *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinanivit se formam servi accipiens* (*Philip.* II, 6, 7). Non rapit quod erat Christus, id est, in forma Dei esse. Non est æqualitas Dei in forma Dei esse, si non æqualitas hominis est esse in forma servi. Quod si in forma servi homo Christus est ; quid aliud in forma Dei, quam Christus Deus est ? Similem itaque ob id prædicari vis, ne in fide tua sit : *Et omnis lingua confiteatur, quoniam Dominus Jesus in gloria est Dei patris* (*Ibid.*, 11).

20. *Dolosa est professio*, similis secundum Scripturas. — O Fallax blandimentum tuum ! Paleis enim aquas tegis, et foveas cespitibus occultas, et escis laqueos supponis. Satisfacere te ignorantibus putas, quia dicis (*c*) *similem Patri secundum Scripturas.* Audi etiam nunc impietatis tuæ artem. Numquid non pie dicimus hominem similem Deo secundum Scripturas ; quia dictum est : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26) ? Homo ergo ad imaginem et similitudinem Dei patris et Dei filii (*d*) est. Et cujusmodi imago est, catholici (*e*) si requirantur, docebunt. Nunc autem homo ad similitudinem et imaginem Dei conditur ; non etiam similitudo **578** (*f*) intra Patrem et Filium prædicatur. Id enim, quod ait *nostram*, æqualitatis est demonstratio ; dum non differat, cujus (*g*) in sacramento et imago sit et similitudo.

21. *De Filio nusquam prædicatur mera similitudo.* — De Filio autem nusquam similitudinem reperies. Imaginem autem eum Dei esse Apostolus dicit, sed cum additamento fidei : ne (*h*) imaginem conformationem sentires. Ait enim : *Qui est imago Dei invisibilis* (*Coloss.* I, 15) : ut imago invisibilis Dei, etiam per id (*i*) quod ipse invisibilis est, invisibilis Dei imago

(*a*) In editis, *professum*, et mox desideratur *Deo.*

(*b*) Plerique mss. *sumpsisset.* Hoc potius ita intelligere est, *memento Christum... sumpsisse :* cui verbo editi adjiciunt *dicens*, refragantibus mss. cum grammaticæ leges exigerent *dicentem.*

(*c*) Apposite Gregorius Nazianz. Or. XXI, n. 26 : *Hæc verba*, SIMILE SECUNDUM SCRIPTURAS *simplicioribus illecebra erant impietatis hamo circumjecta, statua ad omnes pertranseuntes sese obvertens*, etc., et proxime ante : *Impietati autem per scripti dogmatis ambiguitatem fenestram aperuit ; hoc quidem prætextu quasi scripturam revereretur, ac probatissimarum vocum usum amplecteretur ; re autem vera Arianismum nullo Scripturæ loco proditum in ipsius locum substituens.* Constantii edictum, et violentiam ut huic fidei subscribatur, videsis ibid. n. 30.

(*d*) In vulgatis, *est factus.* Abest *factus* ab omnibus mss.

(*e*) Ita potiores mss. Alii vero cum edit. *si requirent, docebuntur.* Cujus autem modi Filius imago sit, docet lib. IX de Trin. n. 52.

(*f*) Editi soli, *inter Patrem.* Post superiora verba, *non etiam similitudo*, reticetur, *sed unitas et æqualitas.* Ut enim in eumdem Genesis locum jam leginus, lib. V de Trin. n. 8 : NOSTRAM ut *non habet unionem*, ita *non habet diversitatem, non habet discretionem, Homo enim ad communem fit, secundum veritatem sermonis, imaginem :* et mox, *Una enim est imaginis, ad quam homo creatus est, species.*

(*g*) Rursum hic locus illustratur his lib. V, n. 8, verbis : *Indissecabilia decide. Unum enim sunt, quorum imaginis et similitudinis unum est homo factus exemplum.*

(*h*) Cod. Colb. cum Martin., *ne imaginem corporalem :* ac deinde *confirmatione.* Vat. bas., *conformatione :* quod lib. VIII, n. 49, sic enuntiatur : *ne formæ potius quam naturæ esse imago intelligeretur.* Antea loco *fidei*, magis arrideret *invisibilis.* Sed cum Gregorio Papa auctore, hom. XXVI in Evang., fides sit *argumentum non apparentium*, ad fidem attinet quod non est visibile. Præterea additamentum illud, quo nostra de Christi divinitate fides confirmatur, lib. VIII, num. 48, etc., non in solo *invisibilis* vocabulo, sed etiam in adjunctis apostoli verbis ponitur.

(*i*) Aliquot mss., *quo ipse invisibilis est.* Tum Mich., *invisibilis Deus imago esset.* Huic Apostoli loco explicando Hilarius data opera immoratur, quia Acaciani similem Patri Filium prædicantes, Paulum in eo sibi prævisse gloriabantur. Instat quoque Christum, qua invisibilem, invisibilis Dei esse imaginem, ne iis locus detur, qui Patrem invisibilem,

esset. Similitudinem vero (*a*) cum imagine ad Deum homini deputavit : ne veritatis esse proprietas existimaretur, cui ad imaginem similitudo esset adjuncta. Denique ubi ad significationem virtutis (*b*) æquatur, et similitudo in Filio demonstratur operandi : cum profectus vero intelligentiæ prædicatur : tum ita dicitur : *Omnia quæcumque facit Pater, eadem et Filius facit similiter* (*Joan.* v, 19). Facere *similiter* parum visum est, nisi eadem fierent quæ (*c*) similia fiebant. Atque ita similitudo faciendi pie demonstrata est in eorumdem proprietate factorum. Est autem et similitudo in Domino carnis peccati (*Rom.* VIII, 2) : sed illi non similitudo carnis est, (*d*) sed similitudo carnis peccati est : ut quod in forma (*e*) Dei est, homo sit; quod autem in similitudine carnis peccati est, hominis sit similitudo, dum in hominis (*f*) statura est, et extra hominis peccatum est. Quæ ergo callida religionis tuæ professio est, similem secundum Scripturas Patri Filium dicere; cum ad imaginem et similitudinem Dei homo tantum factus sit? Quid itaque verbis fallis? Quid arte eludis? Cur non æqualem Deo (hoc enim secundum Scripturas) pie dicis?

22. *Filii prælata æqualitate similitudo potest prædicari.* — Sed vereris, ne æqualem dicens, innascibilem **579** significes? Sed verum intellige, quod hinc æqualis Deo esse intellectus est, quia sibi (*g*) proprium Deum professus est esse; et protestari patrem sibi proprium Deum esse, nativitatis demonstratio est. Mihi quidem similitudo, (*h*) ne unioni detur occasio, sancta est : sed tibi a me non concedenda est : quia æqualem eumdem, et similem postea pie fatebor. Similem autem Patri, similem quoque (*i*) et Deo, religiose prædicabo; similem vero ita, ut similitudini hoc dictum semper anteferam : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30) : tu autem his omnibus contradicis, quia similitudinem (*j*) excusatione defendis. Negas Filium per nativitatem, negas Deum per naturam, negas similem per æqualitatem, negas verum per unitatem. Et jam quæro, quid ei relinquas similitudinis, cui nihil ad quod filius est, proprietatis impertias.

23. *Constantii in fide inconstantia.* — Hoc nunc a te, Constanti, requiro, in qua tandem fide credas. Pergo (*k*) enim nunc per demutationis tuæ tempora, quibus usque in imum blasphemiæ tuæ barathrum descendens, per gradus præcipites cucurristi. Namque post primam (*l*) vere fidem synodi Nicænæ, congregato rursum (an. 341) Antiochiæ concilio, fidem tibi renovas. Sed accidit tibi, quod imperitis ædificatoribus, quibus sua semper displicent, accidere solet : ut semper destruas, quod semper ædifices. Ac ne me iniquum voluntatis tuæ judicem arguas, quid tibi in eadem (*m*) Encæniorum fide displiceat renuntiabo. (*n*) Ni me fallit, illud quod tuum est : *Deo*, proxime his subnectuntur, *quod patrem suum dicebat Deum;* ubi *patrem suum* interpretatur Hilarius *patrem sibi proprium.*

(*a*) Lips et Par., *cum imaginem.* Rectius alii libri, *cum imagine*, quasi cum *imaginis vocabulo :* puta, ubi Deus dixit hominem *ad imaginem Dei* conditum, adjunxit *et ad similitudinem.*

(*b*) In vulgatis, *æquat.* In ms. Colb., *æquetur :* ex quo confecimus *æquatur.* Tum particulam *et*, quæ perinde est ac *etiam*, frustra removerat Lipsius. Postea pro *cum profectus vero... tum*, legendum est, *cum profectu vero intelligentiæ prædicatur, dum ita dicitur.* Hoc enim sibi vult, nusquam de Dei filio similitudinem prædicari, nisi cum iis adjunctis, quibus ipsius cum Patre æqualitas intelligatur; sed hoc apertius significari subjecto Joannis loco, in quo virtutis æqualitas non tantum similitudine operationis, sed, ut ita loquamur, identitate operum demonstratur. Quod illustrant postrema illa n. 18 verba, *Unum vero, quod sunt, hoc est non æqualitatem abnuere, sed incremento intelligentiæ fidem æqualitatis instruere.* Ibi enim incrementum intelligentiæ id est, quod hic intelligentiæ profectus.

(*c*) Editi, *similiter :* renitentibus mss.

(*d*) Supple, *quia ei carnis est veritas.*

(*e*) Er., Mir., Lips. et Par., *in forma hominis est :* haud scio an cum auctoritate. Tum mss. Colb. et Martin. *Deus sit.*

(*f*) Recentiores mss. *in hominis statura vel natura est;* Lips. et Par. *in hominis natura est :* male. Quippe hic vox *statura* synonyma est verbo Apostoli *habitus*, quo significatur in Christo similitudo quidem, sed non veritas carnis peccati. *Sumpsit enim*, inquit apposite, Augustinus epist. nunc CLXIV, n. 19 : *ex Virgine veram quidem carnis substantiam; non tamen peccati carnem, quia non ex carnis substantia sive seminatam sive conceptam; mortalem sane ac per ætates mutabilem, tamquam carni peccati sine peccato similimam.* Videsis ipsummet Hilarium, lib. x de Trin. n. 25.

(*g*) Legendum hic videtur, *quia sibi patrem proprium.* Illa enim Joannis verba, *æqualem se faciens*

(*h*) Hinc manifestam esse jam præmonuimus Hilarii sive in recipienda sive in rejicienda voce homœusion constantiam. Vid. lib. de Synod. n. 72.

(*i*) Non satis habuit dixisse *similem Patri :* sed prudenter adjecit, *similem quoque et Deo :* quia supra, num. 14, ab Aetii et Eudoxii discipulo audierat, *Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse.*

(*j*) Bad. *excusationis.* Editiones aliæ, *excusationi.* Mss. *excusatione.* Nobis omnino videtur legendum, *ex consensione.*

(*k*) In vulgatis, *Ego enim nunc fidem tuam ignoro per demutationis tuæ tempora, quibus quisque in unum blasphemiæ suæ barathrum... cucurrit :* locus perturbatus et interpolatus, in quo adjectum est *fidem tuam ignoro* præter fidem omnium mss. quorum ope nunc castigatur. Quamquam ubi hi præ se ferunt *ego* vel *ergo*, restituendum duximus *pergo :* nec refugeremus *eo.* In ms. autem Martin. sic habetur : *Ergo usque nunc per demutationis tuæ tempora usque in imum*, etc.

(*l*) Ita codex Colb. cum Martin. Alii autem, *veræ fidei.* Tum soli editi, *synodicen*, ubi in ms. Mich., *synodi Nicænæ*, in Carn. *synodi vicem*, in reliquis *synodi Nicæni.*

(*m*) Editi, *in eadem Nicæorum fide :* emendantur ex scriptis.

(*n*) Ita ms. Vat. bas. Probari etiam potest cum Colb. et Martin. *nempe illud.* Minus bene autem alii cum editis, *minime fallit illud.* Deinde *quod tuum est* ideo dicit Hilarius, quia Constantio præsente et approbante exposita est Antiochena fides, cujus sunt verba sequentia, quæ in prius vulgatis præter fidem mss. sic interpolata erant : *Patres generatum esse ex Patre Filium dixerunt, Deum de Deo*, etc. Sane Hilarius Constantio spondens, se renuntiaturum quod illius est, nihil debuit alio nomine renuntiare. Quis etiam credat illum glorioso *Patrum* nomine honora-

« Qui generatus est ex **580** Patre, Deum de Deo, A totum de toto, unum de uno, perfectum a perfecto, regem de rege, (*a*) inconvertibilem, divinitatis essentiæque, virtutis et gloriæ incommutabilem imaginem. » Iis quidem ego, intra Nicæam scripta a patribus fide fundatus (*b*) manensque, non egeo : sed tamen hæc tu emandando rescindis, ac sine fidei meæ damno tibi requiris perfidiæ occasionem. Post synodum deinde Sardicensem (an. 347), omnem rursum adversum Photinum (an. 351) Sirmium catholicæ doctrinæ tuæ commoves curam. Sed tibi statim hoc, quod (*c*) utraque fide continebatur, exhorret : « Eos autem, qui dicunt de non exstantibus esse Filium Dei, vel ex alia substantia, et non ex Deo, et quod erat aliquando tempus aut sæculum quando non erat, alienos novit sancta et catholica Ecclesia. » (*d*) Tuis ipsis dissides, et adversus tuos hostis rebellas. Novis vetera subvertis, nova ipsa rursum innovata emendatione rescindis, emendata autem iterum emendando condemnas. Suscipis etiam adversum deliramenta Osii et incrementa Ursacii ac Valentis, emendationum tuarum damnationes : sed mox (*e*) emendanda tua omnia esse, vel potius damnanda constituis. Offenderis enim his paucis inimicissimis tibi verbis : « Et si quis seniorem tempore Patrem dicat Filio esse unigenito, juniorem autem Filium Patre, anathema sit. »

turum fuisse eos, qui Antiochiæ convenerunt? Sed qui prius *Nicæorum* loco *Encæniorum* legit, conatus est hic sibi congruere.

(*a*) Editi, *inconvertibilis*. Verius mss. *inconvertibilem* : quod refertur ad vocem *Filium*, quæ in superioribus Antiochenæ formulæ verbis exstat, non autem ad *imaginem*, uti liquet ex lib. de Synod. n. 29. C

(*b*) Prima editio Par. *maneoque non ego, sed*, etc. Aliæ, *maneo, quæ non ego, sed*, etc. Omnes mss. *manensque non ego, sed*. Tamen evidens est ibi *egeo* pro *ego* legendum esse, ut ipsum etiam textum non amplius sensu destituendum esse duxerimus. Quod confirmat illud lib. II ad eumdem Constantium, n. 8 : *Ego enim penes me habeo fidem, exteriore* NON EGEO : *quod accepi teneo, nec demuto quod Dei est*. Eadem ratione infra, num. 25, ubi exprobravit Hilarius Constantio, quod homœusion ab iis anathematizari jubeat, a quibus usurpatum est; quo sensu hoc ei exprobret, subinde declarat his verbis : *quod* (nomen) *tametsi nobis ad fidem otiosum* atque supervacaneum, etc.

(*c*) Duo mss. *vera*. Cæteri, *utrumque*. Magis placet cum vulgatis *utraque*, scil. et pseudo-Sardicensi, et Sirmiensi contra Photinum. Utriusque enim fidei sunt verba subnexa. Philippopolitanum conventum D licet Sardicensem nominet Hilarius, cum tamen notet ex ea constitisse factione cui Constantius favebat, non videri debet cum catholica Sardicensi synodo confudisse.

(*d*) Apud Er., Mir., Lips. et Par., *tu his ipsis*. Concinnius Bad. cum mss., *tuis ipsis*.

(*e*) In duobus mss. *emendata*. Formulam Sirmii an. 357 editam vocat Hilarius *deliramenta Osii*, quia eam subscriptione sua ratam fecit, ac forte etiam quorumdam verborum illius auctor fuit : *incrementa Ursacii et Valentis;* quia eam pro more suo ambiguis quibusdam sententiis adauxerint : *emendationes Constantii;* quia eam approbando, emendavit quod Antiochiæ, Philippopoli et Sirmii contra Photinum probaverat. *Damnationes* autem prædictæ formulæ, intelligit Orientalium Ancyræ an. 358 congregatorum

24. *Fides nulla, ubi non una.* — Non calumniamur de rescissis, de quibus magis post Nicænam synodum (*f*) institutis conquerimur. Nam etiamsi in his omnibus nihil vitiorum subjacere affirmetur, **581** non tamen causa religiosæ voluntatis inesset : quia mali meditatio est, bonorum demutatio; et non necessaria emendatio, perversitatis occasio est. Taceo cur nostra apud Nicæam a patribus gesta rescindis; non enim cum his tibi convenit : hoc tantum quæro (*g*), cur tua damnas? Fidem enim unam et unum baptisma Apostolus prædicat (*Ephes.* IV, 5) : jam quidquid apud te præter fidem unam est, perfidia, non fides est. Nam qui fidem emendando condemnas, damnationem fidei esse constituis; dum apud te aboletur per alteram, quæ per alteram rursus abolenda est.

B 25. *Nullus juxta Arianos jam non reus.* — Cujus enim tu exinde episcopi manum innocentem reliquisti? Quam linguam non an falsiloquium coegisti? Quod cor non ad damnationem anterioris sententiæ demutasti? Damnare homousion decernis (*h*), antiquitatis fidem, et pietatis securitatem. Anathematizari (*i*) homœusion ab his ipsis, a quibus usurpatum est, constituisti : quod tametsi nobis ad fidem (*j*) otiosum est, tamen rescindentibus fidei suæ damnatio est. Damnas (*k*) quoque et substantiæ nomen, quo te et Sardicensi synodo et Sirmiensi (*l*) pium esse Occidentalibus mentiebaris : quod tamen definitiones : quæ *mox* emendantur, non longo post intervallo edita tertia Sirmiensi formula, quæ etiam non nihil immutata Ariminum delata est. Verba autem inferius laudata, sunt Ancyrani conventus in anathem. 11.

(*f*) In mss. Martin. et Colb., *institui conqueri*. Exstat quoque in cæteris *institui*.

(*g*) Sic ms. Colb. Alii vero, *queror*. Editi, *querar*.

(*h*) Scil. fidei professione Acacio auctore in Seleuciensi synodo perlecta, in qua homousion et homœusion rejiciuntur. His haud dissona sunt illa Gregorii Nazianz. Or. XXI : *Piam enim et veterem doctrinam ac Trinitatis patronam, jacto vallo, ac machinis impulsa et labefactata consubstantialis voce sustulit.*

(*i*) Hanc vocem a Macedonio excogitatam fuisse tradit Theodoretus, l. IV Hæret. Fab. c. 5. At certe constat ab iis usurpatam esse, qui illi adhærebant. Neque minus est certum, eos ipsos postmodum Constantinopoli coactos esse, ut hanc vocem damnarent.

(*j*) Ita ms. Colb. cum Martin. In aliis autem libris, *vitiosum est* : quod non solum pugnat cum lib. de Synod. n. 72, sed et cum his hujusce libri n. 22 : *Mihi quidem similitudo, ne unioni detur occasio, sancta est :* et num. 24 : *Etiamsi in his omnibus* (formulis homœusion asserentibus) *nihil vitiorum subjacere affirmetur*.

(*k*) Eam nimirum suscipiendo fidei expositionem, quam Athanasius, lib. de Synod., ut prælectam Arimini, quamque Theodoretus, lib. II, c. 21, ut Nicææ in Thracia subscriptam, et Socrates, lib. II, c. 41, ut Constantinopoli approbatam referunt.

(*l*) Id est, cum approbasti et professus es quod in pseudo-Sardicensi et Sirmiensi synodo definitum est. *Eos autem qui dicunt de non exstantibus esse filium Dei, vel ex alia substantia*, etc. Adeoque perperam Baronius ad an. 347, n. 42, ob hunc Hilarii locum quasdam excogitavit Constantii litteras ad synodum Sardicensem, quibus Filium unius cum Patre substantiæ profiteretur. Etiam post Ancyranum conventum substantiæ nomen tuentur ejusdem impera-

prophetica auctoritate (*a*) susceptum, fidei intelligentiam continebat. Omne itaque, quod probatum antea est, damnare jubes; quod improbatum semper est, sanctificare compellis. O tu sceleste, qui (*b*) ludibrium de Ecclesia facis! Soli canes ad vomitum suum redeunt : tu sacerdotes Christi resorbere **582** ea quæ exspuerant coegisti. Probare eos id (*c*) in se confessionibus suis præcipis, quod ante damnaverant : in negando reos suos absolvunt, et se ipsos reos reddunt. Omnia in impietatem et in reatum detrusisti : dum omnes reos se esse atque impios, aut ex præsentibus statuunt, aut ex præteritis confitentur. Non recipit mendacium veritas, nec patitur religio impietatem.

26. *Constantii in Orientales et Afros violentia.* — Christianum te loqueris (*d*) : sed quam non sis, ipse testaris : nec professioni tuæ gesta conveniunt. Substravisti enim (*e*) voluntati tuæ Orientales episcopos; neque solum voluntati tuæ, sed et violentiæ. Mandas tibi subscriptiones Afrorum, quibus (*f*) blasphemiam Ursacii et Valentis codemnaverant, reddi. Renitentibus comminaris, et postremum ad diripiendos mittis. Quid? existimas Christum non nisi per litteram judicare, et ad arguendam voluntatem egere chartula Deum? aut quod semel scriptum est, et per te violenter abreptum, id de conscientia posse divinæ potestatis aboleri? Sequentur te quidem (*g*) in cineres chartulæ, sed criminosorum apud Deum vivent damnationes. Unum tantum proficis, ut posteritas quid decernere in eos debeat, instructa sit timendo.

27. *Ariani mortuis bellum indicunt.* — Et o quantis ad impietatem proficis incrementis! Et cæteri quidem mortales semper cum vivis bella gesserunt, dum homini ad hominem ultra mortem nihil causæ est : tibi vero inimicitiarum nullus est finis. Receptos enim jam in æternam quietem patres **583** nostros lacessis, et in decreta eorum perversus irrumpis. Apostolus communicare nos sanctorum (*h*) memoriis docuit (*Rom.* XII, 13) : tu eas damnare coegisti. Estne aliquis hodie aut vivus, aut mortuus, cujus tu dicta non rescideris? Episcopatus ipsos, qui nunc videntur, sustulisti (*i*) penitus : quia nemo non jam per se damnatus est, et eum, a quo sacerdotium sumpsit, non jam et ipse damnavit. Cui nunc sanctorum memoriæ communicabitur? Anathema tibi trecenti decem et octo convenientes apud Nicæam episcopi sunt : anathema deinde omnes, qui variis exinde expositionibus adfuerunt. Ipse quoque pridem jam mortuus anathema tibi (*j*) pater tuus est, cui Nicæna synodus fuit curæ, quam tu falsis opinionibus infamatam perturbas, et contra humanum di-

toris litteræ ad Antiochenos contra Eudoxium scriptæ, et a Sozomeno lib. IV, c. 14, relatæ, in quibus legere est : *Revocate, quæso, in memoriam primos illos sermones, tunc cum de fide inquireremus, quibus demonstrabatur Salvatorem nostrum esse filium Dei, et similem Patri secundum substantiam.* Ubi Constantius memorare videtur fidem apud ipsos Antiochenos in Encæniis expositam (quam primam censere solebant, qui respuebant Nicænam), ac respicere in hæc ipsius verba, *divinitatis essentiæque* (καὶ οὐσίας) *et virtutis et gloriæ incommutabilem imaginem.*

(*a*) Bad. et Er., *susceptam.* Mir., Lips. et Par., *suscepta.* Verius mss. *susceptum*, puta substantiæ nomen : quod in Scripturis usitatum probat Phœbadius Agen. et in Filii generationem convenire Propheta docet, cum ait, *Ex utero ante luciferum genui te.*

(*b*) Colb. ms. cum Martin., *qui delubrum.* In cæteris, *qui ludibrium :* ubi in excusis, *quod ludibrium.*

(*c*) In vulgatis desideratur *se :* quod restituitur auctoritate mss. Vat. bas., Martin. et Colb. Porro illud *in se* idem est quod *adversum se.*

(*d*) Duo mss., *loqueris et prædicas : sed quia non sis.* Mox in solis edit., *nec confessioni tuæ.*

(*e*) Hic versus, *voluntati tuæ Orientales episcopos, neque solum*, cum in prius vulgatis deesset, revocatur ex mss. Hic notatur violentia Orientalibus qui homœusion defendebant illata, ut Ariminensem blasphemiam susciperent.

(*f*) Mss. Colb. et Mart., *blasphemias.. condemnaverunt.* Hanc blasphemiam interpretantur eruditi secundam formulam Sirmiensem lib. de Synod. descriptam. Idque putant ab Afris factum, quod a Gallis : quos Hilarius lib. de Synod. n. 2, testatur, *missam e Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem damnasse.* Hoc tamen discrimen ponunt, quod Galli eam statim atque edita est, ab ipsismet auctoribus acceperint; Afris autem, cum jam auctores illius puderet, missa sit opera Basilii acerrimi eorum adversarii. Hinc opinantur Basilium apud Sozom. l. IV, c. 24, ab Acacianis insimulatum esse, *quod cum Germinio et Ursacio et Valente communionem se habere scribens, eos tamen apud episcopos Africæ accusasset :* et post pauca, *quod Illyriis, Italis et Afris dissidii et tumultus causa exstitisset.* Unde etiam existimant eorum sententiam confirmari, qui formulam Sirmiensem, quæ imperatoris edicto necnon minis ac pœnis de manibus habentium erepta est, non cum Athan., lib. de Syn. p. 914, tertiam, sed cum Socrate, l. II, c. 30, et Sozomeno, l. IV, c. 6, secundam intelligunt. Quamquam non hic ait Hilarius extorta blasphemiæ Ursacii et Valentis exemplaria, sed tantum subscriptiones quibus illa condemnata fuerat. Et vero potiorem videri Athanasii sententiam, notis in Fragmentum postremum ostendemus.

(*g*) Abest *in* a mss. Martin. et Colb.

(*h*) Modo exstat in latino textu *necessitatibus*, in græco ταῖς χρείαις. Quamquam Curcellæus legit ταῖς μνείαις. Ob reverentiam erga patres catholici episcopi, Frag. VIII, n. 2, Arimino rescribunt Constantio, sibi nefas esse a Nicæna fide recedere, quam tot sancti et Confessores et Martyrum successores conscripserunt.

(*i*) Adjicimus *penitus* cum omnibus mss. Episcopatus penitus tollit Constantius, cum novam amplectendo fidem, damnat omnes superiorum temporum episcopos; et perinde eos etiam, qui licet ipsi consentiant, ab anathemate tamen episcopatum sumpserunt, hoc est, ab iis quos modo anathemate damnant. Vid. lib. de Synod. n. 91.

(*j*) Hieronymus in Chronico scribit, Constantinum a baptismo in hæresim lapsum esse. Tradit quoque Lucifer Calarit., l. de Reg. apost., illum se ad Arianos contulisse, et lib. I pro Athanas., ipsi perosum fuisse Athanasium, quod noluerit esse Arianus. In quem locum Tillius, *Hinc apparet*, inquit, *Imperatorem Constantinum Magnum in senectute fuisse Arianum : quod plerique etiam historici narrant.* Aliud tamen scriptis suis mandarunt non modo Hilarius, sed et Athanasius ad Solit.; Epiphanius, hær. 69, n. 12; Ambrosius, Or. de obitu Theodosii, n. 40, etc. Imo Ariminensis Concilii catholici patres, Fragm. VIII, n. 2, testantur Constantinum, cum fidem Nicænam teneret, baptizatum ad quietem Dei commigrasse.

vinumque judicium cum paucis satellitibus tuis profanis (*a*) impugnas. Sed non licet tibi nunc regno potenti etiam in posterum præjudicare. Exstant enim litteræ, quibus id, quod tu criminosum putas, pie tunc esse susceptum (*b*) docetur. Audi verborum sanctam intelligentiam, audi Ecclesiæ imperturbatam constitutionem, audi patris tui professam fidem, audi humanæ spei confidentem securitatem, audi hæreticæ damnationis publicum sensum, et intellige te divinæ religionis hostem, et inimicum memoriis (*c*) sanctorum, et paternæ pietatis hæredem rebellem. (*d*)

Additamentum ex libris de Trinitate.

28. *Ex lib.* II *de Trin., num.* 6. Pater est, ex quo omne quod est consistit. Ipse in Christo et per Christum origo omnium. Cæterum (*e*) esse ejus in sese est : non aliunde quod est sumens, sed id quod est, ex se atque in se obtinens; infinitus, quia non ipse in aliquo, sed intra eum omnia; semper extra locum, quia non continetur in loco; semper ante ævum, quia tempus ab eo est. Curre sensu si quid ei putas ultimum esse, eum semper invenies : quia cum semper intendas, semper est quod intendas. Semper autem locum ejus intendere **584** ita tibi est, ut ei esse (*f*) sine fine est. Sermo in eo deficiet, non natura claudetur. Iterum revolve tempora, esse semper invenies: et cum calculi numerus in sermone defecerit, Deo tamen semper esse non deficit. Intelligentiam commove, et totum mente complectere; nihil tenes. Totum hoc habet reliquum, reliquum autem hoc semper in toto est. Ergo neque totum est, cui reliquum est; neque reliquum est, cui est omne quod totum est. Reliquum enim, portio est; omne vero, quod totum est. Deus autem et ubique est, et totus ubique est. Ita (*g*) regionem intelligentiæ excedit, extra quem nihil est, et cujus est semper ut semper sit. Hæc veritas est sacramenti Dei, hoc imperspicabilis naturæ nomen in Patre. Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus : ad quem et eloquendum sermo sileat, et investigandum sensus hebeat, et complectendum intelligentia coarctetur.

29. *Ex lib.* III *de Trin., num.* 18. Volens itaque Filius hujus nativitatis suæ fidem facere, factorum suorum nobis posuit exempla, ut per inenarrabilium gestorum suorum efficientiam de virtute nativitatis inenarrabilis doceremur : cum aqua fit vinum, cum quinque panes, saturatis quinque millibus virorum, excepto sexu et ætate reliqua, replent fragmentis cophinos duodecim. Res cernitur, et nescitur; fit, et non intelligitur; ratio non apprehenditur, effectus ingeritur. Stultum est autem, calumniam in eo inquisitionis intendere, in quo comprehendi id unde quæritur per naturam suam non potest. Ut enim inenarrabilis est Pater in eo quod ingenitus est; ita enarrari Filius in eo quod unigenitus est non potest; quia ingeniti est imago qui genitus est. Cum enim sensu atque verbis imaginem apprehendimus, necesse est (*h*) etiam eum cujus imago est consequamur. Sed invisibilia persequimur, et incomprehensibilia tentamus, quibus intelligentia ad conspicabiles res et corporeas coarctatur; non erubescimus stultitiæ, non nosmetipsos irreligiositatis arguimus, Dei arcanis, Dei virtutibus calumniantes. Quomodo Filius, et unde Filius, et quo damno Patris, vel ex qua sit portione natus inquirimus. Habueras in exemplo operationum, ut crederes Deum efficere posse, quorum intelligere efficientiam non possis.

30. *Ex num.* 19 *ejusdem libri.* Quæris quomodo secundum Spiritum natus sit Filius : ego te de corporeis rebus interrogo. Non quæro quomodo natus ex virgine sit : an detrimentum sui caro perfectam ex se carnem **585** generans perpessa sit. Et certe non suscepit quod edidit : sed caro carnem sine elementorum nostrorum pudore provexit, et perfectum ipsa de suis non imminuta generavit. Et quidem fas esset, non impossibile in Deo opinari, quod per virtutem ejus possibile fuisse in homine cognoscimus.

31. *Ex num.* 20. Sed te, quisquis es, investigabilia sectantem, et divinorum secretorum atque virtutum gravem arbitrum consulo, ut mihi imperito, et tantum de omnibus Deo ut sunt ab eo dicta credenti, rationem saltem facti istius afferas. Dominum audio, et quia his credo quæ scripta sunt, scio jam post resurrectionem frequenter videndum se in corpore præbuisse multis non credentibus; (*i*) certe Thomæ non nisi contrectatis ejus vulneribus credituro, sicut ait : *Nisi videro in manibus ejus* (*j*) *figuram clavorum, et misero digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam* (*Joan.* XX, 25). Dominus se ad omnem intelligentiæ nostræ imbecillitatem accommodat, et duhuc translatum est, nec satis apte adsutum. Quocirca parum abfuit quin omnino supprimeretur.

(*a*) In mss. Martin. et Colb. *profanus :* et mox, *nunc regni potentiam in posterum*, etc., ubi Bandinus ac Latinius malebant *regno potienti.*

(*b*) Iidem mss. *doceor.* Hic maxime respicitur vocabulum homousion, cujus ambiguitatem objectare hæretici solebant, ut patet ex his libri de Synod. n. 91 : *Interpretati Patres nostri sunt post synodum Nicænam homousii proprietatem religiose. Exstant libri, manet conscientia.*

(*c*) Bad. et Er., *auctorum.* Lud. Miræus atque Latinius, *avorum :* superiorum immemores, quibus *sanctorum memoriis* communicandi præceptum explicatur.

(*d*) In codice basilicæ Vaticanæ hic absolvitur liber. Quidquid autem superest ex libris de Trinitate

(*e*) Abest *esse* a mss.

(*f*) Excusi hic adjiciebant *semper :* refragantibus mss.

(*g*) Sic Bad. et Er. ut lib. de Trin. Alii vero libri, *religionem.*

(*h*) Mss., *necesse est cum eo cujus imago est, consequatur :* male. Pejus autem editi, *Tum enim sensu atque verbis imaginem apprehendamus necesse est, cum eum cujus imago est consequemur.*

(*i*) Editi, *Credo Thomæ*, etc. Mss., *Certe Thomas non nisi contactis ejus vulneribus crediturum se ait.*

(*j*) In mss., *fixuram.*

bitationi infidelium satisfacturus, arcanum virtutis invisibilis operatur : facti rationem, quisquis (*a*) eris cœlestium rerum scrutator, expone. Erant discipuli inclusi, et secreto post passionem Domini conjuncti consederant. Dominus Thomæ fidem propositis conditionibus confirmaturus assistit, palpandi corporis, et contrectandi vulneris obtulit facultatem : et utique qui compunctus recognoscendus sit, necesse est ut corpus in quo est compunctus attulerit. Quæro ergo per quas clausæ domus partes sese corporeus intulerit. Diligenter enim Evangelista expressit, dicens : *Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio discipulorum* (*b*) *suorum* (*Ibid.*, 26). An constructa parietum penetrans, solidam lignorum naturam impenetrabilem transcurrit? Stetit namque corporeus, non simulatus aut fallax. Sequantur ergo oculi mentis tuæ penetrantis ingressum, et cum eo clausam domum intelligentiæ tuæ visus introeat. Integra sunt omnia et obserata : sed ecce assistit medius, cui per virtutem suam universa sunt pervia. Invisibilibus calumniaris : ego a te visibilium exposco rationem. Nihil cedit ex solido, neque per naturam suam aliquid tamquam lapsu insensibili ligna et lapides admittunt. Corpus Domini a sese non deficit, ut sese resumat ex nihilo : et unde qui assistit in medio est? Cedit ad hæc et sensus et sermo, **586** et extra rationem humanam est veritas facti. Idcirco ergo ut de nativitate (*c*) fallimus, ita et de ingressu Domini mentiamur. Dicamus factum non fuisse, quia intelligentiam facti non apprehendimus : et cessante sensu nostro, facti ipsius cesset effectus. Sed mendacium nostrum facti fides vincit. Adstitit Dominus clausa domo in medio discipulorum : et Filius est natus ex Patre. Noli negare quod steterit, quia per intelligentiæ infirmitatem consistentis non (*d*) consequaris introitum : noli nescire quod ab ingenito et perfecto Deo patre unigenitus et perfectus filius Deus natus sit, quia sensum et sermonem humanæ naturæ virtus generationis excedat.

32. *Ex num.* 21. Et omnia quidem insuper mundi opera adesse nobis in testimonium possent, ne ambigere de Dei rebus atque virtutibus fas crederemus. Sed in ipsam veritatem infidelitas nostra procurrit, et violenti in excidium Dei potestatis irrumpimus. Si liceret, et corpora et manus ad cœlum levaremus, solem astraque cætera annui cursus suis limitibus proturbaremus, permisceremus decessus Oceani et accessus, fluenta etiam fontium inhibere-mus, et naturas fluminum referremus, concuteremus fundamenta terræ, et toto in hæc opera Dei parricidio desæviremus. Sed bene est, quod nos intra hanc modestiæ necessitatem natura corporum detinet. Certe non fallimus, quid, si liceret, essemus acturi : namque quia (*e*) possumus, profana voluntatis audacia naturam veritatis convellimus, et bellum dictis Dei comparamus.

33. *Ex lib.* II *de Trin. n.* 9. Cesset dolor querelarum. Nam te, quisquis es qui hæc requires, non revoco in excelsum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum. Nonne æquanimiter ignorabis Creatoris nativitatem, ignorans originem creaturæ? Hoc saltem requiro, sentisne te genitum, et quæ ex te generentur intelligis? Non quæro, sensum unde hauseris, vitam unde sortitus sis, intelligentiam unde adeptus sis, quale sit quod in te est, odor, sensus, visus, auditus; certe nemo quod facit nescit : quæro unde ista his (*f*) quos generas indulgeas, qualiter sensum inseras, oculos accendas, cor affigas. Hæc, si potes, enarra. Habes ergo quod nescis, et tribuis quæ non intelligis : æquanimiter imperitus in tuis, insolenter in Dei rebus ignarus.

(*a*) Mss., *quisquis hæres.*
(*b*) Hic a mss. abest dumtaxat *suorum.*
(*c*) Rursum hic edit. *fallimur :* denuo emendantur ex scriptis.
(*d*) In mss., *sequaris.*
(*e*) Et hic editi particulam negantem præfigunt; renitentibus mss.
(*f*) Aliquot mss. *quibus retineris :* mox Mich. *cor affligas*, non *coraffigas.*

ADMONITIO
IN LIBRUM CONTRA AUXENTIUM.

I. Libro hoc, ut cum Hieronymo (*de Scrip. eccl.*) loquamur, elegante, Hilarius de suis cum Auxentio Mediolani gestis catholicos certiores facit. Illum Constantii tempore, ac proinde ante annum 361, editum esse repugnat; quamvis hoc sonare videantur expendenda suo loco Facundi Hermianensis verba (*Facundus*, *t.* III *Spicil.*, *p.* 118). Neque magis veritati consentanea est Baronii ac Blondelli sententia, qua eum anno 569 scriptum volunt : cum eo tempore Hilarius, Hieronymo, Sulpicio Severo et Gregorio Turonensi auctoribus, e vivis excessisse comprobetur. Deceptus uterque fuit ex mendosa priorum editionum lectione, qua Auxentius ita scribebat num. 12 : *non oportere* 600 *episcoporum unitatem post tantos labores ex contentione paucorum hominum refricari* ABJECTIS DECRETIS *ante annos decem*, ut de contemptu Ariminensium decretorum ante annos decem editorum conqueri videretur. Verum ex ea ipsa lectione jam castigata internosci verius potest hujus operis tempus. Cum enim pro *abjectis decretis ante annos decem*, legendum sit *ab abjectis ante annos decem;* cumque Auxentius quos illos abjectos intelligat, subinde declaret his postremis epistolæ suæ verbis : *Sic enim cognoscet Seve-*

nitas vestra, quia qui jamdudum depositi sunt, hoc est, Hilarius et Eusebius, contendunt ubique schismata facere : hinc tantum sequitur, scriptam esse Auxentii epistolam, et perinde reliquum opus, decem annos post quam duo illi fortissimi Præsules abjecti fuere. At vero Eusebium a concilio Mediolanensi anni 355, a Biterrensi autem anni 356, Hilarium in exsilium ejectum fuisse nemo ignorat.

II. Præterea ut operis hujus tempus certius dignoscatur, explorare juverit quando Valentinianus Mediolani versatus sit. Hilarii enim cum Auxentio congressum, illo ibi commorante, habitum fuisse manifestum est. Mediolani autem Valentinianum anno 364, identidem versatum esse, fidem faciunt rescripta inde hoc ipso anno data kalendis juniis, 13 kal. Jul., 14 kal. sept., prid. non. novemb., necnon 15 et 7 kal. dec. Neque minus liquet ex variis rescriptis, eum in eadem urbe maximam anni subsequentis partem transegisse. Porro Amміani (*lib.* XXVI, *c.* 6) testimonio ac pluribus aliis monumentis constat, Valentinianum mense novembri anni 365, venisse Parisios, neque annis subsequentibus a Galliis decessisse. Unde cum perspicuum sit, prædictum congressum ante mensem novembrem ann. 365, fuisse habitum ; inquirendum dumtaxat restat, habitusne sit anno 365, an 364. Neutrum quidem certo definire licet : postremum tamen, considerata congressus hujus occasione, et rerum in eo gestarum serie explicata, longe probabilius apparebit.

III. Eusebius Vercellensis, Rufino teste, lib. I Hist. Eccl., cap. 30, post Alexandrinum concilium anni 362, in Italiam rediens, Hilarium nostrum ibi nactus est ad restaurandas hujus regionis ecclesias sedulo incumbentem, eique se in idem opus adjunxit. Sicut autem dubium non est, quin duo illi viri id tum maxime adnisi sint, ut Italiam Auxentio tamquam nequissima peste liberarent ; ita non est ambigendum, quin hæreticus ille, qui fidem pro tempore simulare noverat, statim atque imperatoris novi opportunitas data est, eos apud illum prævertere conatus sit, a quibus exitium sibi impendere prævidebat. Hinc factum est, ut Hilarium et Eusebium apud imperatorem infamaret (*num.* 14) uti schismatum auctores, et ecclesiæ Mediolanensis perturbatores ; dum sibi (*num.* 5), qui una cum Rege Christum Deum vereque Dei filium ante tempora genitum profiteretur (*num.* 12), inique apud populum inurebant hæreseos notam. Tum (*num.* 6) rex pacis studiosus, qui forte sicut ecclesias ab Auxentio occupatas ipso adventu suo per vim ei eripere a clementia sua alienum ducebat, ita censebat regia majestate indignum, ut ipse in angulis religionis suæ cultum exerceret : gratulatus est fidem, ut sibi videbatur, catholicam ab Auxentio asseri, adeoque posse se adventu suo populum hactenus ab episcopo suo abhorrentem in unam communionem reducere. Itaque sine mora edicto (*Ibid.*) gravi vetuit, ne deinceps a quoquam Mediolanensis ecclesia perturbaretur. Edicto huic non obsequendum ratus Hilarius, etiam importuna interpellatione suggessit, Auxentium aliter credere, quam rex ipse aut omnes alii existimarent. Hinc congressus, cujus gesta hoc libro narrantur, jussu regis habitus. Et hæc quidem omnia, quæ ex ipsis Hilarii verbis assequi aut certe subodorari est, in id tempus, quo Valentinianus Mediolanum primum pervenit, ac proinde in annum 364, longe magis quam in subsequentem conveniunt.

IV. Nec movere debet, quod Auxentius Eusebium et Hilarium ante annos decem abjectos seu depositos vocet. Ea enim verba hæretici sunt in æstu disputationis, qui quo meliorem causam suam faciat, hyperbolice loquitur : quomodo proxime ante Ariminensis Concilii (quo Sulpicio teste, eique consentiente Athanasio (*Sulp. pag.* 252, *Athanas. de Syn. p.* 874, *et epist. ad Afr.*), non multi supra quadringentos, imo juxta Maximinum Arianum (*apud Augustin. coll. cum eodem Maxim. n.* 2) trecenti et triginta dumtaxat convenere) *sexcentorum* (*num.* 12) *episcoporum unitatem* jactitare non erubescit. Sed et hanc synodum, quæ subinde ab omnibus explosa est, haud scio an fidenter adeo anno 365 laudare ausus esset homo fidei simulandæ studiosus.

V. Ad hujus Tractatus complementum desideratur libellus, quem regi sese obtulisse et epistolæ suæ subtexuisse testatur Hilarius (*num.* 6) : desideratur et Ariminensis fides, quam una cum libello suo Auxentius se Valentiniano tradidisse sub ejusdem libelli finem commemorat.

VI. Neque defuere qui ambigerent, an eam Auxentianæ fidei expositionem, cujus exemplum num. 9 promittitur, germanam haberemus. Quamvis enim subjectus ad calcem hujus epistolæ Auxentii libellus hoc nomine inscribatur ; in eo tamen non offendere verba illa ambigua, *natum Deum verum filium*, quæ in Auxentii expositione fraudulenter ad fallendum composita Hilarius, num. 7, retegit ac reprehendit. Deinde in eodem libello altum illis videtur de Nicææ in Thracia gestis silentium, quæ tamen, uti ex num. 7 liquet, Auxentius ab ipso sermonis sui exordio sancta esse testatur.

VII. At prima illa ac præcipua dubitandi ratio jam nulla est, ubi verborum ambiguitas apparet ex antiquissimo codice S. Petri in Vaticano restituta. Altera vero, cum ex diversa unius ejusdemque synodi appellatione nata sit, facile solvitur. Quæ enim Auxentius ad extollendam fidei suæ rationem *sexcentorum hominum* Arimini gesta mendaciter jactitat, ea Hilarius ad eamdem deprimendam Nicææ in Thracia perpaucorum esse prædicat. Re enim vera Ariminensis Concilii non alia fides, nisi quæ Nicææ Bithyniæ edita ; nulla proprie gesta, nisi quibus Arii sectatores anathemate feriuntur. Quia tamen formula Nicææ in Thracia cusa, et a paucis subscripta, Arimini tandem per vim inducta est ; eam Hilarius, quam antea Nicææ in Thracia dixerat, etiam Ariminensis synodi nuncupari permittit his verbis, *Sed de Ariminensi synodo nihil dicamus*, quibus cum proxime adjiciat, *quæ ab omnibus est religiose dissoluta :* ea etiam

ratione Auxentii causam nihil juvari satis ostendit.

VIII. Itaque ex duplici illo capite, ex quo dubius videbatur Auxentii libellus, nunc certius ei asseritur. Cætera etiam conveniunt. In eo quippe versutus ille hæreticus, num. 13, profitetur, quod Hilarius eum affirmasse notat, se Arium numquam scisse. Idem contestatur, num. 14, Hilarium olim depositum aut accusatoris aut judicis personam habere non debere: quod sibi ab eo objectum strenuus Christi confessor narrat, num. 6. Qui quidem etsi nonnulla confutat tamquam ab Auxentio asserta, quæ in ipsius libello non exstant, ea haud dubie pertinent ad ipsa Nicææ Thraciæ seu Arimini gesta, quæ ille toto animo amplexatus libello suo subjicienda curaverat.

IX. Totum hoc opus in antiquo codice Carnutensis ecclesiæ inscribitur : *Epistula ad Catholicos de* B *Auxentium :* in quinque aliis : *Tractatus vel liber contra Auxentium Arianum Episcopum Mediolanensem.* Ilis favet Hieronymus, a quo *elegans contra Auxentium libellus* appellatur. Vulgatus titulus : *Contra Arianos vel Auxentium Mediolanensem liber*, ex veterrimo ms. S. Petri de Urbe est expressus. Reipsa epistola est ad catholicos contra Arianos, quos exordium spectat; sed nominatim contra Auxentium, de cujus secum gestis Hilarius catholicos admonet. In his omnibus cum erga Imperatorem, a quo iniqua passus erat, sedato ac reverenti animo se gerit; palam facit se pro sua causa nescire irasci, suoque exemplo confirmat summam principibus exhibendam esse reverentiam : tum vero maxime eis ignoscendum, cum ex imprudentia aut errore peccaverint.

593-594 SANCTI HILARII CONTRA ARIANOS,

VEL

AUXENTIUM MEDIOLANENSEM,

LIBER UNUS.

(SCRIPTUS ANNO 364.)

Dilectissimis fratribus in fide paterna manentibus, et Arianam hæresim detestantibus, episcopis, et omnibus plebibus, Hilarius conservus vester (*a*) in Domino æternam salutem.

1. *Pacem veram frustra tentat Hilarius componere.* — Speciosum quidem nomen est pacis, et pulcra est opinio unitatis : sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ atque Evangeliorum unitatem pacem esse, quæ Christi est? Quam ad Apostolos post passionis suæ gloriam est locutus (*Joan.* xx, 19), quam ad æterni mandati sui pignus commendavit (*b*) abiturus, hanc (*c*) nos, Fratres dilectissimi, et amissam quærere, et turbatam componere, et repertam tenere curavimus. Sed hujus ipsius nos fieri vel participes vel auctores, nec temporis nostri peccata meruerunt, nec imminentis antichristi prævii ministrique sunt passi : qui pace sua, id est, impietatis suæ unitate se jactant, agentes se non ut episcopos Christi, sed antichristi sacerdotes.

2. *Antichristi plures.* — Ac ne maledicis verborum in eos uti conviciis arguamur, causam perC ditionis publicæ, ne cui quam ignorata sit, non tacemus. Antichristos plures esse, etiam apostolo Joanne prædicante, cognovimus (I *Joan.* II, 18). Quisquis enim Christum, qualis ab apostolis est prædicatus, negavit, antichristus est. Nominis antichristi proprietas est, Christo esse contrarium. Hoc nunc sub opinione falsæ pietatis efficitur, hoc sub specie prædicationis evangelicæ laboratur, ut Dominus Jesus Christus, dum prædicari creditur, denegetur.

3. *Ecclesia subsidiis humanis fundata non fuit.* — Ac primum miserari licet nostræ ætatis laborem, et præsentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, et ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione sæculari (*Ms. Carn.* sæculi) laboratur (*d*). Oro vos, episcopi qui hoc esse vos creditis, quibusnam suffragiis ad D prædicandum Evangelium apostoli usi sunt? quibus

(*a*) Has voces, *in Domino æternam*, restituimus ex mss.

(*b*) Mss. summo consensu, *habituris;* phrasi quidem satis singulari, non omni tamen sensu destituta.

(*c*) Hoc de se modeste insinuat Hilarius, qui pacem amissam quærere non destitit toto exsilii sui tempore, turbatam post Ariminense concilium composuit, et magna ex parte repertam summo studio tenuit. Sed quæ retro sunt oblitus, quasi nihildum præstitisset, quia hanc Mediolanensi civitati frustra tentasset procurare, sequentia subjicit.

(*d*) Facundus Hermian., Spicil. t. III, pag. 118, dum hæc ita laudat : *Sanctus Hilarius episcopus, confessor et doctor egregius, quibusdam episcopis tempore Constantii imperatoris, quo Ariani sub nomine pacis et regis pervaserant universas pene totius Orbis locales ecclesias, dixit,* etc., rerum ac temporum ignorantia videtur lapsus. Non enim Constantio, sed Valentiniano imperante scripsit hæc Hilarius : quo tempore ad ecclesias suas Eusebius, Lucifer, Hilarius ipse, aliique redierant. Unde Ariani saltem in Occidente non omnes pene ecclesias locales obtinebant. Cum tamen subsequens Hilarii declamatio in id potius cadat quod Ariani sub Constantio egissent, quam in id quod sub Valentiniano agerent : commode possunt hæc Facundi verba intelligi. Quia vero Valentinianus nimio pacis studio, et amore localis ecclesiæ quam Auxentius occupabat, versuti hujus hæretici fidem propius explorare timuit, et professione secundum vocum sonos catholica contentus illius commu-

adjuti potestatibus Christum prædicaverunt, gentesque fere omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? Anne aliquam sibi (*a*) assumebant e palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas et post flagella cantantes; edictisque regis Paulus, cum in theatro spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone se, credo, aut Vespasiano, aut (*b*) Decio patrocinantibus tuebatur? quorum in nos odiis confessio divinæ prædicationis efflоruit. Illi manu atque opere se alentes, intra cœnacula secretaque coeuntes, vicos et castella gentesque fere omnes terra ac mari contra senatusconsulta et regum edicta peragrantes, claves, credo, regni cœlorum non habebant? Aut non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit, cum tanto magis Christus prædicaretur, quanto magis prædicari inhiberetur?

4. *Fidei vis illata improbatur.* — At nunc, proh dolor! divinam fidem suffragia terrena commendant, inopsque virtutis **595** suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exsiliis et carceribus Ecclesia : credique sibi cogit, quæ exsiliis et carceribus est credita. Pendet (*c*) ad dignationem communicantium, quæ persequentium est consecrata terrore. Fugat sacerdotes, quæ fugatis est sacerdotibus propagata. Diligi se gloriatur a mundo, quæ Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset. Hæc (*d*) de comparatione traditæ nobis olim Ecclesiæ, nuncque deperditæ, res ipsa quæ in oculis omnium est atque ore, clamavit.

5. *Antichristi tempus jam adesse.* — Quid autem illud sit, quod ignorandum ultra non sit breviter exponam. Secundum placitam Deo plenitudinem coarctata sunt tempora. (*e*) Circumscripta enim ratio eorum cœlestibus libris docetur : ac necesse est in ipsam nos ætatem antichristi incidisse, cujus, secundum Apostolum (II *Cor.* XI, 14), minis- tris in lucis se angelum transformantibus, ab omnium fere sensu et conscientia is qui est Christus aboletur. Ut enim erroris affirmatio certa sit, incerta (*f*) veri opinio antefertur : sitque antichristo jam pervium, Christum eum esse se fallere, de quo nunc usque dissensum sit. Hinc illæ variæ opiniones, hinc sub unius (*g*) Christi fide prædicatio plurimorum, hinc nuper Arii spiritus ex angelo diaboli in lucis angelum (*h*) transfiguratus : cujus hæreditas (*i*) omnis ad Valentem, Ursacium, Auxentium, Germinium, Gaium successit atque defluxit. Nam ipsi nunc Christum novum, per quem antichristus subreperet, intulerunt.

6. *Auxentii, Valentis,* etc., *de Christo opiniones. Plebi nondum nocet hæresis latens.* —Volunt enim hunc suum Christum non ejus divinitatis esse cujus et Pater est; sed (*j*) esse potentem et præstantem cæteris aliis **596** creaturis creaturam, eumque per voluntatem Dei ex nihilo substitisse : et eum ante omnia quidem sæcula, et ante omne omnino tempus natum ex Deo Deum esse; sed non ex substantia Dei esse, neque divinæ in eo nativitatis, majestatisque ejus, (*k*) quæ Dei est intelligendam veritatem ; ne quam verus sit Deus qui pater est, tam verus sit Deus qui filius est : ut id, quod unum esse Filius et Pater in Evangeliis prædicantur (*Joan.* x, 30), in voluntatis tantum sit et charitatis societate, non in divinitatis veritate. Quæ si in Filio non eadem est ipsa illa quæ Dei est, ut in confessione fidei Deus unus sit; cur Deum Filium, cur ante tempora et sæcula confitentur, nisi quia Dei nomen sancto cuique per indulgentiam (*l*) æternitatis est destinatum? Aut regenerati omnes non vere Dei filii sunt, aut angeli omnes, per Christum utique conditi, non ante omnia tempora et ante omnia omnino sæcula sunt creati? (*m*) Verum ad antichristum minori invidia introducendum, miserisque credendum, tribuunt Christo Dei nomen ; quia hoc et hominibus

nionem suscepit; postmodum in nimium illum parietum ecclesiæ amorem invehitur : veritus haud dubie, ne episcopi, qui in imperatoris comitatu frequentes erant, in eamdem dissimulationem abirent, et hæretica communione polluerentur.

(*a*) Sex mss. *assumerent.*

(*b*) In antiquioribus mss. Vat. bas., Carnut. et Colb., *Deciis.*

(*c*) Lips. et Par., *a dignatione :* renitentibus aliis libris.

(*d*) In mss. *Ac de,* non *hæc de.* Mox apud Bad., Er., Mir. et in quinque mss., *numquam deperditæ.* In Michaelino autem ab eadem manu et in eodem contexto adjicitur, *vel, nunc quam deperditæ :* quomodo legendum Erasmus ad marginem asseruit, ac post eum legere Lips. et Par. Habet ms. bas. Vat., *nunc valde perditæ :* ubi ex Carnut. reponimus, *nuncque deperditæ.*

(*e*) Editi, *incircumscripta :* emendantur ex mss.

(*f*) Miræo magis placuit *vero*, reluctantibus omnibus veteribus libris : nec deinceps castigatus fuit ; quamvis hic Hilarii sententia non ea sit, ut incerta opinio anteponatur veritati, sed ut quod verum ac certum est, ab Arianis proponatur velut incerta opinio. De generatione enim Filii, quia inenarrabilis esset, nolebant quidquam definiri. Quos sigillans Phœbadius Agen., *Illud autem,* inquit, *quis ferre æquanimiter possit, ut quem initium habere pro certo ponunt, hujus nativitatem habeant in incertum.* Adversus eamdem illorum artem in Ariminensi synodo apud Athanas. lib. de Synod., p. 876, conclamabant catholici, *Nos non quia fide indigeremus, huc convenimus,* etc.

(*g*) Par. cum ms. Colb. a recenti manu, *Christi nomine*

(*h*) Mss. *figuratus.* Aliter legitur paulo superius et initio libri in Constant.

(*i*) Ita mss. At editi, *hæreditas nominis :* et mox post Lipsium Par., *successioque defluxit.* Hæc ut et superiora ad Ariminensis concilii gesta referuntur. Tantum omittit Hilarius Demophilum, quem memoratis adjungit Athanasius, lib. de Synod., p. 874. *Venerunt,* inquit, *ad eumdum locum Germinius, Auxentius, Valens, Demophilus, et Gaius. Ibi cum cæteri episcopi ex sacris litteris verba sua formarent, illi chartulam exhibuerunt,* etc. Hi omnes eam ob rem a synodo excommunicati leguntur.

(*j*) Excusi, *esse eum præstantem,* omisso verbo *potentem,* quod habent omnes mss.

(*k*) In ms. Colb., *quæ Deus est.*

(*l*) Vox *æternitatis,* et mox particula *non,* desiderabantur in ante vulgatis. De angelorum ante tempora conditione videsis, p. 429, not. *b* (*not. c col.* 455 *nost. edit.*)

(*m*) Excusi, *Verum antichristum arbitror minori invidia,* suppresso *ad,* et addito *arbitror* præter fidem mss. et Hilarii sententiam : quam ut conciliaret Georgius Bullus, pro *invidia,* legendum esse *perfidia* opinabatur. Aperta autem fit ope mss.

sit tributum : fatentur vere Dei filium ; quia sacramento baptismi vere Dei filius unusquisque perficitur : ante tempora et sæcula confitentur ; quod de angelis atque diabolo est non negandum. Ita Domino Christo sola illa tribuuntur, quæ sunt vel angelorum propria, vel nostra. Cæterum, (*a*) quod Deo Christo legitimum et verum est, Christus Deus verus, id est, eadem esse Filii quæ Patris divinitas denegatur. Et hujus quidem usque adhuc (*b*) impietatis fraude perficitur, ut jam sub antichristi sacerdotibus Christi populus non occidat, dum hoc putant illi (*c*) fidei esse, quod vocis est. Audiunt Deum Christum ; **597** putant esse quod dicitur. Audiunt filium Dei ; putant in Dei nativitate inesse Dei veritatem. Audiunt ante tempora ; putant idipsum ante tempora esse, quod semper est. Sanctiores aures plebis, quam corda sunt sacerdotum. Si Deum verum Ariani prædicant Christum, Deum sine fraude confessi sunt : quod si Deum dicunt, et negant verum ; tribuunt nomen, et adimunt veritatem.

7. *Hilarii cum Auxentio Mediolani gesta. Auxentius consubstantialitatem confitetur.* — Quamquam igitur impiissimis eorum blasphemiis plenæ omnes (*d*) ecclesiarum chartæ, plenique jam libri sint : quid proxime tamen acciderit, non tacendum est. Cum edicto gravi sanctus (*Carn. ms.* sanctissimus) rex perturbari ecclesiam Mediolanensium, quæ Deum verum Christum et unius cum Patre divinitatis et substantiæ confitetur, sub unitatis specie et voluntate jussisset ; etiam importuna interpellatione suggessi, Auxentium blasphemum esse, et omnino hostem Christi habendum : idque adjeci, eum aliter credere, quam rex ipse, aut alii omnes haberent. Quibus (*e*) rex permotus ; audiri nos a Quæstore et Magistro præcepit, considentibus una nobiscum episcopis fere decem. Primumque, ut in foro solet, de persona calumniatus est, damnatum (*f*) quondam me a Saturnino, audiri ut episcopum non oportere. Non est nunc temporis, quid ad hæc responsum sit, enarrare : sed qui tum audiebant, de fide potius, ut regi placuerat, agitandum esse decernunt. Cumque jam in arcto esset negandi (*g*) periculum ; credere se Auxentius Christum Deum verum, et unius cum Deo patre divinitatis et substantiæ est professus. Placuit igitur hoc scribi, et ne memoriis audientium quæ dicta essent elaberentur, continuo libellum regi per Quæstorem offero, quo quid convenisset, continetur : et ne quid mentiri arguar, ejusdem exempla subjeci. Placet omnibus Auxentium hæc ipsa profiteri frequenter : qui ut (*h*) ipsum scriberet, est coactus. Qui diu consilia sua versans, callidissime fidem regis eludit : dat scripturam stylo antichristi compositam.

8. *Scripto eludit fidem quam confessus erat.* — Nam primum ea, quæ (*i*) Nicææ Thraciæ omnium impietas resolvisset, sancta **598** esse testatur : vim scilicet illatam episcopis, fidem esse veræ confessionis affirmans. Negat quoque se scire Arium : cum in Alexandria in (*j*) Ariana ecclesia, cui Gregorius præerat, presbyter esse cœpisset. Sed de Ariminensi synodo, quæ ab omnibus est religiose dissoluta, nihil dicamus : tantum diaboli commenta pandenda sunt. Cum placuisset igitur scribi Deum verum esse Christum, et unius cum patre divinitatis atque substantiæ esse : ponitur talis ab eo, ut a callidissimo diabolo, sententia, quæ significaret Christum *ante omnia tempora natum Deum verum filium* : ut secundum Arianos *veritas* ad filium, non ad Deum referretur. Et ut longe major differentia hujus significatio-

(*a*) Ms. Mich., *quod de Christo* : quod primum arridebat. Sed data opera Dei Christi nomen repetere videtur Hilarius, ut dignitatem illius et divinitatem magis ac magis inculcet.

(*b*) Editi, *impietatis occasio per fraudem perficitur* : prava interpolatione obscuriorem reddunt Hilarii sententiam, qua observat hæreticos sub verbis piis impietatem suam ita velare, ut dum populi eorum verba ut sonant intelligunt, pravitate ipsorum nondum corrumpantur. Apposite Athanasius, epist. ad Epictet, p. 582 : *Istos lucifugas, qui sese etiamnum occultant, et quæ Arii sunt sapiunt, Auxentium dico Mediolanensem, Ursacium, Valentem, Gaium a Pannonia uno spiritu incitatos, communi calculo anathemate percusserunt Concilia in Galliis, Hispaniis et magnæ Romæ congregata.* Hujusmodi fraudes prævertens, Or. I cont. Arian., p. 291, ait : *Si dictiones ex sacris litteris scribant, ne sustinueritis hoc genus scriptorum : etiamsi voces orthodoxæ fidei loquantur, ne ita quidem loquentibus attendite. Non enim recto animo loquuntur, sed veluti indumenta ovium hæc verba præferunt, intus autem quæ Arii sunt sapiunt, quemadmodum hæreseon princeps diabolus.*

(*c*) Apud Bad., Er., Mir. et in ms. Colb., *filii Dei esse.* Non alter efficitur sensus, sive intelligas, hoc putant eos credere quod verba sonant ; sive, hoc putant eos sentire filii Dei esse, quod illius esse prædicant.

(*d*) Eum ad modum Hieronymus, Dial. cont. Lucif. de Ariminensis synodi gestis, ait : *Quod si quis a nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur ; plenæ sunt certe ecclesiarum arcæ.*

(*e*) Ita mss. At editi, *quibus rebus permotus.* Rex auditis iis, quæ ipsi ab Hilario suggerebantur, non aliud, quam quod ab illo postulabatur, credendus est præcepisse : adeoque dubitari nequit, quin episcopi in eo congressu ut judices sederint. Quæstor vero et Magister tantum ut testes ; maxime cum Valentinianus ipse, teste Ambrosio, epist. XXI, n. 2, et Sozomeno, lib. VI, c. 7, suffragante, rerum ecclesiasticarum judicium ad se minime pertinere declararit.

(*f*) Sex mss. cum Bad., Er. et Mir., *a quodam Saturnino.* Melius potiores cum Lips et Par., *quondam a Saturnino.*

(*g*) Apud Mir., Lips. et Par., *periculo* : refragantibus aliis libris.

(*h*) Editi, *ipse.* Vetustiores mss. Vat. bas. et Carnut., *ipsud*, quod vocabulum sic etiam alibi exprimunt. In cæteris *ipsum* ; hoc est, idem. Hinc num. 9, arguitur, quod non idem, sed *aliud scripsit quam professus est.* Proximum *frequenter* idem sonat, quod coram multitudine.

(*i*) In ms. Carnut., *Nicia et Thracia.* Forte pro *Niciæ in Thracia*, tacito verbo *gesta.* Tum in vulgatis *omnium impietas ex se solvisset.* Sequimur mss. Quamquam mallemus, *omnium jam pietas resolvisset.* Quid enim hoc sibi vult aliud, quam quod mox enuntiatur his verbis, *Sed de Ariminensi synodo, quæ ab omnibus est religiose dissoluta?* Eam autem variis Conciliis dissolutam esse declarant Sulpicius, lib. II, pag. 262, et Hieronymus, Dial. contra Lucif.

(*j*) In antiquioribus libris, *Aria.*

nis exsisteret, subjicitur, *Ex vero Deo Patre* : ut in Patre veritas Dei esset, in Christo veritas tantum filii scriberetur. Dehinc procedente sermone, una ab Auxentio divinitas prædicatur, et in ea non confitetur et (*a*) Filium : ut in solo Patre, non etiam in Filio, esset sola una divinitas.

9. *Quasi recte sentiens divulgatur. Hilarius fraudem retegens jubetur exire.* — Spargitur vero per populos Auxentium verum Deum Christum, et unius cum Patre divinitatis ac substantiæ scripsisse, neque ab expositæ per me fidei dissidere sententia : post quæ ad communionem ejus rex pro fidei sinceritate advenit. Sed cum hoc mysterium impietatis diu occultatum jam non taceretur, diceremque fingi (*b*) omnia, fidem denegari, Deum atque homines illudi ; jubeor de Mediolano proficisci, cum consistendi mihi in ea invito rege nulla esset libertas.

10. Hæc igitur, Fratres, quibus Dei judicium in metu est, ita gesta esse significo. Auxentius quod negare timuit, noluit confiteri : nam expositionis ipsius exempla subjeci. Si idem scripsit, arguite fallentem : si vero aliud (*Ms. Carn.* aliter) scripsit quam professus est, intelligite jam Christum per eum alium, id est, antichristum prædicari. Lusit quidem ille verbis, quibus possit fallere et electos ; sed patet impietatis tantæ professio.

11. *Auxentii perfidia exponitur.* — Negat se duos deos prædicare, quia non duo patres sunt. Quis secundum hæc non videt, unius Dei confessionem idcirco tantum Patri propriam esse, quia solus esset ? **599** Unde et ille satanæ (*c*) stylus exstitit : *Novimus unum solum verum Deum patrem.* Et post malevolas significationes, *Similem*, inquit, *secundum Scripturas Filium genitori suo patri.* Si usquam in sanctis voluminibus hoc scriptum est, habet innocentiæ professionem. Si (*d*) vero veritate divinitatis Filius et Pater unum sunt, quid similitudinis imperfecta opinio antefertur ? Imago quidem Dei Christus est (*Vid. lib. in Constant. n.* 20) : sed et hominem imaginem Dei esse non dubium est, cum ad imaginem et similitudinem Dei Adam factus sit. Quid tu, hæres Arii, Christo tantum nostra concedis ? Quid Regem, quid Comites, quid Dei Ecclesiam, patris tui, id est, satanæ arte circumvenis ? Christum Deum dicis : quid fallis in nomine ? Nega Moysen Pharaoni deum dictum (*Exod.* VII, 1). Christum filium et primogenitum Dei loqueris : nega primogenitum filium Israel Deo esse (*Esai.* I, 2). Christum ante tempora natum asseris (*Vid. l.* XII *de Trin. n.* 35) : et creatum nega diabolum ante tempora et sæcula substitisse. Christum similem Patri memoras : nega ad imaginem et similitudinem Dei hominem esse cœpisse. Solum Christo, quod est denegas, ne Deus verus et unius cum Patre divinitatis atque substantiæ sit. Et solitus es una cum magistris tuis me hæreticum arguere : expone, quibus potes litteris, impietatis meæ causam, et blasphemiarum mearum titulum propone. Mihi autem antichristus est ille, qui unius divinitatis esse Filium cum Patre non confitetur : quique non ita unum verum Deum Patrem prædicat, ut veritas quoque divinitatis non intelligatur in Filio. Si unius divinitatis Christus et Deus sunt, cur hoc non simpliciter scripsisti ? Si tibi non sunt, cur hoc non simpliciter denegasti ?

12. *Ecclesiæ parietum ne nimius sit amor.* — Arcanum igitur tam pestiferi mysterii optassem, Fratres, ipse potius quam per litteras revelare, et omnes blasphemias Auxentii verbis singulis explicare. Verum quia id non licet, saltem unusquisque quod sibi liceat intelligat. Multa alia proferre Ecclesiæ me pudor inhibet, et committere epistolæ Arianorum blasphemiarum dedecora pertimesco. Unum moneo : cavete antichristum **600** : male enim vos parietum amor cepit, male Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini, male sub his pacis nomen ingeritis (*hæc citat Facundus, Spicil. t.* III, *p.* 118). Anne ambiguum est, in his antichristum esse sessurum ? Montes mihi, et sylvæ, et (*e*) lacus, et carceres, et voragines sunt tutiores : in his enim prophetæ, aut manentes, aut demersi, Dei spiritu prophetabant. Absistite itaque ab Auxentio satanæ angelo, hoste Christi, vastatore perdito, fidei negatore : quam sic est regi professus, ut falleret ; sic fefellit, ut blasphemaret. Congreget nunc ille quas volet in me synodos, et hæreticum me, ut sæpe jam fecit, publico titulo proscribat, et quantam volet iram in me potentium molia-

(*a*) Carn. et Colb., *filii.* Hic notantur verba Auxentii, n. 14 : *Propter quod et unam deitatem prædicamus :* quibus Filium a divinitate callide excludit.

(*b*) In duobus mss. *nomina* ; ac deinde Carnut. codex, *Deo atque hominibus illudi :* tum cum ms. bas. Vat., *de Mediolanio*, non *de Mediolano.*

(*c*) In quinque mss. *filius exstitit.* Satanas quidem, quia mendacii auctor et fallacium parens est, Auxentii pater mox prædicatur : sed hic vox *filius* cum subsequentibus non satis cohæret. Tum in vulgatis, *Novi unum.* Rectius in vetustioribus mss. *Novimus unum :* hæc enim verba, sicut et subsequentia, *similem secundum Scripturas*, etc., sunt formulæ Arimini seu Nicææ in Thracia editæ, cujus se defensorem Auxentius profitetur.

(*d*) Ex mss. revocatur particula *vero*, qua perspicuior sit Hilarii sententia : puta, si contra in Scripturis Pater et Filius unum dicuntur naturæ veritate, non qualicumque similitudine.

(*e*) Mss. summo consensu, *lucus* : quam vocem, nisi *luci* non *lucus* obtineret rectus casus pluralis, præferre licuisset : quasi affectasset Hilarius ecclesiis hæreticorum ingressu pollutis gentilium lucos conferre, imo anteferre. Quamquam si cum his comparemus illud capitis V in Matth. n. 1 : *In omni loco precem fundere edocemur : et sanctorum oratio inter feras, carceres, flammas, et de profundo maris ac bestiæ ventre suscepta est ;* patet retinendum esse *lucus* vocabulum, eoque alludi vel ad profundum maris, in quod Jonas demersus est ; vel ad lacum leonum, in quem dejectus Daniel, ac positus inter feras, a Deo respici meruit. Huc conferre licet, quod scribit Dionysius Alexandr., apud Euseb. edit. Vales., lib. I Hist. Eccl. c. 22 : *Cum soli ab omnibus fugaremur atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque festos egimus dies. Quivis denique locus, in quo varias ærumnas singillatim pertulimus ; ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar templi ad sacros conventus peragendos fuit.*

tur : mihi certe ille numquam aliud quam diabolas erit, quia Arianus est : neque pax aliquorum umquam optabitur, nisi eorum, qui secundum patrum nostrorum apud Nicæam tractatum, anathematizatis Arianis, Christum Deum verum prædicabunt. (*a*)

(*b*) EXEMPLUM BLASPHEMIÆ AUXENTII.

Beatissimis et gloriosissimis imperatoribus Valentiniano et Valenti Augustis, Auxentius episcopus ecclesiæ (*c*) catholicæ Mediolanensium.

13. *Auxentius hæreticus appellatus.* — « Ego quidem, piissimi Imperatores, æstimo non oportere sexcentorum episcoporum unitatem post tantos labores ex contentione paucorum hominum refricari (*d*) ab objectis ante annos decem, sicut et scripta manifestant. Sed si aliqui ex plebe, qui numquam communicaverant, nec his qui ante me fuerunt episcopis, nunc amplius excitati ab Hilario et Eusebio, perturbantes quosdam, hæreticum me vocaverunt : jussit vero pietas vestra cognoscere de his viros laudabiles, Quæstorem et Magistrum : et sicut prædixi, non eos personam habere accusatorum aut judicare qui semel depositi sunt (dico autem Hilarium et qui ei consentiunt) : tamen obediens Serenitati vestræ, **601** processi manifestare falsa (*e*) dicentibus, et blasphemantibus, et vocantibus me Arianum, et quasi non confitentem Christum filium Dei Deum esse.

14. *Fidem suam exponit.* — « Exposui (*f*) amicis pietatis vestræ meam confessionem, primum satisfaciens, quia numquam (*g*) scivi Arium, non vidi oculis, non cognovi ejus doctrinam : sed ex infantia, quemadmodum doctus sum, sicut accepi de sanctis Scripturis, credidi, et credo in unum solum verum Deum patrem omnipotentem, invisibilem, impassibilem, immortalem : et in filium ejus unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, ante omnia sæcula et ante omne principium natum ex Patre DEUM (*h*) VERUM FILIUM ex vero Deo patre, secundum quod A scriptum est in Evangelio : *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum* (*Joan.* XVII, 3). Per ipsum enim omnia facta sunt, visibilia et invisibilia. Qui descendit de cœlis voluntate Patris propter nostram salutem, natus de Spiritu sancto et Maria Virgine secundum carnem, sicut scriptum est, et crucifixum sub Pontio Pilato, sepultum, tertia die resurrexisse, adscendisse in cœlis, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum paracletum, quem misit Dominus et Deus noster salvator Jesus **602** Christus discipulis, Spiritum veritatis. Sic credidi, et credo, sicuti et adscendens in cœlos unicus filius Dei tradidit discipulis, dicens : *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in* B *nomine Patris et Filii et Spiritus sancti* (*Matth.* XXVIII, 19) (*i*).

15. *Ariminensi fidei adhæret.* — « Duos autem deos numquam prædicavi : nec enim sunt duo patres, ut duo dii dicantur, nec duo filii; sed unus filius ex uno patre, solus a solo, Deus ex Deo, sicut scriptum est : *Unus Pater Deus ex quo omnia, et unus Dominus Jesus Christus per quem omnia* (I *Cor.* VIII, 6) : propter quod et unam deitatem prædicamus. Omnes ergo hæreses, quæ adversus catholicam fidem veniunt, semper quidem congregati episcopi catholici condemnaverunt et anathematizaverunt, specialiter autem convenientes Arimino, et inde condemnavimus. Catholicam autem et Evangeliorum, quam tradiderunt Apostoli, hanc fideliter custodivimus. Ut autem C pietas vestra verius cognosceret ea, quæ gesta sunt in concilio Ariminensi, transmisi, et peto ut ea libenter legi præcipiatis : sic enim cognoscet Serenitas vestra, quia qui jam dudum (*j*) depositi sunt, hoc est, Hilarius et Eusebius, contendunt ubique schismata facere. Quæ enim bene de sanctis Scripturis catholicæ fidei exposita sunt, pietas vestra pervidet hæc retractari non oportere. »

(*a*) In ms. Carn. adjicitur clausula *Amen*.

(*b*) Ita mss., nec aliter solet Hilarius hæretica Opuscula inscribere. At editi, *Auxentii Mediolanensis epistola*.

(*c*) Abest *catholicæ* a ms. Mich.

(*d*) Editi, *refricari abjectis decretis*. Ne in uno quidem ms. exstat vocabulum *decretis* : quod a primis editoribus haud dubie adjectum est, ut oratio suis numeris absolveretur. Sed præpositio *ab*, ante *abjectis*, propter consequentem ejusdem soni syllabam facilius excidere potuit, quam *decretis*, eaque restituta tam efficitur sensus veritati consentaneus, quam efficiebatur falsus adjectione verbi *decretis*. Hilarii enim atque Eusebii exsilia hic indicari jam prænonuimus, et ex calce hujus blasphemiæ manifestum est, ubi idipsum apertius declaratur.

(*e*) Sic mss. Editi vero, *falsa docentibus*.

(*f*) Hunc versum, *exposui amicis pietatis vestræ meam confessionem*, non habent mss.

(*g*) Ita fere Palladius in gestis concilii Aquileiensis n. 14, apud Ambrosium t. II, p. 790, novæ editionis, rogantibus ut Arii doctrinam damnet, respondet : *Arium nec vidi, nec scio qui sit*.

(*h*) Ex vetustissimo Vaticanæ basilicæ codice nunc primum restituuntur verba, *verum filium*, quorum in ambiguo Auxentius ludebat et illudebat tanto facilius, quod interpunctionum distinctio tum nesciebatur. Quamquam si verus est Deus qui verus est Dei filius, uti demonstrat Hilarius lib. VII de Trin. n. 14, parvi interesse videbatur, utrum *verum* ad Deum, an ad filium referret. Ea tamen arte ac dicendi ratione non ille solus, sed alii etiam usi sunt Ariani, de quibus Augustinus lib. I con ra Maximin. c. 6 : *Ejusdem naturæ, cujus est Pater, negatis esse Deum filium, quamvis verum esse filium non negetis*. Verum hoc loco sic restaurato, omnis jam tollitur eruditis de hujus epistolæ veritate dubitandi ratio.

(*i*) Subtexitur *Amen* in ms. Mich.

(*j*) Editi, *quia jam dudum damnati, depositi, hoc est*, etc.; castigantur ex mss.

603-604 IN FRAGMENTA S. HILARII PRÆFATIO.

I. *An hoc opus Hilarii sit. Quædam dubitandi rationes.* — Præclarum hoc antiquitatis monimentum Nicolai Fabri opera ex bibliotheca P. Pithœi anno 1598 Fragmentorum nomine editum, summo omnium plausu exceptum fuit. Nulli palam, quod sciamus, totum respuerunt quasi Hilario male adscriptum: de illius tamen auctoritate subdubitare non nulli videntur atque contra mussitare. Ipsi etiam initio nonnihil movebamur primo, quod epistola synodi Sardicensis ad universas ecclesias Fragmento II contenta, et Ariminensis concilii ad Constantium litteræ, quæ primam Fragmenti VIII partem conficiunt, cum latine scriptæ sint, longe tamen castigatiores, pleniores ac mutuo sententiarum nexu elegantiores in græcis exemplaribus, quam in his Fragmentis reperiantur: deinde quod alia sit libro de synodis num. 34, alia Fragmento III, n. 29, pseudo-Sardicensis fidei translatio. Tertio cum eo tempore, quo sibi restitutus Liberius Ecclesiæ fidem egregie tueretur, hoc opus scriptum fuisse necesse sit; incredibile videbatur, ut ei jam correcto, imo etiam acerrimo fidei patrono, tot anathemata Frag. VI, num. 6, diceret Hilarius, qui Orientalibus necdum recte sentientibus, quia tamen ad veritatem propius accederent, libro de Synodis ita pepercit, ut nec laudes negarit. Deterrebat præterea monstruosa quædam rerum facies, et inordinata confusaque variarum epistolarum congeries, Hilario alias tanto cum ordine singula enarrante indigna. Angebamur denique, quod omnia hæc Fragmenta non eo in mss. modo, quo illa Nicolaus Faber edidit, sub uno titulo atque Hilarii nomine occurrant; sed in duas veluti partes dividantur, quarum prima, quæ Fragmentis XI, XIII, III, VIII, IX, V et VII, constat, nec Hilarii nec cujusvis alterius nomine inscribatur; quamvis illi cum in fronte tum ad calcem adscribatur altera, quæ Fragmenta I, II, IV, XII, XIV, XV, VI et X, comprehendit. Ex quo auctoritas primæ saltem partis, quæ in prius vulgatis postrema est, sublesta videbatur ac levis.

II. *Hilario asseritur mss. auctoritate.* — His omnibus permoti, ad rei veritatem diligentius investigandam animum adjecimus. Ac primo quidem minime contemnendam esse duximus mss. auctoritatem, hoc opus non semel, sed iterum ac tertio S. Hilario adscribentium, nimirum initio primi Fragmenti, *Incipit liber S. Hilarii Pictavensis provinciæ Aquitaniæ*, etc., rursumque in medio Fragmento VI, *Sanctus Hilarius anathema illi dicit*, ac demum in fine Fragmenti X, *Explicit liber S. Hilarii ex Opere historico*. Namque si quis Pithœo codici chartaceo, quod recentior sit et ab annis dumtaxat 300 descriptus, non satis tuto credi putet; fidem non negabit habendam S. Remigii Remensis exemplari, quod Sirmondus, cujus in potestate fuit, notis in Concilium Ariminense *pervetus* vocat; in quo idem rerum ordo, et eædem erant inscriptiones. Hoc quidem exemplar frustra quæsivimus: sed Stephanus Baluzius litteris juvandis natus, varias Sirmondi lectiones suppeditando, jacturam nostram utcumque resarcivit. His accedit, quod cum Baronius ad an. 357, ex Crescioniana Collectione ac duobus mss., Liberii litteras Fragmento VI insertas describat, in novissima editione fatetur se in suis mss. easdem quas in his Fragmentis reperisse interpolationes Hilario pariter adscriptas.

III. *Hieronymi testimonio.* — Mss. suffragatur Hieronymus. Qui enim ab illo de Scriptor. eccles. inter **605-606** opera Hilarii recensetur, *Liber adversus Valentem et Ursacium, historiam Ariminensis et Seleuciensis synodi continens*, haud obscure promittitur titulo in fronte Fragm. I prænotato: *Incipit liber S. Hilarii Pictavensis provinciæ Aquitaniæ, in quo sunt omnia, quæ ostendunt vel quomodo, quibusnam causis, quibus instantibus sub imp. Constantio factum est Ariminense concilium*, etc. Expressius tantum dixit Hieronymus *adversus Ursacium et Valentem*, quod hic generalius enuntiatum est *quomodo, quibusnam causis, quibus instantibus*. Nam quod hæc Fragmenta sint operis adversus Valentem et Ursacium scripti, cum ex aliis, tum maxime ex secundo, decimo, ac duobus postremis est manifestum. Titulus quidem noster de Seleuciensi concilio nihil spondet, cujus tamen historiam, secundum Hieronymum, Hilarii liber debet continere. At Hieronymus, qui, ut ad libros de Trinitate ac de Synodis observatum est, operibus aliorum inspectis titulos de suo imponere solebat, ad Seleuciense concilium referre potuit monimenta, quæ Fragmento X habentur, et indicantur secutura. Namque quæ in eo narrantur inter Seleuciensis et Ariminensis concilii legatos Constantinopoli gesta, et ad Seleuciense et ad Ariminense indifferenter pertinent: ad Seleuciense quidem, cujus continuatio esse Constantinopolitana synodus videbatur; ad Ariminense vero, in cujus sententiam quodam modo abiit Seleuciensis synodus, dum ipsius legati fidem in illo concilio editam suscipere Constantinopoli coacti sunt.

IV. *Hilarium præ se fert* I *fragmentum. Fragmenta alia cum primo affinia sunt.* — Tituli autem veritatem non mediocriter confirmat fragmentum I: Episcopum quippe præ se fert Gallicanum, qui a rebus in Gallia gestis (*num.* 6.) exordium facturus sit; qui exsilium maluerit subire, quam prodita Ecclesiæ fide *domestico otio frui* (*num.* 4); qui ut veram imperatori fidem persuaderet, impensiore cura audientiam poposcerit (*num.* 5), nec potuerit impetrare; qui fidei depravationem, et corruptionem Evangeliorum jam raptim ingesserit, qui denique quo animo velit legi (*num.* 7), lectorem præmoneat. Ita se Hilarius in ipso exordio

propriis coloribus pinxit, ut quibus alias ignotus non est, nullatenus valeat latere. Cum autem primo illo fragmento indicetur subsecuturum opus, quod variis constet tum epistolis tum synodis, et Ariminensis concilii historiam ex Arelatensis aliorumque superiorum conciliorum gestis altius repetat; hujus fragmenti auctore agnito, maxima auctoritas accedit et cæteris.

V. *Partis utriusque consensio.*—Nulla certe videtur ratio, cur non prima hujusce collectionis pars æque ac secunda Hilario adscribenda sit. Utraque enim variis epistolis ac synodis constat. Utraque, ut observavit Nic. Faber, aliquot locis verba auctoris ipsis actis habet immixta, quæ sanctissimi confessoris phrasim exhibeant. Utriusque monimentis pariter demonstratur Ursacii ac Valentis nequitia simul et inconstantia. In utraque demum continetur nihil, quod non redoleat antiquitatem, quod historiæ temporum non consentiat, aut quod non aliqua ratione spectet ad Ariminensis concilii historiam. Imo si a prima disjungatur altera, non est unde hæc ad prædictæ synodi historiam pertinere judicetur; cum sola pars prima illius gesta exhibeat: quæ in hoc quoque cum altera convenit, quod perinde atque illa, et quæ Ariminensem synodum præcesserint, et quæ subsecuta sint, complectatur.

VI. *Ex corruptione orta est illa in duas partes divisio.* — Sed neque quisquam inficias ierit, totam illam collectionem in mss. Pithœano ac Remigiano duas in partes male distingui, pejus vero postponi priorem posteriori; cum primæ partis initium manifeste continuatio sit posterioris. Synodi enim Parisiensis epistola, a qua in mss. primæ partis initium ducitur, rescriptum est litteris Orientalium quæ in iisdem mss. partem postremam claudunt. Ex quo fit, ut titulus non in unam tantum partem, sed in omnem collectionem cadat. Quocirca Nicolaus Faber partium illarum ordinem invertere, et primæ postremam præponere non dubitavit.

VII. *Scrupuli alii levantur.* — Hac difficultate expedita, quæ gravior videbatur, facile jam excutiuntur scrupuli, qui nobis initio negotium facessebant. Namque virum in Phrygiam relegatum non in genuina et integra epistolarum latinarum exemplaria, sed in mendosa incidisse quis stupeat? Quis vero neget, ex locorum mutatione accidere potuisse, ut alia esset in his fragmentis, alia in libro de Synodis pseudo-Sardicensis fidei translatio? Certe mirandum non est, eum in diverso opere, tempore ac loco non uni versioni stetisse, qui prædictum pseudo-Sardicense symbolum ac Sirmiense contra Photinum, quamvis utrumque græce iisdem verbis enuntiatum sit, in uno eodem de Synodis libro non una ratione verterit. Jam vero ad anathemata Liberio dicta, ab aliis responsum est ea forte ab aliena manu ad marginem adscripta, exinde in textum irrepsisse; ab aliis autem ea tum ab Hilario prolata esse, cum ejusdem pontificis plenam ignaviæ epistolam primum accepit. Putant enim hic exhiberi Hilarii adversaria sine ordine descripta, quæ ipse primum ad opus absolutius conficiendum sibi comparasset. Tunc vero in mentem ei venire potuit illud Apostoli Gal. 1, 8: *Licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præter quam quod evangelizamus vobis, anathema sit:* Ut in Liberium Christi causæ desertorem id sibi licitum existimaret quod Apostolus in se et in Angelum Dei non permisit tantum, sed et præcepit. Neque quidquam proclivius est vehementer amantibus, quam ut aliqua in eum, quem ab amico turpiter deficere audiunt, indignationis nota compensare conentur, quod illi de amatorum numero decedit. Sed si dissuta operis numquam absoluti adversaria ad nos pervenisse concesseris; erit pariter concedendum, monimenta illa, quæ identidem indicantur secutura, nec tamen sequuntur, iis locis ab Hilario tantum destinata esse, ubi ea præ manibus haberet. Quibus autem placebit, hæc absoluti operis fragmenta esse, nihilominus ex iis quæ desunt constabit, ea aliter quam modo habentur ab Hilario esse ordinata. Utram vero prætuleris opinionem, horum fragmentorum confusio nihil eorum officiet veritati.

VIII. *Unde orta libri hujus confusio.* — Rufini testimonio et antiqua censenda est libri hujus corruptio, et hæreticis adscribenda: si tamen ad hoc opus referendum est, quod ille Tract. de adulteratione librorum Origenis ait (*apud Hieron. tom.* IX): Hilarium *ad emendationem eorum, qui Ariminensi perfidiæ subscripserant, librum instructionis plenissimæ conscripsisse,* qui subinde ab hæreticis ita fœdatus sit, ut ne eum quidem Hilarius ipse agnosceret. Sed cum his verbis multa Rufinus immisceat aperte falsa et quæ fabulam omnino sapiant; vix quidquam ex iis conficias: nisi forte dixeris, libri hujus depravationem iis fingendis occasionem præbuisse. Et vero Arianorum nequitia dignum erat, ut libri hujus integritatem nobis inviderent. Casu etiam evenire potuit illius confusio.

IX. *Qui nunc novo ordine reparata.* — Verum jam non tanti refert scire unde orta sit, quanti interest ut quomodocumque reparetur. Vix enim ea serie, qua in mss. exstat, sine fastidio legi possit, et sine quodam a vero aberrandi discrimine. At quis ordo tenendus? Jam desiderarunt nonnulli, varia monimenta in eo contenta secundum temporum ordinem distribui. Huic tamen se non semper adhæsisse significat Hilarius (*Fragm.* 1, *n.* 6), cum se a gestis Arelatensibus, quamvis aliud postulet rerum ordo, initium facturum esse præmonet. Quamquam cum ibi rationem reddit cur alium ordinem sequatur, in cæteris ordinandis tempora se non neglexisse haud obscure indicat. Unde et statim subnectit: *Hoc etiam non inutiliter admonebo, ut ad omne hoc volumen diligens intentio adhibeatur. Omnia enim sunt et separanda temporibus, et distinguenda judiciis,* etc. Hanc igitur dispositionem censuimus optimam fore, quæ omnia sic temperaret, ut et temporum servaretur ordo, nec rerum ab Hilario ordinatarum ratio immutaretur. Eam ob rem observavimus quoties in toto hoc opere desideraretur aliquid, quod auctor se subnexuisse significaret; aut certe sequeretur, quod cum præce-

607-608

dentibus non cohæreret : tum illud in tot fragmenta partiti, quot in locis nacti sumus dissutum aut aliqua sui parte mutilatus, fragmenta singula secundum ordinem temporum collocavimus.

609-610 X. *Novi hujus ordinis utilitas.*— Novo illo ordine primum tituli a Nicolao Fabro inditi veritas comprobatur; eorum deinde consulitur commoditati, qui opus illud vel indicare cupient, vel indicatum recognoscere ; ac demum lectori præstatur, unde illud jucundius jam legat atque utilius. Si enim ingrata est et ad errorem ducit rerum gestarum confusa narratio ; jucunda esse debet et ad veritatem reducere distincta et ordinata. Experti sumus ipsi, quam sibi mutuo singula Fragmenta suo loco posita lucem afferant. Certe quid in hoc libro desit, si non exhibent, plerumque saltem ostendunt. Interdum etiam dum continuatam rerum seriem ex ordine explicant, sensum demonstrant sub mendosis verbis latentem. Clarius denique animo intuendum proponunt totum in hoc opere auctoris consilium.

XI. *Libri hujus summa et scopus.* — Statim ex fragmento I apparet, Hilarium ab Arelatensi synodo, cujus acta desiderantur, hunc librum inchoasse. Ex quo non absurde cogitare est, ea ad prædictam Arelatensem synodum illustrandam pertinere, quæ de Sardicensi ac solemni Valentis et Ursacii retractatione fragmento II subjiciuntur. Ex iis enim actis aperte demonstratur iniquitas sententiæ qua Athanasius, Arelate ac postea Mediolani, Valente, Ursacio et Saturnino auctoribus condemnatus est. Unde in eodem fragmento n. 18, eorum, qui Sardicæ Athanasii absolutionem procurarunt, comparationem faciens Hilarius cum iis qui Arelate in ejusdem conspirarunt damnationem, ait : *Ignorasse vos negabitis Athanasio, cujus damnationem a vobis Valens, Ursacius, Saturninus exigunt, ab Osio, Maximino, Julio redditam communionem?* Hinc quæ sive Luciferi, Eusebii, aliorumque confessorum exsilia, sive Vincentii ac Fortunatiani lapsum spectant, et inter hæc inserta Liberii primum fortiter dicta gestaque, ac tandem turpis cum Arianis consensus, haberi merito possunt velut Arelatensis synodi consecutiones, aut certe inchoationes Ariminensis. Cujus acta post hæc suo ordine veniunt, et quæ cum ad illud rescindendum variis in locis a catholicis statuta, tum ad ipsum propugnandum ab Ursacio et Valente tentata. Ex quo apparet, Hilarium hoc uno libro, quidquid in Occidente hæresis Ariana gesserit, comprehendere voluisse.

XII. *Plura continet acta, sed quæ ad unius Ariminensis synodi historiam referuntur.* Namque cum in his partibus fidei defensores Arelatensi synodo expellere cœpisset, eos non fidei sed unius Athanasii gratia in exsilium ejectos esse vulgo persuasit ; adeo ut hic error prope omnium occuparit mentes, tot sacerdotes idcirco, quod in illum sententiam non ferrent, exsulare, eamque non satis dignam esse suscepti exsilii causam. Errorem illum sanare curat Hilarius (*Frag.* I, *n.* 4), cum mendacis hæresis progressus explicando, eam non unius hominis, sed totius fidei expulsionem suscepisse ex ipso exitu demonstrat. Quo circa quidquid ex variis conciliis exponit, ad unum Ariminense tamquam ad finem refert, in quo aperte patefecit hæresis, quid superioribus moliretur. Hinc si res spectes hoc libro contentas, plurium synodorum ; si scopum, unius Ariminensis historiam complecti dicendus est. Cum autem hujus concilii maxime Ursacio et Valente instantibus tam infelix exitus fuerit ; non male inscribatur contra duos illos Arianæ sectæ duces, quorum perfidia non ex iis solum quæ Ariminensi in synodo ac post moliti sunt, sed et ex pristinis eorum actis comprobatur. Ex quibus rursum cum Hieronymo conciliatur libri hujus in nostris mss. consignata inscriptio.

XIII. *Quando scriptus sit hic liber.*—Itaque Hilarius Ecclesiæ saluti numquam non prospiciens, sicut libros de Trinitate edidit, ne exsulantibus veræ fidei prædicatoribus sana doctrina coexsularet (*Lib.* X *de Trinit.*, *n.* 4) ; ita et suscepit hoc opus, ne absentibus plerisque Pastoribus noceret perversa : et ut unusquisque *Judicio deinceps proprio consistens* falsitatem illius per se discerneret, *et opinionem non sequeretur alienam* (*Frag.* I, *n.* 7). Quod eo tempore convenientissimum erat, quod ad Ariminensem ecthesim excipiendam Constantii imperatoris edicto cogebantur omnes, et quo Hilarius, illæso imperatoris nomine, eam omnibus damnandam demonstrare conabatur, donec liceret eamdem publice in **611-612** conciliis damnare et abrogare. Sed et hunc librum Constantio adhuc vivo, et ab Oriente nondum reverso Hilario inchoatum esse, ex Fragmento I longe certius conficitur. Ad quod enim aliud, nisi ad Constantii tempus, commode retuleris isthæc num. 4 : *In Romani imperii negotiis quies carpitur, rex angitur, palatium fervet, episcopi circumcursant,* etc. Quid porro sibi vult, quod paulo ante præmittit, *Opus tento grave... locorum in quibus gesta res est, nosque agimus, desperatione peregrinum?* Quis ille locus, in quo Ursacius ac Valens ut fidei perfidia Ariminensis præpolleret effecerint, nisi urbs regia et imperatoris comitatus? Quæ item loca desperata, nisi Oriens, cujus decem Asianas provincias, paucis cum Eleusio exceptis, vere Deum nescire jam lib. de Synod. num. 63, audivimus? Propterea *peregrinum* est opus, quia cum Hilarius Constantinopoli, in qua versatur, atque circumjacentibus regionibus proficere se posse desperet, ad Occidentem illud destinat unde abest. Eam enim verbi *peregrinum* vim esse liquet ex his lib. de Synod. num. 63 : *Non peregrina loquor, neque ignorata scribo ; audivi ac vidi vitia præsentium* : cum ibi *peregrina* manifeste opponantur præsentibus. Hoc igitur adorsus anno 360, cum adhuc Constantinopoli versaretur, ac priusquam contra Constantium scriberet, postea in dies adauxit, uti fidem faciunt fragmenta II, XII, etc.

XIV. Quod in singula docte et copiose præfatus est Nicolaus Faber, non supprimendum duximus, ne

periret laudata a multis lucubratio; sed ne Hilariana scripta longiore a se intervallo separaret, tantum in Appendice reponendum. Ita etiam ne cuiquam pereat antiquus ordo, quo singula hujus operis monimenta ab eodem vulgata sunt, hujus indicem subteximus, quem cum novo conferre uno intuitu quisque valeat.

613-614 FRAGMENTORUM VETUS ORDO

CUM NOVO COMPARATUS.

ORDO VETUS.	NOVUS.
LIBER SANCTI HILARII.	
Pictavensis provinciæ Aquitaniæ, etc.	
Sancto Spiritu, etc.	
Epistola synodi Sardicensis ad universas Ecclesias.	
Epistola facta ad Julium urbis Romæ episcopum, Julio episcopo a synodo directa.	
Epistola, quam post renuntiationem Orientalium, Athanasium reum non esse, in urbe Roma holographa manu Valens perscripsit, et Ursacius subscripsit.	
Item exemplum alterius epistolæ Valentis et Ursacii, quam post aliquantum temporis ab Aquileia, postea quam hanc superiorem Romæ miserant, ad Athanasium miserunt episcopum.	
Fides apud Nicæam conscripta a 318 episcopis contra omnes hæreses.	
Epistola Liberii episcopi urbis Romæ ad Orientales episcopos.	FRAGM. IV.
Item epistola Liberii episcopi urbis Romæ ad catholicos Italiæ episcopos.	FRAGM. XII
Epistola episcoporum Italiæ ad episcopos Illyricos.	
Epistola Valentis et Ursacii et aliorum ad Germinium.	FRAGM. XIV.
Rescriptum Germinii ad Rufianum, Palladium et cæteros.	FRAGM. XV.
615-616 Epistola Liberii rescripta ad Eusebium, Dionysium et Luciferum Confessores, ante quam ad exsilium iret.	FRAGM. VI.
Item ejusdem ad Cæcilium episcopum Spoletinum.	
Quomodo Liberius hæc omnia quæ gesserat vel promiserat, missus in exsilium universa in irritum deduxit.	
Item ejusdem de exsilio, Ursacio, Valenti et Germinio.	FRAGM. I.
Item epistola Liberii de exsilio ad Vincentium.	FRAGM. II. B
Epistola Orientalium episcoporum, quam reversis ab Arimino legatis dederunt.	FRAGM. X.
Hactenus Fragmenta quæ in prius vulgatis primum locum, et in mss. posteriorem obtinent : deinceps sequuntur, quæ superioribus subnexa sunt in prius vulgatis, quamvis ea præcedant in mss.	
Fides catholica exposita apud Phariseam civitatem ab episcopis Gallicanis ad Orientales episcopos.	FRAGM. XI.
Epistola Eusebii ad Gregorium Spanensem.	
Epistola Germinii episcopi adversus Arianos.	FRAGM. XII.
Decretum Orientalium episcoporum, quod miserunt ad Africam.	FRAGM. III.
Epistola Ariminensis Concilii ad Constantium imperatorem, ubi prævaricati sunt a fide vera.	FRAGM. VIII.
Gesta ubi prævaricati sunt legati episcopi a fide vera.	
Epistola missa ad Constantium Imperatorem a perfidis episcopis.	FRAGM. IX.
Epistola ad Constantium imperatorem a Liberio episcopo urbis Romæ, missa per Luciferum episcopum.	FRAGM. V.
Epistola Constantii imperatoris ad episcopos Italiæ, qui Ariminensi synodo convenerant.	FRAGM. VII.
Definitio habita ab omnibus catholicis episcopis, priusquam per terrenam potestatem territi hæreticorum consortio sociarentur in Concilio Ariminensi.	

617-618

FRAGMENTA

EX LIBRO SANCTI HILARII

PICTAVENSIS PROVINCIÆ AQUITANIÆ,

IN QUO SUNT OMNIA, QUÆ OSTENDUNT VEL QUOMODO, QUIBUSNAM CAUSIS, QUIBUS INSTANTIBUS SUB IMPERATORE CONSTANTIO FACTUM EST ARIMINENSE CONCILIUM CONTRA FORMELLAM NICÆNI TRACTATUS, QUA UNIVERSÆ HÆRESES (*a*) COMPREHENSÆ ERANT.

FRAGMENTUM I (*Alias* I *partis*).

1. *Fidei, spei et charitatis præstantia.* — Sancto Spiritu plenus Paulus apostolus ad Corinthios ita loquitur : *Manet autem fides, spes, charitas* (I *Cor.* XIII, 15). Magnum consummandæ veritatis sacramentum ita triplici (*b*) humani sensus affectione complectitur : reliquarum autem rerum sive officia sive dona, in quibus nunc pro parte versamur, abolenda significat (*Ibid.* 8 *et seqq.*), cum adventu Domini nostri Jesu Christi cœlestis concilii perfectio inveniatur. Corruptione enim nostra in æternitatis gloriam transformata, hoc, quod nunc aliquid esse creditur, non erit; quando tribui cœperit, quod cum est, semper æternum est. Verum fidei, spei, charitatis hoc meritum est, ut mortis debito corporibus dissolutis, semper maneant, nec umquam desinant; et cum omnia in homine pro parte sint, hæc tamen sola perfecta sint. Nam sive prophetiæ abolebuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur, tria illa superiora perfectionem immutabilem consequuntur : et nihil aut extrinsecus mutabuntur, aut ultra quam (*c*) obtinent, uberius acquirent. Cum enim prophetias et linguas et scientiam veritas absoluta depellit; fidem, spem, charitatem capessendæ æternitatis traduces et patronos sicuti ipsa erunt æternitas apprehendet. Et singularum quidem rerum idem beatus Apostolus merita (*supple*, ratione *aut quid simile*) exigui honoris sui distinxit : ut intelligi promptum esset, cæteris (*d*) profectu augmenti cœlestis abolendis, non exiguo honoris sui fructu, tria hæc sola esse quæ maneant quidem.

2. *Fidei meritum. Spei natura. Charitatis affectus.* — Igitur Deus justitiæ prævius (*e*) numeratur, creditus ab ignorante quod Deus sit. Atque ob id Abraham fides prima justificat (*Hebr.* II, 6 *et Rom.* IV, 9), et Chananææ filiam silentio (*f*) Dominum tentantis matris fides salvat (*Matth.* XV, 28), et credentibus in nomine ejus potestas (*g*) in Joanne tribuitur, ut ex Deo nati sint (*Joan.* I, 12). Magnum est fidei meritum, et perfecta credentibus Deo beatitudo, per quam genitis in corpore, in iniquitate, in ægritudine, et justitia et sanitas et ortus ex Deo est. Spes vero amœnitatem vitæ mundialis et bona sæculi, quiescentis (*f.* quiescens) in his quæ a Deo disposita confidit, exsuperat, præsentium damno futurorum lucra meritura : quam Dominus tali præmio muneratur, *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores, aut matrem, aut filios, aut agrum propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* (*Matth.* XIX, 29). Egregia virtutum Dei testis, fiducia exspectationis suæ, præsentia quæque ut nulla et incerta despiciens, futura vero ut æterna et præsentia apprehendens! Sed quam-quam **619** mansuræ fidei, spei, charitatis (*f.* charitati) parem gloriam idem Apostolus tribuat, et æqualiter inviolabiles eas esse significet; charitatem tamen præstare cæteris superioribus indicat. Per hanc enim quodam vinculo Deo suscepti amoris annectimur : fitque individua ab eo voluntas nostra semel nomini ejus charitate pietatis infusa, a qua non gladius, non fames, non nuditas separabit (*Rom.* VIII, 35); per quam ira, æmulatio, ambitio, iniquitas, luxus, credit *quod non videt, nec spe desiderat quod non tenet; sed in æternum veritatis speciem contemplatur.*

(*a*) Præferendum esse, *compressæ erant*, perspicuum est ex his Fragm. II, n. 27 : *Itaque comprimendi mali istius causa, trecenti vel eo amplius episcopi apud Nicæam congregantur.* Et paulo post fides apud Nicæam conscripta *contra omnes hæreses* inscribitur. Titulum hunc e mss. totum expressimus, nisi quod initio, ubi in illis habetur *Incipit liber*, substituimus *Fragmenta ex libro.*

(*b*) Exemplar ms., *triplici humani sensus affectionem* : ex quo confecit Faber, *triplicem affectionem.* Malumus retinere lectionem ms. sublata postrema littera *m*, quæ in eodem ms. sæpissime abundat.

(*c*) In archetypo, *obtinuit.* Fides, spes, charitas feruntur in Deum ut in finem : quem cum consequuntur, perfectionem habent; et eam quidem immutabilis est Dei fruitio. Ea ratione fides ac spes *extrinsecus* non mutantur. Alio sensu dixit Augustinus epist. CXL, num. 63 : *In futuro autem sæculo perfecta et plena charitas sine ulla malorum tolerantia, non fide*

(*d*) Faber ex mss. Pithœano et Colb., *prophetia.* Verius Sirmondus ex Remig., *profectu.* Mox, pro *maneant quidem*, forte legendum *maneant eadem.*

(*e*) Edidit Faber ex fide archetypi sui, *primus numeratur;* ipse putans præferendum *præmiis muneratur*, non spernenda conjectura. Revocamus ex Sirmondo *prævius* : quam vocem commodius exciperet *memoratur*, quam *numeratur.* Hic notatur, fidem Dei justitiæ præire debere, cum sine fide nemo justificetur.

(*f*) Duarum mulierum fidelium facta hic in unum confunduntur : quarum una Matth. IX, 20, cum silentio Dominum tetigit ut a sanguinis fluxu sanaretur; altera Matth. XV, 28, cum multo clamore sanitatem filiæ deprecata est.

(*g*) Id est, in Joannis Evangelio. Simili loquendi ratione lib. X de Trinit. num. 42, dicitur, *per precem in Joanne.*

piditas comprimuntur. Atque idcirco cum maneat fides, spes, charitas, major horum est charitas (I *Cor.* XIII, 13) : per quam admixtos insecabili in Dei nomine affectu, nulla vis sæcularium motuum aut dissolvit, aut dividit.

3. *Charitas Hilarium urget, ne sileat hæreticorum pravitatem.* — Et huic tantæ, tam gravi apostolicæ auctoritati ego quoque inter cæteros, si quid mihi post eos loci est, testimonium reddo per hanc charitatem repositam nobis ante tempora sæcularia in cœli spem assumptis, et nomini Dei ac Domini Jesu Christi adhæreo, iniquorum societatem et infidelium consortium respuens : cum quo florere nobis, (*a*) sæculi otio domestico frui, commodis omnibus redundare, familiaritate regia gloriari, et esse falso episcopi nomine, singulis universisque et publice et privatim in Ecclesiæ dominatu gravem effici, par, ut cæteris, potestas dabatur; si modo veritatem evangelicam falsitate corrumperem, conscientiæ reatum blandimento ignorantiæ consolarer, judicii corruptelam excusatione alieni arbitrii defenderem, hæreseos piaculo non fide mea, quæ utique esset obnoxia, sed simplicitate ignorantium non tenerer, probitatem sub difficultate publicæ intelligentiæ mentirer. Hæc enim simplicitatem (*forte*, in simplicitate) cordis per fidem et spem Christi charitas manens non tulit. Et cum ab Apostolo accepissem, *Non enim accepimus spiritum formidinis* (II *Tim.* I, 7), et cum Domino dicente didicissemus, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, et ego confitebor eum coram Patre meo qui est in cœlis* (*Matth.* X, 32); et per eumdem dictum esset, *Beati qui persecutionem, patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum : beati estis cum vos maledicent, et persequentur, et dicent omne malum adversum vos propter justitiam;* **620** *gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlo* (*Matth.* V, 10 *et seqq.*) : non potui (*b*) præferre ambitiosam in reatus silentio conscientiam injuriosæ pro Dei confessione tolerantiæ.

4. *Quale Opus aggrediatur.* — Proferre igitur in conscientiam publicam opus tento grave et multiplex, diabolica fraude perplexum, hæreticorum parte subtile, dissimulatione multorum ac metu præjudicatum, locorum, in quibus gesta res est nosque agimus, desperatione peregrinum, tempore (*c*) antiquum, silentio novum, pridem simulata rerum pace præteritum, proxime impia fallacissimorum hominum calliditate renovatum; hocque quo etiam in Romani imperii negotiis quies carpitur, rex angitur, palatium fervet, episcopi circumcursant, officiales magistri volitant, adversus apostolicos viros officiorum omnium festinatione turbatur. Ita ubique agitur, trepidatur, instatur; ut plane iniquitatem hujus assertionis, obtinendi labor et cura prodiderit. Enimvero versari in sermone hominum jam diu memini, quosdam sacerdotum Dei idcirco exsulare, quod in Athanasium sententiam non ferunt : et hic error prope omnium mentes occupavit, ut sub nomine ejus non satis unicuique eorum dignam causam suscepti exsilii arbitrentur.

5. *Quæ in eo prætermittat.* — Prætermitto autem, licet potissima regi sit referenda (*f.* deserenda) reverentia (quia enim (omne enim) a Deo regnum est), non tamen æquanimiter judicium ejus episcopalibus arbitriis admitti : quia Cæsaris Cæsari, Deo autem reddenda quæ Dei sunt (*Lucæ* XX, 25). Taceo imperatoris sublata causæ cognitione judicium. Non queror extorqueri de absente (*d*) sententiam; quamvis, Apostolo dicente, *Ubi fides est, ibi et libertas est* (II *Cor.* III, 17), pati istud simplicitas sacerdotalis non debeat. Sed hæc, non quia contemnenda sunt, verum quia his graviora sint subjecta, prætereo. Quamquam enim ex his quibusque (*f.* quæ quibusque) in terris gesta sint, cognosci potuerit longe aliud agi, quam existimabatur; tamen propensiore cura rem omnem hoc volumine placuit exponere. Raptim enim tunc (*e*) hæc per nos ingerebantur, corruptio Evangeliorum, depravatio fidei, **621** et simulata Christi no-

(*a*) Vox *sæculi* aptiorem locum sic obtineret : *otio domestico frui, sæculi commodis omnibus redundare.* Aut potius legendum, *florere bonis sæculi;* si quidem *mihi*, non *nobis*, sequentia requirunt.

(*b*) In mss. *preferre ambitiosa* : ex quibus confecerat Faber, *perferre ambitioso in reatu silentio.* Integriorem ac veriorem reddimus sententiam; maxime cum ex ms. Remig. legerit Sirm. *in reatus silentio*, quod est, in silentio reatui obnoxio, quem reatum ut defugeret Hilarius, ait se indigna pro Christi confessione pati maluisse, quam ex ambitiosa conscientia connivere.

(*c*) Ideo *tempore antiquum* : quia quod Ariani tandem Arimini, Seleuciæ et Constantinopoli ad exitum perduxerunt, id longe antea conciliis innumeris moliti erant. Quia vero hoc consilium suum, quod silentio antea tegere solliciti erant, nunc primum palam prodiderunt; idem *silentio novum* prædicatur. Jam quidem, uti lib. de Syn. n. 78 narratur, an. 357 *hæresis* Sirmio *prorumpens, id quod antea furtim mussitabat, non clam,* sed *publicæ auctoritatis professione victrix gloriabatur.* At Orientalium Ancyræ congregatorum opera statim repressa est, Valente, Ursacio ac sociis eorum coactis ut Ancyranis definitionibus subscriberent. Quæ subscriptio indicatur his subsequentibus verbis : *pridem simulata rerum pace præteritum*; nisi forte iisdem notetur celebris Ursac. et Valent. post Sardicense concilium retractatio.

(*d*) Hic obiter tangitur quam variis modis, in Athanasii causa, judiciorum forma temerata sit, maxime autem quod absens condemnatus sit. Ut enim cum Theodoreto lib. II Hist. Eccl. c. 16, testis est ipse Ammianus Marcellinus lib. XV, c. 7, Liberius a Constantio jussus ut in illum subscriberet, respondebat numquam auditum esse, de reo absente latam esse sententiam. Idem est Luciferi ac sociorum ejus responsum apud Athanasium ad Solit. pag. 862 : *Esto,* inquiunt Constantio, *ut accusator sis, absentia tamen rei facit ut judicari non possit.* Indicat præterea Hilarius extortam, eoque nomine nullam fuisse illam sententiam : quam rationem neque silet Liberius loco Theodoreti proxime memorato.

(*e*) Vel Biterris, unde in exsilium ejectus est; vel etiam Constantinopoli, post Seleuciensis synodi dissolutionem. Quamquam hæc, ubi sese obtulit occasio, præstare non destitit. Nam lib. I ad Constant. n. 3, queritur, quod Ariani *non cessant ore impio et sacrilego animo Evangeliorum sinceritatem corrumpere, et rectam apostolorum regulam depravare;* et post pauca, quod *simplices et innocentes sub prætextu no-*

minis blasphema confessio. Et necesse fuit in eo sermone omnia esse præpropera, incomposita, confusa : quia quanto nos impensiore cura audientiam quæreremus, tanto illi pertinaciore studio audientiæ contrairent.

6. *Unde ordiatur.* — Incipiam igitur ab his quæ proxime gesta sunt, id est, eo tempore quo primum in Arelatensi oppido (*an.* 353) frater et comminister meus Paulinus ecclesiæ Trevirorum episcopus eorum se perditioni simulationique non miscuit : et qualis fuit (*a*) illa sententia exponam, a qua referens voluntatem, indignus ecclesia ab episcopis, dignus exsilio a rege est judicatus. Atque hoc ita fieri non rerum ordo, sed ratio ex præsentibus petita demonstrat : ut ex his primum confessio potius fidei, quam pavor in homine intelligatur, (*b*) ex quibus in eum qui adsensus his non est, cepit injuriam.

7. *Quo pacto legendum sit.* — Atque hoc etiam non inutiliter admonebo, ut ad omne hoc volumen diligens intentio adhibeatur. Omnia enim sunt et separanda temporibus, et distinguenda judiciis, et secernenda personis, et verborum dijudicanda virtutibus : ne forte tot epistolis, tot synodis tunc frequenter injectis, pernicioso ante finem fastidio expleatur. Agitur autem in his, quæ cognitio Dei expetenda sit, quæ spes æternitatis, in quo perfecta veritas statu hæreat. Et cum tam gravis rei negotium tractetur, oportet et unumquemque his modo curam cognoscendis rebus impendere, ut judicio deinceps proprio consistens, opinionem non sequatur alienam. Explicit.

FRAGMENTUM II (*Alias* I *partis*).

INCIPIT EXEMPLUM EPISTOLÆ

Synodi Sardicensis (*c*) *ad universas Ecclesias.*

(Scriptæ an. 347.)

1. *Synodi causa.* — Multa quidem et frequenter ausi sunt Ariani hæretici adversus servos **622** Dei, qui fidem rectam et catholicam custodiunt. Adulterinam namque doctrinam inserentes, orthodoxos persequi tentaverunt. In tantum autem nunc exsurrexerunt contra fidem, ut non (*d*) religiosam pietatem clementissimorum imperatorum lateret. Denique, gratia Dei adjuvante, etiam ipsi clementissimi imperatores congregaverunt (*e*) ex diversis provinciis et civitatibus ipsam synodum sanctam, et in Sardicensium civitate fieri permiserunt : ut omnis quidem dissensio amputaretur, iniqua autem doctrina penitus expulsa, pietas sola, quæ est in Christo, ab omnibus custodiretur. Venerunt enim ab Oriente episcopi cohortatione excitati piissimorum imperatorum, maxime propter id quod frequenter in murmuratione fuit, id est, de dilectissimis fratribus nostris et coepiscopis, Athanasio episcopo Alexandriæ et Marcello episcopo Ancyro-Galatiæ. (*f*) Arbitramur autem etiam ad vos ipsos pervenisse eorum calumnias, et aures vestras tentasse eos commovere non dubitavimus : ut adversum innocentes quidem quæ dicunt credatis, sceleratæ autem hæreseos suæ suspicionem tegant. Sed non diutius hæc illis facere permissum est. Est enim gubernator Ecclesiarum Dominus, (*g*) qui pro Ecclesiis et pro omnibus nobis mortem sustinuit, et (*h*) propter eas Ecclesias adscensum in cœlos omnibus nobis tribuit.

2. *Synodum adire trepidant Eusebiani.* — Olim quidem scribentibus Eusebio, Mario, Theodoro, Diognito, Ursacio et Valente, (*i*) Julio, consacerdoti nostro, Romanæ Ecclesiæ episcopo, adversum prædictos

---

minis Christiani involvant. Rursum lib. ad eumdem II constanter ab ipso exponitur fidei depravatio, et audientia enixe postulatur.

(*a*) In vulgatis *illi sententia.* Verius in mss., *illa sententia*, scil. Arii fautorum, quibus Paulinus consentire noluit.

(*b*) Faber cum suo ms., *et quibus in eum qui adsensus quis non cepit injuriam.* Reposita vocula *ex* pro *et*, cum utriusque in antiquis libris una figura sit, cætera corrigimus ex Sirmondi lectionibus. Si etiam antea pro *quam pavor in homine*, legeris *quam favor in hominem;* et integer erit sensus, et evidens Hilarii ratio, cur ab Arelatensis synodi gestis incipiat : *ut* videlicet *primum ex his, ex quibus in eum* (Athanasium) *qui adsensus his* (Arianis) *non est, cepit injuriam* (exsilii); *confessio fidei potius, quam favor in hominem, intelligatur*, in causa esse, cur sacerdotes exsilium suscipiant. Quibus consentanea sunt hæc Sulpicii Severi, lib. II, pag. 246 : *Petebatur, ut prius quam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent; nec tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset. Sed Valens sociique ejus prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. Ab hoc partium conflictu agitur in exsilium Paulinus :* non tantum quia Athanasium, sed quia fidem tuebatur. Athanasius ipse a Theodoreto laudatus lib. II Hist. Eccles., c. 15, testatur, eos qui a Mediolanensi synodo in exsilium deportati sunt, id nullam aliam ob causam perpessos esse, quam quod Arianæ hæresi consentire, et falsis contra ipsum calumniis subscribere noluissent. His præmittit Theodoretus, Mediolanensis synodi scopum fuisse, ut Constantius episcopos *cogeret, expulso ab ecclesiis Athanasio, aliam fidei formulam conscribere.*

(*c*) Epistolæ hujus inscriptio, quæ hic desideratur, et apud Athanasium apol. II, p. 760, habetur suppressis nominibus provinciarum unde synodus est congregata, exstat integra apud Theodoretum, lib. II Eccles. Hist. c. 8.

(*d*) Apud Theodoret., ὡς μηδὲ τὴν ἀκοὴν τῶν θεοφιλεστάτων βασιλέων λαθεῖν. Cum Hilario magis consentit Athanasius, ὡς μηδὲ τὴν εὐσέβειαν τῶν εὐλαβεστάτων.

(*e*) Ex græcis exemplaribus legendum, *congregaverunt nos ex diversis provinciis et civitatibus, et hanc sanctam synodum in.*

(*f*) Athanasius pariter hic omittit, *et Asclepa Gazæ*, quod Theodoretus habet.

(*g*) In græco textu ὁ ὑπὲρ τούτων καὶ πάντων ἡμῶν, *qui pro his*, scil. Athanasio et Marcello.

(*h*) His concinit græc. Theodoreti, ὁ δι' αὐτάς. Verior tamen videtur lectio Athanasii, καὶ δι' ἑαυτοῦ, quia illius ætatis Patribus nihil usitatius est, quam ut in Christo cœlos adscendente nos pariter adscendisse dicant. Vid. t. I, p. 217, not. *f* (*col.* 446, *not.* j *nost. ed.*).

(*i*) Ex Theodoreto hic addendum, *Menophanto et Stephano.* Athanasius autem tantum habet οἱ περὶ Εὐσέβιον, tacitis aliorum episcoporum nominibus.

coepiscopos nostros (dicimus autem Athanasium et Marcellum (*a*)); ut scripserunt ex aliis locis ut (*b*) episcopi nostri; quæ autem ab Eusebio facta sunt, nihil aliud quam falsitatis et mendacii fuisse plena. Nam etsi ex eo (*c*), quo vocati sunt (*d*) a Julio episcopo carissimo **623** fratre nostro, claruit noluisse eos venisse ex ipsis litteris quibus eorum mendacia detecta sunt (venissent enim, si habuissent fiduciam eorum quæ gesserunt adversus coepiscopos nostros); licet (*leg.* tamen *pro* licet) etiam ex ipsis, quæ fecerunt in isto sancto et magno concilio, manifestior falsitatis suæ commenta prodiderunt. Venerunt enim et ad Sardicensium civitatem, et videntes Athanasium et Marcellum, Asclepam et alios, timuerunt venire ad judicium : et non semel neque iterum, sed frequenter vocati contempserunt invitationem synodi omnium nostrorum (*f.* nostrum), qui convenimus episcopi, et maxime venerabilis senectæ Ossium, qui et propter ætatem et confessionem et tanti temporis probatam fidem, (*e*) qui tantum laborem id ætatis pro Ecclesiæ utilitate sustinuit, ut omni reverentia dignissimus habeatur. Exspectantibus omnibus, et cohortantibus eos venire ad judicium, ut omnia, quæ de consacerdotibus nostris (*add.* abeuntibus) vel dixerunt vel scripserunt, præsentes possent convincere, vocati non venerunt, sicut prædiximus : ostendentes etiam ex his falsitatem suam, non solum commentitiam fraudem aut exquisitam versutiam quam fecerunt prodentes per excusationem. Qui enim habent fiduciam probare ea quæ absentes dicunt, hæc præsentes parati sunt convincere. Sed quia venire non ausi sunt, arbitramur de cætero neminem ignorare, etiam si illi iterum malitiam suam exercere voluerunt, nihil sufficientes probare adversus consacerdotes nostros, quos incusant quidem absentes, præsentes autem fugiunt.

3. *Fugiunt; quanta et quot eorum crimina.* — Fugerunt enim, dilectissimi Fratres, non solum propter hos quos falso adpetiverunt, verum etiam (*supple* propter) hos qui ex diversis locis convenerunt, ut eosdem multis criminibus arguerent. Ferrum enim et vincula proferebant de exsilio revertentes viri. Et rursum ab his, qui adhuc in exsilio detinentur, (*f*) missi affines et proximi, amici et fratres, querelas vel eorum qui supersunt detulerunt, vel eorum qui in ipsis exsiliis decesserunt, indignam injuriam prosecuti sunt. Et, quod est maximum, episcopi aderant, quorum alter ferrum et catenas præferebat, **624** quas per eos (*g*) cervicibus suis portaverat; alii ex eorum insimulatione mortem (*h*) sibi intentatam testificabantur. In tantum enim desperationis eruperunt ut etiam episcopos (*i*) interfecissent quidem, nisi fugissent ipsorum cruentas manus. Decessit enim coepiscopus noster beatissimus (*j*) Theodulus fugiens ipsorum infestationem. Jussus est enim ex ipsorum insimulatione mori. Alii autem gladiorum signa, plagas et cicatrices ostendebant. Alii se fame ab ipsis excruciatos querebantur. Et hæc non ignobiles testificabantur viri : sed de ecclesiis omnibus electi, propter quas huc convenerunt, res gestas edocebant, milites armatos, populos cum fustibus, Judicum minas, falsarum litterarum (*k*) suppositiones. Lectæ sunt enim litteræ factæ a Theognito falsæ adversum coepiscopos nostros Athanasium et Marcellum (*l*), ut et imperator adversus ipsos commoveretur. Et hæc convincebant ii, qui tunc ipsius Theogniti diacones fuerunt. Ad hæc virginum nudationes, incendia ecclesiarum, carceres adversus ministros Dei : et hæc omnia propter iniquam atque exsecrabilem hæresim Ariomanitarum. Qui enim communioni eorum renuntiabant, necessitate patiebantur (*f.* cogebantur) ista tolerare.

4. *Sardicam ingressi adversariorum reformidant præsentiam.* — Hæc igitur considerantes, in angusto se teneri pervidebant. Erubescentes quidem confiteri ea quæ commiserunt, eo quod de cætero non possent

(*a*) Rursum hic Theodoretus subjicit *Asclepam*, Athanasio consentiente. Deinde pro *ut scripserunt*, leg. *et scripserunt*, quasi, pariter scripserunt.

(*b*) Quod amanuensi ob repetitionem vocis *episcopi* excidit, facile sic potest suppleri : *scripserunt ex aliis locis episcopi, contestantes* (vel *ut contestarentur*) *innocentiam Athanasii coepiscopi nostri, quæ autem*, etc.

(*c*) Apud Theodoretum, *Et quamvis ex eo, quod a dilectissimo Julio collega nostro vocati non adfuerunt, et ex iis, quæ ab eodem episcopo Julio scripta sunt, manifeste patuit ipsorum calumnia : venissent enim*, etc. Apud Athanasium hic nonnulla desunt.

(*d*) Per epistolam quæ exstat apud Athanasium, tom. I, pag. 739.

(*e*) Ut integra fieret oratio, esset hic legendum *qua*, non *qui* : et post, delendum *ut*, ante *omni*. In græcis exemplaribus nihil est, quod respondeat superioribus verbis, *et tanti temporis probatam fidem*.

(*f*) Brevius ex græco totum illud sic reddere est : *Missi aderant comministri. Advenerunt etiam cognati et amici eorum, qui per eos interempti sunt. Et quod est maximum*, etc.

(*g*) Apud Athanas. et Theodoret. desiderantur voces *cervicibus suis* : quarum veritatem confirmat epistola ad Julium infra num. 11.

(*h*) Tribus illis verbis, *mortem sibi intentatam*, græce unicum respondet, θάνατον; quod non satis convenienter apud Theodoret. et Athanasium latine redditum est, *mortem illatam*. Non enim hic conquestio est, quod Ariani mortem intulerint, sed quod inferre tentaverint.

(*i*) Ex lectione græca supplendum hic, *interficere tentarent*, etc. Antea autem cum nostro Hilario legit Athanasius *episcopos* in plurali, Theodoret. vero *episcopum* in singulari. In plures hæc cadere indicat Athanasius relatus a Theodoreto, lib. II Hist. Eccl., c. 15, ubi ait : *Theodulum vero atque Olympium episcopos Thraciæ, nos quoque et presbyteros nostros ita conquiri fecerunt, ut si reperti essemus, capitali supplicio afficeremur*; et epist. ad Solit., p. 821 : *Olympium ex Ænis, et Theodulum ex Trajanopoli ambos episcopos Thraciæ bonos calumniis impetiverunt*. Eosdem neci tradi jubet Constantius apud Socrat. lib. II, c. 26.

(*j*) Faber cum ms. Pith., *Theodorus*. Sirm., *Theodosus*. Ex mox annotatis liquet præferendum esse *Theodulus*.

(*k*) Ita cum Athanasio ac Theodoreto variæ Sirmondi lectiones. At cum mss Pith. et Colb. Faber, *suspiciones*.

(*l*) Marcello et Athanasio Asclepas jungitur in græcis exemplaribus : in quibus deinde exstat, *ut et imperatores*, etc., in plurali.

ea diutius occultare, venerunt tandem in Sardicensi civitate; ut propter præsentiam, suspicionem (*a*) quasi mali actus viderentur excludere. Videntes enim eos qui a se fuerant falsis oppressi testimoniis, eos etiam (*b*) quos vehementissime oppugnarunt; ex alia parte accusatores conscientiæ, etiam suorum criminum proditores præ oculis habentes suis, venire vocati non potuerunt (*Græc.* noluerunt), maxime consacerdotum nostrorum Athanasii, Marcelli et Asclepii conscientia perturbati : qui et implorabant judicium (et) provocabant accusatores , ut eos non solum convincerent de iis quæ adversum sese falsa confinxerant, verum etiam quæ adversus Ecclesias (*c*) impia ac nefaria commiserant, edocerent. Verum illi tanto terrore **625** comprehensi sunt, ut fugam facerent; et per illam fugam falsitatem suam detegerent ac nudarent.

5. *Athanasii innocentia comprobatur.* — Tametsi non solum ex prioribus, sed etiam ex istis malitia eorum et falsitas ostenderetur : ut nec existimata fuga (*leg.* tamen ut nec ex ista fuga) occasionem aliquam alterius malæ artis invenire possent; probavimus, secundum veritatem et rationem (veritatis rationem) ea , quæ ab illis commissa sunt , inquiri oportuisse : et invenimus eos etiam de his fuisse mendaces , et nihil aliud quam impugnationem adversus consacerdotes nostros exercuisse. Quem enim dicebant ab Athanasio interfectum fuisse nomine Arsenium , habetur in numero vivorum. Unde ex hoc etiam cætera , quæ ab ipsis jactabantur , patuit esse plena mendacii et falsitatis. Quod autem de calice fracto aliqua loquebantur (*leg.* tamquam fracto loquebantur) a Machario presbytero Athanasii ; (*d*) testificati qui præsentes fuerunt ex Alexandria de eodem loco , eo quod nihil tale esset factum. Sed et episcopi scribentes ex Ægypto ad Julium consacerdotem nostrum , abunde asseverarunt, nec suspicionem hujusmodi ibidem fuisse (*Exstat hæc epistola apud Athanas., t.* I, *p.* 722). Dicunt autem (*e*) acta etiam se habere adversus ipsum : quæ habent autem, absente parte altera constat fuisse confecta. (*f*) Simul tamen ipsis actis gentilis et catechumenus interrogatus dicebat , intus se fuisse quando superventum fecit Macharius , interrogatus dicebat , famosissimum illum Scyrum infirmantem in ecclesia (ἐν κελλίῳ) jacuisse : ut ex hoc appareat , ex toto mysterium non fuisse celebratum , eo quod catechumeni intus fuerint, (*g*) sed male habentes jacuerint. Nam et ipse totius malitiæ Scyrus commentator, exussisse Athanasium quemdam de divinis Scripturis librum dicebat. Ad hoc convictus confiteri cœpit , infirmatum se fuisse quando Macharius præsens fuit ; ut ex hoc etiam falsum testem illum (*h*) esse appareret. Denique falsitatis præmium eidem Scyro honorem (*Græc.* ὄνομα , nomen) episcopatus dederunt, homini qui neque **626** presbyter quidem fuit. Venientes enim duo presbyteri nunc ad concilium (qui eo tempore cum Melitio fuerant , postmodum ab Alexandro episcopo Alexandriæ beatæ memoriæ viro susceptι sunt , nunc cum Athanasio agunt), testati sunt nusquam omnino istum Melitii fuisse presbyterum , neque omnino habuisse eum Melitium (*i*) in eodem loco , apud Mareotem , ecclesiam , nec ministrum : quem tamen nunc velut episcopum illum secum adduxerunt, qui ante nec presbyter fuit : ut nomine episcopatus videantur falsitatem suam tegere apud audientes.

6. *Marcellus et Asclepas irreprehensibiles.* — Lectus autem est et liber , quem conscripsit frater et coepiscopus noster Marcellus : et inventa est (*j*) Eusebii et qui cum ipso fuerant exquisita malitia. Quæ enim ut proponens Marcellus posuit, hæc eadem quasi jam comprobans proferret , adsimularunt. Lecta sunt ergo quæ sequebantur , lecta etiam quæ anteposita erant quæstioni; et recta fides ejus inventa est. Neque enim a sancta Virgine Maria, sicut ipsi confingebant, initium (*k*) dabat Deo Verbo ; neque finem habere regnum ejus , sed regnum ejus sine principio ac sine fine esse conscripsit. Sed Asclepius coepiscopus noster acta protulit , quæ confecta sunt apud Antiochiam præsentibus adversariis et Eusebio ex Cæsarea, et ex sententiis (*l*) judicatum episcopum ostendisse esse inreprehensibilem.

7. *Eusebianorum scelera , nomina et artes.* — Me-

(*a*) Græce , ὑπόνοιαν ὡς μὴ πλημμελήσαντες δόξωσιν ἀποφέρεσθαι.

(*b*) Legendum esse *quos*, non ut in ante editis *post*, suadet græcus sermo.

(*c*) Græcus sermo hic postulat addi *ipsorum* , et mox *conscientiæ*, post vocabulum *terrore.*

(*d*) Ex Athanasio et Theodoreto sic corrigendus est hic locus : *testificati sunt, qui venerunt ex Alexandria et Mareote et aliis locis , quod nihil tale factum est.*

(*e*) De illis actis Julius apud Athanas. pag. 742 , ad Eusebianos rescribit : *Scitis autem monimenta actorum, ubi una dumtaxat pars adfuerit, nullarum virium esse,* etc.

(*f*) Quod hic deest , sic ex Athanas. et Theod. potest suppleri : *Simul tamen in ipsis actis interrogabantur gentiles et catechumeni : ex quibus unus catechumenus interrogatus dicebat , intus se fuisse, quando superventum fecit Macharius; et alius interrogatus , etc.*

(*g*) Græce, καὶ Ισχύραν μὴ παρεῖναι, ἀλλὰ νοσοῦντα κατακεῖσθαι : *et Scyrus non adfuerit , sed male habens jacuerit.*

(*h*) Addimus *esse* ex variis lectionibus Sirm.

(*i*) Græce abest *in eodem loco :* adeoque significatur, Meletium non in Ischyræ tantum patria , sed nec in omni omnino Mareote ullam habuisse ecclesiam vel ministrum. Ex quo sequitur , Ischyram presbyterum non fuisse, qui neque a Meletio ordinatus est , neque ab Alexandrino Patriarcha.

(*j*) Ita Sirm. Alias vero, *Eusebii et qui cum istis fuerant.* Græc. οἱ περὶ Εὐσέβιον. Eusebii Cæsariensis exstant etiamnum quinque libri adversus Marcellum : quem Romano in concilio auditum ab omni errore alienum judicat Julius apud Athanasium pag. 750.

(*k*) Alias , *dabatur :* et mox deerat *sed regnum ejus :* facili librariorum lapsu. Marcellus ab Eusebio, lib. I de eccles. Theologia cap. 18 , arguitur , quod Christum ante Mariam nihil aliud exstitisse affirmarit , quam verbum nostro simillimum. Cui Hilarius , si ab Hieronymo bene intellectus est, suffragatur lib. VII de Trin. n. 3. Hinc a Gennadio de Dogmat. eccles. c. 3, cum Beryllo et Artemone Christum merum hominem sentientibus conjungitur.

(*l*) Græce , τῶν δικασάντων ἐπισκόπων ἔδειξεν , *ju-*

rito ergo acciti frequenter, non ausi sunt venire : merito fugerunt conscientiæ suæ impulsu præcipitati. Fuga enim falsitates suas confirmaverunt, et credi ea fecerunt, quæ præsentes accusatores eorum dixerunt et ostenderunt. Quid igitur? Supra hæc omnia etiam olim depositos atque ejectos Ecclesia propter hæresim Arii non solum susceperunt, sed etiam in majorem provexerunt gradum, diacones quidem in presbyterium, (*a*) de presbyterio autem in episcopatum, propter nihil aliud, nisi ut impiam doctrinam dilatare ac disseminare possent, et **627** piam corrumperent fidem. Sunt autem istorum (*b*) post Eusebium duo auctores etiam Theodorus ab Heraclia, Narcissus a Neroniade Ciliciæ, Stephanus ex Antiochia, Georgius ex Laodicia, (*c*) licet timens non adfuerit de Oriente, Acacius ex Cæsarea Palæstinæ, Menophantus ex Epheso Asiæ, Ursacius a Singiduno Mœsiæ, Valens ex Mursa Pannoniæ. Etenim prædicti etiam (*supple* iis) qui ab Oriente secum venerunt, non permiserunt sanctum Concilium intrare, neque omnino in Ecclesiam Dei sanctam accedere. Venientes etenim Sardicam per singula loca synodos faciebant inter se, et pactiones cum interminationibus, ut omninō venientes Sardicam ad judicium non accederent, neque in unum cum sancta (*Græc.* et magna) synodo convenirent : (*d*) et ad id solum venerunt, cœtum præsentiam suam qui statim fugerunt. Hæc enim scire potuimus a consacerdotibus nostris, (*e*) Ario scilicet ex Palæstina, Stephano de Arabia : qui cum ipsis venerunt quidem, sed ab eorum perfidia recesserunt. Hi enim venientes in sanctam synodum, violentiam quidem, quam passi fuerant, conquerebantur; nihil autem ab ipsis recte agi asserebant : asserentes (*f.* adjicientes) etiam hoc, quod essent ibi plurimi rectæ fidei, qui prohibebantur ab ipsis venire ad nos propositis interminationibus. Hac igitur causa in uno loco (*Græc.* οἴκῳ) omnes manere sategerunt, et nec parum temporis, (*f*) nec habere eos liberam facultatem permiserunt.

8. *Synodi sententia.* — Quia ergo non oportuit conticescere, nec inulta (*g*) retinere, falsitates, vincula, homicidia, pugnas, falsas epistolas, verberationes, nudationes virginum, exsilia, eversiones ecclesiarum, (*h*) incendia, translationes de ecclesia ad majores, et ante omnia contra rectam fidem insurgentes Arianæ hæresis doctrinas : ex hac causa carissimos quidem fratres et coepiscopos nostros Athanasium Alexandriæ, et Marcellum Ancyrogalatiæ, et Asclepium Gazæ, et eos qui cum ipsis erant ministrantes Deo, innocentes et puros pronuntiamus, **628** scribentes ad unamquamque eorum provinciam, ut cognoscerent singularum ecclesiarum plebes sacerdotis sui integritatem, et habere se episcopum suum, illos autem, qui se eorum ecclesiis immerserunt luporum more, id est, Gregorium in Alexandria, Basilium in Ancyra, et Quintianum in Gaza, neque (*i*) nomen habere episcopi, neque communionis omnino eorum habere participatum, neque suscipere ab aliquo eorum litteras, neque ad eos scribere, illos autem, hoc est, Theodorum, Narcissum, Acacium, Stephanum, Ursacium et Valentem, Menophantum, et Georgium (etsi timens, (*j*) ut dictum est, non adfuit, sed tamen quia a beatæ memoriæ Alexandro episcopo quondam Alexandriæ dejectus est), et quod sit tam ille, quam etiam cæteri (*k*) qui comprehensi sunt, furoris Ariani, et propter objecta crimina, hos omnes æquali sorte dejecit sancta synodus de episcopatus gradu : et judicavimus non solum illos episcopos non esse, sed neque communionem quidem cum fidelibus habere. Separantes enim Filium, et alienantes Verbum a Patre, separari ab Ecclesia catholica oportet, et

dicantium episcoporum ostendit se esse, etc. Acta Antiocheni conciliabuli anni 330, quo Eustachius e sede sua pulsus fuit, hic memorari putant. In hunc locum haud dubie respexit Sozomenus lib. III, c. 12, cum ait Asclepam innocentem Sardicæ pronuntiatum esse, *eo quod Eusebii Pamphili aliorumque multorum judicum sententia episcopatum suum recuperasset, et hæc verā esse actis judicialibus comprobasset.*

(*a*) Valesius apud Theodoretum verba græca ἀπὸ δὲ πρεσβυτέρων latine reddidit, *presbyteros autem qui depositi fuerant.* Cum ex Hilariana lectione, tum ex verbis superioribus liquet, illud ἀπὸ pristinum gradum sonare, non a quo quis defectus sit, sed a quo ad altiorem adscenderit.

(*b*) In græcis exemplaribus, μετὰ τοὺς περὶ Εὐσέβιον νῦν ἔξαρχοι. Unde supervacanea hic videtur vox *duo* : aut certe legendum *post Eusebios duos* : cui lectioni favet illud lib. I ad Constantium n. 5 : *Nuper didicimus commenta hæc fuisse inventa et a duobus Eusebiis*, etc., præsertim cum ibi, Georgio excepto, iidem qui hic episcopi duobus Eusebiis adjungantur.

(*c*) Nihil apud Athanas. et Theodoret. occurrit loco verborum, *licet timens non adfuerit de Oriente.*

(*d*) Ex Theodoreto sic resarcire licet hunc locum : *sed id solum, ut cum venissent, et dicis causa* (ἐπὶ ἀφοσιώσει) *præsentiam suam ostendissent, statim fugerent.*

(*e*) Hi duo episcopi in græcis codicibus Macarius et Asterius cognominantur. Tamen apud Athanasium in subscriptionibus Palæstinorum Arius, non Macarius reperitur, et epist. ad Solit. p. 820 legere est, ab Arianis male affectos esse *Arium et Asterium, alterum Petræ in Palæstina, alterum Petræ in Arabia, qui ab ipsis desciverant.* Sed nullum fere dubium est quin pro *Stephano*, hic restituendum sit *Asterio*, qui infra *Asturus* subscribitur.

(*f*) Illud *nec* redundat. Tum pro *habere eos liberam facultatem*, unum est verbum græcum ἰδιάζειν, quod est, *privatim agere.*

(*g*) Forte, *sinere* vel *permittere*, ut exstat in græco : in quo mox habetur τὰς πλαγάς, loco vocis *pugnas.*

(*h*) Addimus *incendia* ex Sirm. et græco sermone : in quo postea subjicitur, *translationes de minoribus civitatibus ad ecclesias majores.*

(*i*) Lectionem Theodoreti, τούτους μηδὲ ἐπισκόπους ὀνομάζειν μηδὲ χριστιανοὺς, confirmat Athanasius ad Solit. p. 820, ubi ait Gregorium a synodo judicatum fuisse indignum qui episcopus aut Christianus omnino appellaretur.

(*j*) In græcis cod. ut supra nihil habetur de hoc Georgii timore, ita nec nunc additur *ut dictum est.* Iidem codices, ut et lectio superior num. 7, addendum esse suadent *de Oriente* post verbum non *adfuit.*

(*k*) Ita Sirm. At Faber, *cæteri comprehensi*, omisso verbo *sunt*, quod exstat in mss.

alienos esse a nomine Christiano. Sint igitur vobis A anathema, eo quod ausi sunt adulterare verbum veritatis. Apostoli enim est præceptum : *Si quis vobis evangelizaverit præter quam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I, 9). His neminem communicare denuntiate : nulla enim communicatio luci ad tenebras. Hos omnes longe facite : nulla enim participatio Christo ad Belial. Observate, Carissimi, ut neque scribatis ad eos, neque eorum accipiatis litteras. Curate autem etiam, dilectissimi Fratres et consacerdotes, quasi præsentes spiritu huic interfueritis synodo, omnia quæ a nobis instituta sunt confirmare per litteras vestras, ut ab omnibus episcopis idem sentire, atque unam esse omnium voluntatem ex litterarum consensione sit manifestum. (*a*) Optamus, Fratres, vos in Domino B bene valere. Explicit.

629 *Incipit* (*b*) *exemplum epistolæ factæ* (an. 347) *ad Julium urbis Romæ episcopum, Julio episcopo a synodo directæ.*

9. *Cur Julius non adfuerit synodo. Petri sedis prærogativa.* — Quod semper credidimus, etiam nunc sentimus : experientia enim probat et confirmat, quæ quisque auditione audivit. Verum est enim, quod beatissimus magister gentium Paulus apostolus de se locutus est : (*c*) *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus* (II *Cor.* XIII) ? quamquam utique quia in ipso Dominus Christus habitavit, dubitari non possit (*d*) Spiritum sanctum per animam ejus locutum, et organum corporis personasse. Et tu C itaque, dilectissime frater, corpore separatus, mente concordi ac voluntate adfuisti : et honesta fuit et necessaria excusatio absentiæ, ne aut lupi schismatici furtum facerent et raperent per insidias, aut canes hæretici rabido furore exciti insani oblatrarent, aut certe serpens diabolus (*e*) blasphemiorum venenum effunderet. Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est ad Petri apostoli sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes.

10. *Legati Julii.* — Quoniam ergo universa, quæ gesta sunt, quæ acta, quæ constituta, et chartæ continent, et vivæ voces carissimorum fratrum et compresbyterorum nostrorum Archydami (*f*) et Philoxeni, et carissimi filii nostri Leonis diaconi verissime et fideliter exponere poterunt ; pene supervacuum videatur eadem his inserere litteris. Patuit apud omnes, qui convenerunt ex partibus Orientis, qui se appellant episcopos (quamquam sint ex his certi auctores (*superiori epistola num.* 7 *nominati*), quorum sacrilegas mentes Ariana hæresis pestifero tinxit veneno) diu tergiversatos propter diffidentiam ad judicium venire noluisse, tuamque et nostram reprehendisse communionem, quæ nullam habebat culpam : quia non solum octoginta episcopis testantibus de innocentia Athanasii pariter credidimus (*in Concilio Alexandrino, cujus epistola indicatur num.* 5) ; sed et conventi per presbyteros tuos et per epistolam, (*g*) ad synodum quæ futura erat in urbe Roma venire noluerunt : et satis erat iniquum, (*h*) illis contemnentibus, tot sacerdotibus testimonium perhibentibus, Marcello et Athanasio denegare societatem.

630 11. *Tria in synodo tractanda.* — Tria fuerunt, quæ tractanda erant. Nam et ipsi religiosissimi imperatores permiserunt, ut de integro universa discussa disputarentur, et ante omnia de sancta fide et de integritate veritatis, quam violaverunt. Secunda de personis, quas dicebant esse (*i*) dejectas ; de iniquo judicio, vel si potuissent probare, justa fieret confirmatio. Tertia vero quæstio, quæ vere quæstio appellanda est, quod graves et acerbas injurias, intolerabiles etiam et nefarias contumelias ecclesiis fecissent, cum raperent episcopos, presbyteros, diacones, et omnes clericos in exsilium mitterent, ad deserta loca transducerent, et fame, siti, nuditate, et omni egestate necarent ; alios clausos carcere et squalore et putore conficerent, nonnullos ferreis vinculis ita (*adde* stringerent), ut cervices eis arctissimis circulis strangularentur. Denique ex ipsis quidam vincti in eadem injusta defecerunt pœna : quorum ambigi

(*a*) Athanasius horum verborum loco habens, *divina providentia sanctos et lætos vos conservet, fratres dilecti*, episcoporum subscriptiones subjicit. Apud Theodoretum autem, his omissis, sequitur fidei ex- D positio : ea haud dubie, quam Athanasius epist. ad Antioch. p. 576, tamquam Sardicensis synodi falso circumferri monet ; et tam ipse, quam Eusebius Vercell. apud eumdem pag. 580, omnino supprimendam censent, ne fides Nicæna non sufficere inde existimetur.

(*b*) Eam ipsam epistolam ex collectionis Cresconianæ Cassinate codice pervetusto edidit Baronius ad an. 347, n. 23, in quo castigatior hæc præfertur inscriptio : *Incipit exemplar synodi Sardicensis factæ ad Julium urbis Romæ episcopum.*

(*c*) Apostoli verba ex editione Baronii huc revocamus.

(*d*) Apud Baron., *Spiritum per animum etiam locutum.*

(*e*) Baron. *blasphemiarum.* Jam non semel experti sumus in mss. haberi *blasphemiorum*, loco *blasphemorum*.

(*f*) In mss. Pith. et Colb., *Arcydami et Filioseni :* et mox *potuerunt*, non *poterunt :* quæ ex Baronio emendamus.

(*g*) Faber reposuerat *a synodo*, cum in ms. Pith. reperisset *et synodum*. Verius Baron. *ad synodum*, nimirum Romæ an. 341 habitam, ex qua Julius ad Eusebianos epistolam scripsit, ab Athanasio descriptam Apolog. II, p. 739.

(*h*) Apud Baron., *illis confitentibus*, lectio non spernenda : quia scil. fuga sua prodiderunt conscientiæ suæ reatum, et confessi sunt falsa esse quæ adversus episcopos confinxerunt, vera autem quæ pro illis tot sacerdotes contestabantur : quod sæpius repetit superior epistola.

(*i*) Baron., *delectas :* quod etiam in suo ms. reperit Faber, qui postea pariter de suo posuerat *ut si*, pro *vel si*. Sed facile intelligitur tacita particula *ut*, ante *de iniquo*. Athanasii præsertim ab Eusebianis damnatio vel ex hoc iniqua fuit, quod absens judicatus est. Ex iniqua facta esset justa, si illatorum ipsi criminum convinci præsens potuisset.

non potest martyrio gloriosam mortem exstitisse. Adhuc quoque audent quosdam retinere : nec ulla causa fuit criminis, nisi quod repugnarent, et clamarent quod exsecrarentur Arianam et Eusebianam hæresim, et nollent habere cum talibus communionem, (*a*) iis autem, qui secum sentire maluerunt, prodesse. Et qui ante fuerant dejecti, non solum recepti sunt, sed etiam ad clericalem dignitatem promoti, et acceperunt præmium falsitatis.

12. *Ursacii et Valentis perversitas.* — Quid autem de impiis et de imperitis adolescentibus Ursacio et Valente statutum sit, accipe, beatissime frater. Quia manifestum erat, hos non cessare adulterinæ doctrinæ (*b*) lethalia semina spargere, et quod Valens relicta ecclesia ecclesiam aliam invadere voluisset, et eo tempore, quo seditionem commovit, unus ex B fratribus nostris, qui fugere non potuit, Viator obruptus et conculcatus in eadem Aquileiensium civitate die tertia defecit : causa utique mortis fuit Valens, qui perturbavit, qui sollicitavit. Sed ea quæ beatissimis Augustis significavimus cum legeritis, facile pervidebitis, nihil nos prætermisisse, quantum ratio patiebatur. Et ne molesta esset longa narratio, qui fecissent, et (*c*) quæ commisissent, insinuavimus.

13. *Synodi placita Siciliæ, Sardiniæ et Italiæ per Julium addiscenda.* — Tua autem excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, **631** in Sardinia, in Italia sunt fratres nostri, quæ acta sunt et quæ definita cognoscant; et ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, id est C (*d*) epistolia, quos justa sententia degradavit, perseverent autem Marcellus et Athanasius et Asclepius in nostra communione : quia obesse eis non poterat iniquum judicium, (*e*) et fuga, et tergiversatio eorum, qui ad judicium omnium episcoporum, (*f*) qui convenimus, venire noluerunt. Cætera, sicuti superius commemoravimus, plena relatio fratrum, quos sincera charitas tua misit, unanimitatem tuam perdocebit. Eorum autem nomina, qui pro facinoribus dejecti sunt, subjicere curavimus : ut sciret eximia Gravitas tua, qui essent communione privati. Uti ante prælocuti sumus, omnes fratres et coepiscopos nostros litteris tuis admonere digneris, ne (*g*) epistolia, id est, litteras communicatorias eorum accipiant.

NOMINA HÆRETICORUM.

14. Ursacius a Singiduno, Valens a Mursa, Narcissus (*h*) ab Jeropoli, Stephanus ab Antiochia, Acacius a Cæsarea, Menophantus ab Epheso, Georgius a Laodicia.

ITEM NOMINA EPISCOPORUM INFRA, QUI SYNODO SARDICENSI ADFUERUNT ET SUBSCRIPSERUNT IIDEM IN JUDICIO.

15. Ossius ab Spannia Cordobensis, Annianus ab Spanniis de Castolona, Florentinus ab Spaniis de Emerita, (*i*) Dominianus ab Spaniis de Asturica, Castus ab Spaniis de Cæsara Augusta, Prætextatus ab Spaniis de Barcilona, Maximus a Tuscia de Luca, **632** Bassus a Macedonia de Diocletianopoli, Porphyrius a Macedonia de Philippis, Marcellus a Macedonia de (*j*) Ancyra Gallaciæ, Euterius a Procia de Caindo, Asclepius a Palæstina de Gaza, (*k*) Moysius a Thessalia de Thebis, Vincentius a Campania de Capua, Januarius a Campania de Benevento, Prothogenes (*l*) a Dacia de Serdica, Dioscorus de Thracia, (*m*) Hymenius a Thess. de Pearata, Lucius a Thracia de Caynopoli (*an* Hadrianopoli?), (*n*) Lucius ab Italia de Verona, Evagrius a Macedonia de Heraclianeo (*Ms.* Eraclialineo), Dionysius ab Achaia de Lignedon, Julius ab Acacia de (*o*) Thebe eptapyleos. Athenodorus ab Achaia de Blatea (*Lab.* a Dacia de Blacena). Diodorus ab Asia de Tenedos, Alexander a Thessalia de Larissa, Aethius a Macedonia de Thessalonica, Vitalis a Dacia ripensi de Aquis, Paragorius a Dardania de Scupis, Trifon ab Achaia de (*p*) Marciarce, Athanasius ab Alexandria, Gaudentius ab Achaia (a Dacia) de Naiso, Jonam a Macedonia de Particopoli (Parthenopoli, *aut* Parœcopoli), Alypius

(*a*) Ex lectione mss. Pith. et Colb., *qui aut in sæculo servire maluerunt*, confecerat Faber, *qui autem sæculo servire noluerunt*. Huc Baronianam revocamus.

(*b*) Apud Baron., *in Italia*, non *lethalia*.

(*c*) Illud *quæ* adjicimus ex Sirm. Baronius autem præferens antea *quæ fecissent*, omittit *et quæ commisissent*. D

(*d*) In mss. Pith. et Colb., *id est epistulas*. Sirm., *id est episcopalia*. Hæc verba desiderantur apud Baronium, qui deinde legit, *quos extra episcopatum synodi sententia declaravit*.

(*e*) Baron., *de fuga et tergiversatione*. Non displiceret *ex fuga*, etc., id est, eorum absolutio differri diutius non debuit, quia fugerunt illorum adversarii.

(*f*) Apud Baron., *quo venimus* : minus bene, ut liquet ex his num. 2, *synodi omnium nostrum, qui convenimus episcopi*.

(*g*) In ms. Pith. *ne epistolas* : quod etiam habet Baron. legens postea, *inde allatas*, pro *id est litteras*.

(*h*) Apud Baron., *a Neronopoli*, favente Athanasio initio Apolog. II, τῆς πόλεως Νέρωνος. Supra num. 7, legit Hilarius *a Neroniade*. *Est autem*, inquit Theodoretus lib. I Hist. Eccl., c. 7 : *Neronias Ciliciæ secundæ urbs, quam Irenopolim nunc vocamus*.

(*i*) In edit., *Dommianus*. At in ms., *Dominianus*. Forte qui apud Athanas. *Domitianus*.

(*j*) In ms., *Ancyra Gallacia*. Supra n. 1, *Ancyrogalatiæ*. Qui antea bis scripserat *a Macedonia*, hoc jam tertio, sed falso, hic apposuit.

(*k*) Alias, *Moscus a Thessalonica* : quod ex Sirmondo corrigimus. An hic idem est, qui apud Athanas. *Musæus* subscriptus legitur, per quem communicatorias Valentis et Ursacii litteras Athanasius accepit, quique infra n. 20, *Moyses* nuncupatur?

(*l*) Et hic cum Sirm. præferimus *a Dacia*, pro *ab Acacia*.

(*m*) Ita Sirm. favente Athanasio, apud quem subscribit *Hymenæus*, Alias vero, *Hymomus a Thessalia de Oparata*.

(*n*) Apud Athanas. non subscribit *Lucius*, sed *Lucillus* : forte is quem, Apolog. p. 675, testem appellat, quod Constantem numquam solus allocutus sit.

(*o*) In ms. *Tebepsetafileos*. Apud Labb. *Thebesse* : et ex conjectura, *Thebeeptapoleos*.

(*p*) Sirm., *Maccare*. Faber, *Maccroce*. Retinemus lectionem mss.

ab Achaia de Magari, Macedonius ab Ardania (*Labb.* a Dardania) de Ulpianis, (*a*) Calvus ab Achaia ripensi de Castra martis, Fortunatianus ab Italia de Aquileia, Plotarcus ab Acacia (*b*) de Patras, Eliodorus a Nicopoli, Eutarius a Pannoniis, (*c*) Arius a Palæstina, Asturus ab Arabia, (*d*) Cocras ab Achaia de Asapofebiis. Stercorius ab Apulia de Canusio. Calepodius a Campania, Lerenius (*Athan. et Lab.* Irenæus) ab Achaia de Secoro, Martyrius ab Achaia de Neapoli, Dionysius (*e*) ab Arcaida de Elida, Severus ab Italia de Ravennensi, Ursacius ab Italia de Brixa. Portasius (*Sirm.* Protasius) ab Italia de Mediolano, **633** Marcus ab Asia de Fissia (*Sirm.* a Dacia de Scissia), Verissimus a Gallia de Lugduno, Valens ab Achaia (a Dacia) ripense de Scio, Palladius a Macedonia de Dui (Dio), Gerontius a Macedonia de Brevi, Alexander ab Achaia de Morenis (*Sirm.* de Ceparisina), Euthitius (*f.* Eutichius) ab Achaia, Titius ab Asia de Montonis (*an* a Dacia de Montemnis?). Episcopi omnes numero unus de sexaginta.

16. *Athanasii innocentia manifesta. Sacrificii opus solius est presbyteri.* — «Res, quantum arbitror (*inquit Hilarius*), sermonis alterius interpretatione non indiget. Nam omnia ita edicta sunt et expressa, ut in lucem cognitionis elata sint: testes ex Ægypto compositi, Athanasius ipse præsens, falsorum judicum nocturna et turpis per conscientiam fuga, tantorum scelerum gravis et subjecta universorum oculis invidia. (*f*) Adde originem causæ, ex qua in Athanasium occasio est quæsita sententiæ. Reus, presbyteri sui impetu, disturbati altaris in ipso sacrificiorum tempore, ubi Scyrus presbyter adsistebat, arguitur. Scyrus presbyter negatur, et criminis falsitas cum auctore damnatur. Porro autem sacrificii opus sine presbytero esse non potuit. Cum in hominem quæstio est, ipse facti tam gravis nullus est locus, apud Mareotem (*g*) ecclesia nulla est. Numquid potius ipsa soli religio defecit? aut aliquo, ut adsolet, hiatu locus violati sacrificii desedit? Scyrus de diacono (*h*) episcopus adseritur ordinatus; ut de contumelia in presbytero perpessa mentientis episcopi major auctoritas sit. Sed locus ecclesiæ (*i*) si fuit, et est: si non est, nec fuit. Et quid ambiguum est, hos potius falsorum criminum indices asseruisse factum esse, quod esse potuit (*f.* patuit) infectum; aut eos, qui postea indicarunt, (*j*) constitutos non fuisse, quod si fuit, non potest non fuisse?

17. *Athanasii crimina non constant.* — «Si quis igitur est humanis institutis ad usum (*k*) communis intelligentiæ eruditus, si quis prudentiæ præceptis in viam consectandæ veritatis insistit; animum intendat, et quid in hujuscemodi negotiis tenere se arbitrii velit, expendat: ratio interim de indiciorum auctoribus exsistat. Hæc duo indicata: unum quod crimen affirmet, criminis locum non occupet (*f.* nuncupet), perpessa injuria (*f.* perpessum injuriam) hominem designet; aliud vero, quod crimen, locum, hominem neget. Quæro, in quam te sententiam concedere æquum videbitur? Certe, opinor, quisquam ab utroque consultus, et positus in medio utriusque sententiæ, **634** ita loquetur: Si crimen est, docendum est; si locus est, demonstrandus est; si homo, contuendus est. At vero cum et facti fides, et loci religio, et injuriæ homo nullus est; vesanum existimabitur, rebus judicem non exstantibus judicare.

18. *Athanasii damnandi nulla causa.* — «Respicite in cœlum et astra, vos sacerdotes; et in eum, qui ex nihilo fecit illa, cum libertate fidei et spei quam accepistis, intendite, recordantes talem vobis futuri in vos judicii formam esse propositam, ut quo judicio judicaveritis, judicetur de vobis (*Matth.* VII, 2). Hæc quærenti mihi respondete: Athanasium quo judicio damnastis? Dicetis nempe, Episcoporum: et hæc confessionis vestræ erit venia. Secuti, inquit (*f.* inquietis), sumus sanctam judiciorum sub episcopali communione reverentiam. Sed ignorasse vos negabitis, Athanasio, cujus damnationem a vobis Valens, Ursacius, Saturninus exigunt, ab Ossio, Maximino, Julio redditam communionem? Non facio comparationem: rogo, quæ de crimine Athanasii vestra sententia fuit? Presbyter ejus Macharius irruisse in ecclesiam Mareotidem dicitur, Scyrum presbyterum perturbasse, et salutis nostræ sacramenta projecisse: ad hujus rei testes cathecumenum et gentilem interrogatos. Verum postea a sanctis (Sardicæ congregatis) nescitis judicatum (*adde*, apud) Mareotem ecclesiam nullam esse; Scyrum vero presbyterum non fuisse? Quid est, quod secuti estis? Falsis episcopis auctoritatem datis, jactitabat. Mareotici autem presbyteri ac diaconi apud Athanasium pag. 792, testificantur, illum ne clericum quidem unquam habitum fuisse, nisi forte a cognatis et ab iis qui longe ab illius pago habitarent.

(*a*) Pith. ms., *Caius*. Labb., *Calvus a Dacia ripensi de Castro martis*.

(*b*) Sic ms. ex quo vulgavit Faber, *de Patrois*. Antea mallemus *ab Achaia*. Apud Labb., *Prostarcus ab Achaia de Patris*.

(*c*) Amanuensium lapsu editum erat *Arius ab Arabia*, *Asturus a Palæstina*. Horum episcoporum mentio fit supra num. 7.

(*d*) In ms. Pith., *Covias ab Acacias*. Tum Sirm., *de Asaspofœbiis*,

(*e*) Infra Fragm. III, n. 20, mentio fit Dionysii *ab Elica provinciæ Achaiæ*.

(*f*) Ita ex Sirm. Alias vero, *At de origine*.

(*g*) In eo nimirum vico, quem Ischyras incolebat. Alias multæ erant apud Mareotem ecclesiæ: quamvis aliud sonent Hilarii verba.

(*h*) Ischyras a Nicæphoro lib. IX, c. 12, *ex se ortus presbyter* appellatur. Ipse se Colluthi presbyterum

(*i*) Addimus *si*, quod manifeste postulat orationis integritas.

(*j*) Sirm. ex ms. Remig., *constitutum est*. Ex utraque lectione facile conficere est *conspicuum est mentitos*: adeoque libenter præferremus, *quod esse patuit infectum: ut eos, qui postea indicarunt, conspicuum est mentitos non fuisse*. Sermo certe est tum de Athanasii accusatoribus, qui calicis effracti crimen ei affinxerunt, tum de Mareoticis presbyteris, ac diaconis, qui criminis hujus falsitatem postea indicarunt apud Athanas. pag. 792.

(*k*) In prius vulgatis, ut in ms., *communionis*: quod mendum in mss. valde usitatum alias experti, hic corrigere non dubitavimus.

aliis vero negatis? Quæ sunt, (*supple* perinde) atque non essent decernitis: judicatis autem illa, quæ non sunt? Sed ut subjectioni (*an* suggestioni?) huic credideritis, credo carcer exegit, custos institit, tortor incubuit, gladius pependit, ignis ambussit. In non exstantibus judicandi episcopalem apud vos auctoritatem improbitas obtinuit: in veritate obtinenda sanctitas fidem perdidit? O veros Christi discipulos! o dignos successores Petri atque Pauli! o pios Ecclesiæ patres? o ambitiosos inter Deum plebemque legatos, veritatem vos Christi falsitati hominum vendidisse! Satisfecimus igitur (*a*) primæ propositioni, qua spopondimus Athanasium reum teneri nullius eorum, quæ objectatis, criminum posse. Superest, ut quid de Marcello et Photino gestum sit, paucissimis dicam.

19. *Photini condemnatio, et Ursacii ac Valentis pœnitentia.* — « Photinus Sirmiensis Episcopus fuit a Marcello imbutus: nam et diaconus sub eo aliquandiu fuit. Hic corruptis innocentiæ **635** moribus ac disciplinis, turbare evangelicam veritatem persistebat novis prædicationibus. Et hoc ita sæpe est, ut cum incrementa vitiorum detrimenta in amore Dei fecerunt, vesanum depravatæ scientiæ studium increscat. Igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum, qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo (an. 347) erat hæreticus damnatus, ex plurimis provinciis (*b*) congregantur sacerdotes (*an.* 349), hoc magis solliciti atque anxii, turbari rursum miscerique omnia, quod jam pridem plures episcopos reos vel falsorum in Athanasio judiciorum, vel communionis hæresis Arianæ, ab Ecclesia fuerat necesse resecare. Quam opportunitatem nacti Ursacius et Valens, Romanæ plebis episcopum adeunt (*an.* 349), recipi se in Ecclesiam deprecantur, et in communionem per veniam admitti rogant. Julius (*c*) ex consilio veniam, quam orabant, impertit: ut cum lucro catholicæ Ecclesiæ, vires quoque detraheret Arianis, cum eos, qui unitatem ante turbaverunt, consilii hujus et audaciæ pœnitentes in communionem catholicam per veniam reconciliatæ pacis admitteret.

20. « Et quia non est nisi de veritate confessio, **636** nisi de vitio pœnitentia, nisi venia de admisso; Velens et Ursacius admittendi, ut orabant, in communionem, de Athanasii innocentia, de judicii falsitate, de Arianæ hæresis piaculo talibus litteris ante profitentur. »

(*a*) Ita Sirm. ex ms. Remig. Alias vero, *fini propositionis*.

(*b*) Celebre aliquod et catholicum concilium hic memorari, convenit inter omnes. De tempore illius nullus est ambigendi locus. Nam cum dicat Hilarius, Valentem et Ursacium ex hujus concilii opportunitate veniam rogasse; neque ad hoc, Socrate teste lib. II, cap. 24, animum appulerint, nisi post Athanasii Alexandriam reditum: liquet illud anno 349, biennio post Sardicense, fuisse celebratum. De loco major est inter eruditos controversia. Quid Sirmondus, Petavius, ac Petrus de Marca singularibus de hoc loco dissertationibus senserint, referre supersedemus. Plurimos fefellit Sirmii nomen, quod infra initio n. 21, occurrit. At vero Mediolani, non Sirmii, habitum fuisse haud obscure significat Ariminensis synodus Fragm VIII, n. 2, ubi de Ursacii et Valentis retractatione sic loquitur: *Rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta, quam meruerant tunc temporis a concilio Mediolanensi assistentibus etiam legatis Romanæ ecclesiæ.* Clarius græca ejusdem synodi verba, apud Athanas. de Synod. pag. 877, enuntiant eos veniam postulasse et impetrasse, quando concilium Mediolani celebrabatur: ἦν δὲ ὁ καιρὸς, καθ' ὃν ταῦτα ἐπεράττετο, ὅτε ἐν Μεδιολάνῳ τὸ συνέδριον συνεκροτεῖτο. Atqui illi veniam non impetrarunt nisi anno 349. Ex quo conficitur, Ariminensis synodi verba ad Concilium Mediolanense, non anni 347, sed 349, esse referenda. Idem dicendum de verbis Ursacii et Valentis, qui infra n. 20, apud Julium profitentur, se in libello, quem *apud Mediolanum* porrexerant, Arium anathematizasse. Ut enim libellum hunc anno 347, oblatum intelligamus, non sinit Socrates, qui lib. II, c. 24, scribit, Valentem et Ursacium permagno erga Arii dogma studio exarsisse, donec Athanasium concilio Jerosolymitano anni 349 sedi suæ et ecclesiasticæ communioni restitutum rescierunt. Eorumdem pœnitentiam eidem tempori consignat Athanasius apolog. II, pag. 775. Et certe anno 347 Valentis et Ursacii res non erant adeo desperatæ, ut catholicorum gratiam protinus sibi putarent necessariam. Ipsorum animos, etsi Sardicensis synodi sententia nonnihil dejectos, relevabant Philippopolitana placita. Eusebiani etiam tunc temporis multis in locis impune sæviebant. Athanasius ipse non ausus est nisi post biennium ad ecclesiam suam redire.

Qui libellum Ursacii et Valentis anno 347, Mediolani datum putant, nobis objiciunt non sibi videri, cur illi a synodo venia postulata Julium convenerint; aut certe si id eos synodi mandato præstitisse dixerimus, jam falsum esse quod apud Athanasium pag. 839 Osius ait, eos *ultro* Romam accessisse. At illud *ultro* violentiæ per milites aut per pœnas illatæ, non benignæ synodi adhortationi opponi, quis non videat? Æquum porro erat, ut qui ante Sardicense concilium Julii litteris conventi Romam venire contempserant, ut ipsi etiam confitentur, jam pœnitentes Romani episcopi petitioni satisfacerent. Præterea tota hæc Hilarii narratio hoc sonat, Valentem et Ursacium primum adiisse Julium, ab eoque venia impetrata. Mediolani libellum porrexisse quo Arium Ariique commenta damnarent, ac tandem litteris ad Julium missis retractasse atque revocasse quidquid contra Athanasium divulgarant.

(*c*) Petrus de Marca in diatriba de tempore synodi Sirmiensis hic legit *ex concilio*. Putat enim synodum, quam Mediolani convenisse demonstravimus, Romæ fuisse habitam, idque probari cum his Hilarii, tum Osii verbis, necnon Ursacii et Valentis litteris. Clarissimo viro subscribit Steph. Baluzius in nova conciliorum Collectione, quam magno cum labore ac diligentia suscepit. At Osii verba ea sunt apud Athanas. ad Solit. pag. 839: *Illi* (Ursac. et Valens) *ultro Romam venerunt, et coram episcopo presbyterisque ibi præsentibus professionem scripto ediderunt:* Ursacii autem et Valentis litteræ sic habent: *Profitemur apud Sanctitatem tuam cunctis præsentibus præsbyteris.* Quibus sane non celebre aliquod concilium *ex plurimis provinciis* congregatum, sed Julii tantum et presbyterorum illius præsentia significatur. Unde ex verbis Hilarii si quid immutandum, pro *ex consilio*, maxime arrideret *eo consilio*, id est eo animo, *ut vires detraheret Arianis*, etc. Qua ratione cum excuset Hilarius quamdam Julii in venia concedenda facilitatem, confirmatur quod jam confectum putamus, Ursacii et Valentis libellum, quo Arium damnarunt, non anno 347, sed 349, Mediolani datum esse. Neque

Exemplum (*a*) *Epistolæ, quam post renuntiationem Orientalium* (*b*), *Athanasium reum non esse, in urbe Roma holographa manu Valens perscripsit* (an. 349), *et Ursacius subscripsit.*

Domino Beatissimo Papæ Julio Valens et Ursacius S.

Quoniam constat, nos antehac multa gravia de nomine Athanasii episcopi litteris nostris insinuasse, atque litteris (*c*) Sanctitatis tuæ conventi, ejus rei, de qua significavimus, non præstitisse rationem: profitemur apud Sanctitatem tuam, cunctis præsentibus presbyteris fratribus nostris, omnia, quæ antehac ad aures vestras pervenerunt de nomine prædicti, falsa (*d*) a nobis esse insinuata atque omnibus viribus carere: atque ideo nos libentissime **637** B amplecti communionem prædicti Athanasii; maxime cum Sanctitas tua, pro insita sibi benevolentia, erenim de venia paulo facilius data esset excusandus, quam biennio tantum post publicum pœnitentiæ testimonium concessisset.

(*a*) Epistolam hanc, quam anno 349 consignandam probavimus, vivente adhuc Constante scriptam esse planum est ex verbis Osii apud Athanas. ad Solit. pag. 839. Eamdem græce translatam exhibet Athanasius Apolog. II, ad Constant., pag. 776.

(*b*) Puta, qui Jerosolymis anno 349 convenerunt, uti suspicamur ex verbis Socratis lib. II, c. 24, ubi primum Maximus concilio coacto *communionem et dignitatem pristinam Athanasio restituit:* tum *synodus Alexandrinis et universis per Libyam et Ægyptum episcopis ea, quæ de Athanasio statuta judicataque erant, per litteras significavit:* ac tandem *his compertis Ursacius et Valens, qui prius Arianorum dogmati mordicus adhæserant, damnato priore studio Romam se conferunt.* His suffragatur Athanasius Apol. II, pag. 775, ubi descripta synodi Jerosolymit. epistola subjicit: *His conspectis de se jam desperantes et Ursacius et Valens Romam profecti peccata sua cum pœnitentia confessi sunt*, etc.

(*c*) Num aliis, quam quas concilium Sardicense ad Julium scribens supra n. 10, memorat his verbis: *Conventi per presbyteros tuos et epistolam, ad synodum quæ futura erat in urbe Roma venire noluerunt?*

(*d*) Particulum *a* in vulgatis omissam restituimus ex Pithœano ms. Ita hæc lectio magis concinit cum initio: *Quoniam constat, nos antehac multa gravia... insinuasse.* Athanasius vero græce non reddit illud *a nobis.* Ipso suffragante antea reposuimus *ad aures vestras*, cum prius obtineret *ad aures nostras.*

(*e*) In vulgatis Athanasii edit. *Eusebius:* quod nonnullis arrisit, eo nomine Eusebianos intelligentibus, quia nimirum e vivis excesserant noti tres Eusebii, Cæsariensis, Emesenus et Nicomediensis. At hanc lectionem nostram confirmat vetustum exemplar græcum operum S. Athanasii, quod in regia bibliotheca asservatur.

(*f*) Horum loco apud Athanas. habetur, Ἐγὼ Οὐρσάκιος ὁμολογίᾳ μου ταύτῃ πάρων ὑπέγραψα, ὁμοίως καὶ Οὐάλης.

(*g*) Qui et quod aiunt Ursacius et Valens, se libellum apud Mediolanum porrexisse, et quod testatur synodus Ariminensis Fragm. VIII, n. 2, eosdem in Mediolanensi concilio veniam poposcisse, ad synodum Mediolanensem anni 347 referunt, ideo hic *a Romanis* dici putant, quia Romanæ ecclesiæ legatis assistentibus. Sed libellum prædictum petitamque veniam in annum 349 convenire jam demonstratum est: nec ullum suppetit monimentum, unde

rori nostro veniam fuerit dare dignata. Profitemur etiam, quod si aliquando nos Orientales voluerint, vel idem (*e*) Athanasius, malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos. Hæreticum vero Arium, sed et satellites ejus, qui dicunt, Erat tempus quando non erat Filius, et qui dicunt ex nihilo filium, et qui negant (*hic adde* Deum) Dei filium ante sæcula fuisse, sicut per priorem libellum nostrum, quem apud Mediolanum porrexi-mus, et nunc et semper anathematizasse, hac manu nostra, qua scripsimus, profitemur: et iterum dicimus, hæresim Arianam, ut superius diximus, et ejus auctores in perpetuum damnasse. *Et manu Ursacii:* Ego Ursacius Episcopus (*f*) huic professioni nostræ subscripsi.

« Hæc epistola (*inquit Hilarius*) post biennium missa est, quam hæresis Photini (*g*) a Romanis damnata est. »

Romanæ ecclesiæ legatos Mediolanensi anni 347 synodo interfuisse nobis constet.

Petro autem de Marca suam de Romano concilio an. 349 opinionem hinc confirmanti, præter ea quæ ei objecimus, valde incommoda sunt verba proxime antecedentia. Occurrit quidem Steph. Baluzius, ac dicit in his mendum esse, ac pro *quam hæresis*, legendum esse *quum hæresis:* at nec sic explicat quid sibi velit *post biennium missa est*, cui deinde recte cohæret *quam*, non *quum*.

Verum his verbis, *post biennium missa est, quam hæresis Photini a Romanis damnata est*, idem omnino tempus designatur, quod illis num. 19, *qui ante biennium jam in Mediolanensi synodo erat hæreticus damnatus.* Utrumque illum locum qui contolerit, non inficias ibit, epistolam Ursacii et Valentis hic C declarari missam eo ipso anno, quo ad tollendum ex episcopatu Photinum ex plurimis provinciis congregati sunt sacerdotes, et biennio post quam idem hæreticus damnatus fuerat, non in Romana, sed *in Mediolanensi synodo.* Quid igitur sibi vult illud *a Romanis?* Valde probabile est, hanc vocem ideo ab Hilario additam esse, ut quid ab Orientalibus adversus Photinum gestum sit, se minime attingere præmoneret; adeoque Romanos hic opponi Orientalibus. Namque Photinum ab Orientalibus ante annum 347 damnatum esse, testis est apud Athanasium lib. de Synod. prolixior eorum fides circa annum 344 aut 345, per Eudoxium, Martyrium et Macedonium in Italiam amandata, in qua nominatim notatur Photini hæresis: ob quam tandem anno 351, Sirmiensi Orientalium synodo ab episcopatu dejectus est. Hic igitur a Sirmiensibus adversus Photinum aliisque Orientalium gestis Romana distinguuntur. Et quidem linguam latinam *Romanam*, eos vero qui latina lin-D gua uterentur *Romanos* vocari, non solum Græcis, sed et Latinis usitatum fuit. Unde Hieronymus epist. LXII, ad Theophilum ait: *Arbitror eum assidua confabulatione et quotidiano Latinorum consortio, Romanorum non ignorare sermonem:* et apud eumdem epist. LXIII, Rufinus testatur plurimos poposcisse, *ut Origenem Romanum faceret;* et paulo post, Hieronymum spopondisse, *se ipsos Canticorum libros et alios quam plurimos Romanis auribus largiturum.* Sed quid plura? cum Hilario nostro in psal. II, n. 35: *in Romanam linguam* idem sit, quod *in Latinam linguam.* Ex quo sequitur, illud *a Romanis* perinde esse, atque *a Latinis.* Quo nomine intelligendi sunt Itali, aut etiam alii Occidentales. Unde Epiphanius cum hær. LXXI, n. 1, scripsit, Photinum *in Sardicensi Occidentis synodo damnatum;* etsi non nomen, certe tempus attigit synodi.

638 *Item exemplum alterius epistolæ* (scriptæ an. 349) *Valentis et Ursacii, quam post aliquantum temporis ab Aquileia, postquam hanc superiorem* (*a*) *Romæ emiserant, ad Athanasium miserunt et episcopos.*

Domino Fratri Athanasio Ursacius et Valens.

Dedit se occasio fratris et compresbyteri nostri Moysetis, venientis ad tuam dilectionem, frater charissime, per quem tibi salutem largissimam dicimus ex Aquileiensium civitate, et optamus ut incolumis litteras nostras recenseas. Dederis enim fiduciam, si tu quoque in rescribendo vicem nobis rependas. Sane habere nos locum tecum et communionem ecclesiasticam his litteris scito. Divina pietas te custodiat, Frater.

« Superioribus igitur litteris datis, venia indulgetur orantibus, reditus ad catholicam fidem cum communione donatur : maxime cum Sardicensis synodi veritatem (*b*) ipsæ orantium veniam litteræ continerent.

21. *Athanasius Marcellum a sua communione separat.* — « Verum inter hæc Sirmium (*c*) convenitur. **639** Photinus hæreticus comprehensus, (*d*) olim reus pronuntiatus, et a communione jam pridem unitatis abscissus, nec tum quidem per factionem populi potuit amoveri. Sed idem Athanasius Marcellum, qui post recitationem libri quem scriptum ediderat (nam hunc nos quoque habemus), sententia synodi Sardicensis episcopatui erat redditus, ubi quædam alia nova miscere sensit, et ambiguis prædicationibus, ejus in quam Photinus erupit doctrinæ viam quærere; a sua communione (*e*) separat anteriore tempore, quam Photinus arguitur, præventam judicio meditationem corruptæ voluntatis ostendens, et non ex libri editione condemnans. Sed

(*a*) Sirm., *Roma emiserant.* Pith. ms., *Romæ miserant.* Huic Hilarii notæ repugnat quod Osius apud Athanas. p. 839 ait, eos superiorem edidisse confessionem, *cum prius pacatas et amicas litteras ad Athanasium dedissent.* Osio favet Athanasius ad Solit. p. 826. Probabile tamen est, eos in epistola Julio data, ubi libelli a se apud Mediolanum porrecti meminerunt, hujus epistolæ ad Athanasium missæ mentionem facturos fuisse, si prius illam scripsissent. Alii Hilarium eo deceptum putant, quod Ursacius et Valens, postquam Athanasio pacatas litteras ac Julio libellum tradidissent, rursum aliis subscripserint litteris pacificis, quas Athanasii presbyteri Petrus et Irenæus undequaque colligebant, ut narrat Athanas. ad Solit. p. 826.

(*b*) Sardicensis synodi veritatem continent litteræ superiores, quatenus confirmant falsa esse omnia, quæ adversus Athanasium objecta sunt.

(*c*) Multi viri eruditione conspicui hic declarari existimant locum, quo ex plurimis provinciis congregati sacerdotes supra, num. 19, memorantur : adeoque catholicis conciliis annumerant hoc Sirmiense anni 349, contra Photinum. Sed hoc ab eo, quod num. 19 indicatur, aliud fuisse jam comprobatum est. Arianum autem, non catholicum exstitisse mox demonstrabitur. Neque minus a vero aberrant alii numero pauciores, qui hæc verba de Sirmiensi concilio anni 351, interpretantur.

Verius illud, *Inter hæc Sirmium convenitur*, intellexeris dici vel de iis, qui Mediolanensis adversus Photinum synodi sententiam Sirmium detulerint, vel de iis, quos eodem tempore in eadem Sirmiensi civitate convenisse ex subjectis evidens est, ac Photini damnationem ita confirmasse, ut Marcelli velut illius magistri, a quo Athanasius ipse se abstineret, mentionem callide insererent; quo Sardicensis synodi convellerent gesta, et sopitam de Athanasio quæstionem excitarent. Hujus Sirmiensis conventus gesta, quæ deinceps explicantur, illustrat Sulpicius Severus, a quo *concilium Sirmiense Arianum* inscribitur. Sic autem habet primo pag. 241, sub titulo concilii Sardicensis : *Interjecto tempore* (a Sardicensi synodo), *Athanasius cum Marcellum parum sanæ fidei esse penitus comperisset, a communione suspendit : habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus sponte concederet. Cæterum antea innocens, postea depravatus, videri poterat jam tum nocens fuisse, cum de eo fuerat judicatum.* Tum titulo posito, *concilium Sirmiense Arianum*, subjicit : *Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem, conspirant penitus Sardicensis synodi decreta convellere. Etenim eis color quidam suppetere videbatur, quod tam injuste fuisset pro Athanasio judicatum, quam Marcellus fuerat absolutus, qui nunc etiam Athanasii judicio hæreticus esse probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæresis assertor exstiterat : Photinus vero novam hæresim jam ante protulerat, a Sabellio quidem in unione dissentiens, sed initium Christi ex Maria prædicabat. Igitur Ariani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnationemque Photini et Marcelli et Athanasii eadem sententia comprehendunt : illud nimirum apud imperatorum animos præstruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello atque Photino vera sensissent.* Illum autem Sirmiensem conventum Arianum fuisse convincimur, primo ex Sulpicii testimonio; deinde ex ipsius gestis, quibus Sardicensia decreta convellere conatus est; postremo ex ejusdem fide cujus venenum prodit infra Hilarius, num. 24. Neque minus constat alium ab eo fuisse, qui anno 351 in eadem urbe celebratus est. Cum enim *imperatorum animos*, ut Sulpicius loquitur, adversus Sardicensia decreta prævertere astu tentarit; sequitur ut superstes adhuc fuerit Constans, qui anno 350 vivere desiit. In demonstrandis Mediolanensi et Sirmiensi anni 349, synodis notularum modum excessimus : sed non paucis debuit ostendi, quod tot tantorumque virorum oculos fugit, nostris alias longe perspicaciores.

(*d*) Illud *olim* ad Mediolanensem synodum an. 347 potest referri. Sed juverit hic quidquid diversis locis ac temporibus contra Photinum actum sit, paucis perstringere. Primum reus pronuntiatus est circa an. 344, in quodam Orientalium conventu, ex quo fidei formula prodiit multis appendicibus aucta, quam exhibet Athanasius lib. de synod. Quo si respexit Sulpicius, dicere ei licuit pag. 240, Sardicensi synodo rescissam non esse sententiam, qua hæreticus probabatur. Deinde anno 347, in Mediolanensi Occidentis synodo ab unitatis communione abscissus est. Cujus synodi tempus Epiphanium fefellit; ut hær. LXXI, n. 1, cum in Sardicensi Occidentis synodo damnatum scriberet. Biennio post rursum Mediolani assistentibus ecclesiæ Romanæ legatis Occidentalium judicio depositus est, depositionis sententia statim ad Orientales missa, et ab his Sirmium convenientibus confirmata est : necdum tamen propter populi factionem potuit amoveri. Sed tandem an. 351, Orientalibus denuo Sirmii congregatis ab episcopatu dejectus, eique Germinius suffectus fuit.

(*e*) Negotium facessit hic locus; maxime cum Athanasius passim Marcellum excuset, ac nominatim epistola ad Solitarios non ante annum 357 scripta. His accedit, quod Epiphanius, hær. LXXII, n. 4, narrat, sibi aliquando ab Athanasio percontanti de Marcello quid sentiret, eum nihil respondisse, sed modice subridendo quamdam dumtaxat de eo suspicionem præ se tulisse. Cum Hilario ta-

quia promptum est ex bono malum effici, præbuit non illis quæ in Marcellum gesta ante (*a*) fuerant, sed his quæ in Photinum gerenda erant, auctoritatem.

22. *In gratiam Athanasii gesta Sardicensia qui conentur Orientales irrita facere.*— « Illud autem esse cognitum cunctis oportet, nullam umquam adversus Marcellum, præter eam quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps synodum fuisse contractam; neque (*b*) tunc cum de Photino decretum ab Occidentalibus est et ad Orientales est relatum, aliquod in eum expressum fuisse judicium : sed homines mente callidos, ingenio subtiles, malitia pertinaces, occasionem revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione (Sardicæ data) **640** est dissolutum, quæsiisse judicii; et rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionum talium magistri, addidisse : ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem, et veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem causæ novitas excitaret, et subrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret. Exstat autem in (*c*) superioris epistolæ corpore, Marcellum ab Arianis occasione libri, quem de subjectione Domini Christi ediderat, una cum Athanasio fuisse damnatum. Docetur etiam recitatione ejusdem libri innocentem deprehendi. Falsitatem quoque judicii Ariani (*in synodo Constantinop. an.* 336) exstantis adhuc libri fides arguit. De Photino autem (*d*) tantum, sicuti mos poscebat, ad Orientales epistolæ fiunt, non injuria extorquendi, ut nunc (*e*) agitur, assensum, sed instruendæ universorum scientiæ consuetudine.

23. « Sed cur abnegatæ Marcello communionis Athanasius reus esse rescribitur (*A Sirmiensi Orientalium synodo*)? Numquid propter libri vitium Marcellus abstentus est? Testes ipsi sunt, ex institutis ejus Photinum perversitatis istius initia sumpsisse. Nam negata sibi ab Athanasio communione, ingressu sese ecclesiæ Marcellus abstinuit. Ita communio cum eo in ista fide (*f.* inita rectam fidem) de subjectione et traditione regni docet : **641** negata rursum pravitate (*leg.* pravitatem) doctrinæ alterius ostendit. Ac sic utrumque viri istius judicium caret culpa, cum in data communione synodi (*Sardicensis*) sit secutus assensum; in abnegata vero, ipso se Marcello abdicante solo sine ulla synodi auctoritate. Verum omnis ista alterius causæ et doloris est quæstio. Et quamquam conceptis jam diu in Athanasium odiis suis satisfiat, in majorem tamen sceleris gradum molitio tanta procedit.

24. *Rescriptum Sirmiense fidem rectam præ se ferens, fraude et veneno plenum est.* — « Nam tertius mihi locus præstat, ut fidem, quam epistolæ primordio condiderunt, fraudulentam, hæreticam, et verbis blandientibus veneno interiore suffusam esse demonstrem. *Profitemur enim ita : Unum quidem ingenitum esse Deum patrem, et unum unicum ejus Filium, Deum ex Deo, lumen ex lumine, primogenitum omnis creaturæ, et tertium addentes Spiritum sanctum paracletum :* ut cum securitas legentium, vel indoctorum simplicitas tam mollibus fuerit intercepta principiis; uno eodemque subscriptionis elicitæ assensu, in Photini animadversionem, in Athanasii reatum, in damnationem fidei catholicæ transeatur. Et spero quod non exiguam partem cognitionis istius (*scil. Athanasii innocentiæ*) synodus Sardicensis attulerit, ubi insectatione Arianorum omnia in Athanasium crimina conficta esse monstrantur, et vis adhibita plebi Dei (*Vide supra, n.* 3), ut in pestiferam lethalis doctrinæ conniventiam transirent. Rem tamen, quia causa postulat, breviter dicam.

25. *Ad tuendam Trinitatis fidem semper laborarunt apostolici viri. Ecclesiæ hostium inde in se concitarunt odium.* — « Cura et negotium apostolicis viris semper fuit, constanti et publica perfectæ fidei prædicatione, conatus omnes oblatrantis hæresis comprimere, et exposita Evangeliorum veritate, perversitatem doctrinæ errantis exstinguere; ne audientium mentes quadam labe contaminans contagium vitii adhærentis infligeret (*f.* inficeret). Itaque diligenter epistolis variis, quæ de Deo patre opinio, quæ de Dei filio cognitio, quæ in Spiritu sancto sanctificatio oporteret esse, frequenter copioseque complexi sunt; (*supple* ideo) ut cognitus de Deo patre fieret **642** Filius Deus, et in Deo filio (*supple* esset) Deus pater, et in Deo patre Filius Deus. Ac sic secundum ipsius definitionem dicentis : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30), et rursum : *Sicut, Pater, tu in me, et ego in te* (*Joan.* xvii, 21), continetur fides nostra in Patris et Filii nominibus personisque Deus unus. Neque enim vel invidia Judæorum, vel odium gentilium, vel furor hæreticorum aliis potius adversus nos causis est excitatus, quam quod æternitatis (*f*) virtutem, nomen Filii confitemur in Patre. Hæreticorum autem per-

men non solum consentit Sulpicius, ex fide ipsius eadem scribens; sed et hoc ipsum, ut infra initio num. 23 declaratur, continebat Orientalium epistola ex Sirmiensi synodo ad Mediolanensem rescribentium. An forte mera hæc fuit Orientalium illorum calumnia, cui Hilarius paulo facilius crediderit? qui deinde cum ait Marcellum ab Athanasio abstentum *anteriore tempore quam Photinus arguitur*; non intelligit tempus, quod Mediolanensem synodum anni 347 præcessit, sed illud tantum, quod Mediolanensi anni 349 superius fuit, ubi solemniori quadam ratione Photinus est damnatus.

(*a*) Scilicet Constantinopolitana synodo anni 336, cujus gesta Sardicensi dissoluta sunt.

(*b*) Hunc locum ex Sirmondi lectionibus restauramus : cum prius haberetur, *neque tunc unde Photino*. Hic conquestio est, quod Orientales Sirmii congregati de Marcello callide rescripserint, de quo Occidentales e Mediolanensi synodo nihil ipsis scripserant.

(*c*) Editi, *superiore*. Melius ms., *superioris*, scilicet epistolæ Sardicensis num. 6.

(*d*) Adjicimus *tantum* ex Sirmondi lectionibus. Constans hic sermo est de Occidentalium gestis in Mediolanensi synodo anni 349, et de Orientalium rescripto e Sirmiensi civitate.

(*e*) Puta, post Ariminensem synodum.

(*f*) In vulgatis, *æternitatis virtute*. Magis placet cum

versitas de fide impia semper exorta est. Nam dum occupati vitiis, et ab innocentiæ operibus aversi, inutilium se quæstionum difficultatibus implicant; improbabiles effecti (*a*) vita, voluntate, judicio, placere expetunt novitate doctrinæ, postquam veritatis scientiam perdiderunt.

26. *Nicæni concilii occasio. Arianorum doctrina.* « Cum igitur patribus nostris cognitum fuisset, et (*b*) Arios duos profanissimæ fidei prædicatores exstitisse, seque longius non jam opinio, sed judicium labis istius tetendisset; ex omnibus orbis partibus in unum advolant, Nicæamque concurrunt: ut exposita fide populis, et in luce intelligentiæ cognitionis divinæ itinere directo, intra ipsos auctores suos emergentis mali seminaria necarentur. Tradebant autem Arii talia: Patrem Deum instituendi orbis causa genuisse filium, et, pro potestate, (*c*) sui ex nihilo in substantiam novam atque alteram Deum novum alterumque fecisse; profani in Patrem, ex nihilo opinantes aliquid ei simile potuisse generari; blasphemi in Christum, infinitatis cum paternæ generositate exspoliantes: ut cum didicissent ex persona Patris: *Non est Deus alius præter me* (*Esa.* XLV, 18); et a Filio: *Ego in Patre et Pater in me* (*Joan.* XIV, 11); et: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30), sanctæ in utroque unitatis vinculum abruperint, non exstanti creationis (*d*) substantiæ dantes Dei filio Domino nostro Jesu Christo initium de tempore, ortum de nihilo, non ex altero.

27. « Itaque comprimendi mali istius **643** causa, mss. *æternitatis virtutem*: hoc est, Patrem confitendo sempiternum, filium ei substantia æternitatis coæternum confitemur, qui non solum nomine, sed et re, virtute ac veritate sit filius: quod clarius explicatur infra, num. 28.

(*a*) Hactenus obtinuit, *vitam*, *voluntatem judicio placere*, *expetunt novitatem doctrinæ*. Resecatis postremis litteris *m*, quæ, ut monuimus, in mss. sæpe redundant, nitida jam lectio efficitur.

(*b*) Quos hic dicat Hilarius *Arios duos*, non liquet. Intellexisse quidem videtur Sulpicius duos hic prædicari, quibus proprium Arii nomen esset, cum ait pag. 237: *Duobus Ariis acerrimis perfidiæ hujus auctoribus Imperator etiam depravatur*. Quod enim hæc ad imitationem Hilarii scripserit, nullum dubium relinquunt sequentia illius verba: quæ hic describenda ducimus, ut ex iis horum Fragmentorum antiquitas ac veritas magis ac magis confirmetur. *Quæ autem*, inquit, *Ariani prædicabant, erant hujusmodi: Patrem Domini instituendi orbis causa genuisse filium; (eo, f. eum) pro potestate sui ex nihilo in substantiam novam atque alteram factum Dominum novum alterumque; fuisse autem tempus, quo Filius non fuisset. Igitur hujus mali causa synodus apud Nicæam ex toto orbe contrahitur*, etc. Hinc antiquus auctor prologi in disputationem Athanasii contra Arium tum apud Athanas. tom. II tum apud Vigilium Taps., Sulpicium in Chronicis testem adhibet, quod *duo Arii tamquam duo serpentes ex uno ore sibilabant*. Et certe primæ Arianarum partium fidei confessioni apud Epiphan. hær. LXIX, n. 8, subscribunt Arii duo. Ita etiam Alexander, in encyclica apud Socratem, lib. I, c. 6, inter eos qui ab Ecclesia defecerant, recenset Arium, Achillam, Æthalem, Arium alterum, etc. Vix tamen alicujus nominis est alter hic Arius, ut cum primo comparetur atque conjungatur. Neque illum hic ab Hilario respici facile crediderim. Probabilius est,

A (*e*) trecenti vel eo amplius episcopi apud Nicæam congregantur: in omnes Arianos, assensu omnium, damnatio hæretica decernitur, et evolutis evangelicis atque apostolicis doctrinis, perfectum unitatis catholicæ lumen effertur. Quid igitur fuerit expressum, fides ipsa, ut est exposita, commendat. »

Incipit fides apud Nicæam conscripta (an. 325) *a trecentis decem et octo episcopis contra omnes hæreses.*

Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum filium Dei (*f*) unigenitum, natum de Patre, hoc est, de substantia Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substan- B tiæ cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον, per quem omnia facta sunt, sive quæ in cœlo sive quæ in terra, qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, incarnatus est, homo factus est, passus est, et resurrexit tertia die, adscendit in cœlos, venturus judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt, Erat quando non erat, et prius quam nasceretur non erat, et quia ex nullis exstantibus factus est, quod Græci (*g*) ἐξ οὐκ ὄντων dicunt, vel alia substantia sive essentia, dicentes mutabilem et convertibilem filium Dei; hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.

28. *Fidei sinceræ comparatione adulterinæ falsitas patet.* — « Fides fidei comparata falsitatem (*h*) mentionis exponit. Nam quæ apud Nicæam ordinata est, C duos hic ab ipso notari Arianæ sectæ principes, Arium scilicet et Eusebium Nicomediensem. Hilario enim *Ariorum* vocabulum non hominis unius alteriusve proprium, sed totius sectæ commune fuisse constat ex his lib. de Synod. n. 83: *Placeat quod ab Ariis sit negatum*: et mox, *Ipsa Ariorum perfidia*.

(*c*) Alias, *sive ex nihilo, ex substantia nova atque altera*. Præferimus cum Sirm. ex ms. Remig. *sui ex nihilo*, suffragante proxime allato Sulpicii loco, ex quo cætera corrigimus. Vid. lib. VI de Trin. n. 18.

(*d*) Pith. ms., *substantia*. An forte *de non exstanti creationis substantia*; vel *non exstantis creationis substantiam?* Deinde pro *non ex altero*, mallemus *aut ex altero*. Nam *ex altero* intelligit Hilarius *ex altera substantia*. Unde, lib. VI de Trin. n. 16, ait: *Uniuscujusque intelligentiam consulo, quid existimet in eo, cum dictum sit* EX IPSO: *utrumne* EX ALTERO *intelligendum sit, anne ex nullo, an vero ipse ille credendus sit?* EX ALTERO *non est, quia ex ipso est*, etc.

(*e*) Cum Constantinus apud Socratem lib. I, cap. 9, D et Marius Victorinus, lib. I, trecentos et amplius episcopos apud Nicæam convenisse scribunt, a communi aliorum Patrum consensu non dissentire existimandi sunt, sed potius cum Hilario nostro pro certo ac definito numero indefinitum posuisse. Ipse enim non solum lib. de Synod. n. 86, sed etiam hic infra fidem Nicænam *a trecentis decem et octo episcopis* conscriptam tradit.

(*f*) In ms. Colb. deest *unigenitum*: quæ vox lib. de Synod. non hic, sed post sequentes *natum de Patre* ponitur.

(*g*) Mendose in mss. *exuculon*. In lib. de Synodis non exstat, *quod Græci dicunt* ἐξ οὐκ ὄντων; et antea habetur *de non exstantibus*; et post *Deum*, non *filium Dei*; proxime omissis vocabulis *et apostolica*.

(*h*) Ita Sirm. ex ms. Remig. neque aliud in Pithœano reperit Faber, qui tamen edidit *inventionis*. Si

plena atque perfecta est, et omnibus undique, quibus irrepere hæretici solent, aditibus obseratis, inviolabili inter Patrem et Filium æternæ unitatis soliditate connectitur : hæc vero simplicitate blanditur, primum asserens nos ita credere, quod absit a quoquam. Cæterum Occidentalium fides, evangelicis instituta doctrinis, Patrem in Filio, Filium confitetur in Patre ; Patrem ingenitum, Filium substantia æternitatis æternum, id est, ut Patrem semper, ita et Filium semper in Patre, et natum de Deo **644** Deum esse, non conceptum scilicet, et in eo semper de quo est, esse.

29. « At vero hæc perfidia (*Orientalium Sirmio rescribentium*) non fides, *Deum ex Deo* dicens, et *primogenitum* commendans, et Trinitatis nomen instituens, virus suum sub modestia religiosæ moderationis occultat, dicens, *Deum ex Deo*, *lumen ex lumine* : ut per occasionem confessionis istius, ex Deo ac lumine, Deus ac lumen factus a Deo, non genitus de Deo, id est, non de substantia paternæ æternitatis exstiterit; ac sic contumelia Patris vilescat et Filius, si Deus ortus ex nihilo est : in primogeniti vero confessione ordinem quemdam ab ejus ortu creantis (*f.* creatis) mundi rebus assignent : ut quia mundus ex tempore est, tamen, licet mundo prior sit Christus, ex tempore sit; et non æternitas in eo tempore (*an* ante tempora?), sed ordo in tempore sit creati (*f.* creatis) : ac per hoc aliquid quod ante eum sit relinquatur, qui esse cœpit ex tempore ; (*adde* et) dissolvatur in Christo omne quod Deus est, cum in eo non exstantis aliquando Mariæ ortus a tempore sit.

30. *Christus quo sensu primogenitus omnis creaturæ.* — « Quin etiam homines spe omni bona vacui, ad occasionem tanti periculi auctoritatem apostolicam pertendunt; quia de eo dictum sit, *primogenitus omnis creaturæ*. Sed subtrahentes antecedentem consequentemque sententiam, aptant (*f.* aptam) doctrinis suis sub Apostoli nomine perstruunt falsitatem. Nam talis est ordo dictorum : *Qui est imago Dei invisibilis*, quid mutandum, magis arrideret *intentionis*, puta Orientalium : qui Sirmio rescribentes, fidei confessionem omnino nudam ac jejunam Photini condemnationi subnexuerunt.

(*a*) Mss. *incognita*. Non displiceret *congenitæ*, vel *in eo genitæ*. In ipso autem nascente creata omnia connexa erant et quodammodo genita : *quia nascebatur creator Deus*, ut exponitur lib. II de Trin. n. 20 : *Primogenitus itaque omnis creaturæ est*, inquit lib. VIII, n. 50, *quia in ipso creata omnia sint* : et paucis interjectis : *Primogenitus quoque omnis creaturæ est, continens in se universitatis exordium*. Ex quibus sic explicare licet hunc Hilarii locum : Numquid qui invisibilis Dei imago est, ex nihilo putandus est, et ordo seu in ordine rerum creatarum esse, et cœpisse ex tempore? Aut numquid potius cum primogenitus appellatur omnis creaturæ, ordo quidem connexæ in eo tamquam in causa creationis omnis exprimitur ; sed non sequitur eum ita esse primogenitum, ut in ordine sit rerum creatarum. Hanc explicationem confirmant subnexa.

(*b*) In vulgatis, *constituerat*. In mss., *constituerunt;* et paulo ante, *qui effecturus erat*, non *quæ*. Duo illa verba non temere nobis videmur correxisse.

(*c*) Editum erat *distenderent*, cum in mss. habeatur *discederent*. Sensus postulat *disciderint :* et crebra est in mss. *i* in *e* mutatio ; sicuti loco *ut* sæpe occurrit *et*. Adeoque proxime legendum putamus, *ut in separatis duobus assistat auctoritas :* quod potest ita intelligi, ut auctoritas, ex qua procedit Spiritus sanctus, non sit una, sed in duobus separatis exsistat. Tum *tertia* (supple *substantia*) *dinumeratur in Spiriru*.

(*d*) Ex lectionibus Sirm. addimus *cum :* sed et antea *ut* pro *et* lubenter susciperemus. Sic enim hic locus resarciendus videtur : *ut cum sit Pater in Filio, et Filius in Patre, et Spiritus accipiat ex utroque; in eo, quod* (secundum catholicos) *Spiritus exprimitur sanctæ hujus inviolabilis Trinitatis unitas, hæretica parte parturiat trinitas pronuntiata dissidium.*

(*e*) In vulgatis, *inclusit*. Concinnius tamen in mss., *conclusit*, id est, ita compressit, ut nullus evadendi locus relinqueretur. Paulo ante reposuimus *præscripto*, ubi obtinebat *perscripto*.

(*f*) Quod hic deest, facile intelligitur, Patrem scil. et Filium natura unum esse ; cum uterque unus Deus sit, sub nomine tamen ac proprietate personali. Quod jam num. 25 declaratum est his verbis : *Fides nostra* hæc est, *in Patris et Filii nominibus personisque Deus unus*. Unde conjectamus legendum esse, *unum primogenitus omnis creaturæ : quia in ipso constituta sunt omnia in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per ipsum et in ipso condita sunt, et ipse est ante omnes* (*Coloss.* I, 15, 16). Imago ergo Dei invisibilis ex nihilo ordo est, et cœpit a tempore? Aut quia primogenitus omnis creaturæ est, ordo quidem in eo connexæ (*a*) incognitæ creationis exprimitur, sed non sequitur primogenitum omnis creaturæ? Quia in ipso constituta sunt omnia in cœlis et in terra, id est, in ipso universorum elementorum visibilium et invisibilium condita et constituta materia est; et idcirco omnia per ipsum et in ipso : idcirco primogenitus omnis creaturæ, quia in eodem, jam a principio, omnium quæ effecturus erat, omnia generationum **645** initia (*b*) constiterunt. Atque non ita in ordine creaturarum, quæ in ordine constitutæ sunt, primus in numero est : sed ipse imago Dei invisibilis, manens per virtutem efficiendi semper in ipso, se primogenitum habuerit eorum, quæ per ipsum in cœlo et in terra visibilia et invisibilia crearentur exstantia.

31. *Trinitas qui dispar inducatur.* — « Quin etiam haud dissimilis, in Trinitatis nuncupatione, falsitatis eorum contextus est. Ubi enim a diversis substantiis Filium a Patre, impio et maledico ore (*c*) disciderint, et in separatis duobus assistat auctoritas, tertia dinumeratur in Spiritu : et (*d*) cum fit Pater in Filio et Filius in Patre, et Spiritus sanctus accipiat ex utroque; in eo, quod Spiritus exprimitur sanctæ hujus inviolabilis unitas (*f. add.* Trinitatis), hæretica parte parturiat Trinitas pronuntiat (*f.* pronunciata) dissidium.

32. *Nicænus tractatus quam accuratus.* — « Sed diligens Nicæni tractatus perfectusque sermo artissimo veritatis præscripto, omnia hæreticorum ingenia (*e*) conclusit, ita ponens : *Credimus in unum Deum patrem, et in unum filium ejus Jesum Christum*. Unum ambo, et uterque unum, (*f*) et in personali nomine

patris. *Et in Filium unum*, quia unus est de utroque. *Deum verum de Deo vero* docet et virtutem et nuncupationem (*a*) pari in utroque veritate communem; neque aliud in alio opinandum, cum Deus de Deo, et verus de vero sit uterque unum. Cum vero sit in utroque (*supple*, unum, *scil.* nomen, virtus, *etc.*); *natum vero non factum* ad proprietatem ortus et originis refert: quia fieri, ex nullo subjaceat; nasci autem, de patre proprium; neque alia nascentibus, quam originis suæ, forma vel virtus est. Quod autem fit, ex opere exsistit ut fiat. Atque ita non factura in eo cœpit ex nihilo; sed est nativitas (*b*) a parente. *Unius* autem *cum patre substantiæ*, *quod Græci dicunt* ὁμοούσιον. Ita est: **646** æternitas sola sui similis est, et quod est semper, in Deo est. Ne qua igitur labes in Dominum Jesum Christum hæreticæ pravitatis incideret, idcirco in eo essentiæ veritas explicatur. (*c*) Essentia enim ex eo, quod semper est, nuncupatur: quæ quia extrinsecus opis ad continendam se numquam eguerit, et substantia dicitur; quod intra se id, quod semper est, et in æternitatis suæ virtutem subsistat. Ac sic quod ait: *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* x, 30); et, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* xiv, 9); et rursùm: *Ego in Patre, et Pater in me est* (*Ibid.* 11); et illud, *Ego de Patre exivi* (*Joan.* xvi, 28): æqualis in utroque, id est, in Deo qui innascibilis est, et in Deo (*Hic desideratur* qui genitus est) una atque eadem in utroque subA stantia æternitatis expletur. Quod autem *descendit*, *incarnatus est*, *homo factus est*, *et resurrexit tertia die*, *adscendit in cœlos*, *venturus judicare vivos et mortuos*; sacramenta salutis nostræ in his continentur. Sed idcirco immutabilis et inconvertibilis filius Dei (*d*), ut in assumptione hominis corruptioni potius gloriam intulerit, quam labem æternitati. Anathema autem in eos, qui ex nihilo factum dicunt, quod (*e*) ἐξ οὐκ ὄντων Græci dicunt, et qui dicunt: *Erat quando non erat*, *et prius quam nasceretur non erat*, damnationem in Christo violatæ æternitatis, id est, deitatis paternæ, sub maledictione designat.

33. «Hujus igitur intimandæ cunctis fidei, Athanasius in Nicæa synodo diaconus, deinceps Alexandriæ episcopus, vehemens (*f*) auctor exstiterat, et Ariaнam pestem in tota (*g*) Ægypto veri tenax vicerat: atque ob id conjuratis in eum testimoniis falsitas est criminum comparata. Res postea (*h*) fidelibus judicum dijudicata sententiis. Sed multum ad cognitionem proficiet, si quæ post absolutionem Athanasii, ad Constantium Imperatorem **647** Sardicensis synodi oratio (*i*) fuerit, cognoscatur.»

B

FRAGMENTUM III (*Alias* II *partis*).

INCIPIT DECRETUM SYNODI (*j*) ORIENTALIUM APUD SERDICAM (*k*) EPISCOPORUM A PARTE ARIANORUM, QUOD MISERUNT (*l*) AD AFRICAM (*Editum an.* 347).

Gregorio Alexandriæ episcopo, Nicomediæ epiC qua multa scitu digna contineri significant Patres Sardicenses, supra, num. 12. Quo in loco ad Constantem etiam a synodo scriptum esse indicant: nisi forte una eademque epistola utrique imperatori missa sit. At certe perspicuum est, hic nonnihil ad operis hujus integritatem desiderari.

(*j*) Synodi hujus meminere Socrates, lib. II, c. 20, et Augustinus, lib. III contra Crescon., et epist. XLIV. Ac præterea decretum illius summatim perstringunt Sozomenus, lib. III, c. 11, et Nicephorus, lib. IX.

(*k*) Mentito quidem nomine; cum Ariani Sardica aufugientes, hanc pseudosynodum Philippis in Thracia sub eodem tempore habuissent, quo celebrata est vera synodus Sardicensis. Hujus gesta Augustino et Alypio ita latuerunt, ut illam unam pro Sardicensi habuerint. Hilarium quoque in libro de Synodis eodem modo fuisse deceptum, Faber ac multi alii existimant: sed nulla hoc ratione persuadent. Imo fidei confessionem ibi editam non œcumenicæ synD nodi, sed unorum Orientalium esse conceptis verbis indicat: et cum cæteras eorumdem formulas e locis, in quibus scriptæ sunt, inscribat; ea una suppresso invidioso loci nomine simpliciter ab eo inscribitur: *Fides secundum Orientis synodum*. Eam quidem in Constant. n. 23, *Sardicensem* vocat: sed quis eum, cum hunc librum scripsit, rerum Orientalium ignarum existimet? Certe in eo non loquitur ut illarum ignarus.

(*l*) Eo nimirum consilio, ut Donatistas sibi adjungerent. Quod enim Augustinus, lib. III contra Crescon. c. 34, velut ex conjectura ait, *Africanam hæresim Orientalis hæresis sibi tentavit adjungere*, epist. alias CLXIII, nunc XLIV, n. 6, ex publico rumore confirmat his verbis: *Quoniam nescio quando audieramus*, *Arianos*, *cum a communione catholica discrepassent*, *Donatistas in Africa sibi sociare tentasse*; *ad aurem mihi hoc ipsum frater Alypius suggessit*. Hoc certe hæretico illorum ingenio dignum erat, quo jam appetierant Meletianorum societatem. Quocirca illud;

ambo, *et uterque unum*. *Et in Patrem unum*, *quia unus personali nomine Patris*. *Et in Filium unum*, *quia unus est de uno* (vel rursum *quia unus est personali nomine Filii*: et postea), *Et in Deum unum*, *quia unus est de utroque*.

(*a*) Ita corrigimus: cum prius haberetur, *patri*..... *commune*.

(*b*) Particulam *a* supplemus ex Sirm. qui postea legit, *unius et ejusdem compare substantiæ*: ubi Faber ex ms. Pith. retinuit, *unius autem compare substantiæ*. Nullum dubium est, quin sincera sit lectio quam præferimus. Hic enim repetuntur simul et explicantur ipsa symboli Nicæni verba.

(*c*) Jam. lib. de Synod. n. 12 audivimus, *Proprie autem essentia idcirco est dicta*, *quod semper est*. Porro de essentia hic nonnihil disserit Hilarius; quia vox οὐσία, ex qua fit ὁμοούσιον, essentiam sonat, eoque nomine ab ipso latine reddi solet, ut patet ex versione decretorum Ancyran. liber de Synod. n. 14, etc.

(*d*) Supple, prædicatur in Nicæno symbolo. Tum cum subnexis maximam affinitatem habent apud Ambrosium hæc verba Tract. de fide orthodoxa c. 8, in Append. tom. II: *Cum hominem induere dignatus est*, *non labem æternitati intulit*, *ut Spiritum in carnem mutaret*; *sed ut suscepto homini immortalitatem atque æternitatem cœlestis vitæ præstaret*.

(*e*) Rursum hic in mss. *exucuton*.

(*f*) Non quidem condendæ (hanc enim Athanasius ipse ad Solit. pag. 837 Osio laudem tribuit, quod *formulam fidei in Nicæna synodo concepit*), sed ejusdem *cunctis intimandæ*.

(*g*) Jam Hilarius, lib. in Constant. n. 12, testificatus est Ægyptios in Seleuciensi synodo homousion constantissime obtinuisse, nullum eorum excipiens præter Georgium, qui in Alexandrinam sedem invaserat. Excipiendi tamen sunt Meletiani, quos sibi Ariani adjunxerant.

(*h*) Puta, in Sardicensi synodo.

(*i*) Magno historiæ damno excidit hæc epistola, in

scopo(*a*), Carthaginis episcopo, Campaniæ episcopo, Neapolis Campaniæ episcopo, Ariminiadeno Campaniæ episcopo, Salonarum Dalmatiæ episcopo, Anfioni, Donato, Desiderio, Fortunato, Euthicio, Maximo, Sinferunti, et omnibus per orbem terrarum consacerdotibus nostris, presbyteris et diaconibus, et omnibus qui sub cœlo sunt in Ecclesia sancta catholica, (*b*) episcopi qui a diversis Orientalium (*adde* partium) provinciis, id est, provincia Thebaida, (*c*) et provincia Palæstina, Arabia, Phœnice, Syria (Syria Cœle), Mesopotamia, Cilicia, (*d*) Isauria, Cappadocia, Galatia, Ponto, Bithynia, Pamphilia, Paphlagonia, Caria, Phrygia, Pisidia, et ex insulis Cycladum, Lydia, Asia, Europa, Hellesponto, Thracia, Emimontu, (*e*) ad civitatem Serdicam congregati concilium celebravimus, in Domino æterna salus.

1. *Unitatis et traditionum servandarum fictus amor.* — Est quidem nobis omnibus indeficiens oratio, dilectissimi Fratres, primo ut sancta Domini et catholica Ecclesia dissensionibus omnibus et schismatibus carens, unitatem spiritus et vinculum charitatis ubique conservet **648** per fidem rectam. Sed et vitam immaculatam quoque tenere, amplecti, custodire, servare omnibus invocantibus Dominum est quidem justum, præcipue episcopis qui ecclesiis sanctissimis præsumus. Secundum, ut Ecclesiæ regula sanctaque A parentum traditio atque judicia in perpetuum firma solidaque permaneant, nec nobis semper gentibus, sectis (*f.* novis emergentibus sectis), traditionibusque perversis, maxime in constituendis episcopis, vel in exponendis, aliquando turbetur, quo minus teneat evangelica sanctaque præcepta, et quæ sanctis et beatissimis Apostolis jussa sunt et majoribus nostris, atque (*f.* et quæ) a nobis ipsis in hodiernum usque servata sunt, et servantur.

2. *Marcelli doctrina.* — Exstitit namque temporibus nostris Marcellus quidam Gallaciæ, hæreticorum omnium exsecrabilior pestis, quique sacrilega mente ore profano, perditoque argumento velit Christi Domini regnum perpetuum, æternum et sine tempore, disterminare; initium regnandi accepisse Dominum B dicens ante quadringentos annos, finemque ei venturam simul cum mundi occasu. Etiam hoc asserere cœpti temeritate conatur, quod in corporis conceptione tunc factus sit imago invisibilis Dei, tuncque et panis, et janua, et vita effectus. Eadem hæc non solum verbis nec (*f.* ac) loquacitatis assertione confirmat; sed totum, quidquid fuerat sacrilega mente conceptum, blasphemoque ore prolatum, (*f*) concupiscentia nitenti, libro blasphemiis et execrationibus pleno indens, etiam alia multa (*f* multo) pejora, calumniam (*g*) in ipsum faciens divinis Scripturis cum sua **649** interpretatione et scelerata mente, (*h*) quæ

quod miserunt ad Africam, non sic accipiendum est, ut hoc decretum ad Afrorum Ecclesiam, sed tantum ad partem Donati in Africa exsistentem missum fuerit. Et Augustinus quidem testis est, nullam in eo Africæ factam esse mentionem; ut Fortunius Donatista *ne id quidem probare posset, utrum ad Africanarum specialiter ecclesiarum episcopos illæ litteræ missæ fuerint.* Addit, neque diem neque consulem in eis inveniri, unde tempus illarum dignoscatur.

(*a*) Majoris perspicuitatis ergo Faber unicuique episcopo sedis suæ nomen subjecerat in hunc modum: *Anfioni Nicomediæ episcopo, Fortunato Neapolis Campaniæ episcopo, Maximo Salonarum Dalmatiæ episcopo, Sinferunti*, etc. Satius tamen duximus, eum verborum ordinem revocandum, qui in mss. exhibetur: præsertim cum ex Augustino, lib. III contra Crescon. c. 34, necnon lib. IV, c. 44, et epist. XLIV, constet, sola episcoporum, ad quos hæ litteræ erant missæ, non civitatum, quibus præerant, nomina fuisse prænotata; adeo ut Donatone Carthaginis, an alteri Donato datæ fuissent, probari nullo pacto posset. Hæc illius verba sunt, lib. IV cont. Crescon. c. 44: *Nec additis civitatum nominibus legi solet: quia nec mos est ecclesiasticus, quando episcopi episcopis scribunt epistolam.* Sic tamen et in C eodem libro, et in tertio loquitur, quasi jam tum Donati nomini Carthaginis vocabulum a Donatistis adjectum esset.

(*b*) Hæc vox manifeste pertinet ad eos qui mittunt, non ad quos mittitur hæc epistola. Nam nominatis *omnibus consacerdotibus*, id est episcopis, ac deinde *presbyteris et diaconibus*, recte sequitur omnium per orbem catholicorum appellatio, quod jam sonat lectio nostra, qua restituimus *episcopi*, ubi prius obtinebat *episcopis*, hac voce cum præcedenti *omnibus* inepta repetitione copulata.

(*c*) Lib. de Synodis hic adjicitur *Ægypto*. Quamvis autem Ægyptii fidei Nicænæ et Athanasio adhærerent, huic tamen conciliabulo interfuerunt Meletiani nonnulli.

(*d*) In mss., *Pisauria*. At lib. de Syn. nec *Isauria*, nec *Pisauria*.

(*e*) Exstat præterea lib. de Synod. *Mysia* cum *Pannoniis duabus*. Sed neque hic idem ordo, qui illic, in recensendis provinciis.

(*f*) In archetypo exemplari, *concupiscentiam intenti*. An *cum licentia impudenti*, vel, *cum audacia ingenti?*

(*g*) Apud Labbeum, *in ipsis*. Mallemus *in ipso*, scil. libro.

(*h*) Forte, *qua quæ contra illas*, vel, *quæ contraria illis*, tacito verbo *sunt*. Hic declaratur, quid sit calumniam Scripturis facere, eas nimirum ad alienos atque ipsis contrarios sensus detorquere. Hæc loquitur pseudosynodus juxta Eusebium Cæsar. qui cum lib. I contra Marcellum, cap. 2, affirmavit, eum Scripturas non satis calluisse, lib. II, c. 1, allatis contra illius opinionem Scripturis sic in illum invehitur: *Quanta autem cum audacia Marcellus hisce testimoniis contraria scripserit et repugnantia, ab ipsius scriptis edocearis licet, in quibus Filii cum deitatem, tum etiam humanitatem pernegavit.* Ipsius autem sententiam paulo ante his verbis exponit: *Nescio quo pacto affirmet, Verbum minime subsistens assumpsisse* D *carnem, et in illa operatum esse; et tum primum Christum exstitisse Jesum, regem, imaginem Dei, dilectum filium, glorificatum, primogenitum omnis creaturæ, cum non esset prius, nec antea omnino subsisteret. In primis paradoxum illud est, incœpisse hoc Verbum non ab annis hinc retro 400 completis, et simul in eamdem non existentiam revolvendum post judicii tempus, Verbo quidem Deo demum adunito, ita ut præter Deum nihil quidquam existat: carne quam assumpsit desolata et destituta a Verbo: ita ut neque filius Dei subsistat, nec filius hominis quem assumpsit.* Ambigua quidem sunt Marcelli verba: sed ab omni tamen impietate possunt purgari. Fatetur enim Eusebius, lib. I, c. 1, p. 4, illum proferre solitum esse: *Verbum tantummodo exstitisse intus dum consisteret quiescente suo Patre, operatum vero idem Verbum cum creaturas effigiaret.*

contra illis ex suo pestifero sensu applicabat, quibus ex rebus aperte manifesteque constitit hæreticus. Quique assertiones suas quibusdam squaloribus miscens, nunc falsitatibus Sabellii, nunc malitiæ Pauli Samosatensis, nunc blasphemiis Montani hæreticorum omnium ducis aperte permiscens, unamque confusionem de supradictis faciens, ut imprudens Galata in aliud Evangelium declinavit, quod non est aliud, secundum quod beatus Paulus tales condemnans ait : *Etsi angelus de cœlo aliter annuntiaverit vobis quam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.* I, 8).

3. *Prima ejusdem condemnatio. In archivo Ecclesiæ asservatur doctrinæ ipsius censura.* — Magna autem fuit parentibus atque majoribus nostris sollicitudo de supradicta prædicatione sacrilega. Condicitur namque (*an.* 336) in Constantinopolim civitatem sub præsentia beatissimæ memoriæ Constantini imperatoris concilium episcoporum, qui ex multis Orientalium provinciis advenerunt, ut hominem malis rebus imbutum salubri consilio reformarent, et ille admonitione sanctissima correptus a prædicatione sacrilega discederet : quique increpantes illum, et exprobrantes, necnon charitatis affectu postulantes multo tempore, nec quidquam proficiebant. Namque post unam et secundam multasque correptiones, cum nihil proficere potuissent (perdurabat enim et contradicebat rectæ fidei, et contentione maligna Ecclesiæ catholicæ resistebat) ; exinde illum omnes horrere ac vitare cœperunt : et videntes quoniam subversus est a peccato, et est a semetipso damnatus, actis eum ecclesiasticis damnaverunt, ne ulterius oves Christi pestiferis contactibus magis macularet. Tunc namque etiam ejus aliquos pravissimos sensus contra fidem rectam Ecclesiamque sanctissimam, propter memoriam posterorum cautelamque, suis sanctissimis scripturis in archivo Ecclesiæ condiderunt. Sed hæc quidem secundum impietatem Marcelli hæretici prima fuerunt : pejora sunt deinde subsecuta. **650** Nam quis fidelium credat, aut patiatur ea, quæ ab ipso male gesta atque conscripta sunt, quæque digne anathematizata sunt? (*a*) [Nam cum ipso Marcello a parentibus nostris in Constantinopolim civitatem.] Namque liber sententiarum exstat in ipsum ab episcopis conscriptus : in quo libro etiam isti, qui nunc cum ipso sunt Marcello atque illi favent, id est, Protogenes Serdicæ civitatis episcopus et (*b*) Siracusanus, in ipsa sententia manu propria conscripserunt : quorum manus valens testatur, fidem sanctissimam nullo genere mutandam, nec Ecclesiam sanctam prædicatione falsa subvertendam ; ne hoc modo pestis ac lues animarum omnibus gravissima importetur, Paulo dicente : *Sive nos, sive angelus de cœlo aliter annuntiaverit vobis quam quod accepistis, anathema sit* (*Gal.*, I, 8).

4. *Marcellus damnatus a pluribus episcopis in communionem recipitur.* — Vehementer autem admirati sumus, quatenus eum, qui aliter quam in vero est audet Evangelium prædicare, quidam, qui se ecclesiasticos esse volunt, facile ad communionem recipiunt ; nec blasphemias ejus, quæ in ipsius libro signatæ sunt, inquirentes, nec illis, qui sollicite cuncta investigaverunt, et invenientes juste damnaverunt, consensum accommodare voluerunt. Etenim Marcellus, cum apud suos hæreticus haberetur, peregrinationis (*c*) auxilia requisivit : scilicet ut et illos falleret, qui et ipsum et ejus scripta pestifera ignorarent. Sed quidquid apud illos agit, impia sua scripta sensusque profanos occultat falsa pro veris opponens, quæstum sibi de simplicibus atque innocentibus fecit, quique sub prætextu ecclesiasticæ regulæ multos Ecclesiæ pastores induxit (*an* seduxit?) : eosque in suam redigens potestatem, Sabellii hæretici sectam inducens, callida fraude decepit, restaurans Pauli Samosatensis et artes et dolos. Mixta enim est omnium hæreticorum sectis Marcelli extranea traditio, sicut supra memoratum est. Unde convenerat, omnes Ecclesiæ sanctæ præpositos **651** memores dictorum Domini Christi dicentis : *Cavete vos a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, a fructibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.*, VII, 15, 16), vitare ab hujusmodi et horrere, nec illis facile communicare, agnoscere illos ex actibus suis, atque ex eorum scriptis sacrilegis prædamnare. Nunc vero vehementer metuimus, ne nostris temporibus compleatur quod scriptum est : *Cum dormiunt homines, venit inimicus et spargit zizania inter frumentum* (*Matth.*, XIII, 25). Cum enim non vigilant hi, quos vigilare oportet in custodia Ecclesiæ ; falsa verba (*d*) imitantia, funditus id quod rectum est vertunt.

5. *Marcello neganda communio denuntiatur.* — Quapropter nos, qui plene ex libro Marcelli ejus sectam sceleraque cognovimus, scripsimus vobis, dilectis-

ὡς οὐδὲν ἕτερον ἦν ὁ λόγος ἐνδὸν μένων ἐν ἡσυχάζοντι τῷ Πατρί, etc. Quibus verbis non tam negatur exstitisse, quam externum opus exhibuisse. Sic et more aliorum Patrum affirmare ei licuerit, humanam Christi naturam per gloriam in Deum transituram esse speciali quadam cum Deo conjunctione, sed sine abolitione ipsius naturæ.

(*a*) Nisi supervacanea sunt quæ intra uncinos includuntur, desiderantur hic nonnulla. Aut certe legendum : *Anathematizata sunt cum ipso Marcello a parentibus nostris in Constantinopoli civitate?*

(*b*) In archetypo ms., *Siriacusanais :* unde si quis volet conficiendum esse *Cyriacus Ariminensis*, cujus successor Gaudentius infra damnatur, quod Marcellum recipiat, in quem ille sententiam dixerat ; det ille necesse est Cyriaci tum defuncti nomen pro ecclesia quam rexit substitutum : quasi diceretur, episcopi Sardicensis et Ariminensis, qui modo Marcello favent, prius *in ipsum sententiam* (sic enim legendum videtur, non *in ipsa sententia*) *conscripserunt ;* Sardicensis quidem proprio nomine, Ariminensis vero in Cyriaco decessore suo.

(*c*) Sic illi vocant Marcelli iter, quo Romam ad Julium perrexit.

(*d*) In vulgatis, *nutantia*. Ex mss. revocamus *imitantia*, et, si liceret, adderemus *veritatem*. Mox etiam magis placeret *evertunt*, quam *vertunt*.

simi Fratres, ut neque Marcellum, neque eos qui illi junguntur, ad communionem sanctæ Ecclesiæ admittatis ; memores quoque sitis prophetæ David dicentis : *Dixi eis qui faciunt facinus, ne feceritis facinus ; et delinquentibus, ne exaltaveritis cornu. Nolite in altum tollere cornu vestrum : ne loquamini adversus Dominum iniqua* (*Psal.* LXXIV, 5, 6). Et credite Salomoni dicenti : *Nolite transferre terminos æternos, quos constituerunt patres vestri* (*Prov.*, XXII, 28). Quæ cum ita sint, nolite supradicti Marcelli pravissimi sequi errores, et ea, quæ ab ipso injusta prædicatione contra Dominum Christum inventa traditaque sunt, prædamnate ; ne blasphemiis sceleribusque etiam ipsi participes sitis. *Sed propter compendium hæc hactenus de Marcello.*

6. *Athanasio conficta crimina.* — Verum de Athanasio quondam Alexandriæ episcopo accipite quæ gesta sunt. Accusatus est graviter juxta Deum sacrilegus, et juxta mysteria Ecclesiæ sanctæ profanus, quique propriis (*a*) manibus comminuit poculum Deo et Christo dicatum, ipsumque altare venerandum confregit, sedemque sacerdotalem subvertit ipse, atque ipsam basilicam, Dei domum, Ecclesiam Christi, demolitus usque ad solum est. Presbyterum vero ipsum, virum gravem et justum, nomine Narchen (Ischyram), tradidit custodiæ militari. Accusatus præterea est de injuriis, violentia, cæde, atque ipsa (*b*) episcoporum internecione. Quique etiam diebus sacratissimis Paschæ tyrannico more sæviens, Ducibus atque Comitibus junctus : quique propter ipsum aliquos in custodia recludebant, aliquos vero verberibus flagellisque vexabant, **652** cæteros diversis tormentis ad communionem ejus sacrilegam adigebant (*Nec actus commissi unquam ab innocentibus fuerant*) ; sperans hoc modo suos suamque prævalere posse factionem, ut per Duces et Judices perque carceres ipsos, (*add.* et) verbera diversaque tormenta invitos ad communionem suam cogeret, nolentes adigeret, repugnantes atque resistentes sibi tyrannico more terreret. *Erant quidem illa gravia et acerba ab accusatoribus objecta.*

7. *Tyri contra Athanasium gesta.* — Nam propter hæc necessario concilium apud Cæsaream Palæstinam primo videtur esse condictum (*an.* 334, *at non celebratum*) : et cum minime ab ipso vel ab satellitibus ad supradictum concilium occurreretur, post alterum annum (*an.* 335) in Tyro propter ejus facinora necessario iterum celebratur. Advenerunt episcopi de Macedonia et de Panonnia, Bythinia, et omnibus partibus Orientis, imperatoris jussione constricti : quique actis Athanasii flagitia criminaque cognoscentes, non passim nec temere accusatoribus credunt, sed suo de concilio inlustres et laudabiles episcopos eligunt, atque in rem præsentem, ubi res gestæ erant de quibus arguebatur Athanasius, mittunt : quique oculata fide cuncta adspicientes atque vera cognoscentes, ad concilium redeunt, ejusque crimina, quæ ab accusatoribus objiciebantur, suo testimonio vera confirmant. Unde (*c*) in præsentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt. Propter quod Tyro fugiens, imperatorem appellat. Audit etiam imperator : quique interrogatione habita omnia ejus flagitia recognoscens, sua illum sententia in exsilium (Treviros) deportavit. His ergo ita cadentibus rebus, cum Athanasius damnatus digne in exsilio haberetur ob meritum facinorum suorum, sacrilegus in Deum, in mysteria sacra profanus, in demolitione basilicæ violentus, in episcoporum exitiis innocentiumque fratrum persecutor (*f.* persecutione) horrendus ; ab omnibus episcopis in rejiciendis malis servatur auctoritas legis, canon Ecclesiæ, et apostolorum sancta traditio.

8. *Athanasii ab exsilio reditus.* — Sed dum Athanasius post damnationem suam reditum sibi de exsilio compararet, de Gallia ad Alexandriam post plurimum tempus advenit (*an.* 338) : quique præterita in nihilum ducens, acrius in nequitia prævalebat. Nam comparatione sequentium, levia sunt quæ ab ipso prima commissa sunt. Etenim per omnem viam reditus sui Ecclesiam **653** (*d*) subvertebat, damnatos episcopos aliquos restaurabat, aliquibus spem ad episcopatus reditum promittebat, aliquos ex infidelibus constituebat episcopos, salvis et integris permanentibus sacerdotibus, per pugnas et cædes gentilium, nihil respiciens leges, desperationi tribuens totum. Unde per vim, per cædem,

(*a*) Non accusarunt eum, quod propriis, sed quod Macarii presbyteri sui manibus hoc scelus perpetrasset : aut potius modo hoc, modo illud dictitabant.

(*b*) Edidit Faber, *episcopi;* bene quidem, si veritatis hostes calumniis a se excogitatis starent, hic enim respiciunt ad fictam Arsenii necem. At cum ubique priores falsitates suas exaggerent, etiam hic retinendum putamus cum archetypo exemplari *episcoporum.*

(*c*) Falsum hoc esse Liberius apud Theodoretum, lib. II Hist. Eccl., c. 16, coram Constantio asseruit, neque ipsi ea in re aut Constantius, aut qui cum eo erant, ausi sunt reluctari.

(*d*) His criminationibus locum dedere, quæ tum in primo tum secundo Athanasii ad ecclesiam suam reditu contigere. In utroque enim varias Arianorum factione seditiones ortas esse narrat Socrates, lib. I, c. 3 et 15. Nonnulli, qui hæc omnia ad primum illius reditum referunt, ob verba subsequentia opinantur, eum tunc temporis secum plerosque exsules in suas sedes restituisse. Quamquam hinc videri potest insimulatus quod *damnatos episcopos restaurabat,* quia Paulus, Asclepas, Marcellus et Lucius simul cum eo Romam profecti, iisdem Julii litteris ecclesias suas recuperarunt. Sed quod post synodum Sardicensem gestum refert Socrates, lib. II, c. 24 : *Athanasius per Pelusium iter faciens Alexandriam, in singulis per quas transibat civitatibus, cunctos commonebat ut Arianos quidem aversarentur, eos vero susciperent qui consubstantialis fidem profiterentur. In quibusdam etiam ecclesiis ordinationes fecit. Quæ res alterius adversus illum criminationis ansam præbuit, propterea quod in aliorum ecclesiis ordinare tentasset.* Hoc ipsum, aut aliquid hujusmodi ante eamdem synodum ab ipso præstitum esse non obscure innuitur in iis quæ præ manibus sunt.

per bellum, Alexandrinorum basilicas deprædatur. Constituto jam in ejus locum ex judicio concilii (*scil. Antiocheni an.* 341) sancto et integro sacerdote (Gregorio) ut barbarus hostis, et ut pestis sacrilega adductis gentilium populis Dei templum incendit, altare comminuit, et clam exiit de civitate, occulteque profugit.

9. *Episcopis aliis ab exsilio reversis afficta scelera. Corpus Domini consecratum. Sacrificium confectum.*— Sed de Paulo Constantinopolitanæ civitatis quondam episcopo post reditum exsilii sui si quis audierit, perhorrescet. Fuere namque et in Ancyra provinciæ Galatiæ, post reditum Marcelli hæretici, domorum incendia et genera diversa bellorum. Nudi ab ipso ad forum trahebantur presbyteri, et, quod cum lacrymis luctuque dicendum, consecratum Domini corpus ad sacerdotum colla suspensum palam publiceque profanabat, virginesque sanctissimas Deo Christoque dicatas publice in foro, media in civitate, concurrentibus populis, abstractis vestibus, horrenda fœditate nudabat. Sed in civitate Gaza provinciæ Palæstinæ post reditum suum Asclepas altare comminuit, multasque seditiones effecit. Præterea Hadrianopoli Lucius post reditum suum sacrificium a sanctis et integris sacerdotibus confectum, si fas est dicere, canibus projiciendum jubebat. Igitur cum hæc ita sint, numquidnam lupis tantis ac talibus oves Christi ad huc usque credimus, et membra Christi membra fornicatoriæ faciemus? Absit.

10. *Athanasii facinora. A Julio et Italiæ episcopis suscipitur.* — Nam postea Athanasius peragrans per diversas partes orbis terrarum, scilicet seducens aliquos per suam fallaciam adulationemque pestiferam, decipiens innocentes episcopos qui ejus facinora ignorabant, vel Ægyptios **654** aliquos ejus actus ignorantes, scripta a singulis emendicando, ecclesias pacificas perturbabat, aut ipse sibi novas pro sua voluntate (*a*) fingebat. Nihil tamen hoc valere potuit ad judicium jamdudum a sanctissimis et inlustribus episcopis consecratum. Non enim commendatio eorum, (*b*) qui nec in concilio judices fuerunt, nec concilii judicium habuerunt aliquando, nec præsentes cum supradictus Athanasius audiretur, fuisse noscuntur, aut valere illi potuit, aut prodesse. Denique cum sibi hæc in A cassum provenisse cognosceret, ad Julium Romam perrexit, sed et ad Italiæ quosdam ipsius partis episcopos: quos seducens per epistolarum falsitatem, ab eisdem perfacile in communione receptus est. Deinde cœpere illi non tam pro ipso, quam pro suis actibus laborare: quod illi pertemere credendo communicaverant. Etenim si fuerant illæ litteræ aliquorum, non tamen eorum qui aut judices fuerant, aut in concilio assederant. Quæ quidem etiam si essent aliquorum, temere illi fidem, (*c*) pro se dicentes, habere numquam deberent. Sed et judices, qui illum sententiaverunt, credere noluerunt.

11. *Ab Arianis depositi qui se defendant.* — Ideo quia et alii quique (*d*) in prætorium pro suis facinoribus detecti sunt, nunc cum Marcello et Athanasio B conjuncti sunt; decimus autem Asclepas ante decem et septem annos episcopatus honore discinctus est (*an.* 330); deinde Paulum et Lucium, et quotquot talibus conjuncti sunt: circumeuntes simul exteras regiones, persuadebant judicibus non esse credendum illis, qui in eos digne sententiam protulerunt; ut hoc genere commercii sibi quemdam ad episcopatus reditum procurarent. Nec in ipsis locis, in quibus peccaverant, nec in proximis, vel ubi accusatores habebant, se defendebant; sed juxta peregrinos, et longe a regionibus suis positos ignorantes gestorum fidem, justam sententiam conabantur perfringere, ad illos referentes actus suos, qui illos per omnia nesciebant. **655** Astute hoc faciunt. Scientes enim de judicibus, de accusatoribus, de testibus multos decessisse, post C tot tantasque sententias, putaverunt aliud restaurare judicium, volentes apud nos causam dicere, qui neque illos excusavimus, neque judicavimus, Qui enim judicaverunt, jam ad Dominum perrexere.

12. *Insimulantur quasi Orientales Occidentalibus subjiciant.* — Voluerunt autem etiam Orientalibus episcopis (*e*) et veniunt pro judicibus defensores, pro defensoribus rei, eo tempore cum eorum defensio non valebat: maxime cum tunc defendi minime potuerunt, quando illos accusatores sui faciem ad faciem arguebant. Novam legem introducere putaverunt, ut Orientales episcopi ab Occidentalibus judicarentur. Et volebant Ecclesiæ judicium per eos posse constare, qui non tam illorum miserebantur, D nunione cum Athanasio inconsiderate juncti sint, illis pro se dicentibus, non esse fide dignas. Demum culpantur Itali, quod iis credere noluerint, qui Athanasium damnaverunt.

(*a*) Verbum *fingebat* supplemus ex Sirmondi variis lectionibus. Quod proxime aiunt, Athanasium diversas orbis partes peragrando scripta a singulis emendicasse, indicio est illum hoc post primum aut secundum reditum effecisse, quod post tertium: post quem presbyteri illius Petrus, Iræneus, etc., litteras pacificas ipsi undequaque collegerunt, ut Athanasius ipse memorat ad Solit. p. 826.

(*b*) Sublestam hic facere conantur auctoritatem scriptorum cum ab Alexandrinis, tum a Mareoticis presbyteris et diaconis, tum ab aliis missorum, quæ Athanasius, Apolog. II, pag. 791 et seqq. inseruit, quibus perspectis Julius in Romano concilio eum intentis criminibus absolvit.

(*c*) Hunc locum ex Sirm. resarcimus: cum prius decurtatus est in hunc modum, *illi fidem proferunt, credere noluerunt.* Litteras in Athanasii gratiam datas aiunt, 1° falsitatis esse suspectas; 2° non esse eorum qui illum judicaverunt; 3° cum sint eorum qui communione cum Athanasio inconsiderate juncti sint, illis pro se dicentibus, non esse fide dignas. Demum culpantur Itali, quod iis credere noluerint, qui Athanasium damnaverunt.

(*d*) Hæc ita corrigenda arbitramur: *alii quique, qui in præteritum pro suis facinoribus dejecti sunt, nunc cum Marcello et Athanasio conjuncti sunt: dicimus autem Asclepam, qui ante*, etc. Certe hypocritæ illi, summum ubique ecclesiasticæ disciplinæ studium obtendentes, prudentiores erant, quam ut prætorii judicium se vindicare jactitarent. Sed et infra, num. 15, jam sine mendo legere est, ea auscultanda esse, quæ *a patribus contra ipsos in præteritum fuerant judicata.*

(*e*) Supplendum videtur *id imponere*, aut quid simile; ac deinde legendum esse, *ut veniant pro judicibus*, hoc est cum judices esse deberent, non defensores aut rei: et id voluerunt eo tempore, quo defensio eorum non valebat; quod non jam ad Orientales, sed ad Athanasium ac socios referendum.

quam actibus suis. (*a*) Hoc itaque nefas quoniam numquam recepit ecclesiastica disciplina; quæsumus, dilectissimi Fratres, ut sceleratam perniciem conatusque mortiferos perditorum nobiscum etiam ipsi damnetis.

13. *Quasi consentientes cum iis quos damnaverant.* — Etenim cum adhuc esset episcopus Athanasius, Asclepam depositum sua sententia ipse (*b*) damnavit. Sed et Marcellus similiter numquam communicavit. Paulus vero Athanasii expositioni interfuit, manuque propria sententiam scribens, cum cæteris eum etiam ipse damnavit. Et quamdiu quisque eorum episcopus fuit, sua judicia confirmavit. Sed cum diversis ex causis diversisque temporibus singuli eorum digne de Ecclesia suis pro meritis pellerentur, majorem concordiam una conspiratione fecerunt; donantes sibi quisque delicta, quæ cum episcopi essent, pro auctoritate divina damnarunt.

14. *Sardicensis concilii initia.* — Namque quoniam Athanasius in Italiam et Galliam pergens sibi judicium comparavit; post mortem aliquorum accusatorum, testium, judicumque, et credidit posse se denuo tempore audiri, quod ejus flagitia vetustas temporis obscuraret. Cui consensum commodantes non recte, Julius urbis Romæ episcopus, Maximus (Maximinus Trevir.) et Ossius, cæterique complures ipsorum, concilium apud Serdicam fieri ex imperatoris benignitate **656** sumpserunt. Occurrimus ad Serdicam litteris imperatoris conventi. Quo cum venissemus, didicimus in media ecclesia Athanasium, Marcellum, omnes sceleratos concilii sententia pulsos, et merito singulos pro suis facinoribus prædamnatos, cum Ossio et Protogene sedere simul et disputare, et quod est deterius, divina mysteria celebrare. Nec confundebatur Protogenes Serdices episcopus communicare Marcello hæretico, cujus et sectam et reprobum sensum, in concilio (*c*) quater sententiis episcoporum subscribens, propria voce ipse damnaverat. Unde manifestum est, quia sese ipse sua sententia condemnavit, cum se illi communicando participem fecit.

15. *Orientalium conatus ut Athanasium et alios a synodo ejiciant.* — Verum nos tenentes ecclesiasticæ regulæ disciplinam, et volentes miseros in aliquantulum (*d*) vivere, mandavimus illis, qui cum Protogene et Ossio fuerunt, ut de suo cœtu damnatos excluderent, neque peccatoribus communicarent: deinde una nobiscum audirent ea, quæ a patribus nostris contra ipsos in præteritum fuerant judicata (nam liber Marcelli non exspectabat accusationem, per se enim aperte hæreticus noscebatur): et ne falsis suggestionibus crederent, (*e*) non eorum quisquam pravissimam mentem propter locum episcopatus obscurant. At illi contra hæc resistebant: qua ratione, nescimus. Nec se voluerunt ab ipsorum communione secernere, confirmantes Marcelli hæretici sectam: et facinora Athanasii cæterorumque scelera fidei ecclesiasticæ pacique præponebant.

16. His itaque cognitis, nos octoginta (*f*) episcopi, qui propter pacem confirmandam Ecclesiæ ex diversis longinquisque provinciis cum ingenti exitu et labore ad Serdicam veneramus, videntes hæc non sine lacrymis ferebamus. Leve enim non erat, quod a se eos dimittere omnino negabant, quos patres nostri merito suis pro criminibus ante damnarunt. His itaque communicare nefas duximus, neque cum profanis voluimus sancta Domini sacramenta miscere, servantes et tenentes regulam ecclesiasticæ disciplinæ. Nam ut supradictos Ossium a se Protogenemque non dimitterent, (*g*) conscientia forte mala, **657** quam sibi eorum unusquisque debebat nudari aliquo, quam ad palam fieri magnopere pertimescebant: nec sic in eos audebat eorum aliquis sententiam dicere, ne et se ipse damnaret, quod illis contra interdictum communicassent, quibus communicare nullo genere oporteret.

17. Verum nos iterum illos atque iterum rogabamus, ne firma solidaque concuterent, ne subverterent legem, nec jura divina turbarent, ne cuncta confunderent, atque traditionem Ecclesiæ ne quidem modica pace (*f.* parte) frustrarent: sed nec novam sectam inducerent, aut Orientalibus episcopis conciliisque sanctissimis de Occidente venientes aliqua in parte præponerent. At illi contra despicientes hæc, nobis minabantur, et se Athanasium et cæteros sceleratos vindicaturos pollicebantur. Quasi vero aliud facere aut dicere possent, qui sceleratos omnes ac perditos in suum consortium receperunt. Præterea ingente hoc tumore proponunt, audacia potius ac tegumento superbiæ quam actibus suis.

(*a*) Faber, asterisco posito, quædam hic deesse notavit. Integra tamen nobis videtur sententia: ut Occidentales, qui, num. 10, non tam pro Athanasio, *quam pro suis actibus laborare* cœpisse dicti sunt, eodem sensu nunc dicantur non tam illius ac sociorum actibus, quam suis misereri.

(*b*) Condemnationis hujus nullum est aut apud Athanasium, aut apud alios sacræ historiæ scriptores vestigium. Nec veri videtur simile, ut Athanasius Asclepam damnaverit, quem reprehendit nusquam, passim laudibus extollit. Ejusdem farinæ censenda sunt, quæ de Marcello et Paulo subjiciuntur. Et Paulum quidem, priusquam ab episcopatu dejiceretur, secum communicasse satis indicat Athanasius ad Solit. p. 813. Hinc nostra augetur suspicio, ne forte Ariani, Sirmio rescribentes de damnatione Photini, Athanasium a Marcelli communione se abstinere mendaciter inseruerint, idque paulo credulior Illarius ex sola illorum fide asseruerit, fragm. II, n. 21, ut ibid. monuimus.

(*c*) Quid sibi velit illud *quater*, non facile dixeris; cum Hilarius, fragmento superiori, num. 22, affirmet, *nullam umquam adversus Marcellum, præter eam quæ Sardicensibus est dissoluta sententiis, deinceps synodum fuisse contractam.*

(*d*) Forte, *removere*, vel *remotos vivere.*

(*e*) Mendosa lectio sic potest corrigi: *Nam eorum quisque pravissimam mentem . . . occultabat*; vel, *cum eorum quisque . . . occultaret.*

(*f*) Socrates lib. II, c. 20, ex Sabini fide recenset tantum septuaginta sex, nec habentur infra nisi 73 subscriptiones.

(*g*) In ms., *cum scientia.* Plenior sic esset hæc sententia: *Conscientia forte mala prohibebantur, qua eorum unusquisque timebat nudari ab aliquo, quæ palam fieri*, etc.

meritate, quam legitima ratione possessi. Videntes enim quod ii, qui damnatos recipiunt, in offensam crimenque incurrunt ut violatores cœlestium legum; tali auctoritate judicium constituere conabantur, ut sese judices judicum dicere vellent, atque eorum, qui jam cum Deo sunt, si fas est, sententiam refricare. Nos vero rogabamus illos per plurimos dies, ut a se damnatos abjicerent, et se Ecclesiæ sanctæ conjungerent, atque patribus vera dicentibus consensum accommodarent. Sed illi se hoc facturos omnino negabant.

18. *Delegatos ex utraque parte Mareotam mittendos proponunt.* — Altercantibus igitur nobis, emerserunt quinque episcopi ex partibus nostris, qui superstites de sexto numero eorum, qui ad Mareotam directi fuerant, remanserant, et talem illis optionem proponunt : mittendos esse ex utroque concilio episcopos aliquos ad loca, in quibus Athanasius scelera flagitiaque commisit, ut sub testificatione Dei cuncta fideliter scriberent; et si falsa inventa fuerint quæ concilio nuntiavimus, ipsi damnemur, nec imperatoribus, nec concilio, nec cuiquam episcopo conqueramur; quod si verum constiterit quod ante diximus, ad numerum nostrum ex vobis quos delegistis, id est, qui Athanasio post damnationem communicaverunt, sed et eos qui Athanasio et Marcello fautores defensoresque sunt, exponamus, nec imperatoribus, nec concilio, **658** nec cuiquam episcopo aliqui vestrum conquerantur. Hanc optionem a nostris propositam Ossius et Protogenes omnesque eorum socii suscipere timuerunt.

19. *Sardicæ congregatos infamant.* — Immensa autem confluxerat ad Serdicam multitudo sceleratorum omnium ac perditorum, adventantium de Constantinopoli, de Alexandria : qui rei homicidiorum, rei sanguinis, rei cædis, rei latrociniorum, rei prædarum, rei spoliorum, nefandorumque omnium sacrilegiorum et criminum rei; qui altaria confregerunt, ecclesias incenderunt, domosque privatorum compilaverunt; profanatores mysteriorum Dei, proditoresque sacramentorum Christi; qui impiam sceleratamque hæreticorum doctrinam contra Ecclesiæ fidem asserentes, sapientissimos presbyteros Dei, diacones, sacerdotes atrociter demactaverunt : et eos omnes secum collectos in suo conventiculo habuerunt Ossius et Protogenes; eosque honorantes, nos omnes diacones et sacerdotes Dei despiciebant, quia nec ipsi volebamus talibus aliquando conjungi : iique vulgo, omnibusque gentibus (*f.* hominibusque gentilibus), id quod inter nos fuerat referebant, pro veris falsa fingentes; nec discordiam inter nos ex causa Dei ortam, sed ex humana præsumptione narrabant. Divinis humana miscentes, et ecclesiasticis rebus privatas adjungentes, civitatis nobis concentum seditionemque conflarunt, dicentes nos gravem schismate civitati importasse injuriam, nisi illis, quod nefas erat, communicaremus : et hæc frequenter acclamabant. Nos enim omnino illis communicare noluimus, nisi eos quos damnavimus projecissent, et dignum honorem Concilio Orientis tribuerent.

20. *Quos scelestos prædicant, communione donatos esse conqueruntur.* — Quæ vero ipsi egerint, vel quale concilium habuerint, hinc addiscere poteritis. Nam Protogenes, sicut supra diximus, apud acta anathematizans Marcellum et Paulum, postea eos in communionem suscepit. Dionysium vero (*a*) ab Elica provinciæ Achaiæ, quem ipsi exposuerunt, in concilio habuerunt. Simul secum, et exponentes et expositi, judices et rei, communicantes mysteria divina pertractant. Bassum autem de Diocletiana civitate in flagitiis sceleribusque detectum, et merito de Syria deportatum, ordinaverunt episcopum : quique apud ipsos sceleratius vivens detectus, et ab ipsis damnatus, cum ipsis hodie videtur esse conjunctus. Et quia io (*b*) Thessalonicensis Protogeni **659** frequenter probra multa criminaque objecit, quod diceret illum concubinas et habuisse et habere, cui communicare numquam voluit, nunc vero in amicitiam receptus, quasi pejorum consortio expurgatus, apud ipsos habetur ut justus. Asclepas autem, cum ad Constantinopolim civitatem propter Paulum venisset, post immanitatem rerum atrocitatemque, commisit quæ media in ecclesia Constantinopolitana gesta sunt, post mille homicidia, quæ altaria ipsa humano sanguine coinquinaverunt, post interfectiones fratrum exstinctionesque gentilium, hodieque cum Paulo, cujus causa hæc gesta sunt, communicare non cessat : sed et illi, qui per Asclepam Paulo communicant, accipientes ab eodem scripta atque ad illum mittentes. Ex hac igitur coagulatione, atque ex perditorum congregatione, quale potuerit celebrari concilium, in quo flagitia sua non tam puniebant, quam agnoscebant?

21. *His admisceri detrectant.* — Non enim secundum (*c*) nos, qui ecclesiis sanctissimis præsidemus,

(*a*) Sic ms. Pithœanus, quomodo Labbeus haud dubie scribendum esse dixit. In ms. Remig. quem vidit Sirm. exstat *ab Etica*. Faber ediderat *ab Edica*. Superioribus Sardicensis litteris duo subscribunt Dionysii, unus *ab Achaia de Lignedon*, alter *ab Arcaida de Elida*. Præterea Athanasius, Apolog. pag. 675, Dionysii *a Leida* ἐν Λήιδι meminit.

(*b*) In ms. Sirm. *Tessalonicensi Protogenis*. Si loco *Protogenis*, mutato ut sæpe fit *i* in *e* legatur *Protogenes;* efficietur, non episcopum Thessalon. Protogeni, sed Protogenem episcopo Thessalon. multa crimina objecisse. Apud Labbeum exstat *Joannes Thessalonicensis*, et in marg. *Thessalonicensi*. Quod sit hujus Thessalonicensis episcopi nomen, non constat. Emicuit quidem in Tyrio concilio Alexander hujus civitatis episcopus : ac præterea Athanasius Apol. ad Const. pag. 692, Eremium Thessalonicensem memorat, cui vis in Mediolan. concilio illata sit, donec ab Athanasii communione se recessurum promitteret. Sed nullum novimus Joannem. Vix ambigere licet, quin hic idem notetur, qui in Sardicensi synodo Occidentalibus junctus subscribit, non *Joannes*, sed *Aethius a Macedonia de Thessalonica*. Forte etiam litteræ *io* non sunt primæ, sed postremæ nominis episcopi Thessalonicensis. Adeoque nihil vetat quo minus legatur, *Aethio Thessalonicensi Protogenes*, etc.

(*c*) Hic desideratur *eos :* ac postea bis repetendum esset verbum *sumus :* puta, *non enim secundum eos* (id

populisque rectores sumûs, donantes et dimittentes, quæ ab ipsis nec dimitti umquam possunt nec donari : quique etiam Marcello et Athanasio cæterisque sceleratis flagitia blasphemias, quæ nefas fuerat dimittere, condonarunt : cum scriptum sit, *Si peccaverit homo in hominem, orabunt pro eo ad Dominum ; si autem in Deum peccaverit homo, quis orabit pro eo* (I *Reg.* II, 25) ? *Nos autem talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei* (I *Cor.* XI, 16). Sed nec hæc docere aliquos patimur, nec novas traditiones inducere : ne proditores fidei traditoresque Scripturarum divinarum, quod nefas est, dicamur, ne a Domino et ab hominibus condemnemur.

22. *Schismatis invidiam in Occidentales rejiciunt.* — Verum illi supradicti etiam hæc adversus nos machinabantur. Et quoniam sciebant, nos non posse sibi scelestorum (*a*) beneficio communicare ; ex scriptis nos Imperatorum terrere putabant, ut invitos ad suam communionem traherent : et (*b*) spectabant dividi totius mundi profundam Ecclesiæ æternamque pacem propter Athanasium et Marcellum, propter quos nomen Domini blasphematur in gentibus, quos oportebat, si in se aliquid timoris Dei habuissent, ne turbo iste qui per ipsos natus est permaneret, a sua pravissima præsumptione vel sero discedere, ne ipsorum causa contra sese scinderetur Ecclesia : aut si in iis, qui pro ipsis certant, metus Dei esset, etiamsi nihil esse damnabile apud ipsos inveniretur, **660** tamen et quod propter ipsos unitas Ecclesiæ scinditur, et propter insanam rabiem cupiditatemque honorum pax profunda subvertitur, exsecrari eos ac perhorrere deberent.

23. *Ecclesiæ negant olim depositos restituendi potestatem.* — Cum ita res currere videremus, ad suam patriam regredi nostrum unusquique decrevit : placuitque nobis (*c*) de Serdica scribere, et ea quæ gesta sunt nuntiare, nostramque sententiam declarare. Nos enim Athanasium et Marcellum, qui in Dominum impie blasphemantes scelerati vixerunt, expositos olim atque damnatos non possumus iterum in episcopatus honorem suscipere : quique crucifigentes verum (*f.* iterum) filium Dei, atque illum denuo publicantes, acerbis ictibus confixerunt (*Hebr.* VI, 6). Alter enim ipsorum, blasphemando in filium Dei atque in ejus regnum, æterna morte mortuus est semel. Alter in corpus Domini (*adde*, et) mysteria ejus prophano more atrociter peccans, cæteraque flagitia immaniter gerens, episcoporum sententia ejectus est atque damnatus. Quamobrem quoniam a parentum traditione discedere non possumus, quiâ nec talem auctoritatem sumpsit Ecclesia, nec talem potestatem a Deo accepit ; supradictos ad honorem dignitatemque Ecclesiæ nec ipsi suscipimus, et suscipientes digne damnamus. Sed nec alios, qui aut olim aut postea merito damnati sunt, in Ecclesia recipimus, adhærentes legibus Dei traditionibusque paternis atque ecclesiasticis disciplinis, credentes prophetæ dicenti : *Noli transgredi terminos æternos, quos posuerunt patres tui* (*Prov.* XXII, 28). Quare nos numquam fixa solidaque concutimus : sed magis ea quæ sunt a parentibus constituta servamus.

24. *Quibus negandam censeant communionem.* — Post multa igitur, dilectissimi fratres, hæc vobis ex aperto mandamus, ne quis vestrum ab aliquo circumventus aliquando communicet, id est, Ossio, Protogeni, Athanasio, Marcello, Asclepæ, Paulo, Julio ; sed nec cuiquam damnatorum de Ecclesia sancta rejectis, neque sociis ipsorum, qui illis sive per se sive per scripta communicant. Quare nec vos ad illos scribere umquam debetis, nec ab ipsis scripta suscipere. Jam quod superest, oramus vos, dilectissimi Fratres, ut unitati Ecclesiæ consulatis et paci perpetuæ ; sanctos episcopos eligatis, in quibus et fides integra et sancta sit vita ; abhorrentes eos, qui pro criminibus suis ab episcopatus honore discincti sunt, voluntque iterum recipere locum, quem digne pro suis **661** facinoribus amiserunt : magisque hos exsecramini, quos post facinus videtis pejora committere. Nec Dominum audiunt dicentem : *Peccasti, quiesce* (*Eccli.* XXI, 1). (*d*) Inhibere nesciunt enim, et fortiores de sceleribus efficiuntur : et quanto plus in gurgitem vitiorum mergunt, tanto plus orbem subvertunt. Seditionibus vacantes, bella persecutionesque acerrimas sanctis Ecclesiis ingerunt, et tyrannico more populos Domini in suum dominium captivare contendunt.

25. *Perperam tantam synodum coactam volunt.* — Namque ex his rebus pessimos eorum conatus agnoscite, quando talem mundo tempestatis procellam induxerunt, ut Orientem prope totum Occidentemque turbarent ; ut relinquentes singuli ecclesiasticas curas, populosque Dei deserentes, atque ipsam Evangelii doctrinam postponentes, de longinquo adveniremus senes ætate graves, corpore debiles, ægritudine infirmi (trahebamurque per diversa, nostrosque ægrotantes in itineribus deserebamus propter perpaucos scelestos olim digne damnatos, primatus Ecclesiæ contra fas appetentes) : geratque curam

est, ad morem eorum) *nos qui ecclesiis sanctissimis præsidemus, populisque rectores sumus, sumus donantes et dimittentes, quæ ab ipsis* (secundum ecclesiasticæ disciplinæ leges) *nec dimitti possunt*, etc.

(*a*) Hoc est, beneficio communionis ac pristinæ dignitatis scelestis indulto.

(*b*) Faber, asterisco hic apposito quasi aliquid desit, legit postea, *spectabunt dividi totius mundi profundum*, etc. Pro *profundum*, eo facilius posuimus *profundam*, quod mox recurrat *pax profunda subvertitur*. Nam *spectabant* præ se fert archetypus ms. Unde jam sensu integro habetur, *Ecclesiæ totius mundi profundam æternamque pacem dividi spectabant*, etc. Proxime Sirm. ex ms. Remig., *per quos*, non *propter quos* legit.

(*c*) Non audent dicere *de Philippopoli*. Sed hic impudenter mentientibus fides merito negetur in cæteris.

(*d*) Sirm., *juvenescunt enim*. Pith. ms., *inbere* vel *jubere nesciunt enim* : ex quo confecit Faber *inhibere*, etc. Satis intelligitur quid sibi velint, etsi verbum ipsum quo usi sunt non certo perspicias. Æque ad eorum sententiam pertinebunt *quiescere*, aut *inhibere se*; vel *se continere*.

de nobis imperium, atque religiosi imperatores, tribuni, et duces dirissima republica de episcoporum vita statuque exercerentur. Sed nec populi silent. Omnis etenim fraternitas omnibus in provinciis suspensa ac sollicita exspectat in quem finem hæc malorum procella succedat: cursusque ipse publicus attritus ad nihilum deducitur. Et quid pluribus? Ortus occasusque mundi propter unum vel duos paucosque sceleratos impie sentientes et turpiter viventes funditus vertitur, et dura sævaque tempestate turbatur, in quibus nulla religionis semina resederunt: quæ si habuissent, imitarentur prophetam dicentem: *Tollite, et mittite me in mare, et tranquillabit mare a vobis, quando hæc tempestas propter me facta est* (*Jonæ* I, 12). Sed ideo hæc non imitantur, quia nec justos sequuntur: ita autem sceleratorum omnium duces quærunt Ecclesiæ principatum, quasi aliquod tyrannidis regnum.

26. *Judicia synodorum non retractanda.* — Nec hoc propter bonum quoque justitiæ inquirunt. Non enim Ecclesiis consulunt, qui leges juraque divina, (et) cæterorum decreta dissolvere perconantur. Propterea hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiæ, ut in concilio Orientales episcopi quidquid forte statuissent, ab episcopis Occidentalibus refricaretur; similiter quidquid Occidentalium **662** partium episcopi, ab Orientalibus solveretur. Sed hoc ex illo suo pravissimo sensu tractabant. Verum omnium conciliorum juste legitimeque actorum decreta firmanda, majorum nostrorum gesta consignant. Nam in urbe Roma (*a*) sub Novato et Sabellio et Valentino hæreticis factum concilium, ab Orientalibus confirmatum est: et iterum in Oriente sub Paulo (*b*) Samosatis quod statutum est, ab omnibus est signatum. Ob quam rem hortamur vos, dilectissimi Fratres, considerantes ordinem ecclesiasticæ disciplinæ, et paci totius orbis consulentes, corripiatis eos qui sceleratis communicant, et malos de ecclesiis radicitus amputetis: ut tempestate ruente ipsorum causa, innatans Christus Dominus omnibus imperet ventis procellisque maritimis discedere, et tribuat Ecclesiæ sanctæ pacem perpetuam et quietam.

27. *Præcipuos ex Occidentalibus damnant: cur.* — Nos vero nulli injuriam facimus, sed legis præcepta servamus. Nam injuriati graviter et male tractati sumus ab iis, qui volebant Ecclesiæ catholicæ regulam sua pravitate turbare. Sed ante oculos habentes timorem Dei, judicium Christi verum et justum considerantes, nullius personam accepimus, neque alicui pepercimus, quo minus ecclesiasticam disciplinam servaremus. Unde Julium urbis Romæ, Ossium, et Protogenem, et Gaudentium, et Maximinum a Triveris damnavit omne concilium secundum antiquissimam legem, ut auctores communionis Marcelli et Athanasii cæterorumque sceleratorum, quique etiam homicidiis Pauli Constantinopolitani et cruentis actibus ejus communicaverunt. Protogenem namque esse anathematizatum una cum Marcello, subscribendo frequenter sententiæ in ipsum vel in ejus librum inlatæ; quique etiam in Paulum Constantinopolitanum sententiam dederunt, et illi postea communicaverunt. Gaudentium autem, ut immemorem decessoris sui Cyriaci subscribentis sententiis in sceleratos digne inlatis, commixtumque criminibus Pauli, quem etiam impudenter defendebat. Julium vero urbis Romæ, ut principem et ducem malorum, qui primus januam communionis sceleratis atque damnatis aperuit, cæterisque aditum fecit ad solvenda jura divina: defendebatque Athanasium præsumenter atque audacter, hominem cujus nec testes noverat, nec accusatores. Sed Ossium propter supradictam causam, et **663** propter beatissimæ memoriæ Marcum, cui graves semper injurias inrogavit: sed et quod malos omnes pro criminibus suis digne damnatos totis viribus defendebat, et quod convixerit in Oriente cum sceleratis ac perditis. Turpiter namque Paulino quondam episcopo Daciæ individuus amicus fuit, homini qui primo de maleficiis fuerit accusatus et de Ecclesia pulsus, usque in hodiernum diem in apostasia permanens cum concubinis publice et meretricibus fornicetur, cujus maleficiorum libros Macedonius episcopus atque confessor a Mopso combussit. Sed et (*c*) Eustasio et Quimatio adhærebat pessime et carus fuit, de quorum vitæ infamia turpi dicendum nihil est: exitus enim illorum eos omnibus declaravit. Iis itaque ac talibus junctus ab initio Ossius, sceleratis semper favens, contra Ecclesiam veniebat, et inimicis Dei semper ferebat auxilium. Maximinum vero a Triveris, propter quod collegas nostros (*d*) episcopos, quos ad Gallias miseramus, noluerit suscipere, et quoniam Paulo Con-

(*a*) Hoc ipsum nunc repetunt, quod jam an. 341 conquesti erant, cum indigne ferentes quod Julius ab Orientalibus depositos sedi suæ restituisset, Antiochiæ congregati rescripserunt, *non debere ab ipso discuti, si quos ipsi ecclesiis suis expellere voluissent, neque enim se contradixisse tunc, cum Novatus Ecclesia ejectus est.* Nisi quod Antiochiæ, ut nunc ex Socrate audivimus, lib. II, c. 15, et confirmatur a Sozomeno lib. III, c. 8, sola contra Novatum gesta memorant: cui nunc adjungunt Sabellium ac Valentinum. Romano autem concilio Novatum damnatum esse constat ex Eusebio, lib. VI Hist., c. 44. An in eadem civitate specialibus synodis pariter damnati sint Sabellius ac Valentinus, nullo alio veterum monumento certo scimus.

(*b*) Editi ac ms. Pith., *Asonus ait.* Melius Sirm. ex ms. Remig. *Samosatis.*

(*c*) Si Eustathius Antiochenus hic intelligatur, ei opinioni, qua illum et ante Sardicense concilium et in exsilio obiisse putant, hinc robur accedet. Tum pro *Quimatio*, legendum *Cimatio.* Duos autem Cimatios, unum Palti, alterum Tarudi, Athanasius ad Solit. pag. 812 memorat in exsilium ab Arianis detrusos. Neque dubium est, alium hic a Cimatio Palti designari; quippe quem ex eodem Athanasio ad Antioch., pag. 575, post concilium Alexandrinum anni 362 adhuc in vivis exstitisse manifestum est.

(*d*) Narcissum scil., Marim, Theodorum, et Marcum, quos, aliquot menses post concilium Antioch. an. 341, ab Eusebianis ad Constantem in Gallias

stantinop. nefario homini ac perdito primus ipse communicavit, et quod ipse tantæ cladis causa fuit, ut Paulus ad Constantinopolim civitatem revocaretur, propter quod homicidia multa facta sunt. Causa igitur homicidiorum tantorum ipse fuit, qui Paulum olim damnatum ad Constantinopolim revocavit.

28. Propter has igitur causas justum duxit concilium, ut Julium urbis Romæ, et Ossium, cæterosque supra memoratos discingeret atque damnaret. Quæ cum ita sint, custodire vos ab ipsis et abstinere debetis, dilectissimi Fratres, nec eos aliquando ad communionem vestram admittere: sed nec ipsorum litteras accipere, nec ad illos litteras dominicas dare. Et quoniam catholicam et apostolicam fidem voluerunt infringere ii qui cum Ossio erant, inducentesque novam sectam (*a*) indeo croniti Marcelli mixta Sabellio et Paulo, inde artem; necessario ordinavimus catholicæ Ecclesiæ fidem, quam negaverunt supradicti qui cum Ossio sunt, et Marcello hæretici (*f.* Marcelli hæresim) induxerunt. Consequens est, ut acceptis litteris nostris singuli consensum huic sententiæ commodantes, decreta nostra propria subscriptione signetis. Est autem fides nostra talis (*Vid. lib. de Synodis n.* 34).

29. Credimus in unum Deum patrem **664** omnipotentem, institutorem et creatorem omnium, ex quo omnis creatura (paternitas) in cœlo et in terra nominatur. Et in unigenitum filium ejus Dominum nostrum Jesum Christum, qui ante ævum (omnia sæcula) ex Patre generatus est, ex Deo Deus, ex luce lux, per quem facta sunt omnia quæ in cœlis et quæ in terra, visibilia et invisibilia, sermo qui sit (qui est verbum), et sapientia, et virtus, et vita, et lux vera, qui in novissimis temporibus propter nos induerit hominem (incarnatus est), et natus sit de sancta Virgine Maria, et crucifixus, et mortuus, et sepultus sit: tertia die resurrexit a mortuis, et assumptus in cœlum, sedet in dextera Patris, venturus in fine mundi judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera sua; cujus regnum incessabile permanet in æterna sæcula. Est enim sedens in dextera Patris, non solum in isto sæculo, sed et in futuro. Credimus in Spiritum sanctum, hoc est, in paracletum, quem mittens (promittens) Apostolis post assumptionem suam in cœlum, misit docens illos et instruens (docere illos et instruere) de omnibus, per quem sanctificantur animæ in ipsum fideliter credentes. [(*b*) Credimus et in sanctam Ecclesiam, in remissionem peccatorum, in carnis resurrectionem, in vitam æternam.] Illos vero qui dicunt, Ex id quod non fuit filius Dei (ex non exstantibus esse Filium Dei), aut ex alia substantia, et non ex Deo; aut qui dicunt, fuisse aliquando tempus vel sæculum quando non fuit filius, hæreticos damnat sancta et catholica Ecclesia. Similiter et illos, qui dicunt tres esse deos; aut Christum non esse Deum; aut ante (*leg.* sæcula non fuisse) ea unum non fuisse Christum, neque filium Dei; aut ipsum (eum ipsum esse) Patrem et Filium et Spiritum sanctum; aut non natum filium; aut non sententia (consilio) neque voluntate Deum patrem genuisse filium: hos omnes anathematizat et exsecratur sancta et catholica Ecclesia. Opto vos in Domino bene valere. Stephanus Episcopus Antiochiæ provinciæ Syriæ (*al.* Sprecilæ) Cœles opto vos in Domino bene velere. Olimpius episcopus Doliceus opto vos in Domino bene valere. Gerontius episcopus Lamphaniæ. Menophantus episcopus ab Epheso opto vos in Domino bene valere. Paulus episcopus opto vos in Domino bene valere. **665** Eulalius episcopus ab Amantias opto vos in Domino bene valere. Macedonius episcopus ab Amarquetias (a Mopsvestia) opto vos in Domino bene valere. Thelaphius episcopus a Calcedonia opto vos in Domino bene valere. Acacius episcopus a Cæsarea opto vos in Domino bene valere. Theodorus episcopus ab Heraclea opto vos in Domino bene valere. Quintianus episcopus (*c*) a Taxe opto vos in Domino bene valere. Marcus episcopus ab Aretiis (Arethusa) opto vos in Domino bene valere. Cyrotus episcopus a Roeo opto vos in Domino bene valere. Eugeus episcopus a Lisicia opto vos in Domino bene valere. Antonius episcopus a Zeumate opto vos in Domino bene valere. Antonius episcopus a Docimo opto vos in Domino bene valere. (*d*) Dion episcopus a Cæsarea opto vos in Domino bene valere. Vitalis episcopus a Tyro opto vos in Domino bene valere. Eudoxius episcopus a Germanicia opto vos in Domino bene valere. Dionysius episcopus ab Alexandria provinciæ opto vos in Domino bene valere. Macedonius episcopus a Virito opto vos in Domino bene valere. (*e*) Eusebius episcopus a Dorlani opto vos in Domino bene valere. Basilius episcopus ab

amandatos esse refert Athanasius lib. de Synod. p. 894.

(*a*) In ms. Sirm., *judeo croniti*. Suspicamur hic notari Marcelli doctrinam cum Judæis facere, eumque Judæo errore esse imbutum. Mox pro *inde artem*, idem Sirmondus in ms. Remig. reperit *Juda artem:* unde legendum putamus, *sectam Judæo uniti Marcelli juxta Sabellium et Paulum judaizantem.* Verum hujus loci sensus repeti potest ex num. 2, ubi inducitur Marcellus assertiones suas *nunc falsitatibus Sabellii, nunc malitiæ Pauli Samosatensis, nunc blasphemiis... aperte permiscens, unamque confusionem de supradictis faciens:* vel ex num. 4, ubi *restaurans Pauli Samosatensis et artes et dolos* prædicatur.

(*b*) Quæ uncinis comprehensa sunt, non exstant in formula Sardic. descripta lib. de Synod. n. 34, ut ibi jam notavimus.

(*c*) Leg. *a Gaza:* is enim est qui Asclepæ sedem usurparat, de quo Fragmentum superius num. 8.

(*d*) Hic est, quantum augurari licet, *Dianæus* Cæsareæ in Cappadocia episcopus, quem Sozomenus, lib. III, c. 5, Antiocheno concilio anni 341 interfuisse memorat, quemque Basilius epist. LXXXVI, testificatur, cum in ægrotationem ex qua et mortuus est decumberet, contestatum esse, se simplici corde in scriptum Constantinopolitanæ fidei (an. 360) consensisse quidem; sed nulla in re irritam voluisse eam fidem, quæ Nicææ exposita fuerat.

(*e*) Mendose editum erat *Eufenius*, cum in mss. exstet *Eusevius*. Hic episcopus ejus urbis videtur,

(*a*) Anquira opto vos in Domino bene valere. Proheresius episcopus a Sinopa opto vos in Domino bene valere. Eustacius episcopus ab Epiphania opto vos in Domino bene valere. Pancratius episcopus a (*b*) Pernaso opto vos in Domino bene valere. Eusebius episcopus a Pergamo opto vos in Domino bene valere. Sabinianus episcopus a Cathimera opto vos **666** in Domino bene valere. Bitinicus episcopus a Zelon opto vos in Domino bene valere. Dominius episcopus a Palladiano opto vos in Domino bene valere. Pison episcopus a Troada opto vos in Domino bene valere. Cartherius episcopus ab Aspona opto vos in Domino bene valere. Filetus episcopus a Juliopoli opto vos in Domino bene valere. (*c*) Quirius episcopus a Marcota opto vos in Domino bene valere. Filetus episcopus a Cratia opto vos in Domino bene valere. Thimasarcus episcopus opto vos in Domino bene valere. Eusebius episcopus a Mignenia (*f*. Magnicnia) opto vos in Domino bene valere. Quirius episcopus a Philadelphia opto vos in Domino bene valere. Pison episcopus (*d*) a Vanis opto vos in Domino bene valere. Timotheus episcopus opto vos in Domino bene valere. (*e*) Euthemon episcopus a Thaneos opto vos in Domino bene valere. (*f*) Callenicus episcopus a Pelosio opto vos in Domino bene valere. Eusebius episcopus a Pergamo opto vos in Domino bene valere. Leucadas episcopus ab (*g*) Ilio opto vos in Domino bene valere. Noconius episcopus a (*h*) Troade opto vos in Domino bene valere. Adamantius episcopus a Cio opto vos in Domino bene valere. Eddesius episcopus a Coo opto vos in Domino bene valere. Theodolus episcopus a (*i*) Neocæsario opto vos in Domino bene valere. (*j*) Sion episcopus opto vos in Domino bene valere. Theogenes episcopus a Lizia opto vos in Domino bene valere. **667** Florentius episcopus ab Ancara opto vos in Domino bene valere. (*k*) Isaac episcopus a Lueto opto vos in Domino bene valere. Eudemon episcopus... subscripsi pro ipso, opto vos in Domino bene valere. Agapius episcopus a Theriaco (*Mss. Rem.* Therinco) opto vos in Domino bene valere. Bassus episcopus a Car opto vos in Domino bene valere. Narcissus episcopus ab Anapoli (Irenopoli, *vel* Neronopoli) opto vos in Domino bene valere. Embracius episcopus a (*l*) Mileto opto vos in Domino bene valere. Lucius episcopus ab Babtino opto vos in Domino bene valere. Nonnius episcopus a Laudocia (Laodicia) opto vos in Domino bene valere. Pantagatus episcopus a Gallias (*forte* Gallatia) opto vos in Domino bene valere. Flaccus episcopus ab Jeropoli opto vos in Domino bene valere. (*m*) Sysimius episcopus a Perge opto vos in Domino bene valere. Diogenes episcopus opto vos in Domino bene valere. Cresconius episcopus opto vos in Domino bene valere. Nestorius episcopus opto vos in Domino bene valere. Emmonius episcopus opto vos in Domino bene valere. Eugenius episcopus opto vos in Domino bene valere. **668** Antonius episcopus (*n*) a Gusia opto vos in Domino bene valere. Demofilus episcopus (*o*) a Beroe opto vos in Domino bene valere. Euticius episcopus a Philippopoli opto vos in Domino bene valere. Severus episcopus a Cabula opto vos in Domino bene velere. Timotheus episcopus ab Anchilo opto vos in Domino bene valere. Valens episcopus a Mursa, opto vos in Domino bene valere. (*p*) Explicit decretum synodi Orientalium apud Serdicam episcoporum a parte Arianorum, quod miserunt ad Africam.

FRAGMENTUM IV (*Alias* I *partis*).

INCIPIT EXEMPLUM EPISTOLÆ (*q*) LIBERII EPISCOPI URBIS ROMÆ AD ORIENTALES EPISCOPOS.

Dilectissimis fratribus et coepiscopis nostris universis per Orientem constitutis, Liberius urbis Romæ episcopus æternam salutem.

1. *Liberius Orientalibus suam communionem imper-*

quæ in tab. Peuting. *Zorlanis*, et apud Anonymum Ravenn. *Srolanis* dicta.

(*a*) Pro *Aucyra* legitur hic *Anquira :* quomodo jam pro *Cimatio*, vidimus supra *Quimatio;* et infra *Quirius*, pro *Scyrus*.

(*b*) Forte *Parnaso*. Parnason autem seu Parnassum urbs fuit maritima, quæ ex Anton. ad Galatiam spectabat aut Cappadociam. Antea in ms. Pith. *Pranriacius*, non *Pancratius*.

(*c*) Sozomenus lib. III, c. 12, narrat cum cæteris Orientalibus Philoppopoli adfuisse Ischyrium a Mareota, qui hic corrupte *Quirius* scribitur.

(*d*) An forte *ab Adanis*, ut sit ille *Piso Adanorum*, qui apud Socratem, lib. III, c. 25, concilio Antiocheno subscribit? An vero *a Varnis?* Quippe in notitia Antioch. ad calcem Guillelmi Tyrii *Varnon* sedes est episcopalis sub Edessa metropoli.

(*e*) Apud Athanasium in breviario Meletii pag. 789, recensetur Εὐδαίμων ἐν Τάνει. Is ipse est, quem una cum Callinico et Isione infra subscriptis de vestium linearum tributo calumniam sibi struxisse narrat idem Athanasius, Apolog. ad Const. p. 778.

(*f*) Breviario Meletii apud Athanas. p. 789, Καλλίνικος ἐν Πελουσίῳ.

(*g*) Apud Athanasium, in Meletii breviario, *Ilium* seu *Heliopolis* memoratur veluti ditio quædam, in qua nonnulli episcopi Meletio adhærebant. Proxima Eusebii subscriptio supervacanea videtur, cum exstet jam superius.

(*h*) In ms. Pith., *a Troadas*. Superiori pagina jam occurrit *Pison episcopus a Troada*.

(*i*) Pith. ms. *a Neocæsarioso*. Apud Labb., *Theodulus episcopus a Neocæsarea*.

(*j*) An *Ision in Athriba* in Meletii breviario recensitus, et in conflanda Athanasio calumnia Callinici et Eudæmonis socius?

(*k*) In Meletii breviario, *Isaac in Leto*.

(*l*) Pithœanus codex a prima manu, *ab Lecto*, et a secunda, *ab Nilecto :* unde editum erat *a Nisilecto*.

(*m*) Ille forte est *Sisinnius*, quem Athanasius ad Solit. pag. 858 recenset inter veteranos Arii discipulos ab Alexandro damnatos.

(*n*) In ms. Pith. *a Gusra*.

(*o*) Vulgatum erat *ab Cooe*. Propius tamen exhibet ms. *a Beroe*.

(*p*) Si se octoginta episcopos in unum convenisse num: 16 non mendaciter testati sunt, septem hic desiderantur subscriptiones.

(*q*) Baronius in appendice tom. III, ad an. 352, hanc epistolam antiquitatem redolere, et Liberii ævo scriptam esse concedit : eam tamen omnino negat ipsius esse. A plerisque etiam rejicitur ut ficta et adul-

tit, Athanasio negat. — Studens paci et concordiæ Ecclesiarum, postea quam litteras Charitatis **669** Vestræ de nomine Athanasii et cæterorum factas ad nomen Julii bonæ memoriæ episcopi accepi; secutus traditionem majorum, presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum et Helianum e latere meo ad Alexandriam ad supradictum Athanasium direxi, ut ad urbem Romam veniret: ut in præsenti id, quod Ecclesiæ disciplina (*a*) exstitit, in eum statueretur. Litteras etiam ad eumdem per supradictos presbyteros dedi, quibus continebatur, quod si non veniret, sciret se alienum esse ab Ecclesiæ Romanæ communione. Reversi igitur presbyteri nuntiaverunt eum venire noluisse. Secutus denique litteras Charitatis Vestræ, quas (*b*) de nomine supradicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his litteris, quas ad unanimitatem nostram (*c*) dedi, me cum omnibus vobis et cum universis episcopis Ecclesiæ catholicæ pacem habere:

terina. Primo enim Athanasius nullo umquam vel levi verbo indicat, Liberium ante exsilium a sua ipsius communione recessisse. Imo in fine Apolog. ad Const. pag. 807, hoc affert velut præclarum innocentiæ suæ testimonium, quod ille omnia pati, quam ipsius causam prodere maluerit. Deinde idem Athanasius ubi ad Solit. pag. 837 præmisit: *Liberius post exactum in exsilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est;* statim adjicit: *Verum illud ipsum et eorum violentiam, et Liberii in hæresim odium, et suum pro Athanasio suffragium, cum liberos affectus habebat, satis coarguit.* At certe nihil inde causam suam juvaret, si Liberius initio pontificatus, nemine cogente, ipsum a sua communione repulisset. Sed et Liberius ipse ab Athanasio damnando se semper abhorruisse palam declarat, cum Eusebio eunucho ipsius contra Athanasium subscriptionem exposcenti apud Athanas. ad Solit. p. 833 fortiter respondet, eum *quem non una, sed jam altera synodus probe ab omni crimine liberum pronuntiavit, et Romana Ecclesia cum pace dimisit*, minime se posse damnare; neque absentem aversari, *quem*, inquit ibid., *præsentem dileximus et habuimus in nostra communione.* Demum cum hæc non solum Romæ eunucho Eusebio, sed et Mediolani Constantio, præsentibus Epicteto et Eusebio, responsa dedisset; nemini umquam venit in mentem, ut Athanasium jam semel ab ipso damnatum fuisse objiceret.

Ad hæc respondent nonnulli, Athanasium modestiæ et amicitiæ causa Liberio jam correcto et in sua communione perseveranti pepercisse; ac prudenter reticuisse, quod ille judicio præcipiti commiserat: Liberium vero, cum Orientalium litteris permotus esset, hanc epistolam scripsisse quidem, sed ab ea in lucem edenda litteris Ægyptiorum revocatum esse, donec exsilii impatiens, quo Orientalium sibi gratiam conciliaret, eam divulgandam existimarit.

Sed quod illi meris conjecturis nixi defendunt, ex ipsis Liberii ad Orientales litteris refellitur. Nedum enim testetur se jam pridem Athanasium damnasse; hinc potius excusat damnationis illius dilationem: *quia*, inquit Fragm. VI, n. 5, *susceperat illum bonæ memoriæ Julius episcopus decessor meus, ne forte ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris*, etc. Tunc primum igitur Orientalibus commodavit consensum, cum exsilii tædio victus a pristina sua constantia excidit. Eum autem numquam antea Athanasium damnasse, apertum est ex proximo Fragmento V, n. 2, ubi disertis verbis declarat, se initio pontificatus Orientalium quidem litteras contra Athanasium accepisse, sed eis fidem ac sententiam suam non commodasse, *quod eodem tempore octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat. Unde*, inquit, *contra divinam legem visum est, etiam cum episcoporum numerus pro Athanasio major exsisteret, in parte aliqua commodare consensum* Athanasii adversariis numero paucioribus. Sed et cum constet ex Fragmento V, n. 1 et 6, nec non ex subsequenti num. 4, Liberium non modo Mediolani anno 354, sed et Arelate an. 353, a Constantio per legatos petiisse, *ut juberet, sicut ipsi jam dudum placuerat, concilium ad Aquileiam congregari*, quo Athanasii causa tractaretur: recte consequitur, Liberium jam ab anno 352, hoc est, pontificatus sui initio, concilium petiisse, et petitum Imperatori placuisse; vix enim illud *dudum* artius potest, quam ad annum superiorem restringi. Ex quo nullum relinquitur tempus, quo Athanasius a Liberio citatus, et ab ejusdem communione separatus judicetur.

Quæ cum ita sint, hanc epistolam ab Arianis confictam esse eo consentimus libentius, quo plures hujusmodi litteras tum Athanasii tum imperatoris nomine, circa idem tempus, ab iisdem editas esse demonstrat Athanasius ipse, Apolog. ad Constant. p. 680 et 686. Quod etiam confirmat Sardicense concilium, in quo *lectæ sunt litteræ factæ a Theognito falsæ adversus Athanasium et Marcellum*, ut audivimus Fragm. II, n. 3.

Exoritur hic altera quæstio, cujus nimirum sint, quæ epistolæ huic appendicis in modum subjecta sunt. Qui epistolam, ii quoque appendicem ab Arianis confictam esse putant; indignum enim Hilario, dignum Arianis esse, ut laudetur opus, quod omnium indignationem mereatur. Quis tamen in eo non agnoscat vocem catholici præsulis, irritos enarrantis Arianorum conatus, ac probantis Sardicense Concilium, *quo Athanasius absolutus et Ariani damnati fuerant?*

Godefridus Hermant., not. 3 in cap. 25 libri VI Vitæ S. Athanasii, opinatur hanc appendicem non ad proximam epistolam Liberio inscriptam, sed ad litteras Sardicensis synodi ad Constantium, quas Hilarius ad calcem II Fragmenti exhibebat, pertinere. Si tamen propius perpendantur illius verba, ea magis in proximam, quam in deperditam synodi Sardicensis epistolam convenire apparebit. Et vero licet totum hoc Hilarii opus omnino confusum sit atque perturbatum, nulla tamen occurrit appendix hujusmodi a proprio loco divulsa atque distracta.

Quocirca neque hanc e suo situ motam, neque Hilario indignam arbitramur, sed quas superioris epistolæ laudes plerique putant, meram esse Ironiam. Suspicamur etiam Potamium et Epictetum epistolæ ejusdem architectos hic significari, ac pro *audire hæc noluerunt*, legendum esse *audere hæc potuerunt:* adeo ut ab his seductus Fortunatianus (qui Hieronymo teste, lib. de Script. eccl. c. 97: *In hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanæ urbis episcopum pro fide ad exsilium pergentem primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem hæreseos compulit*), eamdem epistolam diversis episcopis miserit, ut eos ab Athanasii communione retraheret: sed nihil profecerit tamen; quia probe notum erat omnibus, Athanasium Ægyptiorum opera a Liberii communione numquam excidisse. Si hæc ita se habent, hæc epistola non anno 352, sed 355, quando in exsilium expulsus est Liberius, conficta sit necesse est. Eum tamen locum hic illi damus secundum tempus, quo illam editam esse confinxerunt illius auctores. Vide notas in sequens Fragmentum.

(*a*) Restituimus lectionem ms., cui in editis prælatum erat *exigit*.

(*b*). Quid sibi velit *de nomine*, Hilarius ipse Fragm. VI, n. 4, interpretatur, *id est de condemnatione.*

(*c*) Verbum *dedi* supplemus ex ms. Sirm. Proxime

supradictum autem Athanasium alienum esse a com- A munione mea sive Ecclesiæ Romanæ, **670** et consortio litterarum ecclesiasticarum.

2. *In cassum conficta hæc epistola. Cur.* — « Quid in his litteris (*a*) non sanctitatis, quid non ex metu Dei eveniens est? Sed Potamius et Epictetus, dum damnare urbis Romæ episcopum gaudent, sicut in Ariminensi synodo continetur, audire hæc noluerunt (*f.* audere hæc potuerunt). Quin etiam Fortunatianus episcopus epistolam eamdem rursum diversis episcopis mittens, nihil profecit. Ut autem in negata Athanasio communione sibi potius (*b*) essent onerosi, remque omnem sibi periculi facerent, dummodo nihil Sardicensi Synodo, qua Athanasius absolutus et Ariani damnati fuerant, decerperent; litteræ ex Ægypto (*c*) omni atque ab Alexandria missæ admo- B nebant : quoniam quales ad Julium pridem de reddenda (*d*) exsulanti Athanasio communione erant scriptæ, tales nunc ut de subjectis intelligetur, ad Liberium datæ sunt de tuenda. »

---

671 FRAGMENTUM V (*Alias* II *partis*).

INCIPIT EPISTOLA LEGATORUM (*e*) MISSA AD CONSTANTIUM IMPERATOREM A LIBERIO EPISCOPO URBIS ROMÆ PER LUCIFERUM EPISCOPUM (*circa an.* 354).

Gloriosissimo Constantio Augusto Liberius Episcopus.

1. *Liberius concilium expostulat. Contumeliosis sermonibus a Constantio in vulgus sparsis laceratur.* — Obsecro, tranquillissime imperator, ut mihi benignas aures clementia tua tribuat, (*f*) quo possit mansuetudini tuæ mentis meæ propositum apparere. De Christiano enim imperatore et sanctæ memoriæ Constantini filio hoc ipsum sine cunctatione mereor impetrare. Sed in eo me laborare intelligo, quia repetita satisfactione, placabilem etiam circa reos animum tuum, in gratiam meam revocare non possum. Sermo (*g*) enim pietatis tuæ, jamdudum ad populum missus, me quidem, quem patienter omnia ferre necesse est, plurimum lacerat : sed animum tuum, qui lenitati semper vacat, qui numquam, ut scriptum est, in occasum diei iracundiam servat, retinere circa me indignationem miraculo mihi est. Ego enim, religiosissime imperator, tecum veram pacem requiro, quæ non sit verbis composita interna dispositione fallaciæ, sed præceptis Evangeliorum rationabiliter confirmata. Non Athanasii tantum negotium, sed multa alia in medium venerunt, propter quæ concilium fieri mansuetudinem tuam fueram deprecatus (*h*):

puta ex sequenti Fragmento num 2. Quod Fragmentum cum in archetypo ms. in prima horum Fragmentorum parte, hoc autem quod præ manibus est in secunda tantum locum obtineat; hinc sequitur 1° utramque partem ad Hilarium pertinere, nec bene a Blondello et aliis nonnullis eam illi auferri quæ in ms. prima est: 2° Fragmentorum ordinem in ms. inversum esse, si quidem ei quintum invenitur præpositum, cui subjiciendum esse Hilarius declarat; 3° Nicolao Fabro licuisse, quam in ms. primam reperit hujus operis partem, secundo duntaxat loco edere : demum non minus licere nobis Fragmenta singula meliorem in ordinem disponere. Neque hæc negarit quisquam, nisi qui illud, *ut de subjectis intelligetur*, forte volet non ad subjectas Liberii litteras, sed ad Ægyptiorum epistolam quæ hinc sit dilapsa referri.

(*a*) Godefridus Hermant lib. VII Vitæ S. Athanas. c. 6, cum Fortunatiani ante lapsum laudabile aliquod C pro fide catholica factum nunc memorari pro certo habeat; verisimile putat, epistolam synodi Sardicensis ad Constantium missam hic significari. Verisimile tamen non est, ut Hilarius nihil profuisse dixerit litteras Sardicensis synodi, cujus auctoritatem apud omnes valere statim significat. Probabilius itaque est, ut diximus, pseudoepistolam Liberii hic intelligi : quam Fortunatianus post lapsum mittens diversis episcopis nihil profecerit; quia apud omnes multum valebat Sardicensis synodus, a Liberio confirmata postquam Ægyptiorum litteris de Athanasii causa certior factus est.

(*b*) Ita correxit Faber; cum mendose in suo ms. haberet *esse onerosius*, et postea *faceret*, pro *facerent*.

(*c*) Editi ex ms. Pith., *litteræ ex Ægypto omniaque ad Alexandriam iisse admonebant, quam qualis ad Julium pridem de reddenda exsultante Athanasio communione erant scriptæ, talis nunc*, etc. Quam nunc ex D iisdem fere characteribus, male antea inter se compositis, offerimus lectionem, confirmat ipsa historiæ veritas. Exstat namque apud Athanasium initio Apolog. ad Const., p. 722, Alexandrinæ synodi epistola ab omni Ægypto, et ut notat ad illius calcem Athanasius, *ad omnes et ad episcopum Romanum Julium* in gratiam Athanasii scripta : quam Sardicenses Patres Frag. II, n. 5, laudant, et num. 10 ab 80 episcopis testantur esse missam. Alteram vero Liberius ipse sequenti Fragmento V, commemorat sibi a totidem Ægyptiis episcopis pro eodem Athanasio datam eo ipso tempore, quo Orientalium contra eumdem litteras acceperat.

(*d*) In ms. *exsultante :* mendose. Quales ad Julium, tales ad Liberium scriptæ sunt litteræ : quia ut ille, ita et hic 80 Ægyptiorum episcoporum litteras in gratiam Athanasii accepit : *ut de subjectis intelligetur*,

(*e*) Luciferi nimirum episcopi Calaritani, Pancratii presbyteri, et Hilarii diaconi : quorum consortio junxit se Eusebius Vercellensis, Liberii epistola, quam Baronius ad an. 354, n. 2, describit, invitatus. Hanc post deletum Magnentium celebratumque Arelatense anni 353 concilium missum esse non obscurum est. Valesio autem, animadversionibus in cap. 37 lib. II Socratis, eam ad annum 356 differenti nemo assentitur : cum Liberius hac legatione concilium obtinuerit quod anno 355 Mediolani celebratum est. Itaque inter eruditos convenit, eam anno 354 scriptam esse, et ut post Baronium putat Antonius Pagi, cum adhuc in Galliis ageret Constantius, qui Ammiano, teste lib. XIV, c. 4, sub ejusdem anni exitum in Italiam ad hiberna secessit. Eamdem epistolam Baronius ad an. 354, n. 2, exscripsit ex bibliotheca Patrum edit. Paris., in qua exstat inter Luciferi Opera.

(*f*) Apud Baron., *quo possim ;* et mox *aperire*, pro *apparere ;* et antea *opto*, pro *obsecro*.

(*g*) Qualis fuerit hic sermo, augurari licet ex verbis num. 3, quibus Liberius innocentiam suam tuetur.

(*h*) Anno superiore per Vincentium Capuanum, qui Arelate cum Arianis in Athanasii condemnationem consensit.

ut ante omnia, quod specialiter optat mentis tuæ erga Deum sincera devotio, cum fidei causa, in qua prima nobis spes est ad Deum, diligenter fuisset **672** tractata (*a*), ne eorum, qui nostram circa Deum observantiam mirari debent, possent finiri. Et dignum fuerat Dei cultore, dignum imperio tuo quod Christi pietate regitur et augetur, specialiter hoc ipsum pro reverentia sanctæ religionis, cui prudenter intentus es, clementiam tuam nobis ad hæc impetranda præstare.

2. *Litteras Orientalium suppressisse falso accusatur. Cur eis fidemnon habuerit.* — Sed multi Ecclesiæ membra lacerare festinant, qui confinxerunt me litteras suppressisse, ne crimina ejus, quem dicebantur condemnasse, apud omnes paterent. (*b*) Quas illas litteras? Episcoporum Orientalium, et Ægyptiorum; quibus in omnibus eadem in Athanasium crimina continebantur? At satis omnibus clarum est, nec quisquam negat, nos Orientalium litteras intimasse, legisse Ecclesiæ, legisse concilio, atque hæc etiam Orientalibus, respondisse; qui fidem et (*c*) sententiam non commodavimus nostram, quod (*d*) eodem tempore (*e*) octoginta episcoporum Ægyptiorum de Athanasio sententia repugnabat, quam similiter recitavimus atque insinuavimus episcopis Italis. Unde contra divinam legem visum est etiam, cum episcoporum numerus pro Athanasio major exsisteret, in parte aliqua commodare consensum. Hæc scripta, si Deo fidem (*f*) debet Eusebius qui missus fuerat, festinans ad Africam nobis reliquit : quæ tamen postea omnia scripta, ne ad impetrandum forte concilium deessent, Vincentius qui cum cæteris missus fuerat Arelatum pertulit.

3. *Criminibus sibi a Constantio confictis se purgat.* — Videt igitur prudentia tua, nihil in animum meum introisse, quod Deo servientibus non dignum fuerat cogitare. Testis autem mihi est Deus, testis est tota cum suis membris Ecclesia, me fide et metu in Deum meum cuncta mundana ita, ut evangelica et apostolica ratio præcipit, calcare atque calcasse. Non furore temerario, sed constituto atque observato jure divino, atque in alio ministerio ecclesiastico vivens, nihil per **673** jactantiam, nihil per gloriæ cupiditatem, quod ad legem pertinebat implevi : et ad istud officium, testis est mihi Deus meus, invitus accessi; in quo cupio quidem sine offensa Dei, quamdiu in sæculo fuero, permanere. Et numquam mea statuta, sed apostolica, ut essent semper firmata et custodita, perfeci. Secutus morem ordinemque majorum, nihil addi episcopatui urbis Romæ, nihil minui passus sum : et illam fidem servans, quæ per successionem tantorum episcoporum cucurrit, ex quibus plures martyres exstiterunt, illibatam custodiri semper exopto.

4. *Cum Orientalibus cur communicare nequeat.* — Denique jam me aperire causam pietati tuæ sollicitudo ecclesiastica atque ipsa devotio persuadet. Significant Orientales, paci nostræ velle conjungi. Quæ est pax, clementissime imperator, cum sint ex partibus ipsis quatuor episcopi Demophilus, Macedonius, Eudoxius, Martyrius, qui ante annos octo, cum apud (*g*) Mediolanum Arii sententiam hæreticam noluissent damnare, de concilio animis iratis exierunt? Horum si fas est sententiis, quale sit, aut quid periculi habeat, commodare consensum, æquitas et clementia tua poterit æstimare. Non est novum, quod nunc subtiliter et sub occasione nominis Athanasii attentatur. Manent litteræ Alexandri episcopi olim ad Sylvestrum sanctæ memoriæ destinatæ, quibus significavit ante ordinationem Athanasii, (*h*) undecim tam presbyteros quam etiam diacones, quod Arii hæresim sequerentur, se ecclesia ejecisse,

(*a*) Baron. *nec eorum*. An *technæ eorum* vel *tunc* aut *dehinc eorum*, subaudito postea vocabulo *causæ?*

(*b*) Alias ex ms. Pithœano, *quasi illas litteras*. Præferimus cum Baron. *quas illas litteras*, supple *suppressisse?* His verbis funditus ruit eorum opinio, qui superiorem epistolam Liberii nomine inscriptam ut genuinam recipiunt. Qui enim Orientalium litteras suppressisse insimulatus sit, si eis morem gerens Romam Athanasium citaverit, ac postmodum a communione sua removerit?

(*c*) Pith. ms., *scientiam*, Magis placet cum Baron., *sententiam*. Mox, necnon Frag. VI, n. 3, ab eodem Liberio audiemus *commodare consensum*.

(*d*) Ediderat Faber, *eo tempore*, quamvis in suo ms. reperisset *eodem tempore :* quomodo etiam exstat apud Baron. Hinc rursum refellitur, quod ad defendendam superioris epistolæ veritatem nonnulli excogitarunt, nimirum Liberium litteris Orientalium permotum eam scripsisse, sed ab ea edenda aliis Ægyptiorum litteris fuisse revocatum. Qui enim eodem tempore Orientalium simul et Ægyptiorum litteras acceperit, si illorum litteris permotus, prius ad Athanasium presbyteros miserit, ac missorum exspectarit reditum, quam ab Ægypto quidquam audiret?

(*e*) Apud Baron. *septuaginta quinque*. Magis placet cum nostris mss. *octoginta*. Namque episcopi, qui Fragm. II, n. 5, ex Ægypto ad Julium scripsisse memorantur, num. 10 ejusdem Fragm. perhibentur octoginta exstitisse. Quales autem ad Julium, tales ad Liberium litteras, hoc est ab iisdem, in gratiam Athanasii datas esse, postremis superioris Fragmenti verbis audivimus.

(*f*) Baron. *habet Theosebius :* et mox, *post omnia scripta... Arelatum pervenit.*

(*g*) Post Athanasium lib. de Synod. pag. 895, narrat Socrates lib. II, c. 19, Orientales triennio post concilium Antioch. anni 341, prolixam fidei formulam conscripsisse, eamque per Eudoxium, Macedonium et Martyrium ad episcopos Italiæ misisse. Ex illorum adventu nata videtur hujus concilii occasio, in quo quatuor illi episcopi Arii hæresim damnare recusarunt. Unde obiter observamus, id Occidentalibus moris fuisse, ut in conciliis suis cum cæteris hæresibus Arianam condemnandam proponerent. Quod enim hoc anno a prædictis episcopis, hoc ipsum anno 347 a Valente et Ursacio in eadem civitate exactum fuit, ut ipsi declarant Frag. II, n. 20. Id quoque Arelatensi synodo anni 353 præstitum esse mox audiemus. Et Athanasius, lib. de Synod. p. 876, testis est, Arimini patefactam ea ratione fuisse Valentis et Ursacii vafritiem. *Episcopis enim*, inquit, *proponentibus ut cæteræ cum Ariana damnarentur hæreses, reliquisque omnibus ad id consentientibus, Valens et Ursacius cum sociis abnuerunt.*

(*h*) Horum Athanasius, ad solit. p. 858, catalogum videtur texere, ubi conqueritur quod *Arianis*, *neque illis novitiis*, *sed veteranis ac jam olim cum Ario ab*

ex quibus nunc quidam extra Ecclesiam catholicam foris positi dicuntur sibi conciliabula invenisse, quibus asseveratur etiam Georgius (*a*) in Alexandria per litteras communicare. Quæ ergo pax potest esse, tranquillissime imperator, si (*b*) exhibitis episcopi, ut nunc per Italiam factum est, cogantur talium sententiis obedire ?

5. Accipe aliud, quia tranquillitas tua **674** patienter admittit. Manent legatorum (*c*) litteræ, qui ad clementiam tuam fuerant destinati, quæ nuper venerunt : quibus significant, propter turbationem quidem omnium ecclesarium se quidem ante succumbere sententiis Orientalium voluisse, proposuisse tamen conditionem, ut si iidem Arii hæresim condemnassent, hoc genere inclinati eorum sententiis obedirent. Placitum, ut ipsi significant, scriptura teste firmatur, itur in concilium : accipiunt cum deliberatione responsa, Arii doctrinam se damnare non posse, Athanasium, quod solum exigebant, communione esse privandum. Hinc jam clementia tua hoc quoque consideret, recte catholicæ religionis jure servato, an hominis causa debeat diligenter excusseque tractari.

6. *Concilium enixe deprecatur.* — Unde iterum atque iterum mansuetudinem tuam atque animum tuum Deo devotum rogamus per ejus virtutem, qui se in defensione tua (*adversus Magnentium an.* 353 *deletum*) quantus sit, universis mortalibus approbavit, ut habens ante oculos ejus beneficia, qui imperium tuum in omnibus regit, hæc in cœtu episcoporum diligenter facias omni cum consideratione tractari : ut pacatis per te Deo favente temporibus, tranquillitate tua consentiente, sic omnia discutiantur, ut quæ fuerint judicio sacerdotum Dei confirmata, cum constiterit omnes in expositionem fidei, quæ inter tantos episcopos apud Nicæam præsente sanctæ memoriæ patre tuo confirmata est, universos consensisse, cum exemplo possint in posterum custodiri : ut ipse Salvator, qui de super mentis tuæ propositum intuetur, in tanta rerum expeditione lætetur, causam fidei et pacis etiam reipublicæ necessitatibus non immerito præposuisse. Ad exorandum igitur mansuetudinem tuam, ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem et coepiscopum meum sanctum virum Luciferum cum Pancratio presbytero et Hilario diacono placuit proficisci. Quos credimus de clementia tua ad pacem **675** omnium ecclesiarum catholicarum non difficulter posse concilium impetrare. Dei omnipotentis clementia te nobis custodiat, clementissime ac religiosissime (*d*) Auguste. Explicit.

FRAGMENTUM VI (*Alias* 1 *partis*).

LIBERIUS ANTE QUAM AD EXSILIUM IRET, HANC UNIFORMEM (*e*) EPISTOLAM CONFESSORIBUS SCRIPSIT, ID EST, EUSEBIO, DIONYSIO ET LUCIFERO IN EXSILIO CONSTITUTIS (an. 355).

1. *Exsulibus gratulatur Liberius.* — Quamvis sub imagine pacis, humani generis inimicus vehementius in membra Ecclesiæ videatur esse grassatus; vos tamen, (*f*) acceptissimi in Domino sacerdotes, egregia et singularis fides et hic probabiles Deo ostendit, et jam ad futuram gloriam martyres designavit. Quo itaque præconio laudis, qua vocis exsultatione merita virtutis vestræ proferam, positus inter mœrorem absentiæ vestræ et gaudium gloriæ,

Alexandro episcopo damnatis ecclesiæ (catholicis ereptæ) *donentur. Ita in superiori Libya Secundus, in Alexandria Euzoius Chananæus, Julius, Ammon, Marcus, Irenæus, Zosimus, Serapion cognomento Pelecon, et in Libya Sisinnius cum juvenibus ejusdem secum hæreseos cultoribus ecclesias accipiunt.*

(*a*) Valesius cum *Georgium in Alexandria* sic intellexisset quasi Georgium Alexandrinum episcopum, quem constat anno tantum 356 in Athanasii sedem invasisse; eo loco adductus est, ut hanc epistolam ante eumdem annum scriptam negaret. At notatur hoc loco Georgius alter, et ut probabile est Laodiceæ episcopus, qui antea Athanasio teste lib. de Synod. p. 886 et 887, Alexandrinus presbyter, ab Alexandro ejectus fuerat. Unde post *in Alexandria*, commode suppleveris *olim presbyter*. Commodius vero intellexeris cum hic argui, quod Alexandrinis Arianis per litteras communicet.

(*b*) Abest *exhibitis* apud Baronium. In ms. Pith., *exhibitis episcopis* : quod Faber non male videtur correxisse, ut liquidius patebit, si verborum ordo mutetur in hunc modum : *Si talium sententiis jam exhibitis cogantur episcopi obedire.* Quod autem de vi episcopis illata subinde dicitur, apertius explicat Sulpicius Sev. lib. II, p. 246, ubi ait : *Edictum ab imperatore proponitur, ut qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exsilium pellerentur.*

(*c*) Vincentii scil. Capuani et Marcelli, uti declaratur sequenti fragmento, n. 3, quorum primi, aut potius secundi conatus hic narrantur. Credendum enim est, eos primo noluisse omnino Athanasium damnare, deinde consensisse quidem Athanasii condemnationi, modo ipsi illius adversarii Arii hæresim damnarent, ac tandem Vincentium vi compulsum Arianorum placita perfecisse.

(*d*) Apud Baron., *religiosissime imperator.*

(*e*) Baronius ad an. 355, n. 32, epistolam eamdem exhibet. Quam in actis quidem S. Eusebii ad unum Eusebium, in codice autem Vaticano tum ad ipsum tum ad reliquos exsules, ac denum in pluribus aliis exemplaribus ad omnes confessores diversis in locis exsulantes encyclicam inscriptam esse testatur. Cui inscriptioni favet, quod hanc *uniformem* Hilarius nuncupat. Unde proxime post verba *Dionysio* et *Lucifero*, supplendum videtur *et cæteris*. Certe Pancratii presbyteri et Hilarii diaconi, qui una cum Eusebio, Dionysio et Lucifero missi, eamdem exsilii sortem perpessi erant, Liberium oblitum esse quis credat?

Non ambiguum est, illam ad eos maxime missam esse, qui in concilio Mediolanensi anni 355, ob constantem fidei atque Athanasii defensionem in exsilium ejici meruerunt. Neque minus est perspicuum, eam statim post ipsum concilium eo ipso anno 355 scriptam esse.

Quocirca si temporum ordinem species, sequentes tum ad Cæcilianum tum ad Osium litteræ non solum ante hanc epistolam, sed et ante superius fragmentum erunt collocandæ. Sed distrahi non debuerunt, quæ ab Hilario ipso connexa erant; qui, ut ipse præmonuit, interdum non tam temporum rationem habet, quam rerum. Neque nunc prudentibus latet ipsius consilium, illum nimirum ea in unum collegisse, quæ unde ceciderit Liberius, et a quam magno animo ad quam pusillum sit dilapsus, ostenderent.

(*f*) In ms. Pith., *acceptissimos* : Cui voci Faber addidit *Deo*. Sincerior visa est lectio Baronii.

prorsus invenire non possum : nisi quod scio hinc (*al.* hic) me probabiliora vobis solatia exhibere, si credatis me in exsilium simul vobiscum esse detrusum. Denique me adhuc in ipsa exspectatione pendentem quod a consortio vestro durior necessitas interim distrahit, satis contristor. Optaveram enim, Fratres devotissimi, prior pro omnibus vobis impendi, ut exemplum gloriæ per me magis vestra dilectio consequeretur. Sed fuerit hæc palma meritorum vestrorum, ut priores de perseverantia fidei ad confessionis inlustrem gloriam veneritis. Quæso igitur dilectionem vestram, ut me præsentem vobiscum esse credatis, atque eo me affectu absentem non **676** esse sentiatis, et intelligatis dolere me satis, quod sim interim a vestro consortio disparatus (separatus). Quantam denique gloriam fueritis consecuti, hinc magis scire potestis, quod si qui in persecutione coronati sunt, solius persecutoris (*a*) cruentos gladios sentire potuerunt : contra vos, devoti per omnia Dei milites, etiam falsos fratres inimicos experti, de perfidis victoriam pertulistis : quorum (*b*) quanto in sæculo violentia increscere potuit, tanto sanctis sacerdotibus præmia laudis inveniuntur conferre. Estote itaque de promissione cœlesti securi.

2. *Pro se orent rogat. Gesta Mediolani ab ipsis vult discere.* — Et quia proximiores estis Deo effecti, vestris orationibus me vestrum consacerdotem famulum Dei ad Dominum sublevate : ut supervenientes impetus, qui de die in diem cum (*c*) annuntiantur, graviora vulnera infligunt, tolerabiliter ferre possim ; ut inviolata fide, salvo statu Ecclesiæ catholicæ, (*d*) parem vobis dignetur me Dominus efficere. Et quia cupio quæ gesta sunt in ipsa congressione fidelius scire ; obsecro sanctitatem vestram, ut universa fideliter litteris intimare dignemini : ut additamentum majus vel ipse animus, qui diversis rumoribus cruciatur, vel vires corporis ipsius, quæ jam extenuatæ sunt, de cohortatione vestra possint sentire : *et alia manu*, Deus vos incolumes custodiat, Domini Fratres.

ITEM LIBERIUS ANTE QUAM IRET IN EXSILIUM, DE VINCENTIO CAPUENSI AD (*e*) CÆCILIANUM EPISCOPUM SPOLETINUM (*f*) SCRIPSIT (*circa initium an.* 354).

3. *Vincentii lapsum dolet.* — Nolo te factum Vincentii ab intentu boni operis revocet, Frater carissime. *Et ad Ossium de Vincentii ruina sic* (*g*) *dicit* : Inter (*h*) hæc quia in nullo conscientiam tuam debeo præterire, multi ex Italia episcopi convenerunt, qui mecum (*i*) religiosissimum Imperatorem **677** Constantium fuerant deprecati, ut juberet, sicut ipsi placuerat dudum, Concilium ad Aquileiam congregari. Vincentium Capuensem cum Marcello æque ex Campania episcopo legationem nostram suscepisse, Sanctitati tuæ insinuo : de quo multum sperabam, quod (*j*) et causam optime retineret, et judex in eadem causa cum Sanctitate tua frequenter resedisset ; credideram (*k*) integrum Dei Evangelium sua legatione posse servari. Non tantum nihil impetravit, sed etiam ipse in illam ductus est (*l*) simulationem. Post cujus factum, duplici affectus mœrore, mihi moriendum magis pro Deo decrevi ; ne viderer novissimus delator, (*m*) aut sententiis contra Evangelium commodare consensum.

4. *Liberius Athanasium damnat.* — « Post hæc omnia, quæ vel gesserat, vel promiserat Liberius, mis-

(*a*) Apud Baron., *persecutionis :* ex quo, nec non ex ms. Sirm. restituimus deinde *cruentos gladios*, pro *fructus gladio*.

(*b*) In mss. Pith., *quantumque*, mox omisso vocabulo *sanctis :* quod ex Baronio supplemus, cum eodem præferentes *quanto*, tacita particula *magis*.

(*c*) Pith. ms., *cum annuntiant graviora futura infligunt :* castigat Baronii exemplar.

(*d*) Apud Baron., *præmia nobis dignetur afferre. Et quia*, etc.

(*e*) In ms. Sirm. *ad Ælianum*. Et quidem apud Athanasium, pag. 767, Sardicensi synodo subscribit *Ælianus*.

(*f*) post recentem Vincentii lapsum, ne illius exemplo a veritatis defensione deterreretur ; aut igitur exeunte anno 353 aut ineunte 354.

(*g*) Eodem tempore, quo ad Spoletinum episcopum ; ut intolerabile quoddam doloris pondus, quo opprimebatur, in alienum transmittens jam levius ipse ferret. Forte etiam ea tempestate Ecclesiæ multum timens sollicitus ejusdem gubernator, alia ad alios scripserit. Quantum cordi ei fuerit ille Vincentii lapsus, aliis ad Eusebium Vercell. litteris significat apud Baron. ad an. 353, n. 20.

(*h*) Mallemus *inter alia* (quomodo legisse videtur Baronius in codice Vaticano, unde eadem Liberii verba descripsit ad an. 353, n. 19), ut hæ duæ voces cum superiore verbo *dicit* connectantur, sintque Hilarii se non integras Liberii litteras describere admonentis.

(*i*) Sirm. ex Remig. ms. *gloriosissimum*.

(*j*) Ita ex Baronio emendamus : cum ex ms. Pith. vulgatum esset, *quod de causa optime retineret, et videns in eadem . . . resedisse*. Porro ille Vincentius cum Osio judex sedit in Sardicensi synodo, cui et subscribit supra Fragm. II, et a qua legatus ad Constantium delectus est, uti narrat Athanas. ad Solit. p. 882. Præterea creditur Romano concilio anni 341 interfuisse, et is esse Vincentius, quem Nicæno in concilio Romanæ Ecclesiæ presbyterum et Silvestri papæ legatum legimus.

(*k*) In mss. Pith. et Sirm. *integrum jus Evangeliorum :* tum solus Pith., *sive legationis ;* Sirm., *suæ legationis*. Baronii præferimus lectionem

(*l*) Eorum scil. nonnihil cedendo minis atque contumeliis ; quorum primis conatibus fortiter restiterat, uti fidem facit Fragmentum superius, n. 5.

(*m*) Apud Baron. *delator exsistere : nam videtur sententiis accommodasse consensum*. Quæ lectio si vera est, nondum certus erat Liberius, an re vera commodasset. Et apud Athanasium quidem Apolog. ad Constant. p. 692, habemus, Vincentium vim non mediocrem contumeliasque passum esse, donec ab ipsius communione sese abstinere promitteret ; sed non habemus, eum quidquam aut contra fidem aut contra Athanasium subscripsisse. An vero in eamdem simulationem abierit Marcellus, Liberius silet : unum deflet Vincentii lapsum, ut pote illustrioris, de quo uno multum sperabat, et cujus tantum erat nomen, ut postea Damaso apud Theodoretum, lib. II Hist. eccl. c. 21, dicere licuerit, nullum adversus fidem præjudicium esse debere ex numero episcoporum Arimini congregatorum, Romano episcopo et Vincentio non consentientibus.

sus in exsilium (*a*) universa in irritum deduxit, scribens prævaricatoribus hæreticis Arianis, qui in sanctum Athanasium orthodoxum episcopum (*b*) injustam tulere sententiam.»

Dilectissimis fratribus presbyteris et coepiscopis Orientalibus, Liberius (*circa finem an.* 357).

5. Pro deifico timore sancta fides vestra **678** Deo cognita est et hominibus bonæ voluntatis. Sicut lex loquitur, *Justa judicate, filii hominum* (*Psal.* LVII, 2), ego Athanasium (*c*) non defendo: sed quia susceperat illum bonæ memoriæ Julius episcopus decessor meus, verebar ne forte (*d*) ab aliquo prævaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris, litterasque super nomine ejus (*e*) (*id est de condemnatione ipsius*), per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad imperatorem Constantium. Itaque amoto Athanasio (*f*) a communione omnium nostrum, cujus nec epistolia a me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis et cum universis episcopis Orientalibus seu per universas provincias pacem et unanimitatem habere.

6. *Sirmiensi fidei subscribit.* — Nam, ut verius sciatis, me (*g*) vera fide per hanc epistolam ea loqui, dominus et frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem (*h*) vestram et catholicam exponere, quæ Sirmio a pluribus fratribus et coepiscopis nostris tractata, exposita, et suscepta est (*Hæc* (*i*) *est perfidia Ariana, hoc ego noneam se suscepisse ait fidem, quæ Sirmium a pluribus fratribus et coepiscopis nostris tractata, exposita, et suscepta est ab omnibus qui in præsenti fuerunt* : quæ verba cum secundæ Sirmiensis formulæ proœmio satis conveniant. In Blondelli sententiam Petavius notis in Epiphan. pag. 316, propendet: quamvis Liberium ab hæresi facile liberari posse censeat, si primam dumtaxat prædictæ formulæ partem, qua homousion et homœusion reticendum esse decernunt, pacis et quietis studio dicatur esse complexus. Sed quis eum primam tantum partem suscepisse concedat, a quo audit, *Hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi?* Sed quod certissimum ibidem asserit Petavius, Liberium scil. primæ Sirmiensi formulæ non subscripsisse, hac una ratione satis levi probat: quia nimirum hæc prima ecthesis Liberii non modo restitutionem, sed et exsilium præcesserit. Quasi vero qui exsilio ideo multatus erat, quod Athanasio ac fidei Nicænæ adhærens, novas Orientalium formulas probare recusasset; non id omne nunc efficiat, unde ab exsilio revocetur, dum et Athanasii causam se deserere, et Sirmiensi fidei contra Photinum, quæ, cum relegatus est, apud Orientales novissima erat, se subscripsisse testificatur.

Gravioribus momentis nititur opinio, qua Baronius aliique Liberium secundæ ecthesi Sirmiensi subscripsisse negant. Primo enim quando hæc conscripta est, jam obierat Theodorus; Cecropius vero, Eudoxius, etc., Sirmio aberant; demum ei ad se delatæ acerrime adversati sunt Basilius, Macedonius, Silvanus, etc. quos tamen omnes infra habemus ejus formulæ esse auctores, cui se consensisse dicit Liberius. Ad hæc reclamat Petavius, subjectam appendicem non ab Hilario, sed ab homine, qui Arianæ sectæ divortia nesciret, fuisse additam. Ita etiam verbum *requirendum*, quod in ipsius fine exstat, in gratiam Petavianæ sententiæ interpretatur nonnemo; quasi additamenti hujus auctor incertus ac dubius, rem totam diligentius excutiendam hac notula admoneret. Sed pro hujus appendicis veritate adest non solum ms. Pithœani, sed et Cresconianæ collectionis auctoritas. Neque animo succurrit, a quo et quam ob causam tot episcopi excogitati: quorum nomina interpolatorem rerum Arianarum rudem ei profecto non sapient, qui Liberium Sirmiensi fidei anni 351 subscripsisse defendet. Quod ad verbum *requirendum* attinet, amanuensi alias etiam dormitanti pro alio irrepsisse facile cogitatur; maxime cum ejus loco Baronius in mss. suis repererit *et alii*. Hoc verbum aliter explicat Salmasius, notis in Tertulliani lib. de Pallio p. 425. Ac primo quidem observat, antiquos librarios litteram *r* iis locis apponere solitos esse, quibus aliquid deesset ad sententiæ integritatem, quod requiri deberet et investigari. Cujus rei exempla singulis fere paginis exhibet antiquus et accuratus codex Majoris monasterii Turon. plerosque Hi-

(*a*) *Post exactum*, inquit Athanas. ad Solit. p. 837, *in exsilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est.* Ex quo efficitur, tres subsequentes epistolas exeunte anno 357, aut certe ineunte 358, scriptas esse. Facile etiam aliquod inter eas intervallum fuisse concedimus. Nam dum Romæ desiderio flagrans Liberius ab his, a quibus sperabat, se nihil juvari cerneret; aliorum subinde opem implorabat. Unde primam ad annum 357, alias ad 358, pertinere probabile est. Litteras easdem descripsit Baronius ad an. 357, n. 34, quas in Cresconiana collectione ac duobus codicibus se nactum esse testatur n. 32.

(*b*) Ita Sirm. ms. Alias autem, *injuste*.

(*c*) In ms. Pith. *non defendi*. Nobis magis probatur cum Baronio *non defendo*. Nam quod Athanasium antea defenderit, pluribus constat.

(*d*) Alias ex ms. Pith., *in aliquo*. Ex Baronio revocamus *ab aliquo*, consentiente Sirm. ms.

(*e*) Hæc verba charactere a cæteris distincto exprimi primus curavit Faber; ea tamen ut Liberii intellexit Baronius, neque certo constat an non illius revera sint.

(*f*) Apud Baron., *amoto Athanasio, super quo statuta omnium vestrum a me cum sede apostolica suscipienda sunt, dico*, etc.; et mox, *unitatem*, non *unanimitatem*.

(*g*) In exemplaribus Baronii, *me veram fidem per hanc epistolam meam proloqui*. Postea desiderari videtur, *quam proposuit*.

(*h*) In prius vulgatis desideratur *vestram*, quod supplemus ex ms. Pith. Ejus loco in mss. Sirm. et Baron. exstat *veram*.

(*i*) Hanc notam, ex qua maxima inter eruditos controversia nata est, Baron. ad an. 357, n. 34, prætermisit. In appendice tamen postmodum confessus est, eamdem se in Cresconii collectione reperisse. Porro cum triplex sit Sirmiensis formula, prima an. 351 contra Photinum scripta, altera Osii nomine an. 357 vulgata, postrema mense Maio an. 359 edita; disputant eruditi, quam hic Liberius se suscepisse dicat.

Solus Valesius, animadversionibus in Sozomeni lib. IV, c. 14, existimat tertiam hic memorari; quam inter omnes fere convenit nondum fuisse editam, cum hæc Liberius scriberet. Alii quidem arbitrantur illum adfuisse Sirmii, cum ibi prædicta formula edita est, eique subscripsisse: sed cum illuc non nisi Orientalium favore sit vocatus, neque hanc ab eis gratiam nisi hac epistola impetrarit; necesse est ut fidem hic se dicat suscepisse aliam, quam quæ cum Sirmium pervenit edita est.

Blondellus aliique plures volunt, Liberium de secunda Sirmiensi formula loqui: tum quia hanc unam perfidiæ nomine notat Hilarius, cum contra primam lib. de Synodis probet et excuset; tum quia Liberius

tavi, non apostata. Liberius sequentia) : ab omnibus qui in præsenti fuerunt; hanc ego libenti animo **679** (*a*) suscepi (*Anathema tibi a me dictum, Liberi, et sociis tuis*), in nullo contradixi, consensum accommodavi, hanc sequor, hæc a me tenetur (*Iterum tibi anathema et tertio, prævaricator Liberi*). Sane petendam credidi sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exsilio jam dimittar, et ad sedem quæ mihi divinitus credita est revertar.

larii in psalmos Tractatus continens. Tum opinatur litteram prædictam ab aliquo studioso in ora libri notatam, qua moneret requirendum esse quinam illi essent ibi nominati, quarumve civitatum episcopi. Nos autem hanc notam appositam suspicamur propter unum nomen *Junior*, quod adjectivum magis videtur quam proprium, et apud Baronium non comparet. Postremo verbum *requirendum*, quod marginali nota resignificabatur, ab aliquo in textum translatum esse conjectat. His de verbo *requirendum* notatis, ad institutam quæstionem redeamus.

Si Liberii expendantur verba, planum fiet ad secundam Sirmiensem formulam minime esse referenda. Orientalibus enim primas litteras suas inscribit, tum de datis ad Orientales litteris Ursacium et Valentem, ac postmodum Vincentium et Italos episcopos studiose monet. Unde vero tanta ei in Orientales fiducia, nisi quia eorum fidei subscripsisset ? Atqui Orientalium fides alia tum non erat, nisi prima Sirmiensis una cum pseudo-Sardicensi et Antiochena. Deinde si secundæ subscripsisset, apud Orientales dicere non debuit se suscepisse *fidem vestram et catholicam quæ Sirmio a pluribus fratribus et coepiscopis nostris tractata, exposita et suscepta est.* Nam secunda a solis Occidentalibus Ursacio, Valente, Germinio, Potamio et Osio exposita est; ac proinde in eam non cadit *vestram*. Longe minus convenit vox *catholicam*, quæ vix Sirmium egressa est, cum eam omnes aversati sunt. Neque dicenda fuit *a pluribus fratribus exposita*, cujus vel sex auctores non facile excogitaris. Præterea si fidem Valentis et Ursacii opera expositam recepit; cur non contendit illorum primum captare gratiam, qui et apud imperatorem plurimum poterant, et in ejus Comitatu tum versabantur? Quis etiam neget, Demophilum sæpe sæpius antea tentasse, ut Liberium ad Arianas partes inflecteret? Sed antea nullam Arianarum partium fidem recentiorem ei subscribendam offerre potuit, quam Sirmiensem primam. Mittimus, vix tum secundam potuisse Beroeam deferri, cum Liberius lapsus est. Denique Sozomenus, lib. IV, c. 15, testis est, Liberium, cum Sirmium pervenisset, confessionem dedisse, *qua eos qui Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat.* Neque hoc facturus erat, si proxime antea substantiæ vocabulum damnasset.

At, inquies, si Hilarius Liberium primæ Sirmiensi ecthesi consensisse intellexit; cur eam, quam lib. de Synodis probat et excusat, nunc perfidiam vocat? Jam libris de Synodis et in Constantium demonstrasse nobis videmur, numquam Hilario probatam fuisse Sirmiensem aut aliam Orientalium fidem. Imo ex eo quod ait in Constant. n. 24 : *Quidquid præter fidem unam est, perfidia, non fides est* : consectarium est etiam primam Sirmiensem, quippe quæ præter Nicænam est, esse perfidiam. Neque inconstantiæ arguendus est Hilarius, quod eamdem fidei confessionem cum laudasset alias, nunc acriter carpat ac reprehendat. Namque ut illi digni sunt laude, qui a malo recedunt, ita qui a bono deficiunt, merito sunt vituperandi. At vero Orientalibus, Filium ex nihilo

7. *Fidei ejus qui auctores.* — «Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, **680** quam dicit Liberius catholicam, a Demophilo sibi expositam, hi sunt qui conscripserunt : Narcissus, Theodorus, Basilius, Eudoxius, Demophilus, Cecropius, Silvanus, Ursacius, Valens, Evagrius, (*b*) Hyrenius, Exuperantius, Terentianus, (*c*) Bassus, Gaudentius, Macedonius, (*d*) Marthus, Acticus, Julius, Surinus, Simplicius et (*e*) Junior, (requirendum) omnes hæretici.»

et intra tempus exstitisse olim asserentibus, postea vero Sirmiensi fide, Ancyranis decretis illustrata, ante tempora et ex Dei substantia confitentibus, ad veram fidem proficere fuit, et quodam modo catholicos evadere. Contra Liberio Sirmiensis fidei confessione sanctam consubstantialis fidem supprimenti, a vera fide deficere fuit, et perfidum atque hæreticum quadam ratione fieri. Hæreticis enim communicans, et credendi legem, quam hæretico sensu tuebantur, quamvis intellectu catholico ab eis recipiens, hæresis partes communiebat : catholicus fide et interiori conscientia, communione ac forte etiam rumore publico hæreticus ; quo de rumore legendus Sozomenus, lib. IV, c. 15. Eo sensu intelligendus est Hieronymus lib. I de Script. eccl. dixisse, Liberium a Fortunatiano *ad subscriptionem hæreseos* compulsum esse. Quo spectat et illud Auxilii lib. I de ordinationibus c. 25 : *Quis nesciat quod Liberius, heu proh dolor! Arianæ hæresi subscripsit?*

(*a*) Baronius, *suscepi in nullo contradicens. Sane petendam credidi*, iis omissis quæ his interposita sunt. Quamvis autem in novissima editione ea ipsa additamenta in Cresconii collectione se offendisse fateatur ; ea tamen Hilarii esse prorsus negat. Nostras ea de re conjecturas proponere satis habebimus. Cum in ms. Pith. post verbum *suscepi*, uno eodemque contextu sequatur, *Sanctus Hilarius anathema illi dicit : anathema tibi a me*, etc., opinamur hæc verba, *Sanctus Hilarius anathema illi dicit*, in antiquiore exemplari ad marginem dumtaxat adscripta esse, ac postmodum imperiti alicujus librarii opera in textum irrepsisse. Ex quo conficitur, 1° non recentes esse hujusmodi interpolationes; 2° jam ab antiquis temporibus Hilarium earum, imo totius hujusce collectionis auctorem fuisse creditum. Præterea ferventissimo Christi Confessori in hominem, qui quamvis in summa Ecclesiæ dignitate constitutus, Domini tamen sui causam turpiter deseruerit, anathema dicere licuisse Apostolo auctore jam probavimus. Sed si forte hæc additamenta Hilario non sunt indigna, cum primum Liberii lapsum rescivit; nihilo minus ab ipso videtur alienum, ut cum hoc opus suum Liberio jam correcto in publicum emiserit, ea tum non eraserit prorsus atque suppresserit.

(*b*) In ms. Sirm. ut et apud Baron. *Irenæus*. Evagrius, qui antea nominatur, ipse forte est Mitilenes insulæ episcopus, qui in Seleuciensi synodo ab Acacii parte stetit.

(*c*) Baronius ex mss. suis expressit *Bustus*. Inter subscriptiones pseudo-Sardicensis synodi legitur *Bassus episcopus a Car.*

(*d*) Remig. ms. apud Sirm., *Martius, Atticus*, etc. Multo magis arridet hæc Baronii lectio, *Marcus, Aetius, Julius, Severinus*, qui quidem apud Epiphanium Ancyranæ synodi subscribit epistolæ, et infra, Fragm. XV, inter eos recensetur, quos Germinius rescripti sui initio nuncupat.

(*e*) In eodem ms. *et cæteri juniores quibus credidit, omnes hæretici*. Apud Baron. simpliciter, *et alii*, omissis cæteris. In illius autem appendice ad an. 355, rursum comparet *Junior* inter eos nominatus, qui

681 Item Liberius (*a*) de exsilio, Ursacio, Valenti A et Germinio.

8. *Liberius ab Athanasii communione separatus.* — Quia scio vos filios pacis esse, diligere etiam concordiam et unitatem Ecclesiæ catholicæ; idcirco non aliqua necessitate compulsus, Deo teste dico, sed pro bono pacis et concordiæ, quæ martyrio præponitur, his litteris convenio vos, domini (*b*) fratres charissimi. Cognoscat itaque prudentia vestra, Athanasium, qui Alexandrinæ ecclesiæ episcopus (*c*) fuit, a me esse damnatum prius, quam ad comitatum sancti imperatoris litteras Orientalium destinarem episcoporum, et ab ecclesiæ Romanæ communione esse separatum, sicuti (*d*) teste est omne presbyterium Romanæ ecclesiæ. Sola hæc causa fuit, ut tardius viderer de B nomine ipsius litteras ad fratres et coepiscopos nostros Orientales dare, ut legati (*e*) mei quos ab urbe Roma ad comitatum direxeram, seu episcopi qui fuerant deportati, et ipsi una cum his, si fieri posset, de exsilio revocarentur.

9. *Romam remitti enixe rogat.* — Et hoc etiam scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum (*f*) petii, ut cum litteris meis ad clementissimum imperatorem Constantium Augustum pergeret, petere ut bono pacis et concordiæ, in qua pietas ejus semper **682** exsultat, me ad ecclesiam mihi divinitus traditam jubeat reverti : ut temporibus ipsius Romana ecclesia nullam sustineat tribulationem. Me autem cum omnibus vobis episcopis Ecclesiæ catholicæ pacem habere, his litteris meis æquo et simplici animo scire debetis, fratres charissimi. Magnum (*g*) solatium enim vobis in die retributionis acquiretis, si per vos pax ecclesiæ Romanæ fuerit reddita. Scire autem per vos volo etiam fratres et coepiscopos nostros Epictetum et Auxentium, pacem me et communionem ecclesiasticam cum ipsis habere : quos credo gratanter hæc suscepturos. Quicumque autem a pace et concordia nostra, quæ per orbem terrarum, volente Deo, firmata est, dissenserit; sciat se separatum esse a nostra communione. (*h*) *Prævaricatori anathema una cum Arianis a me dictum.*

contra Athanasium Mediolanensi in concilio subscripserunt. De verbo *requirendum* satis disseruimus superius.

(*a*) Aliquanto post quam superiorem ad Orientales scripsit epistolam : adeoque circa initium anni 358. Hanc Baronius ut genuinam describit ad an. 357, n. 35. At sententia retractata in Appendice pag. 25, adulterinam eam esse vult, et ab iis, a quibus superius fragmentum IV confictam. Postremæ illius sententiæ subscribit Binius, nec Labbeus repugnat : qua ratione permoti, mox expendetur. At certe interim concedant necesse est, eam neque auctoris nostri judicio falsitatis fuisse suspectam, neque stylo a C cæteris Pontificis ejusdem litteris dissidere.

(*b*) Concinnius apud Baron., *domini mei charissimi.*

(*c*) Ex ms. Sirm. utcumque restauratur hic locus, qui ex Pith. antea sic vulgatus erat : *episcopus fuit, priusquam ad comitatum sancti imperatoris secundum litteras Orientalium episcoporum, et ab Ecclesiæ Romanæ communione separatus est, sicuti teste est*, etc. Apud Baronium autem, *episcopus fuit, priusquam ad comitatum sancti imperatoris pervenissem, secundum litteras Orientalium episcoporum ab Ecclesiæ Romanæ communione esse separatum.* Quæ verba cum Baronius ita intelligat, quasi dicat Liberius, se ante exsilium suum, priusquam ad imperatoris comitatum accersitus pervenisset, secundum litteras Orientalium episcoporum pontificatus sui initio acceptas, Athanasium ab ecclesiæ Romanæ communione separasse; si bene intelligit, totam hanc epistolam iis merito attribuit, qui superiorem fragmento IV relatam cuderunt.

Sed ex lectione, quam nobis suppeditat Sirmondi ms. hoc potius videtur Liberius declarare, Athanasium a se prius esse damnatum, quam ad imperatoris comitatum destinaret aut quod ad Orientales superioribus litteris scripserat, aut quod illi ad easdem rescripserant; idque Romanæ ecclesiæ jam se significasse.

Imo recepta ultro Baronii lectione, Liberii ad imperatorem, salva hujus epistolæ veritate, intelligetur adventus, non quidem, ut ille interpretatur, Roma Mediolanum unde relegatus est, sed Berœa, quo relegatus erat, Sirmium. Certe ex Sozomeno, lib. IV, c. 15, constat Liberium, nondum accepta Romam revertendi potestate, Sirmium ubi versabatur imperator accersitum esse. Nunc igitur testificatur se priusquam hoc iter confecisset. Athanasium damnasse *secundum litteras Orientalium;* hoc est, vel secundum formam sententiæ litteris Orientalium consignatæ, vel obsequendo litteris Orientalium, qui hanc Athanasii condemnationem tam importune ab ipso exegerant. In his nulla habetur cum pseudo-epistola superiore convenientia.

(*d*) Apud Baron., *testis est.* An Liberio usitatum fuit *testis et teste*, quomodo nobis *fidelis et fidele?* Conjectare est ex hoc loco, Liberium statim post defectionem clero Romano litteras scripsisse iis fere similes, quas Vincentio dedit : quibus, ut habemus infra, enixe eum rogat, ut de sua cum Orientalibus pace quam primum imperatorem certiorem faciat.

(*e*) Alias cum ms. Pith., *ut legati et quos.* Melius Baronii exemplaria, *ut legati mei*, per quos scil. epistolam superiori fragmento relatam ad Constantium misit. Mox *seu episcopi* perinde est, atque *simul et reliqui episcopi.*

(*f*) Apud Baron. ut in ms. Sirm. epistola hæc auctior exstat in hunc modum : *petii, ut litteras meas ad clementissimum imperatorem perferat, quas ad Orientales episcopos feci, ut scirent ipsi una secum Athanasii communione me esse separatum : quas credo quod pietas ipsius pro bono pacis gratulanter accipiet, quarum exemplar etiam Philagrio imperatoris eunucho prodat* (vel ut habet Sirm. *etiam Hilario imperatoris fideli direxi. Pervideat*) *charitas vestra, hæc me benigno et innocenti animo gessisse. Quapropter his litteris meis convenio vos et adjuro per Deum omnipotentem, et Christum Jesum filium ejus* (Sirm. addit *Deum*) *et Dominum nostrum* (solus Baron. subjicit *et Spiritum sanctum*), *ut dignemini ad clementissimum imperatorem Constantium Augustum pergere, et petere ut bono pacis*, etc. Quæ verba non modo intricata, sed et interpolationis sunt valde suspecta. Quid enim hæc sonant, nisi Liberium prius ad Orientales, quam ad imperatorem scripsisse, et litteras a se ad Orientales scriptas postea ad imperatorem per Fortunatianum misisse? quamvis supra, num. 4, ad Orientales scribens, eosdem moneat se jam antea litteras dedisse per Fortunatianum ad imperatorem Constantium perferendas. Contra nitida est, et superiori epistolæ prorsus consentanea lectio, quam ex ms. Pith. expressam retinemus.

(*g*) Baron., *magnum etiam præmium vobis*, etc. Sirm. ms. *magnum enim præmium vobis in die tribulationis acquiretis.*

(*h*) Hanc etiam notam exhibent Baronii exemplaria.

Item de exsilio (*a*) Liberius Vincentio (an. 358).

10. *Urbicum sibi ereptum dolet.* — Non doceo, sed admoneo sanctum animum tuum, frater charissime, eo quod colloquia mala mores bonos corrumpunt (I *Cor.*, xv, 33). Insidiæ hominum malorum bene tibi cognitæ sunt, unde ad hunc laborem perveni : et ora **683** ut det Dominus tolerantiam. Dilectissimus filius meus Urbicus diaconus, quem videbar habere solatium, a me per Venerium agentem in rebus sublatus est.

11. *Quo nomine reditum ab exsilio deprecetur.* — Sanctitati (*b*) tuæ significandum credidi, me de contentione illa a nomine Athanasii recessisse, et ad fratres et coepiscopos nostros Orientales litteras dedisse de super nomine ejus. Unde quia, Deo volente, et pax vobis ubique est, dignaberis convenire episcopos cunctos Campaniæ, et hæc illis insinuare, et ex ipsorum numero una cum epistola vestra, de unanimitate nostra et pace ad clementissimum imperatorem scribere quo possim et ego de tristitia magna liberari. *Et manu ipsius :* Deus te incolumem custodiat, (*c*) frater. *Item manu ipsius paginæ perscriptæ :* Cum omnibus episcopis Orientalibus pacem habemus, et vobiscum ego. Me ad Deum absolvi, vos videritis : si volueritis me in exsilio deficere, erit Deus judex inter me et vos.

FRAGMENTUM VII (*Alias* II *partis*).

INCIPIT EXEMPLUM (*d*) EPISTOLÆ CONSTANTII IMPERATORIS AD EPISCOPOS ITALOS, QUI IN ARIMINENSI CONCILIO (*e*) CONVENERANT (*datæ die* 27 *maii*, *an.* 359).

Victor Constantius maximus triumphator semper Augustus episcopis.

1. *De fide tantum in Concilio tractandum.* — Continent priora instituta, Venerabiles, sanctimoniam legis rebus ecclesiasticis niti. Satis superque perspeximus litteris ad nostram prudentiam datis, iisdem ut oportere operam dare : cum profecto et episcoporum id officio congruat, et salus omnium longe latequ populorum hoc fundamine roboretur. Sed res admonuit instituta rursus exsistere. Non enim aliquis definita geminari superfluum judicabit, cum (*f*) crebra consueverit admonitio augere cumulum diligentiæ. His ita se habentibus, de fide atque unitate tractari debere cognoscat sinceritas vestra, et operam dare, ut ecclesiasticis rebus ordo competens præbeatur. Discurret namque cunctorum prosperitas ubique populorum, et concordia fida servabitur **684** cum penitus amputatis (*g*) nec hujusmodi quæstionibus cunctis sectando commoverit.

2. *Non de Orientalium causis.* — Res ista non debet ita intentionem animi (*h*) longius propagare : non B enim de Orientalibus episcopis in concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantum, quæ ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis : et completis celeriter universis, consentiente consensu decem mittere ad comitatum meum, ut prudentiæ vestræ prioribus litteris (*non exstant*) intimavimus. Prædicti enim potuerunt omnibus quæ eisdem Orientales proposuerint respondere, vel tractare de fide ; ut exitu competenti omnis quæstio terminetur, et ambiguitas sopiatur. Quæ cum ita sint adversus Orientales nihil statuere vos oportet : aut si aliquid volueritis contra eosdem prædictis absentibus definire ; id, quod fuerit usurpatum, irrito evanescet effectu. Non enim illa vires habere poterit definitio, cui nostra statuta testantur jam nunc robur et copiam (*al.* cupiam) denegari. Quæ cum ita C sint, moderatione religionis venerabilibus antistitibus consentanea debetis veneranda perficere ; ut id quod religio postulat, explicetur, et quod audiri prohibet (*i*), nullus usurpet. Divinitas vos servet per multos annos, Parentes (*j*) K. Dat. VI kalend. junias Eusebio et Ypatio conss.

(*a*) Proxime post litteras Orientalibus datas, et, ut opinamur, antequam Ursacio, Valenti et Germinio scriberet. Hic enim Liberii, ubi a pristina constantia sua cecidit, litterarum ordo statui potest : ut primum imperatorem, eodemque tempore clerum Romanum mutati consilii sui per Fortunatianum certiores fecerit, deinde Orientales per litteras monuerit, se cum illis habere pacem, et ab Athanasii defensione discessisse ; tum Vincentio, ejusque opera cunctis Campaniæ episcopis, communionem cum Orientalibus a se initam significarit ; ac postremo cum ad imperato- D ris comitatum pergeret, litteris datis Valenti, Ursacio et Germinio, tum horum perditissimorum hominum, tum his nequitia non inferiorum Epicteti et Auxentii gratiam sibi tentarit conciliare. Egregium humanæ fragilitatis exemplum, cui sæpe tanto gravius imminet præcipitium, quanto videtur elatior.

(*b*) In ms. Sirm. verbo *sanctitati* subjicitur *vero*, apud Baronium autem præmittitur, *et ideo*.

(*c*) Apud Baron., *domine frater charissime. Item manu ipsius in eadem pagina conscripta*. Legit Sirm., *pagina perscripta*, non *paginæ perscriptæ*.

(*d*) Epistolæ huic auctoritas accedit ex Sozomeno, lib. IV, c. 17, ubi litteras memorat imperatoris ad episcopos Arimini ac Seleuciæ congregatos, quibus ut controversias de fide primum componerent præcepit.

(*e*) In edit., *convenerunt*. Non male tamen in mss. *convenerant ;* cum hic Hilarii sermo sit, non scribentium episcoporum. Ante reposuimus *Constantii ;* et post *Constantius ;* cum ex fide ms. prius obtinuisset *Constantini* et *Constantinus*.

(*f*) Alias, *cum rebus :* ubi ex ms. Sirm. restituitur *cum crebra*. Antea, loco *geminari*, magis placeret *examinari*.

(*g*) In ms. Pith., *ne hujusmodi*. Mallemus *de hujusmodi*, supplendo deinde *rebus*, de fide scil. et unitate . sicque hic erit integer sensus : *cum penitus amputatis de* (*rebus*) *hujusmodi quæstionibus cunctis*, (*quæ sunt*) *sectanda commonuerit. Res tamen ista*, etc.

(*h*) Vocabulum *longius* ex ms. Sirm. adjicitur.

(*i*) Faber hic adjecerat *ratio*, uti videtur, adductus verbis superioribus, *Non enim de Orientalibus... patitur ratio aliquid definiri*. Sed hæc vox abest a mss. et adest nomen *religio*, ad quod verbum *prohibet* commode referatur. Si quid mutandum esset, proxime *audere* pro *audiri* libenter reciperemus.

(*j*) Hac littera *k* nomen carissimi commode intellexeris.

Incipit (a) definitio catholica, habita ab omnibus catholicis episcopis, priusquam per terrenam potestatem territi hæreticorum consortio sociarentur, in concilio Ariminensi (an. 359).

3. *Fidei Nicænæ nihil addendum aut detrahendum.* — Sic credimus placere omnibus posse catholicis, a symbolo accepto nos recedere non oportere, quod in collatione apud omnes integrum recognovimus; nec a fide recessuros, quam per prophetas, a Deo Patre per Christum Dominum nostrum docente Spiritu sancto, et in evangeliis et in apostolis omnibus suscepimus, ut per traditionem patrum secundum successionem apostolorum usque ad tractatum apud Nicæam habitum contra hæresim, quæ tunc temporis exsurrexerat, positum nunc usque permanet. Quibus omnibus nec addendum aliquid credimus, nec minui posse manifestum est. Placet **685** ergo nihil novum fieri : substantiæ quoque nomen et rem, a multis sanctis Scripturis insinuatam mentibus nostris, obtinere debere sui firmitatem. Quam rem (*b*) cum suo nomine Ecclesia catholica cum doctrina deifica semper confiteri et profiteri consuevit. Huic definitioni omnes in unum catholici conspirantes subscripserunt.

4. Eodem in concilio postquam statutum est nihil debere paternam minui traditionem, etiam qui contra hanc veniebant, omnium in unum conspirantium spiritali voce sunt damnati. Cujus tractatus hoc est exemplum (*c*). »

EUSEBIO ET YPATIO (*d*) CONSS.

XII kal. augusti (die 24 jul. an. 359.)

Cum apud locum Ariminensem episcoporum synodus fuisset collecta, et tractatum fuisset de fide, et sedisset animo quid agi deberet ; Grecianus episcopus a Calle dixit : Quantum (*e*) decuit, Fratres charissimi, catholica synodus patientiam habuit, et piam (*f*) Ecclesiam totiens exhibuit juxta Ursacium et Valentem, Germinium, Gaium (*g*); qui totiens mutando quod crediderant, omnes ecclesias turbaverunt, et nunc conantur hæreticum animum suum inserere animis Christianis. Subvertere enim volunt tractatum habitum apud Nicæam, qui positus est contra Arianam hæresim et cæteras. Attulerunt nobis præterea A conscriptam a se fidem, quam recipere nos non licebat. Jam quidem hæretici antehac nobis pronuntiati sunt, et multis diebus est comprobatum : quos et ad nostram communionem non admisimus, voce nostra damnantes eos præsentes. Nunc iterum quid vobis placet, iterum dicite, ut singulorum subscriptione firmetur. Universi episcopi dixerunt : Placet ut hæretici (*h*) ss. damnentur, quo possit Ecclesia fide inconcussa, quæ vere catholica, est in pace perpetua permanere.

686 APPENDIX (*i*) SUPERIORIS FRAGMENTI.

Damnatio blasphemiæ Arii, et expositio integræ et catholicæ fidei, quam catholici in tractatu Ariminensi firmaverunt, et manu sua subscripserunt.

B Blasphemiæ Arii licet antehac fuerunt damnatæ, latebant tamen occultæ ; quia eum blasphemasse ignorabatur. Verum favente Deo procuratum est, ut constitutis nobis apud Ariminum ejus pestifera hæresis repeteretur. Et ideo simul cum ejus blasphemiis omnes quoque hæreses, quæ antehac exsurrexerunt contra catholicam et apostolicam traditionem, sicut jamdudum damnatæ sunt præteritis conciliis et diversis in locis, nos quoque damnamus : et anathematizamus eos, qui dicunt filium Dei de nullis exstantibus, et de alia (*supple*, substantia), et non de Deo patre natum Deum verum de Deo vero. Et si quis Patrem et Filium duos deos, hoc est, non nota (*f.* nata) duo principia dixerit, et non Patris et Filii unam deitatem profiteatur, anathema sit. Si quis et C filium Dei creaturam vel facturam dixerit, anathema sit. Si quis Deum Patrem ipsum de Maria Virgine natum, eumdemque patrem et filium dixerit, anathema sit. Si quis filium Dei de Maria initium sumpsisse dixerit, vel fuisse tempus quando non erat filius, anathema sit. Si quis filium Dei non vere inenarrabiliter de Deo patre natum, sed adoptivum filium dixerit, anathema sit. Si quis filium Dei aut temporalem, aut hominem solum, et non ante omnia sæcula de Deo patre natum profiteatur, anathema sit. Si quis Patris et Filii et Spiritus sancti unam personam aut tres substantias divisas dixerit, et non perfectæ Trinitatis unam deitatem profiteatur, anathema sit. Si quis filium Dei esse ante omnia quidem D et Demophilum recenset : cujus, utpote Orientalis, causa ad Orientales ex superiori imperatoris præcepto pertinebat. Sed et concilium rerum a se gestarum certiorem faciens imperatorem, subsequenti Fragmento, num. 2, solos Valentem, Ursacium, Germinium et Gaium memorat a se damnatos.

(*a*) Monimenti hujus veritatem confirmabit sequens fragmentum.

(*b*) Puta, substantiæ nomine significatam.

(*c*) Exemplum idem Athanasius, suo de Synodis libro, pag. 879, inseruit.

(*d*) Sic ms. Pith. hic, supra, et Fragmento sequenti, non *coss.*

(*e*) In edit. ut in ms. *dicunt*. Ex græca Athanasii versione, ἕως προσῆκον ἦν, nullum dubium est legendum esse *decuit*.

(*f*) Forte, *et piam se Ecclesia totiens exhibuit erga Ursacium*, etc.

(*g*) His addit Athanasius *Auxentium*. Qui si in Ariminensi synodo nominatim fuisset damnatus, nihil erat causæ, cur illam postea Mediolani, adversus Hilarium nostrum disputans, tantopere jactitaret. Longe minus audiendus est Socrates, lib. II, c. 37, ubi cum quatuor prædictis non modo Auxentium, sed

(*h*) Pro duplici *SS.* quod interpetrari liceat *supra scripti*, græce apud Athanas. exstat verbum προειρημένοι. *prædicti.*

(*i*) Quod sequitur, Nicolaus Faber primus in lucem edidit, non quidem ex codice Pithœano, ex quo superiora Fragmenta eruit, sed ex Dervensi, in quo habetur post exemplar fidei Nicænæ, et proxime ante Symbolum S. Athanasio adscriptum. Ut nullo commodiore loco potuit edi, ita etiam a cæteris Fragmentis, quæ nomen Hilarii præ se ferunt, distingui debuit. Quocirca appendicis nomine nunc donatur : qua Nicæno tractatui utrum nihil addatur, quisque viderit.

sæcula et non (*f.* sed non) ante omne omnino tempus, ut ei tempus adsignet, anathema sit. Si quis creata omnia non per Verbum, sed sine eo vel ante eum facta dixerit, anathema sit. Si qui (*f.* quæ) autem aliæ blasphemiæ Arii vel cujuslibet repertæ fuerint, similiter anathematizamus.

687 FRAGMENTUM VIII (*Alias* II *partis*).

SEQUITUR EPISTOLA (*a*) ARIMINENSIS CONCILII AD CONSTANTIUM IMPERATOREM, (*b*) UBI EPISCOPI PRÆVARICATI SUNT A FIDE VERA (scripta an. 359).

Beatissimo et gloriosissimo Augusto Constantio, synodus Ariminensis.

1. *Ariminensis synodus nil innovandum statuit.*— Jubente (*c*) Deo ex præcepto pietatis tuæ credimus fuisse dispositum, ut ad Ariminensium locum ex diversis provinciis Occidentalium episcopi veniremus, ut fides claresceret omnibus Ecclesiis catholicis, et hæretici noscerentur. Dum enim omnes qui recte sapimus, contractaremus, placuit quidem ut fidem ab antiquitate perseverantem, quam per prophetas, evangelia et apostolos, per ipsum Deum et Dominum nostrum Jesum Christum salvatorem imperii tui et largitorem salutis tuæ (*d*), quam semper obtinuimus, teneamus. Nefas enim duximus (*e*) sanctorum aliquid mutilare, et eorum qui in Nicæno tractatu consederant una cum gloriosæ memoriæ Constantino patre pietatis tuæ. Qui tractatus manifestatus est, et insinuatus mentibus populorum, et contra hæresim Arianam (*f*) tunc positus invenitur, ut hæreses inde sint expugnatæ : a quo si aliquid demptum fuerit, venenis hæreticorum aditus panditur.

688 2. *Novandi studiosos damnat.* — Ideo Ursacius et Valens in suspicionem ejusdem hæreseos Arianæ venerunt aliquando, et suspensi erant a communione : et rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta, quam meruerant tunc temporis a concilio (*g*) Mediolanensi assistentibus etiam legatis Romanæ ecclesiæ. (*h*) Constantino præsente in hoc, cum magno examine fuisset conscriptum, quod tenens baptizatus ad quietem Dei commigravit ; nefas putamus inde aliquid (*i*) mutilare, et tot sanctos et confessores et successores martyrum ipsius tractatus conscriptores in aliquo removere ; (*j*) cum et ipsi præteritorum catholicorum secundum scripturas cunctas servaverunt, mansisseque in hæc tempora, quibus pietas tua a Deo patre per Deum et Dominum nostrum Jesum Christum (*supple*, potestatem) regendi orbis accepit. (*k*) Tunc etiam conabantur convellere, quod fuerat positum ratione. Etenim cum pietatis tuæ litteræ jusserunt tractari de fide, offerebatur nobis a supradictis turbatoribus Ecclesiarum, associato Germinio et Gaio (*l*), novum nescio quid considerandum, quod multa perversæ doctrinæ continebat ; adeo cum (at vero cum) videretur displicere quod offerebant publice in concilio, putaverunt aliter esse conscribendum. Equidem hæc brevi tempore sæpe mutasse, manifestum est. Et ne Ecclesiæ frequentius

(*a*) Hæc epistola, teste Socrate, lib. II, c. 37, post Athanasium, lib. de Synod., p. 677, latine primum scripta, in græcum sermonem translata est. Exstat non solum apud Athanasium et Socratem, sed et apud Sozomenum, lib. IV, c. 18, et apud Theodoretum, lib. II Hist. Eccl., c. 15, cum insigni varietate : quod græcis interpretibus solemne esse probat Valesius in laudatum Socratis locum.

(*b*) Id est, apud quem cum diutius detenti essent episcopi, per quos missa est hæc epistola, a fide vera prævaricati sunt.

(*c*) Alias ex ms. Pith. *lubente Deo*. Cum ms. Sirmondi, græco interprete consentiente, magis placet *jubente Deo* : quod pro *juvante Deo* scriptum esse quis cum Valesio suspicetur ? Certe episcopis hoc dignum erat, ut imperatorem commonefacerent supremæ Dei auctoritatis, cui tam ille quam omnes parere tenerentur.

(*d*) Ex Fragmento superiore, n. 3, ubi eadem alio verborum ordine explicantur, facile suppleveris *suscepimus* : nisi malis *susceptam semper obtinuimus*, pro *quam semper obtinuimus*.

(*e*) Id est, aliquid ex iis mutilare, quæ sancita sunt, et præsertim quæ eorum sunt, qui in Nicæno tractatu, etc., tractatum illum Ariani auferendo homousion, mutilari peroptabant.

(*f*) Mallemus, *ita positus*. Mox editi ex ms. Pith. *expurgatæ*. Verius Sirm. ex Remig. *expugnatæ* : cum in græco legatur καθηρέθησαν, non ἐκαθάρθησαν. Quod illustratur verbis Hilarii, Fragm. II, n. 27, Nicænum tractatum *contra omnes hæreses* inscribentis : quia nimirum, uti in ipsorum Fragmentorum titulo loquitur, eo tractatu *universæ hæreses compressæ erant atque damnatæ*.

(*g*) Anni 349, ut fuse demonstratum est Fragmento II, quamvis hæc ad concilium Mediolan. an. 347 referri soleant.

(*h*) Verba sequentia, usque *regendi orbis accepit*, Valesius transposita existimat, et initio hujus numeri ante *ideo Ursacius*, etc., præponenda. Græca tamen exempla, etsi ab hoc latino in multis discrepantia, ea non alio loco exhibent. Quia vero voces, *Constantino præsente*, antea cum præcedentibus copulatæ erant, illas multi sic intellexerunt, quasi Constantinus Mediolanensi concilio interfuisse diceretur. Quod cum repugnet, variis indulsere conjecturis a vero non parum abhorrentibus, ut videre est apud Petavium in singulari dissertatione de Photino, quam Labb. in t. II Concil., p. 730, magnam partem transtulit. Porro Constantinum Constantii patrem Nicæni tractatus testem et approbatorem fuisse consulto inculcat synodus, quo illum pudeat rescindere, quod ipsius pater sanxerit, aut potius a patribus sancitum acceperit. Hinc refellitur opinio, qua Constantinum a baptismo in hæresim lapsum esse nonnulli putant. Quibus non minus adversatur Hilarius, lib. in Constant., n. 27.

(*i*) Mendose in editis, *militare* : cum in mss. Pith. ac Sirm. exstet *mutilare*.

(*j*) Ex græca versione, οἵ τινες κατὰ τὸν παλαιὸν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας θεσμὸν, ἅπαντα φρονοῦντες διαμεμενήκασιν· ὧν ὁ Θεὸς τὴν πίστιν, etc. Sic restaurare licet hunc locum, *cum et ipsi præteritorum catholicæ ecclesiæ Scriptorum cuncta servaverint : quorum fides mansit usque in hæc tempora*, etc. Nicænos Patres majorum suorum fidei adhæsisse liquet ex ipso etiam Eusebio, lib. V Hist., c. 28.

(*k*) Valesius ex græco sermone hic supplevit : *Verum miseri homines et infelici sensu præditi iterum ausu temerario se præcones impiæ doctrinæ renuntiarunt, et nunc etiam*, etc.

(*l*) In græcis exemplis his nominatim adjungitur Auxentius : cujus neque meminit ipsius synodi sententia superiore Fragmento, num. 4, descripta.

perturbentur, placuit instituta vetera (*a*) rationabilia A servari. Ad instruendam igitur tuam clementiam,.. quibus hoc ipsum solum mandamus, ut non aliter legationem perferrent, quam statuta vetera permanerent firmissima : ut et sapientia tua cognosceret, non hoc (*b*) quod promiserant supradicti Valens **689** et Ursacius, Germinius et Gaius, si sublatum fuisset, pacem posse compleri. Magis enim turbatio cunctis regionibus et ecclesiæ Romanæ immissa est.

3. *Constantium rogat ut decreta sua excipiat. Episcopos Arimino dimittat.* — Ob quam rem tuam rogamus clementiam, ut placidis auribus et sereno vultu universos legatos nostros et respicias, et audias; neve (*c*) aliquid permittat clementia tua injuria veterum convelli; sed manere ea, quæ a majoribus nostris accepimus, quos fuisse et prudentes, et sine B Spiritu sancto Dei non egisse confidimus : quia ista novitate non solum fideles populi perturbati sunt, verum etiam infideles ad credulitatem vetantur accedere. Oramus etiam, ut præcipias tot episcopos, qui Arimino detinentur, inter quos plurimi sunt qui ætate et paupertate defecti sunt, ad suam provinciam remeare : ne destituti suis episcopis laborent populi ecclesiarum. Hoc etiam frequentius postulamus, ut nihil innovetur, nihil minuatur; sed maneant incorrupta, quæ (Constantini) patris sanctæ pietatis tuæ temporibus et tuis religiosis sæculis permanserunt. Nec jam nos fatigari aut convelli a sedibus nostris tua sancta prudentia permittat : sed quieti (*ex græco adde*, cum populis suis episcopi) vacent semper postulationibus, quas habent semper et pro salute C tua, et pro regno tuo, et pro pace quam tibi divinitas pro meritis tuis profundam et perpetuam largiatur. Legati autem nostri et subscriptiones et nomina episcoporum vel legatorum perferent, (*d*) sicut idem alia scriptura instruit tuam sanctam religiosamque prudentiam.

4. *Legatorum gesta.* — « Cum hac epistola integræ fidei subscribentes episcopi catholici miserunt decem legatos ad imperatorem. Nihilominus et pars hæreticorum misit ex suo corpore decem (*e*) legatos. Qui ubi venerunt ad imperatorem, suscepti sunt; ita ut legati catholicorum non susciperentur, atque longa dilatione fatigati, et minis imperatoris perterriti, damnaverint integram fidem quam antea defendebant, et susceperint perfidiam quam ante damnaverunt. Hoc ita esse, ex subjectis invenies. »

690 GESTA, UBI PRÆVARICATI SUNT EPISCOPI LEGATI A FIDE VERA, INCIPIUNT.

(*An.* 359, *die* 10 *octob.*)

(*Eusebio et Ypatio conss.* VI *idus octobris.*)

5. *Arimini decreta exauctorantur.* — Cum consedissent episcopi mansionis (*f.* mansioni) Nicææ, quæ antehac Ustodizo vocabatur, in provincia Thracia, Restitutus, Gregorius, Honoratus, (*f*) Athenius, Iginus, Justinus, Priscus, Primus, Taurinus, Lucius, Mustacius, Urbanus, Honoratus, Solutor; Restitutus episcopus Carthaginis dixit : « Scit prudentia vestra, consacerdotes sanctissimi, quod cum apud Ariminum de fide tractatus haberetur, contentio sic dissidium fecerat, ut de sacerdotibus Dei, inmittente diabolo, discordia fieret; atque exinde factum fuerit, ut in fratres nostros (*g*) ego Restitutus et pars episcoporum quæ sequebatur, Ursacium, Valentem, Germinium et Gaium quasi in auctores mali intellectus, sententiam promeremus, id est, ut a nostra communione segregarentur.

6. Sed quia in cominus positi universa tractavimus, et universa discussimus, invenimusque quod nulli displicere debeat, id est, fidem in his catholicam juxta professionem suam, cui et nos subscripsimus omnes, neque umquam hæreticos fuisse : et ideo quia pacis concordia apud Deum res est maxima, placuit (*h*) ut communi consensu nostro omnia, quæ apud Ariminum tractata sunt, in irritum deducantur, et communio eorum, Deo favente, integra conveniret, neque quisquam in dissidium (in dissidio) remaneat, quod eos aut maculare possit aut debeat. Et ideo, ut dixi, quia præsentes sumus, unusquisque debet dicere an dictum (*f.* rectum) sit quod prosecutus sum, et manu sua subscribere. Ab universis episcopis dictum est, Placet, et subscripserunt.

7. « Quæ sit autem fidei confessio, cui postea subscripserunt, quam etiam Valens secum in Ariminum pertulit, (*i*) ex infra scripto recognosces. Explicit. »

(*a*) Hunc locum Valesius græci sermonis subsidio D sic restaurat : *Rata atque inviolabilia servari. Ad instruendam igitur clementiam tuam legatos nostros direximus, Concilii sententiam per litteras nostras nuntiaturos. Quibus hoc ipsum solum mandavimus*, etc.

(*b*) Supple, *quod a veteribus statutum est.* Deinde verba *quod promiserant*, Græci vertere ὥσπερ ἔφησαν.

(*c*) Ex ms. Sirm. revocamus *aliquid* : quod cum in Pith. deesset, postea Faber, ut sensum perficeret, *jura vetera* posuit pro *injuria veterum* : ubi Græci habent πρὸς ὕβριν τῶν τετελευτηκότων.

(*d*) Pro hac clausula græce habetur, οἵ τινες καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν θείων γραφῶν τὴν σὴν ἀναδιδάξουσι θειότητα.

(*e*) *Sed ex parte nostrorum*, inquit Sulpicius, *leguntur homines adolescentes, parum docti, et parum cauti : ab Arianis autem missi senes callidi et ingenio valentes, veterno perfidiæ imbuti, qui apud regem facile superiores exstiterunt.*

(*f*) In ms. Sirm., *Arthemius*; in Pith., *Athenius.* Cum hic quatuor supra decem episcopi recenseantur, opinatur v. c. Godefridus Hermant, primas Ariminensis synodi litteras a decem legatis, secundas autem a quatuor aliis ad Constantium fuisse delatas, eosque simul Nicæam, seu ut alii vocant, Nicen convenisse.

(*g*) Phrasis hæc nonnihil intricata, ita perspicuior fiet : *ut ego Restitutus et episcoporum pars quæ sequebatur, in fratres nostros Ursacium, Valentem*, etc.

(*h*) Ea in re minime perfecerunt synodi mandata, quæ, Sulpicio teste, consulto data eis erant, *ne quo modo cum Arianis communionem inirent, omniaque integra synodo reservarent.*

(*i*) Fidem ab Ursacio et Valente Ariminii propositam, et statim cum horrore rejectam ab orthodoxis, ac tamdem Nicææ a legatis subscriptam, videtur hic Hilarius polliceri. Nisi forte sequens dumtaxat Fragmentum indicet, ex quo quam prava fuerit fidei

691 FRAGMENTUM IX (*Alias* II *partis*).

INCIPIT EXEMPLUM (*a*) FIDEI (*b*) EPISTOLÆ MISSÆ AD CONSTANTIUM IMPERATOREM A PERFIDIS EPISCOPIS.

(*An.* 359 *exeunte.*)

Domino merito gloriosissimo, victoriosissimo Augusto Constantio synodus (*c*) Ariminensis Orientalibus consentiens (*id est* (*d*) *Migdonius*, *Megasius*, *Valens*, *Epitectus*, *et cæteri qui hæresi consenserunt*).

1. *Substantiæ nomen rejiciunt.* — Illustrati pietatis tuæ scriptis, maximas Deo retulimus et referimus gratias, quod nos beaveris, intimans nobis illa, quæ cum discursione pietatis tuæ facere deberemus, ne quis *usiæ* vel *homousii* nomina Ecclesiæ Dei ignota aliquando nominet, quod scandalum inter fratres facere solet; plurimum gratulati sumus, quia id quod tenebamus recognovimus. O nos beatos, quibus occurrit tanta felicitas, ut cognitione tuæ pietatis (*e*) cæteris, qui hæc nomina pro Deo et Dei filio assumere solent, modum acceperint revicti! Nos igitur reddentes obsequium clementiæ tuæ, quod coram veritatis status eluxit : quæ quod nesciat vinci, et obtinuit victoriam; ut indignum Deo nomen, quod nusquam in legibus sanctis scriptum est, jam a nullo dicatur.

2. *Arimino dimitti rogant.* — Unde oramus pietatem tuam, quoniam in eo loco ubi synodus gesta est, unde responsum per nostros legatos dedimus, adhuc detinemur, **692** jubeat nos, qui integram (*f*) in Orientalibus doctrinam retinemus, jam ad nostras plebes dimitti : ut ex hac parte appareant amatores veritatis, qui Deo non mutant nomen; nec cum eis, qui perversa doctrina infecti sunt, diutius nos qui veritatem catholicam tenemus detineamur. Unde impense oramus, domine, pietatem tuam ante Deum patrem et Dominum Jesum Christum Deum et Dei filium, facias nos, qui subscripsimus sanæ doctrinæ, recedentes ab *usiæ* nomine, te imperante, et jubeas nos ad nostras plebes dimitti; ut lætetur Ecclesia, quæ immutare nomina Dei et filii ejus non admittit in totum, imperio tuæ virtutis et gloriæ : cui tantum divinitas contulit, (*g*) ut apparet dicationis sacrilegis jam *usiæ* et *homousii* nomina recedant, quæ in divinis Scripturis de Deo et Dei filio non inveniuntur scripta.

3. Subveni, pie imperator, Dei summi cultoribus : subveni eis, qui per Christum Dei filium Deum patrem omnipotentem orant : subveni eis, qui judicio tuo (*h*) devotas offerunt aures, qui nesciunt colere nisi Deum patrem per Dominum nostrum Jesum Christum gloriæ ejus filium. Et præcipue (*lege* præcipe) domine imperator, ad nostras nos plebes retinendo mordicus adhærerent. Et quidem in Seleuciensi synodo centum quinque episcopos homœusion, Ægyptios omnes præter Georgium homousion, anomœusion autem novemdecim duntaxat prædicasse narrat noster Hilarius, in Constant. n. 12. Hac tamen arte Occidentales deluserunt Valens et Ursacius, *affirmantes*, ut cum Sulpicio, p. 259, loquamur, *præsentem fidem catholica ratione conceptam, ab Orientalibus imperatore auctore prolatam, cum piaculo repudiari :* et addentes, *Ut quid discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret?* Quocirca concilium Parisiense, infra, n. 1, apud Orientales testificatur, plures eorum, qui Arimini aut Nicææ adfuerunt, sub auctoritate nominis ipsorum ad usiæ silentium fuisse coactos.

confessio a legatis subscripta, apparet; dum in illa substantiæ et homousii silentium præcipi num. 1, ac 2, inculcatur.

(*a*) Rursum hæ voces, *exemplum fidei*, ad Ariminensem ecthesim quæ hinc dilapsa sit, pertinere potius videtur, quam ad subnexam epistolam. Aut certe si genuinus hujus epistolæ est titulus; non tam hic novum habetur Fragmentum, quam continuatio superioris, cum quo etiam in ms. Pith. cohæret.

(*b*) Epistolam hanc ad anni 359 exitum referimus. Sane missa non est, ante quam episcopi Arimini detenti peregrinationis tædio Arianis cessissent. Nec cesserunt illi, nisi postquam ipsorum legati Nicææ in Thracia lapsi Ariminum regressi essent. Imo etiam post eorum reditum aliquandiu restiterunt. Ut enim auctor est Sulpicius, legatorum illorum ignaviam primum omnes exhorruere, iisque vim regiam licet deprecantibus negata communio, donec paulatim remissis animis in partem alteram est concessum. Atqui legati, ut Fragmento superiore, n. 5, notatur, an. 359, octobris 10 die formulam ab Arianis sibi propositam susceperunt. Ex Fragmento autem subsequenti constabit, delatas esse has litteras per legatos alios, ex Valentis nimirum et Ursacii factione delectos.

(*c*) Inscriptionis hujus mendacium corrigit Hilarius, ubi adjicit, *id est Migdonius*, etc. Cui enim non appareat ab iis scripta, qui Valentis et Ursacii partibus adhærebant? Certe in eos, quorum consensio vi ac minis extorta est, minime convenit aut se numquam aliter credidisse profiteri, aut eos, qui aliter quam ipsi modo per vim professi erant, crederent, hæretico nomine infamare, aut imperatori, cujus violentiam experti essent, tam impie adulari. Sed qui hanc cuderunt epistolam, id in eorum gratiam qui sibi consenserant inseruere, ut ad proprias ecclesias regredi eis jam liceret, quod eo libentius fecere, quo facilius lateret ipsorum mendacium.

Mendacium alterum continetur his verbis, *Orientalibus consentiens :* cum Sozomeno teste, lib. IV, c. 19, Orientales omnes, demptis admodum paucis, substantiæ nomini retinendo mordicus adhærerent. Et quidem in Seleuciensi synodo centum quinque episcopos homœusion, Ægyptios omnes præter Georgium homousion, anomœusion autem novemdecim duntaxat prædicasse narrat noster Hilarius, in Constant. n. 12. Hac tamen arte Occidentales deluserunt Valens et Ursacius, *affirmantes*, ut cum Sulpicio, p. 259, loquamur, *præsentem fidem catholica ratione conceptam, ab Orientalibus imperatore auctore prolatam, cum piaculo repudiari :* et addentes, *Ut quid discordiarum finis foret, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret?* Quocirca concilium Parisiense, infra, n. 1, apud Orientales testificatur, plures eorum, qui Arimini aut Nicææ adfuerunt, sub auctoritate nominis ipsorum ad usiæ silentium fuisse coactos.

(*d*) In Fragmento seq. *Magdonius* scribitur : Mox *Epictetus* legendum est, non *Epitectus*. Tum sub his verbis, *et cæteri qui hæresi consenserunt*, intelliguntur aut qui prænominatis hæresis fautoribus in eadem promovenda adjutores semper fuerunt, et hæresi, quam in Oriente propugnabant Anomœi, sponte consenserunt; aut qui ab his per vim ac fraudem seducti sunt. Nulla alia de causa hæc Hilarius videtur addidisse, nisi ut posteriorem intellectum excluderet. Priorem autem nota sequens confirmabit.

(*e*) Legendum omnino *cæteri*. Si quæras quinam illi *cæteri* qui substantiæ et homousii nomina pro Deo et Dei filio assumere solent; tota synodus Ariminensis, paucis Arianis exceptis, eo nomine comprehendenda erit. Ii igitur soli nunc scribunt, qui Ariminensis synodi initio catholicis restiterunt, quamvis totius synodi sibi nomen falso attribuant.

(*f*) Id est, qui doctrinam, quæ in Orientalibus est integra, nos retinere profitemur.

(*g*) Forte, *ut abolitis*, seu *ablegatis*, *dictionibus sacrilegis*.

(*h*) Alias cum ms. Pith., *devotos offerunt omnes :* ex quo conjectabamus legendum esse *devotas offerunt mentes*, cum ex ms. Sirm. nobis occurrit *devotas offerunt aures*.

meare datis litteris (*a*) ad v. c. præfectum prætorii Taurum : quia et nos, in prædicatione nominis Dei, Orientalibus et tuæ dispositioni plenum reddidimus obsequium. In (*b*) hac re, in qua semper tenuimus, jam ad nostras plebes redire debemus. De hac autem re ad episcopos nostros Orientales litteras dedimus, ut sciant hoc semper (*supple*, nos) tenuisse, **693** et in fide catholica cum ipsis permanere. Divina pietas te gloriosissimum semper et ubique per omnia faciat vindicem (*an* victorem?), domine piissime imperator. Explicit.

FRAGMENTUM X (*Alias* 1 *partis*).

EXEMPLUM (*c*) EPISTOLÆ ORIENTALIUM EPISCOPORUM, QUAM REVERSIS AB ARIMINO LEGATIS DEDERUNT.

(*scriptæ an.* 359 *exeunte*).

Dilectissimis fratribus Ursacio, Valenti, Magdonio, Megasio, Gaio, Justino, Optato, Martiali (*d*) et cæteris Ariminensis synodi legatis, Sylvanus, Sophronius, Neo, Herodianus, (*e*) Patricius, Helpidius, Theophilus, Theodorus, Eumacius, Didimion, Ecdicius, Arsenius, (*f*) Passinicus, Valentinus, Eucarpius, Leontius, Eortasius, et Macarius in Domino Salutem.

1. *Seleuciensis synodi legati qui erga Aetii fautores se gerant, Ariminenses docent.* — Unitati et veræ paci studentes, et ex synodi mandato hæresi reniténtes, manifesta fieri vobis ea, quæ circa Ecclesiam aguntur, justum putavimus; ne ignoratio vos socios tantæ impietatis efficeret. Et quamquam (*g*) non cessare vos arbitremur, non sine totius synodi legatis, episcoporum scilicet numero fere multo amplius centum, nunc usque ingressu hujus ecclesiæ nosmetipsos abstinere : ob quod instructos etiam vos esse volumus, ne penitus dominans jam intra **694** Ecclesiam hæresis invalescat, quæ Dominum nostrum Jesum Christum vere filium Dei unigenitum, Deum de Deo, Patri similem ausa est denegare : ita (*h*) ut quæ prædicationes blasphemiæ de unigenito Deo et sentiantur ab his, et prædicentur, cognitum haberetis. Nam et piissimo imperatori Constantio hoc ipsum probavimus, et anathematizari hæc omnia commotus religiosissime voluit. Dolus autem nunc (*al.* hic) præparatur, ut Aetius auctor hujus hæresis ipse potius, quam hæc impietatis dicta (*al.* impie dicta) damnentur; magisque in hominem, quam in doctrinam, sententia lata esse videatur. Monemus ergo vos, Fratres, ut hæc diligenter retractetis; detisque operam, ut fides catholica maneat. Cæterum non ambigit Charitas Vestra, universa ita, ut geruntur, Occidentalibus esse ecclesiis nuntianda. Optamus vos, Fratres, in Domino bene valere.

2. *Has litteras suscipiens male apud suos audit. Ariminenses legati perfidiæ rei.* — « His itaque sumptis, quibus et commemoratæ superius blasphemiæ (*i*) subnexæ erant, calumnia (*j*) in eum qui suscepit intenditur : et tantus detectæ fraudulentiæ suæ hypocritas furor subiit, ut periculum depositionis scribere coacti sint : quod nocte annum 360 præcedente factum esse scribit Sozomenus, lib. IV, c. 23.

(*a*) Ita cum ms. Sirm. In prius vulgatis autem ex ms Pith., *ad hunc perfectum prætorii*.

(*b*) Pithœanus codex, *inhere*, pro *in hac re*, et mox, *ad archiepiscopos*, non *ad coepiscopos* : quod ex ms. Sirm. corrigitur.

(*c*) A quibus, ad quos, qua occasione et quando missa sit hæc epistola, nunc paucis est dicendum. A Seleuciensis synodi legatis missam esse, perspicuum est tum ex illius quamvis mendoso initio, tum maxime ex subnexis num. 2 Hilarii verbis, *Adeunt deinde vos non communicantes episcopis synodi legati Orientales.* Movere tamen potest, quod longe plurium quam decem nomine scripta sit; neque in iis compareant Basilius, Eleusius atque Eustathius, qui cum Silvano, Theodoreto teste, l. II Hist. eccl. c. 27, primarii Seleuciensis synodi legati exstiterunt. Sed nihil vetat, quominus quædam nomina excidisse sentiamus. Fieri etiam potuit, ut quæ a legatis, aut certe a maxima eorum parte scripta sit, ab aliis ejusdem communionis episcopis, qui Seleucia Constantinopolim confluxerant, sit subscripta, et omnium nomine missa.

Cum autem iisdem inscripta sit, quos Hilarius superioris epistolæ auctores indicavit; non obscurum est superiorem epistolam ab iis delatam esse, a quibus conscripta fuerat; eosque legatos, qui ab Ariminensi synodo ad Constantium secundo missi sunt, alios ab iis fuisse, qui primas ejusdem synodi litteras ex catholicorum parte ad eumdem detulerant.

Novissimi illi legati Constantinopolim pervenientes, cum jam damnatus esset Aetius, cumque instarent Orientales, ut qui hæretici hujus doctrinam defendebant, eadem sententia punirentur, epistolam illam acceperunt : quæ ipsis eo consilio missa erat, ne Eudoxio ac sociis ejus, utpote Seleuciæ merito damnatis, jungerentur. Scripta est igitur aliquanto post superiorem, et antequam Seleuciensis synodi legati Formulæ ab Eudoxii partibus propositæ sub-

(*d*) His addit Fragmentum sequens num. 4, *Auxentium*, superius autem in ipso titulo *Epictetum* : ex quorum accessione decem legatorum numerus perficietur.

(*e*) In edit., *Patrinus*. At in mss., *Patricius*.

(*f*) Alias ex ms. Pith., *Passumicus*. Præferimus cum ms. Sirm. *Passinicus*. Apud Socratem, lib. III, c. 25, legitur *Pasinicus Zenorum* cum Basilio Ancyræ, Silvano Tarsi, Sophronio Pompeiopoleos, Leontio Comanorum, et Theophilo Castabalorum episcopis conspirare.

(*g*) Etsi depravatus est hic locus; non est tamen obscurum eo ab Orientalibus significari, se totam repræsentare synodum, si quidem a sua ipsorum parte starent centum et amplius episcopi. Reipsa homœusion centum viginti episcopos, anomœusion autem tantum novemdecim prædicasse observavit noster Hilarius, et scripto mandavit in Constant. n. 12. Sic autem posset restaurari : *Et quamquam non nescire vos arbitremur, nos, cum simus totius synodi legati, episcoporum scilicet numero*, etc.

(*h*) Sic ms. Sirm. At editi ex ms. Pith., *ita quæ prædicationes blasphemiæ de unigenito Deo essentialiter ab his prædicentur*. Quamquam *de unigenito Deo essentialiter* eo sensu dicere Orientalibus licuit, quo lib. de Synod. n. 15, dicunt : *Et si quis audiens unigenitum filium invisibilis Dei similem, non dixerit essentia filium*, etc. Porro hæresis illa dominans Filium Patri similem non publica confessione, sed penitiori mentis sensu denegabat. Susceperat enim Acacianam ecthesin, quæ *Filium patri similem* profitetur.

(*i*) Blasphemias easdem pariter cum proxima Orientalium epistola in Gallias ab Hilario missas esse discemus subsequenti Fragmento, n. 4.

(*j*) Calumniam intendere hic perinde Hilario est, ac litem movere : sicut cum, lib. X de Trin. n. 30,

(*a*) in eos constituerent. Qui convictæ conscientiæ dolor est, deterreri quemquam agnitione veritatis! Si liber iste Valentis et Ursacii non est fidei vestræ ; quid ejus damnationi non acquiescitis? Anne non publico humani generis assensu inter omnes convenit, venenum malum esse, et cædem innocentis crimen esse, et impietatem in dominum horrorem esse? Sed quisque hæc delata non damnat, necesse est eorum sese studii socium profiteatur : quia nemo est, qui non et quæ oderit coarguat, et quæ non coarguit **695** probet. (*b*) Post synodum enim Seleuciensem, Constantinopolim venientes, quid est quod statim damnatis hæreticis vos jungitis? Non differtis in aliquo tempus adeundi, neque de prudentis ratione consilii aliquam vobis moram ad percunctandum impenditis. Adeunt deinde vos non communicantes episcopis synodi legati Orientales, gesta omnia edocent, (*c*) damnatam quoque hæresim demonstrant : nonne oportuisset vos saltem vel nunc absistere (*d*), et cunctarum disceptationum tenorem arbitrio reservari? Sed nescio cujus voluntatis vestræ conscientia recti judicium non recepistis. Vestris enim statim aggregamini, et blasphemiarum vestrarum communionem (*e*) initis : nec id saltem consilii sumitis, sin pudor aliquos fefellisset, Ariminensem synodum extimari. Dolum enim vestrum in non anathematizandis vestris statim prodidistis.

5. *Perfidiam qui prodiderint. Qui filium nolint ut cæteras facturas. Qui velint ex Deo. Qui æternum ;* ait, *ut de cæteris non calumnier*, hoc sibi vult, ut de cæteris non contendam ac litem moveam.

(*a*) Legendum *in eo* aut *in eum*, scil. qui susceperat. Subinde vulgati, *qui conjunctæ conscientiæ :* emendantur ex archetypo.

(*b*) Ad Constantinopolitanam synodum hæc nonnulli referunt, quasi ii Constantinopoli hæreticis se junxisse hic arguantur, qui antea Seleuciæ convenerant. At ex dictis jam liquet, ea ad legatorum Ariminensis synodi in eam urbem accessum referenda esse, qui absoluta Seleuciensi synodo Constantinopolim venientes, damnatis ab ea hæreticis, etiam moniti, se jungere non distulerunt.

(*c*) In ms. Pith., *dominantem :* cui favet illud num. 1, *ne penitus dominans jam intra Ecclesiam hæresis invalescat.* Non male tamen videtur Faber reposuisse *damnatam :* cum proxime habeatur : *Quid est quod statim damnatis hæreticis vos jungitis?*

(*d*) Editi, relicto unius aut duarum vocum spatio, præferunt cum ms. *adsistere.* Mutato *d* in *b* locum hunc resarcimus. Antea etiam magis placeret *tunc*, quam *nunc;* hoc enim sibi vult : Hæreticis damnatis inconsiderate vos jungere non debuistis : at cum eorum hæresim vobis demonstrarunt Orientales, saltem tunc vos ab illorum societate absistere oportuit.

(*e*) In Pithœano codice, *minuitis*, *nec id saltem consiliis sumptis*, etc. Retinenda Nicolai Fabri correctio. Sed quamvis hic aliquid deesse existimarit, integra nobis videtur lectio eo sensu : Neque etiam si qui primum falsi essent, et in errore nonnihil præ pudore detinerentur, saltem immutatis consilium, ubi advertere debuistis vestrum errorem totius Ariminensis synodi existimari. Frequens enim est in antiquis libris *extimari*, pro *existimari* aut *æstimari*.

(*f*) Forte, *cur etiam non creaturam esse Dei filium non diceretis*, uti postulare videtur subnexum responsum.

(*g*) Supple, *hoc dictum est :* ac postea particulam *cur similem secundum Scripturas.* — « Nam in conventu multorum vos arguentium, cur etiam (*f*) non creaturam Dei filium diceretis ; respondistis, sanctis Ariminensibus non Christum creaturam negatum fuisse, sed dissimilem cæteris creaturis : quia in eo quod dictum sit, *non esse creatum velut cæteras facturas*, non (*g*) quia creatio non sit, sed excipiatur a cæteris : ut licet non dissimilis cæteris sit, tamen ut ipse aliud non sit. Quasi vero ulla creatura aliis sit similis, ut angelus homini, homo avi, avis peculi. Hæc si mentior, testes sunt qui audierunt. Quod si et ipsi tacebunt, loquitur mecum defensus a vobis impiissime liber vester, in quo ut vitrum hyacintho, ita Filius Patri, et Deo Christus alienus est. Deinde, in quo **696** audientes fefellistis, ut non de nullis exstantibus sit, sed *ex Deo;* numquid et quia hoc a vobis dictum sit, simulatio non patuit? cum ideo non de nullis exstantibus, sed ex Deo, secundum vestram professionem sit, quia eidem voluntas ad id, quod subsistat, exordium fuerit. Mentior sane? si non in conventibus per conventionem libelli sui Orientalibus (*h*) damnastis eos, qui non de substantia habere id quod natus est, sed de voluntate dixissent. *Æternum* quoque *cum Patre* esse profitemini. Vere sane dixeritis, si non reclamatum mihi esset, cur ante tempora æterna de vero patre (*i*) Deo verum unigenitum Deum natum prædicassetis : ut æternitas ei cum Patre angelorum animarumque humanarum, (*j*) non jam anteriorum sit, sed futurorum. negantem tolle ante *dissimilis.* Ita plenior et perspicuior erit hæc sententia : *non hoc* dictum est, *quia creatio non sit*, *sed* quia *excipiatur a cæteris : ut licet dissimilis cæteris sit*, ita *tamen* sit dissimilis, *ut ipse aliud non sit.*

(*h*) Puta, cum Sirmii ab Ancyranæ synodi legatis conventi, definitionibus illorum subscribere compulsi sunt, quibus damnantur, qui Filium vere et secundum substantiam filium esse negant ; aut qui eum tantum secundum efficaciam filium, et Patrem dissimilis sibi essentiæ patrem esse affirmant. Vid. lib. de Synod. n. 14 et 19. Præterea Epiphanius, hær. LXXIII, eorumdem Orientalium libellum describit, ad cujus calcem num. 22, legitur : *Si quis non in omnibus similem esse Patri Filium, quemadmodum patri similis est filius ; sed voluntate similem, substantia dissimilem esse dixerit, anathema sit :* eique definitioni nominatim Valentem subscripsisse testificatur. Antea, pro *in conventibus*, forte legendum *conniventibus.* In hac enim eorum subscriptione Orientales conniventia usos esse notat ac laudat Hilarius, lib. de Synod. n. 63.

(*i*) Ita emendamus : cum ex ms. Pith. vulgatum esset, *de vero patre Deum verum unigenitum Deum natum prædicassem.* Planum est hic eam formulam refutari, ex qua Auxentius postea professus est Christum *ante omnia tempora natum Deum verum filium ex vero Deo patre.* Quod autem sub his verbis virus lateat, Hilarius, lib. contra eumdem Auxent. n. 5 et 7, detegit.

(*j*) Relictum hic erat spatium, quo plura desiderari lector admoneretur. Integra tamen censeri potest oratio : qua eam dumtaxat, quæ angelorum animarumque nostrarum propria est, æternitatem Christo ab Arianis attribui admonemur ; quasi ille non anteriorum, sed futurorum respectu sit æternus. Ita apud Arianos non una erat æternitatis Christi intelligendæ ratio ad suam ipsorum hæresim ac-

Similem quoque *secundum Scripturas* esse dixistis: quasi non secundum Scripturas similis Deo et homo sit, et regno cœlorum granum sinapi et fermentum et sagena. Sed percurrere vestræ hypocrisis mendacia otiosum est: clamant enim adversum vos impietatis vestræ opera.

4. *Quale eorum crimen.* — « Servus, ne dicam bonus, sed certe tolerabilis, contumeliam domini invitus audit, et si licet, ulciscitur; miles regis sui periculum, etiam objectu corporis sui et contemptu animæ, depellit; canes ipsi ad custodiam domus habiti, quodam sensu naturæ intelligentes oblatrant, et ubi quædam eos adventantium aura contigerit, totis ad suspicionem ipsam saltibus efferuntur. Vos audistis Christum verum Dei filium et unigenitum Deum: (*a*) negare reputamini, et quiescitis. Quid quievisse dico? Obnitimini **697** reclamantibus, et aggreganini obstrepentibus. Parum istud est. Ex bibliotheca etiam vestra ad prædicationem impietatis arma sumuntur: et bellum adversus Deum præsidiis vestris initur. Ubi igitur vestra professio apud Nicæam Thraciæ, qua dixistis (*b*) omnes hæreses damnatas esse? et (*f.* Sed) in lumen falsitas vestra protracta est: professionis vestræ noctem Sol justitiæ prædicatoribus suis prodidit. Probatis enim hæc, et damnatis, et ad hæreticos transitis. Ita, quod antea ad fraudem hominum (*c*) fefellistis, hunc ipsam ad professionem professi in Deum Christum odii prodidistis. »

FRAGMENTUM XI (*Alias* II *partis*)

INCIPIT FIDES CATHOLICA EXPOSITA APUD (*d*) FARISEAM CIVITATEM AB EPISCOPIS GALLICANIS AD ORIENTALES EPISCOPOS.

Dilectissimis et beatissimis consacerdotibus episcopis orientalibus omnibus (*e*) per diversas provincias in Christo manentibus, Gallicani episcopi salutem.

1. *Hæreticorum fallacia.* — Omni quidem vitæ nostræ fideique sensu gratias Deo patri per Dominum nostrum Jesum Christum confitemur, **698** quod nos in lumine scientiæ confessionis suæ, doctrinis et propheticis (*f*) et apostolicis collocavit; ne sæcularis imperitiæ tenebris detenti, judicio sæculi teneremur: cum sola spes sit plenissima ad salutem, Deum patrem omnipotentem per unigenitum ejus Dominum Jesum Christum in sancto Spiritu confiteri. Sed plane non minor quotidie gratulationis nostræ causa cumulatur, quod liberans nos ab errore mundi, nunc etiam inexpiabili hæreticorum admisceri non patitur societati. Ex litteris enim vestris, quas dilecto fratri et consacerdoti nostro Hilario (*g*) direxistis, fraudem commodata. Hanc nondum plane prodiderat Hilarius: sed alteram, qua Christum ante tempora confitentur, lib. XII de Trin. n. 34, jam exposuit: ut cum nimirum *tempora de solis ac lunæ creatione numerare* soleant, non aliter ante sæcula et tempora intelligatur, quam angeli et ipsemet diabolus. Porro duplici illa interpretatione *Domino Christo*, ut loquitur Hilarius contra Auxent. n. 6, *sola illa tribuuntur, quæ sunt vel angelorum propria, vel nostra.*

(*a*) Sic mss. Pith. et Sirm. Ediderat tamen Faber, *negari.* Non displiceret *Deum negari : negare reputamini* : vel etiam, *audistis... Deum negari : non reluctamini, sed quiescitis*, etc.

(*b*) Verba illorum apud Theodoretum, lib. II Hist. Eccl. c. 21, ea sunt : *Omnes hæreses, seu quæ jam prius damnatæ, seu quæ nuper exortæ, sunt huic fidei expositioni contrariæ, anathema sint.*

(*c*) Tum in concilio Mediolanensi an. 349, ac paulo post Romæ, tum Sirmii proxime post Ancyranam synodum anni 357. Ad calcem Fragmenti hujus in mss. annotatur, *Explicit sancti Hilarii liber ex Opere historico.*

(*d*) Legendum esse *Parisiam civitatem* Nicolaus Faber, nullo hactenus reluctante, admonuit. Concilium hoc Blondellus, lib. de Primatu p. 127, an. 366, alii anno 362, habitum esse, eique Hilarium interfuisse vulgo existimant. Longe tamen probabilius est, illud anno 360 consignandum esse. In hac enim epistola Gallicani episcopi, qui Arimini lapsi erant, nunc primum agnoscunt se sub falso pacis et unitatis obtentu esse delusos: satisque indicant se hactenus synodorum Seleuciensis atque Constantinopolitanæ gesta ignorasse. Hæc porro eos tardius anno 360 rescire cœpisse quis sibi persuadeat? Deinde ea se non ex ore Hilarii, sed ex litteris ab ipso ad se missis cognovisse ita declarant, ut illum et a suo cœtu absentem et ab Oriente nondum reversum significent. Atqui Hilarius anno 360, Constantinopoli dimissus in Gallias, tanta eas celeritate repetiit, ut cum Martinus audito hoc nuntio in occursum illius properaret, nusquam eum nisi Pictavis assequi valuerit. Verum ut concilii hujus tempus propius attingatur, ac persuadeatur efficacius; expendendus est ordo rerum gestarum, quæ in hoc ac superiori Fragmento explicantur. Nimirum ubi viderunt Orientales, se apud legatos Arimino Constantinopolim reversos litteris superius relatis nihil profecisse, imo etiam cum ipsorum, tum adversariorum suorum factione de sedibus suis se esse ejectos; statim Hilarium in eadem civitate adhuc commorantem per litteras convenerunt: cui quid apud legatos Ariminensis synodi præstitissent, et quomodo ab illis spreti essent, nuntiantes, adjungentesque litteras cum blasphemiis hæreticorum, a quorum societate deterrere eos conati erant, illum rogarunt, ut horum omnium Occidentales quam primum certiores faceret. Continuo Hilarius quidquid ab Orientalibus acceperat, misit in Gallias, quidve ipse de Constantinopolitanæ synodi gestis sentiret, nuntiavit. Tunc Gallicani episcopi Parisios convenientes, lectis Hilarii litteris, et cognita Orientalium in retinendo usiæ vocabulo constantia, hanc eis epistolam miserunt, qua se in usiæ silentio sub eorum nomine delusos esse, seque Ariminensium legatorum aliorumque perfidiam abhorrere testificati sunt. Quæ cum ita sint, Parisiensem inter et Constantinopolitanam synodum non plus temporis intercesserit necesse est, quam opus erat, ut Gallicani episcopi per Hilarium commonerentur de rebus in Oriente gestis : quod ultra annum 360 quis differendum censeat? Huic autem concilio licet non interfuerit Hilarius, quadam tamen ratione præfuit utpote in quo nihil non ex ipsius sententia confectum est.

(*e*) Iis præcipue, qui Seleuciæ ac deinde Constantinopoli substantiæ vocabulum defenderant, quorum legati Fragmento superiori n. 1, totius Seleuciensis synodi nomine loquuntur, et pro quibus Hilarius ad Gallos scripserat.

(*f*) Hic addendum et *evangelicis.* Nisi forte *propheticis doctrinis* tota lex antiqua, et nova *apostolicis* significetur.

(*g*) Haud dubie cum adhuc Constantinopoli versaretur. Probabile enim est Orientales, ubi se ab Eudoxii partibus victos, et Anomœorum hæresim do-

dem diaboli et conspirantia adversus Ecclesiam Domini hæreticorum ingenia cognovimus, (*a*) ut divisi in partibus Orientis atque Occidentis, diversis invicem opinionibus falleremur. Nam plures numero, qui aut Arimini aut Nicææ (*Thraciæ*) adfuerunt, sub auctoritate vestri nominis ad usiæ silentium sunt coacti : quod verbum a vobis quondam (*b*) contra Ariomanitarum hæresim inventum, a nobis semper sancte fideliterque susceptum est.

2. *Quo sensu synodus homousion amplectatur. Homœusion non respuit.* — Nam homousion sermonem ad veram et legitimam ex Deo patre unigeniti Dei nativitatem sumus amplexi, detestantes secundum Sabellii blasphemias ipsam unionem, neque aliquam partem Patris esse Filium intelligentes ; sed ex toto atque perfecto innascibili Deo, totum atque perfectum unigenitum Deum natum, unius a nobis idcirco **699** vel usiæ vel substantiæ cum Deo patre confessum, ne creatura potius, aut adoptio, aut appellatio videretur. Et quia ex ipso esset, ut ex patre filius, ut ex Deo Deus, ut ex virtute virtus, ut ex spiritu spiritus, ut lumen ex lumine; similitudinem quoque ejus ad Deum patrem non inviti audientes (quippe cum imago invisibilis Dei sit) (*Coloss.* I, 15), sed eam solam similitudinem dignam ad Patrem intelligentes, quæ veri Dei sit ad Deum verum : ita ut non unio divinitatis, sed unitas intelligatur ; quia unio sit singularis, unitas vero secundum nativitatis veritatem plenitudo nascentis sit : maxime cum Dominus ipse Jesus Christus ad discipulos suos sit professus, dicens : *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); quo non solum charitatem quæ ad Patrem est, sed et divinitatem quæ Dei ex Deo est, significat; secundum illud : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9) ; et, *Si mihi non vultis credere, vel operibus meis credite, quia Pater in me est, et ego in Patre* (*Joan.* X, 38).

3. *Filius ante tempus. Patre minor in forma servi.* — Hanc igitur fidem semper tenentes, et tenebimus, detestantes quoque eos qui dicunt, *Non erat ante quam nasceretur :* non quod unigenitum Deum innascibilem prædicemus, sed quod impium sit maxime, Deo temporum tempus aliquod anteferre; cum ipsum illud, *antequam nasceretur non fuit*, sit temporis. Sed et obedientem quoque Patri Filium etiam usque ad mortem crucis, secundum infirmitatem adsumpti hominis, non negamus : cum ipse de adscensu suo ad cœlos locutus sit : *Si diligeretis me, gauderetis quia vado ad Patrem; quia Pater major me est* (*Joan.* XIV, 28). Per cujus carnis susceptionem nos sibi fratres connuncupare dignatus est (*Joan.* XX, 17), cum in forma Dei manens, forma servi esse voluit.

4. *Lapsi retractant quod gesserunt. Erroris auctores damnant.* Itaque, Charissimi, cum ex litteris vestris in usiæ silentio fraudem se passam simplicitas nostra cognoscat; etiam pietatem eorum, qui Arimino Constantinopolim reverterunt, conventos, sicut epistola (*c*) vestra contenta testatur, neque eos ad tantarum blasphemiarum damnationem potuisse compellere, **700** fidelis dominici nominis prædicator frater noster Hilarius nuntiaverit : nos quoque ab his omnibus, quæ per ignorantiam perperam gesta sunt, referimus : Auxentium et Ursacium ac Valentem, Gaium, Megasium et Justinum (*d*) excommunicatos habemus secundum litteras vestras : et certe, ut diximus, juxta fratris nostri Hilarii professionem, qui se pacem cum his qui horum sectarentur errores, habiturum negavit : blasphemias quoque omnes, quas litteris vestris subjecistis, damnamus, maximeque eorum sacerdotes apostatas respuentes, qui in loca fratrum indignissime exsulantium, quorumdam aut ignoratione aut impietate (*e*) sunt substituti : pollicentes hoc coram Deo atque etiam confitentes, ut quisque his, quæ statuimus, intra Gallias putaverit renitendum, a communione ac sede sit sacerdotii abjiciendus. Neque enim, ut alias, aut occasionem prædicandi (*f*) non damnando permittens, aut contra Deum et Christi unigeniti Dei majestatem aliter, quam nos de homousii significatione sentimus obnitens, dignus erit sanctitate sacerdotii nominis ju-

minantem viderunt, abjecta omni cunctatione Occidentalium patrocinium quæsiisse. Sed cum hoc officium sibi minime sperarent per Ariminensis synodi legatos, quos cum adversariis suis societate et hæretica pravitate conjunctos cernebant; illud ab Hilario per litteras expetiere. Iis autem litteris, ut ex sequentibus perpicuum est, ipsi in primis significabant, se ab inimicis filii Dei esse depositos, quod eorum adversarentur blasphemiis, ac substantiæ vocabulum constantissime propugnarent.

(*a*) Notat Sozomenus lib. IV, c. 19, Occidentales non sua sponte, sed Orientalium causa a substantiæ voce recessisse, quasi illam omnes aversarentur; (cum contra omnes, demptis paucis, Filium Patri substantia similem assererent); eosque propterea Nicææ in Thracia diu detentos esse, ne forte fraudem deprehenderent.

(*b*) Nimirum Nicæno concilio an. 325, quod cum Orientalibus potissimum constaret, ipsis etiam Gallicani episcopi vocis *homousion* inventionem tanto tribuunt libentius, quo eos magis ad illud recipiendum excitent. Tum illud nomen pio et catholico sensu se semper suscepisse insinuant verbis ad Hilarii sententiam accommodatis ; cujus etiam ad instar similitudinem probe intellectam non respuunt. Vid. l. de synod. n. 68 et 88, et lib. in Const. n. 22.

(*c*) Alias ex ms. Pith., *nostra contenta testatur, neque eos ad tantam rem blasphemiarum*. Ex superioris Fragmenti collatione locum hunc ita emendaveramus, cum Hermantium ac Sirmondum comperimus nobis consentientes. Ille antea *impietatem* mallet, quam *pietatem*, suffragaturque Sirmondi ms. Episcopos tamen magis decet, ut quod simplici elocutione diceretur *eos conventos*, ob honorem et reverentiam sacerdotii dicant *pietatem eorum conventos.* Quod in hunc modum perspicuus fiet : *cum etiam fidelis Dominici nominis prædicator frater noster Hilarius nuntiaverit, conventos* (clarius, *convenisse vos*) *pietatem eorum qui Arimino Constantinopolim reverterunt, sicut epistola vestra* (proximo Fragmento relata, et una cum Hilarii litteris ad nos missis) *contenta testatur, neque eos ad tantarum blasphemiarum* (quæ, ut supra monet Hilarius, Orientalium litteris subnexæ erant) *damnationem potuisse compellere.*

(*d*) Ariminensis synodi legatos, ut habetur initio Fragmenti superioris.

(*e*) Puta, Constantinopolitana synodo anni 360.

(*f*) An forte, *prædicandi anomœusion permittens?*

dicandus : a quo etiam Saturninum, qui statutis salubribus impiissime contradicit, secundum fratrum nostrorum geminas jam litteras (*a*) excommunicatum ab omnibus Gallicanis episcopis Charitas Vestra cognoscat : quem et vetera dissimulata (jam diu licet) crimina, et cætera edita epistolis suis novæ temeritatis irreligiositas indignum episcopi nomine esse fecerunt.

« Explicit fides catholica exposita apud Fariseam civitatem ab episcopis Gallicanis ad Orientales episcopos. »

INCIPIT EPISTOLA EUSEBII AD GREGORIUM EPISCOPUM (*b*) SPANENSEM (*Scripta circa an.* 360).

Domino sanctissimo fratri Gregorio episcopo Eusebius in Domino salutem.

5. Litteras sinceritatis tuæ accepi, quibus, **701** ut decet episcopum et Dei sacerdotem, transgressori te Osio didici restitisse, et plurimis cadentibus Arimino in communicatione Valentis et Ursacii et cæterorum, quos ipsi, agnito blasphemiæ crimine, ante damnaverunt, tuum assensum denegasse, fidem scilicet servans, quam patres Nicæani scripserunt. Gratulamur tibi in hoc, gratulamur et nobis, quia hoc (*c*) cujus proposito et hac fide pollens nostri dignatus es meminisse. Permanenti autem tibi in eadem confessione, et nullam cum hypocritis retinenti societatem, nostram tibi communicationem promitte. Quibus potes (*d*) tractatibus, quanto labore A prævales, transgressores objurga, infideles increpa, nihil metuens de regno sæculari, ut fecisti : quia potior est qui in nobis est, quam qui in hoc mundo. Nos vero tui consacerdotes (*e*) tertio laborantes exsilio, hoc dicimus quod manifestum esse putavimus : quoniam omnis spes Ariomanitarum non in sua aut (*f*) linito consensu, sed in protectione pendet regni sæcularis : ignorantes scripta, quia maledicti sunt, qui spem habent in hominem (*Jerem.* XVII, 5). Nostrum autem adjutorium in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram (*Psal.* CXXIII, 8). In passionibus perdurare cupimus, ut, secundum quod dictum est, in regno glorificari possimus (*Rom.* VIII, 17). Dignare nobis scribere quid malos corrigendo profeceris, vel quantos fratres aut stantes agnoveris, aut ipse monendo correxeris. Salutant te omnes qui mecum sunt, B (*g*) maxime Diaconus : simulque petunt, ut cunctos lateri tuo fideliter adhærentes nostro digneris obsequio salutare.

702 Explicit epistola Eusebii ad Gregorium episcopum Spanensem.

FRAGMENTUM XII (*Alias* I *partis*).

« INCIPIT EXEMPLUM EPISTOLÆ LIBERII EPISCOPI URBIS ROMÆ, FACTÆ AD CATHOLICOS EPISCOPOS ITALIÆ » (*an.* 363, *aut etiam serius*).

Liberius (*h*) episcopis catholicis per Italiam consistentibus, in Domino æternam salutem.

1. *Arimini lapsis ignosci quidam nolunt. Aliter sen-*

(*a*) Saturninum a Gallicanis episcopis excommunicatum esse post concilium Mediolan. anni 355, conceptis verbis scribit Hilarius lib. in Constant. n. 2. Quod rursum aliis litteris confirmare potuerunt vel post Biterrense concilium anni 356, ex quo Hilarius Saturnini factione in exsilium ejectus est, vel etiam cum a Gallis damnata est Sirmiensis blasphemia, quam ut reciperent, ille omnibus nervis contendebat. Quo respiciens Hilarius lib. de Synod. n. 3 : *Exspectatis*, inquit, *sanctæ et indemutabilis perseverantiæ gloriosum triumphum, non cedendo Saturnini minis, potestatibus, bellis*, etc.

(*b*) In Pithœano ms. brevitatis causa scriptum erat *Span.* ubi ex codicis ejusdem indice vocabulum integrum restituimus. Gregorium hic eruditi eum intelligunt, qui Bœticus et Eliberitanæ civitatis episcopus vulgo cognominatur, quique deinde Luciferiano adhærens schismati, summis a Faustino et Marcellino laudibus extolli meruit. Hanc autem epistolam scriptam esse liquet post Ariminensem synodum, sed tamen cum adhuc exsul esset Eusebius, et, uti veri simillimum est, cum necdum Gregorii schisma et obitum Osii comperisset. Quibus si addas locum, quem in ms. ex Hilarii, ni fallimur, dispositione, proxime post Parisiensem synodum obtinet, circa idem tempus scriptam esse non negaveris. Et eo quidem tempore omnes æqui amantes summo studio adnitebantur, ut Ariminensi scandalo consulerent.

(*c*) In ms. Sirm. *cuivis*. Forte, *usus*, vel *pius*.

(*d*) Ita Sirm. ms. Alias vero ex Pith. *tractabis*.

(*e*) Ipsa Eusebii ad suos Vercellenses epistola fidem facit, eum primo Scythopolim in Palæstina fuisse relegatum. E Scythopoli deinde in Cappadociam amandatum esse testatur Hieronymus, de Script. eccl., in Eusebio Vercell. Rufinus denique, lib. I Hist. eccl. c. 27, narrat, eum una cum Lucifero in partes Ægypto vicinas deportatum esse; et certe cum Socratis, lib. III, cap. 4, tum Theodoreti, lib. III C Hist. eccl. c. 5, testimonio, in superiore Thebaide Ægypto finitima exsul erat, cum ab exsilio revertit.

(*f*) In editis, *limito*. At in mss. *linito*. An *non in suavi et unito consensu?* Faber mallet, *non in vi sua aut unito consensu*. His affine est, quod idem Eusebius rursum de Arianis scribit apud Baron. ad an. 356. n. 100 : *Ideo acceperunt humanum adjutorium, quia divinum non habent; quod si haberent, numquam potestate terrena innocentium sibi animas subjugarent.*

(*g*) Sic aliam epistolam claudit Eusebius apud Baron. ad an. 356, num. 102 : *Salutant vos fratres nostri, qui mecum sunt, presbyteri et diacones, sed et omnes nostri : qui una mecum satis petunt, ut nostri memores, omnes vestros dignemini obsequio salutare.* Unde oboritur suspicio, etiam hic pro *maxime Diaconus*, legendum esse *presbyteri, et diacones.*

(*h*) Hanc epistolam v. c. Godefridus Hermant, lib. x Vitæ S. Athanas. c. 6, opinatur a Siricio papa laudari, cum ad id quod scripserat Himerius Tarracon. D quosdam de fratribus denuo eos baptizare, qui ab impiis Arianis baptizati ad fidem catholicam festinabant, rescribit hoc non licere, quod *fieri et Apostolus vetet, et canones contradicunt, et post cassatum Ariminense concilium missa ad provincias a reverendæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant.* Quamquam non de iis qui ab Arianis baptizati sint, sed de iis qui Arimini ad Arianas partes defecerint recipiendis tota hæc epistola est. Probabilius quis asserat, auctorem vitæ Eusebii Vercell. in eamdem respexisse, ubi Alexandrinæ synodi decreta a Liberio papa comprobata fuisse scribit. Sed et cum hic Liberius de nonnullis conqueratur, qui decretum pietatis, *quod Apostolica auctoritate munitum est*, conentur revellere; non leve indicium est, ipsum jam litteris aliis Alexandrinæ synodi placita approbasse. Quocirca hanc epistolam non ante annum 363 scriptam existimamus. Certe is in eorum gratiam, qui Arimini lapsi sunt, exstitisse videtur

tit Liberius. — Imperitiæ culpam oblitterat resipiscens. Hoc autem de Scripturis sanctis advertere est. Pietatem ad omnia utilem esse legimus, cui cedit corporalis exercitatio, quamvis et ipsa utilitatis retineat fructus : quam sectandam nobis etiam ratio temporis præsentis exposcit. (*a*) Non enim si aliqui forte qui hoc studii gerunt, ratione provisam destruere impudenter sæviori censura ; hoc æstimaverint et novare, quod jam ex apostolica auctoritate munitum est de pietate, cum dictum est, non esse parcendum his qui apud Ariminum ignorantes egerunt, quibus nescire inlicitum, fuit captum errori incidere, idcirco veritas repedanda est. Sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Ægyptii omnes et (*b*) Achivi accusati sententiam receperunt multis, parcendum quidem his de quibus supra tractavimus, auctores vero esse damnandos, qui obliqua et maligna **703** subtilitate et caligine offenderunt innocentium sensus, per quæ velamen obducerent veritati, tenebras lucem, et lucem tenebras venditantes.

2. *Quo pacto ignoscat.* Igitur si quis ignorationis captum resipiscens sermonis nostræ advocationis (*c*) brevissima illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac tenebrosum fuerat expertus, reparatus exhauriat ; condemnet, vehementiusque in auctores ejus insæviat, quos in se violentos expertus est, totumque se fidei apostolicæ et catholicæ usque ad Nicænæ synodi (*d*) conventum de integro mancipet. Per quam professionem, etiamsi quibusdam ordo gestorum : ut synodis primum Alexandriæ anno 362, ac deinde in Achaia celebratis, quod in illis decretum est, Romanus pontifex confirmarit ; quod vero ille confirmarit, aliqui (qui nisi Luciferiani ?) tamquam nimis molle ac remissum rescindere tentaverint : quorum ne serpat schisma ac prava opinio, hæc rursum a Liberio scripta sit epistola, quæ subsequenti occasionem videtur præbuisse.

(*a*) Hunc locum diu et attente lustrantes atque recognoscentes, nec non cum rerum gestarum historia comparantes, paucis mutatis redintegrari posse perspeximus in hunc modum : *Non enim si aliqui forte sunt, qui hoc studii gerunt* (scil. rem), *ratione provisam destruere impudenter sæviori censura ; hoc existimaverint* (se posse) *exauctorare quod jam ex apostolica auctoritate munitum est de pietate, contendentes non esse parcendum his qui apud Ariminum ignorantes egerunt* (seu, *errarunt*). *Quibus nescire illicitum* (id est, quod illicitum erat, hoc) *fuit captum* (hoc est, laqueum) *erroris incidere ; idcirco severitas* (disciplinæ eis) *rependenda est ? Sed mihi, cui convenit omnia moderate perpendere, maxime cum et Ægyptii omnes et Achivi hanc adunate sententiam receperint, visum est, parcendum quidem his de quibus supra tractavimus*, qui nimirum supra dicti sunt in erroris laqueum ita incidisse, ut illæsa fidei conscientia hæreticis consenserit.

(*b*) Hoc jam interpretati sumus de synodo in Achaia paulo post Alexandrinam habita. In quam respicit Athanasius, cum tom. II p. 40, a Rufiniano consultus, quid de his sentiendum *qui necessitate quidem acti, sed non omnino profligati, a fide aberrarunt ;* respondet habitas ea de re synodos, primum Alexandriæ, ac deinde ab iis qui Græciam incolunt, etc.

(*c*) In Pithœano ms., *benissima :* forte pro *lenissima.* Mox in ms. Sirm, *latebrosum*, non *tenebrosum.* Oratio rursum hic perplexa et perturbata sic clarius poss leve et remissum videtur, recuperet id quod per astutiam rectitatis amiserat. Verum si aliquis tam stolidæ mentis, quod haud credo, fuerit inventus, qui non solum nolit converti antidotum recipiens sanitatis ; (*e*) venenum virusque noxius sese vindicare crediderit : et ratione vincetur, et auctori perfidiæ perdite deputatus, Ecclesiæ catholicæ spiritali vigore plectetur.

ITEM EXEMPLUM (*f*) EPISTOLÆ EPISCOPORUM ITALIÆ.

Dilectissimis fratribus per Illyricum fidem paternam retinentibus, episcopi Italiæ in Domino æternam salutem

3. *Itali Arimini statutis rescissis Nicænæ fidei se reddunt.* — Divini muneris gratia (*g*), ut secundum Apostolum omnes unum sapere, omnes unum confiteri cœperimus. Et quantum ad Italiam quidem pertinet, cum fidei paternæ, hoc est, apud Nicæam scriptæ se reddidit, fraudem quam passa est apud Ariminum recognoscens : Illyricum etiam Deum clementi nutu respexisse gaudemus ; et consortio infidelitatis, quo gravabatur, abjecto, **704** ea quæ sunt rectæ sententiæ probare cœpisse gratulamur. Nostram igitur, dilectissimi Fratres, unam eamdemque accipite firmam subscriptione sententiam. Nicæni tractatus adversus Arium Sabelliumque, cujus Photinus partiaria hæreditate damnatur, decreta servamus. Ariminensis concilii statuta quorumdam tergiversatione corrupta, consensu omnium provinciarum, jure rescindimus ; quorum etiam exemplaria

set construi : *Igitur si quis illud virus in se pestiferum Ariani dogmatis subdolum ac latebrosum fuerat expertus ;* illud jam, *sermonis nostri adhortatione lenissima reparatus*, et *ignorationis captum* (seu, *ab ignorationis captu*) *resipiscens, exhauriat et condemnet, vehementiusque*, etc.

(*d*) Hæc illustrantur aliis Liberii verbis apud Socrat., lib. IV, c. 12 : *Hanc autem catholicam et apostolicam fidem esse agnoscimus, quæ usque ad concilium Nicænum integra et inconcussa permansit.*

(*e*) Forte, *verum etiam venenum virusque potius se posse vindicare crediderit : et ratione vincetur, et auctoribus perfidiæ*, etc. Haud longe absimilis est finis epistolæ ejusdem Liberii Orientalibus datæ apud Socratem lib. IV, c. 12.

(*f*) Non est disjungenda hæc epistola a superiore, cui eam ab Hilario junctam et continuatam esse indicat particula *item.* Illam nonnulli scriptam putant proxime post Illyricam synodum anni 365. At convenire inter omnes debet, Italos cum Hilarii nostri, tum Eusebii Vercellensis aliorumque opera, Ariminensis concilii decreta ante annum 365 rescidisse. Neque vero ab iis abrogandis, quibus inviti decepti-que consenserant, diu multumque abhorruere. Unde Liberius apud Socratem lib. IV, c. 12, ad Orientales Lampsaci congregatos nondum habita Illyrica synodo rescribit, *omnes Ariminensis concilii blasphemias ab illis ipsis, qui tunc per fraudem decepti fuisse videntur, anathemate damnatas esse, et universos in Nicænam fidem conspirantibus animis consensisse.* Si igitur Itali Ariminensis concilii statuta nunc primum hic irrita declarant, hoc ad annum 363 aut 364 referendum esse nullum dubium est. Forte etiam statim atque eis reddita est superior Liberii epistola, convenientes in unum hanc summo consensu scripserunt.

(*g*) Verbum *est* hic videtur desiderari, et mox particula *cum* redundare ante *fidei paternæ.*

transmittenda censuimus, ut nec in fide retinenda, A nec in confutando Ariminensi concilio aliqua videretur (*a*) esse condissensio. Quicumque igitur nostræ unanimitatis optat habere consortium, quicumque individuam pacem nobiscum habere desiderat, quæ sunt nostræ sententiæ comprobare festinet, et fidei nobis (*f.* a nobis) memoratæ subscriptionem, et rescissionem Ariminensis concilii sine ambiguitate mittendo. Id certe petimus, quod complurium harum provinciarum porrigimus ipsi (*b*) consensu. Auctores autem hæresis Arianæ vel Aetianæ, Valentem et Ursacium, cæterosque eorumdem consortes non nunc esse quod manifestari apud Illyricum cœperunt, sed olim condemnasse (*id est*, ibi condemnatos esse) manifestum est. Explicit.

FRAGMENTUM XIII (*Alias* II *partis*).

INCIPIT EPISTOLA (*c*) GERMINII EPISCOPI ADVERSUS ARIANOS (*d*) JAM SUBSCRIPSERANT IN CONCILIO ARIMINENSI, SCIENTES QUOD MALE FECERUNT (*Circa an.* 365 *edita*).

Ego Germinius episcopus credo et profiteor esse unum verum Deum patrem, æternum, omnipotentem : et Christum filium ejus unicum et Dominum Deum nostrum, **705** de vero Deo patre verum Dei filium, ante omnia genitum, divinitate, charitate, majestate, virtute, claritate, vita, sapientia, scientia Patri per omnia similem, utpote perfectum de perfecto genitum : susceptionem etiam hominis ex virgine Maria, sicut prophetæ futurum prædixerunt, et evangelicæ atque apostolicæ voces C completum docent. Passiones quoque ejus et mortem et resurrectionem et in cœlis adscensionem suscipimus, credimus, profitemur : et quod in fine mundi de cœlis descensurus sit judicare vivos et mortuos, et reddere unicuique secundum opera ejus. Et in Spiritum sanctum, id est paraclitum, qui nobis a Deo patre per Filium datus est. Explicit.

(*a*) Verbum *esse* suppletur ex ms. Sirm. Tum in Pithœano habetur *condescensio*.

(*b*) Alias ex ms. *consensum*. Legendum esse *consensu* liquet ex superioribus his verbis, *consensu omnium provinciarum jure rescindimus*.

(*c*) Germinii resipiscentiam, atque a Valente et Ursacio discessionem nulla nobis alia veterum monimenta produnt. Ipsemet Hilarius Tractatu adversus Auxentium anno 364 scripto eum adhuc cum Arianæ hæresis fautoribus conjungit. Hæc igitur D Germinii professio ei adscribenda est tempori, quo, Lampsacenæ synodi legatis Occidentem peragrantibus, rerum Arianarum facies prorsus mutata est. Quod confirmatur ex epistola sequenti anno 366 consignata : quam a Valente et Ursacio, ubi primum socii alias sibi devinctissimi demutationem audierunt, scriptam esse non dubium est, ut cum ad suas partes revocarent.

(*d*) In archetypo ms. Pithœano hic relictum est spatiolum quoddam, quod relativo *qui* suppleverat Nic. Faber. Aliquid aliud desiderandum suspicamur. Est enim potius hæc epistola adversus eos, qui tunc rescindere nolebant, quod in Ariminensi concilio male subscripserant. Videri etiam potest scripta adversus eos, qui in Sirmiensi congressu anni 358 reractare coacti sunt, quod paulo ante in eadem civitate male fecerant. Et quidem subjecta fidei confessio opposita est blasphemiæ, quam Osius subscriptione sua ratam facere compulsus est, uti jam monuimus pag. 460 (*col.* 482 *nost. edit.*), not. *i*.

FRAGMENTUM XIV (*Alias* I *partis*).

INCIPIT EXEMPLUM EPISTOLÆ VALENTIS, URSACII ET ALIORUM AD GERMINIUM (*anno* 366 *scriptæ*).

Domino religiosissimo fratri (*e*) Germinio, Valens, Ursacius, Gaius et Paulus salutem.

1. *Germinius accusatur quod homœusion defendat.*— Cum de spe et salute sollicitudo incumbit, magis laudandi esse debent qui solliciti sunt, quam reprehensionem aliquam sustinere. Salus autem ac spes principaliter in fide catholica consistit. Et ideo quamvis (*f*) conventione a dominis nostris fratribus et coepiscopis nostris Valente et Paulo admonita noluerit ad id quod rumor jactitat de te respondere, domine religiosissime : tamen quia litteris tuis testificatus es, te in eadem charitate perseverare, et paratum esse B illibatam dilectionem habere erga nos ostendere ; propterea in unum apud Singidunum congregati, iterum his commonefacimus sanctitatem tuam, ut omni occasione ambigui exclusa, digneris rursus rescribere nobis. Si a fide catholica, quæ Arimini a sancto concilio exposita confirmataque est, cui etiam universi Orientis episcopi consenserunt, sicuti **706** jam professus es te non recessurum, apertius quæritur significes. Est autem hoc, sicut in ea cautum est : *Similem dicimus Filium Patri secundum Scripturas*, non *secundum substantiam*, aut *per omnia*, (*g*) sed absolute. Si enim hæc expositio immutata fuerit ; manifeste quondam Basilii (*h*) perfida assertio, propter quam synodus facta est, qua etiam merito damnata est, reparabitur.

2. *Retractatio illius deposcitur.* — Dignare igitur hoc, quod quæritur, evidenter litteris tuis declarare : non dixisse, aut dicere, vel dicturum, similem esse per omnia Filium Patri excepta innativitate : ne quod perlatores litterarum Jovianus diaconus et Martyrius subdiaconus verbo deprecationis suæ ante prædictos dominos meos fratres et coepiscopos nostros Valentem et Paulum asserebant, magis credi-

(*e*) Vix Paulus ac Valens per Jovianum diaconum ac subdiaconum Martyrium didicerunt, eam a Germinio editam esse fidei confessionem, quæ superiori Fragmento continetur, cum illum super ea re convenere. Sed ad ea, quorum maxime curiosi erant, D nullo accepto responso, rursum apud Singidunum, una cum aliis congregati has ipsi litteras fecerunt.

(*f*) In ms. *contentione*. Legendum esse *conventione* liquet ex postremis his verbis, *sicut prima conventione admonitus es*. Tum editi ex ms. Pith. *ad omnes nostros fratres et coepiscopos nostros :* corriguntur ex ms. Sirm. ex quo mox reponimus *jactitat*, pro *latitat*. Integrior sic esset oratio : *conventione facta a dominis... Valente et Paulo admonita Sanctitas tua noluerit*, etc.

(*g*) Nic. Faber mavult *seu absolute*.

(*h*) Haud dubie Ancyrani, quo maxime auctore primum Ancyræ Filium Patri substantia similem, ac postea Sirmii per omnia similem esse definitum est. Quæ assertio ab Arianis Constantinopoli an. 360 congregatis damnata est.

bile esse videatur, quia per omnia similem esse Filium Patri profitearis. Si enim sic te, sicut optavimus, sentire scriptis tuis manifestaveris; querelam pro injuria a quibusdam clericis tuis Palladio et Gaio fratribus et coepiscopis nostris factam (*f.* facta), licet nolueris, sicut prima conventione admonitus es, exquirere ad æstimationem tuam (*a*) pertinet, illis scilicet præstantibus pro sua temeritate rationem. Hæc per Secundianum presbyterum, Pullentium lectorem, et Candidianum exorcistam transmisimus Charitati tuæ XV calendas januarias (*anno* 366), Gratiano nobilissimo P. et Dagalaifo conss., exemplum penes nos retinentes.

FRAGMENTUM XV (*Alias* I *partis*).

INCIPIT RESCRIPTUM (*b*) GERMINII AD RUFIANUM, PALLADIUM, ET CÆTEROS (*an.* 367).

Dominis Fratribus religiosissimis Rufiano, Palladio, Severino, Nichæ, Heliodoro, Romulo, Mociano et Stercorio Germinius in Domino salutem.

1. *Filium Patri per omnia similem esse et traditione et Scripturis doceri.* — Vitalis V. C. (*c*) militantis in officio sublimis Præfecturæ relatione comperimus, desiderare Sanctitatem vestram, significari **707** vobis aperte quid est, quod de fide nostra Valenti, Ursacio, Gaio et Paulo displiceat. Necessarium duxi, his litteris patefaciendum Sanctitati vestræ, et id, quod in vobis ipsis ab initio esse confido, dicere. Nos hoc quod et a patribus traditum accepimus, et divinis Scripturis quod semel didicimus, et quotidie docemus, Christum Dei filium Dominum nostrum per omnia Patri similem, excepta innativitate, Deum de Deo, lumen de lumine, virtutem de virtute, integrum de integro, perfectum de perfecto, ante sæcula et ante universa, quæ intelligi vel dici possunt, genitum, cujus nativitatem nemo scit nisi solus Pater, ipso Filio adserente: *Quia nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (*Matth.* XI, 27): per quem facta sunt omnia, sine quo factum est nihil, secundum divinas voces ipsius Salvatoris nostri Filii dicentis: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* V, 18); et iterum, *Quæcumque enim Pater facit, hæc et similiter Filius facit* (*Ibid.*, 19); et iterum, *Ego et Pater unum sumus* (*Joan.* X, 30); et iterum, *Qui me vidit, vidit et Patrem* (*Joan.* XIV, 9); et iterum, *Quomodo Pater vitam habet in semetipso, ita dedit et Filio vitam habere in semetipso* (*Joan.* V, 26); et iterum, *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, ita et Filius quos vult vivificat* (*Ibid.*, 21); et iterum, *Creditis in Deum, et in me credite* (*Joan.* XIV, 1); et iterum, *Neque enim Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* (*Joan.* V, 22, 23); et iterum cui Pater dixit, *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*Gen.* I, 26), nec dixit, ad imaginem tuam, vel, ad imaginem meam, ne aliquam dissimilitudinem in Filii sui divinitate demonstraret: sed propterea conjunxit, *ad imaginem et similitudinem nostram*, ut Filium suum sibi similem per omnia Deum manifestaret. Iterum Evangelista, *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate.* (*Joan.* I, XIV.) Et Apostolus ad Corinthios, *In quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non refulgerent illuminatione Evangelii gloriæ Christi, quæ est imago Dei* (II *Cor.* IV, 4). Et iterum idem Apostolus: *Et transtulit nos in regno filii charitatis suæ, in quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ* (*Coloss.* I, 13 *et seqq.*). Et iterum idem Apostolus: **708** *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudine hominum factus* (*Philip.* II, 5 *et seqq.*). Quis non intelligat, quia quemadmodum secundum servi formam vera fuit caro nostra in Christo; ita et in Dei forma vera sit divinitas Patris in Filio? Et iterum: *Videte ne quis vos seducat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa hujus mundi, et non secundum Christum; quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* (*Coloss.* II, 8). Si ergo omnis plenitudo divinitatis inhabitat in Christo, jam non ex parte similis et ex parte dissimilis, sicut nunc asserunt, qui propter contentionem suæ libidinis retrorsum abeuntes, semetipsos a nobis averterunt.

2. *Quæ in contrarium afferuntur qui explicanda.* — Nam quod putant se pro magno de divinis Scripturis proferre, ut dicant Christum facturam et creaturam: e contrario nos secundum Scripturas dicimus viam, et januam, et lapidem offensionis, et petram scandali, et fundamentum, et brachium, et manum, et sapientiam, et verbum, et agnum, et ovem, et pastorem, et sacerdotem, et vitem, et diem, et alia. Sed hæc omnia sic intelligimus et dicimus, ut virtutes et operationes filii Dei intelligamus, non ut divinam ejus ex Patre nativitatem hujuscemodi nominibus comparemus; quia ex nihilo omnia per Filium facta sunt, Filius autem non ex nihilo, sed ex Deo patre est genitus.

3. *Valentis inconstantia, et fidei a Marco Arethusio*

(*a*) In ms. Sirm., *non pertinent illi scilicet.*

(*b*) Non ad superiorem epistolam, quæ Valentis, Ursacii, Gaii et Pauli, non Rufiani, Palladii, etc., nomine inscripta est, quæque non per Vitalem, sed per Secundianum, Pullentium et Candidianum est delata. Illam tamen huic occasionem præbuisse concedendum est: ut qui se epistolæ suæ exemplum penes se retinere superius testati sunt, illud subinde publicum fecerint. Quod nacti Rufianus, Palladius, Severinus ac socii, ab ipsomet Germinio rescire desideraverint, quid in ipsius fide Ursacio, Valenti, Gaio et Paulo displiceret. Illis hoc rescripto facit satis: quod proinde aliquanto post prædictam epistolam, hoc est, non longe post anni 367 initia, missum sit necesse est.

(*c*) Editi ex ms. Pith., *nunc*: ubi ex Sirm. restituimus *v. c.* id est, *viri clarissimi*. Simile mendum ex eodem ms. Sirm. jam castigatum est Fragm. IX, n. 3.

editæ occasio. — Miror autem prædictum Valentem aut oblitum esse, aut certe subdole dissimulare, quid in præteritum gestum definitumque sit. Nam sub bonæ memoriæ Constantio imperatore, quando inter quosdam cœperat esse de fide dissensio, in conspectu ejusdem imperatoris, præsentibus Georgio episcopo Alexandrinorum Ecclesiæ, (*a*) Pancratio Pelusinorum, Basilio episcopo tunc Anquiritano, præsente etiam ipso Valente et Ursacio, et (*b*) mea parvitate, post habitam usque in noctem de fide disputationem et ad certam regulam perductam, Mar- A cum ab omnibus nobis (*c*) electum fidem dictasse, in qua fide sic conscriptum est : *Filium similem Patri per omnia, ut sanctæ dicunt et docent Scripturæ :* cujus integræ professioni consensimus omnes, **709** et manu nostra subscripsimus. Si autem nunc aliquid spiritus hujus mundi suggerit, ex aperto adhuc scire non possumus. Nam ut nos professi sumus de Scripturis per omnia similem Filium Patri, excepta innativitate ; exponant et illi de Scripturis, quemadmodum parte similis sit, parte dissimilis.

4. Et ideo, Fratres dilectissimi, hæc intrepidanter quod ad Ariminensem synodum deferret; Ariminense concilium tum in proximo fuisse significat. Et hæc ipsa quidem a Valente et sociis Ariminensi synodo est proposita, quæ Eusebio et Hypatio coss. vulgata est. Demum in hac legitur *Filium Patri per omnia similem esse, ut sanctæ dicunt et docent Scripturæ.* B Sed cum in ea ipsa etiam substantiæ silentium decernatur; ægre intelligitur qui Basilius huic definitioni consensisset. Reponi quidem posset, cum hinc Valentem inter et Basilium nata esset controversia, quod ille substantiæ silentium, hic Filium per omnia Patri similem vellet ; eam a Marco ita sedatam esse, ut quod vellet uterque, in una eamdemque ecthesi reperiret. Sed apud Epiphanium loco laudato perspicuum est, neque etiam tunc Basilium consensisse, ut substantiæ nomen taceretur, sicut ex Seleuciensis synodi gestis constat, eum illud postea constanter retinuisse. Præterea quis credat hoc nomen a Marco Arethusio suppressum, qui cum cæteris Orientalibus primæ Antiochenæ formulæ adhærebat, in qua, ut notat Sozomenus, lib. IV, c. 16, substantia asserebatur ? Quamquam non satis sibi constat Sozomenus, cum lib. IV, c. 16, innuit, solos Anomœorum principes formulæ ejus auctores esse, quæ Sirmii an. 359, edita est ; et tamen cap. 22, conceptis verbis C testatur eos, quibus in Seleuciensi synodo placebat ut substantiæ nomen e medio tolleretur, prætendisse formulam fidei, *quam paulo ante Marcus Sirmii composuerat, quam tum alii susceperant episcopi qui tunc erant in Comitatu, tum Basilius episcopus Ancyræ.*

De Sirmiensibus formulis restat quærendum, quænam Constantii edicto suppressa sit. Multi cum Socrate, lib. II, c. 30, ac Sozomeno, lib. IV, c. 6, hoc ad secundam referendum esse existimant. A quibus percontari libet, quando putent illius auctores laborasse ut illius exemplaria ex omnium manibus eriperent ? an statim atque edita est ? Sed etiam post in Gallias missa est. An post quam Ursacius ac Valens Ancyranæ synodi decretis subscribere coacti sint ? At hoc certe Hilarius silentio non præterisset in libro de Synodis, quem et post formulæ hujus editionem, et post coactam illam Ursacii ac Valentis subscriptionem composuit. Neque vero hoc consilii Ariminensis tempore factum dixerint : quo nimirum Valens ac socii doctrinam in illa contentam revocare atque D confirmare cogitabant. Verius itaque juxta Athanasium, lib. de Synod. p. 905, dixeris, Valentem et socios, cum proposita Ariminensi concilio tertia formula ob consules in ea prænotatos ab omnibus irrisi essent, apud imperatorem effecisse, ut ereptis exemplaribus tollere possent unde omni probro ac pudore suffici fuerant Sublatis igitur consulum nominibus, necnon vocabulis *in omnibus*, quæ ipsis valde incommoda, Sirmii pro tempore inviti tergiversantesque susceperant, eamdem formulam et Nicææ in Thracia, et Arimini ac Seleuciæ subscribendam curarunt. Cui sententiæ in hoc favet Sozomenus, lib. IV, c. 6, quod non dicat auctores Sirmiensis formulæ operam dedisse ut eam prorsus supprimerent, sed *ut emendandam reciperent.* Quod in tertiam, non in secundam convenit.

(*a*) Vocem *Pancratio*, quæ prius deerat, supplemus ex lib. II Socratis, cap. 29.

(*b*) Sic legendum esse sentiebamus, non ut prius, *et in ea pravitate*, cum sententiam nostram ms. Sirm. confirmavit.

(*c*) Ita emendandum esse constat, licet antea obtinuit *ejectum*. Quænam sit illa fides a Marco dictata, ubi, quando et qua occasione edita sit, nunc paucis est disserendum. Eam Sirmii editam fuisse facile deprehenditur ex verbis Socratis lib. II, cap. 20 et 30, quamvis ibi tres conventus Sirmienses confundens, multa veris falsa intermisceat. Nam cum vere scribat synodum anno 351 Sirmii adversus Photinum esse celebratam ; falsum est quod ait, ei interfuisse Georgium Alexandriæ episcopum, quippe qui huic civitati anno dumtaxat 356, præfectus est. Deinde cum veritati consentaneum sit quod memorat, in eo conventu Sirmiensi, in quo Georgius Alexandrinus præsens aderat, a Basilio Ancyrano acerrime fuisse disputatum ; illi tamen concedendum non est, Basilio tum certaminis quidquam cum Photino fuisse, si quidem huic jam longe antea deposito Germinio successerat. Vere etiam audierat Socrates formulam fidei in prædicto conventu a Marco Arethusio dictatam : sed hoc falso ad fidem contra Photinum scriptam retulit, in qua nusquam occurrit primarium illud decretum, *similem* esse *per omnia Patri Filium*.

Jam vero convenit inter omnes, conventum de quo hic agitur post Ancyranam synodum anni 358 fuisse habitum. Neque minus constare debet, nihil in eo de Photino actum, sed totam Basilii disputationem adversus Sirmiensis blasphemiæ auctores ac fautores exstitisse. Ex libro autem de Synodis certum est, Basilium aliosque Orientales anno 358, Ancyra Sirmium properantes ibi Valentem ac socios coegisse, ut fidei ipsis propositæ subscriberent, ac damnarent quod paulo ante fecerant. Quod non sine magna partium contentione factum nemo inficias ierit. Neque negabit quisquam, Basilium ac socios, cum Ancyræ ante Pascha convenissent, Sirmium ante Pentecosten pervenire potuisse. Quocirca quod apud Epiphanium hær. LXXIII, n. 22, habetur de subscriptione Valentis *nocte Pentecostes jam illucescentis*, ad coactam illam subscriptionem commode referas, quam Sirmii Ancyranæ synodi legati a Valente ac sociis extorserunt. Quod si ita est, hic Germinius de formula anno 358 edita sermonem habet. Epiphanius enim quod *nocte jam illucescentis Pentecostes*, hoc item narrat factum esse, quando fidei subscriptum *qua Filius per omnia Patri similis esse definitur*. Alia præterea succurrunt in hujus opinionis gratiam.

Plura tamen favent sententiæ Nicolai Fabri, qua existimat eam a Germinio indicari formulam, quæ Sirmii, imperatore præsente, XI kal. jun. Eusebio et Hypatio coss., edita est, et ab Athanasio, lib. de Synod. p. 875, inserta. Primo enim in eam convenit dies ab Epiphanio notatus. Nam Eusebio et Hypatio coss., hoc est 359 anno, Pentecostes nox in XI kal. jun. incidebat. Deinde cum scribit Epiphanius, Valentem professionis ibi editæ exemplum habere voluisse,

et sine mora vestræ dilectionis ad conscientiam, per Cyriacum officialem, cujus prima inventa occasio est post Carinium diaconem quem ad vos misi, professionem destinavit : **710** ut per vestram quoque vigilantissimam devotionem apud Deum universæ fraternitati intimetur, ne quis fallacis diaboli laqueis A ignorans implicetur. Jam vestræ est unanimitatis, rescribere mihi quid vobis sanctus Spiritus suggerat. Sane intimo Charitati Vestræ, me huic epistolæ, propterea quod manus dolerem, subscribere non potuisse : subscribendum autem mandasse fratribus et compresbyteris nostris Innocentio, Octavio et Catulo.

711-712 FRAGMENTA

EX ALIIS SANCTI HILARII OPERIBUS

IN VETERIBUS MONIMENTIS RELICTA.

Ex tractatibus (a) in Job.

I. Tanta enim et tam admirabilis in nos misericordiæ Dei bonitas est, ut per quem in Adæ offensa generositatem primæ et beatæ illius creationis amisimus, per eum rursum id quod amisimus obtinere mereamur. Tunc enim diabolus invidens nocuit: nunc autem, cum nocere nititur, vincitur. Movet enim per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cum ad lasciviam accendit, cum ad ebrietatem illicit, cum ad odia stimulat, cum ad avaritiam provocat, cum ad cædes instruit, cum ad maledicta exacerbat. Sed cum per firmitatem animi horum omnium subrepentia incentiva reprimuntur, emundamur a peccato per hujus victoriæ gloriam; dictum enim ita est : *Aut quomodo se emundabit natus ex muliere* (*Job* XXV, 4) ? Quia non exstante hoste, non erit bellum : cessante deinde bello victoria C deerit. Collidentium autem adversus nos vitiorum victoria non adepta, non erit emundatio ulla vitiorum : quia his insidiis corporis nostri pirata victo, colluctantium adversus nos passionum concertatione purgamur. Memores igitur et conscii illa ipsa corpora nostra omnium vitiorum esse materiem, per quam polluti et sordidi, nihil in nobis mundum, nihil innocens obtinemus; gaudeamus nobis esse hostem, in cujus concertatione quodam concertationis nostræ bello dimicemus.

Item (b).

II. Quas Job litteras legerat, ut abstineret se ab B omni re maligna, quia Deum sola mente vitiis non admixta venerabatur ? Deum autem colere, justitiæ proprium officium est.

Ex (c) Proœmio expositionis Evangelii in Matthæum.

III. Erat namque primum necessarium nobis, ut unigenitus Deus nostri causa homo, id quod tum non erat, gigneretur.

Item ex eodem.

IV. Tertium deinceps illud congruum fuit, ut quia Deus homo genitus in mundo, *etc.*

De (d) expositione epistolæ ad Timotheum.

V. Nam et cum dicit Scriptura, *homo Christus*, (I *Tim.* II, 5), et cum dicit, *Christus mortuus est* (*Rom.* VIII, 34), et cum dicit, *Verbum caro factum est* (*Joan.* I, 14); non est spoliandus per fraudulentiam legentis expositionibus suis sermo. Nam ubi *homo Christus est*, præcedit, *Mediator Dei atque hominum :* ut ex utroque, Deo et homine, unus subsistat; sitque inter hominem et Deum medius, confessione in se utriusque naturæ. Ubi vero *Christus mortuus est*, subjicitur, *Qui resurrexit, qui est in dextera Dei.* In morte ejus carnis nostræ infirmitas est, in resurrectione virtus ejus, in consessu Dei dignitas.

713 *Ex libro (e) ad Constantium imperatorem.*

VI. Filius Dei factus homo Deus est..... Deus D debemus, quæ quidem lib. VII Incarn. c. 24 (utinam paulo fusiora), inseruit.

(a) Fragmentum hoc laudat Augustinus, et quadam præfatione sic explicat lib. II contra Julianum, c. 8, n. 27 : *In quadam vero homilia de libro sancti Job, attende quid dicat, quemadmodum ipsius diaboli adversus nos indesinens bellum ex hoc fieri asserat, cum ea mala quæ in nobis sunt, excitat contra nos : quod in nostram fieri utilitatem vult docere, convertente scilicet divina misericordia malitiam diaboli ad purgationem nostram. Tanta enim*, etc.

(b) Ex iisdem homiliis in Job excerptum esse liquet hoc alterum fragmentum, quod Hilarii nomine, tacito operis titulo, primus laudavit Pelagius, ac deinde commemoravit et exposuit Augustinus, lib. de Nat. et grat. c. 62.

(c) Hoc fragmentum cum subsequente Cassiano

(d) Titulus hic etsi inauditum Hilarii Opus notat, subnexis tamen verbis donatur in hunc modum a concilio Spalensi c. 12 : *Sanctus ergo Hilarius in expositione epistolæ ad Timotheum sic loquitur : Nam et cum*, etc. Hæc porro Hilarii nostri esse, puto, non ambiget, qui in ipsius lectione prorsus peregrinus non erit, aut etiam qui cum his alia ipsius verba lib. X de Trin. n. 66, compararit. An vero totam ad Timotheum exposuerit epistolam, dubitare per nos licet.

(e) Hæc Hilarii verba a Cœlestino Papa I, in concilio laudata esse testis est Arnobius, lib. II de Conflictu cum Serapione, ubi et eadem sic adscripsit :

(*a*) filius hominis factus est (homo enim factus est Deus, non Deus factus est homo), et (*f.* sed) filius hominis factus est filius Dei. Superavit enim magnitudo Domini parvitatem servilis formæ; ita ut ipsa servilis forma, quam assumpsit, cessaret esse servilis per eum Dominum, qui eam assumpsit. Si enim qui natura non filii Dei, per ipsum efficiuntur filii Dei; quanto magis ipse, qui natura filius Dei est, hunc cum quo voluntate sua alvo virginali conceptus et natus est, ita sublimavit in Deum, ut in ejus nomine omne genu flectatur, cœlestium et terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.

Ex (*b*) *incerto Opere.*

VII. *Panem nostrum quotidianum da nobis* **714** *hodie* (*Lucæ* XI, 3). Quid enim tam vult Deus, quam ut quotidie Christus habitet in nobis, qui est panis vitæ, et panis e cœlo : et quia quotidiana oratio est, quotidie quoque ut detur, oratur.

(*c*) *Item aliud.*

VIII. Ergo cum missus est (*Christus*) in similitudine carnis peccati, non sicut carnem habuit, ita habuit et peccatum. Sed quia ex peccato omnis caro est, a peccato scilicet Adam parente deducta; in similitudine peccati carnis est missus, exsistente in eo, non peccato, sed peccati carnis similitudine.

Fragmentum (*d*) *dubium.*

IX. In quo omnes peccaverunt. In quo, id est, in Adam omnes peccaverunt..... Manifestum est in Adam peccasse, quasi in massa. Ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati sunt sub peccato.

Testimonium de Hilarii doctrina circa Spiritus sancti processionem.

Ἅγιος Ἱλάριος ἐν τοῖς εἰς τὸν Ἀπόστολον ἐξηγηματικοῖς, περὶ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ θεολογῶν, φησί, μηδεμίαν ἐν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι διπλόην νοεῖσθαι διὰ τὸ τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν τὸ εἶναι παρέχειν αὐτῷ· ὅθεν ἄμφω μία ἀρχὴ τοῦ ἁγίου Πνεύματος χρηματίζουσιν : *Hilarius in explanationibus ad Apostolum, de Patre Filioque theologice loquens, ait nullam in Spiritu sancto duplicitatem intelligi, propterea quod Pater et Filius exsistentiam illi suppeditent; unde ambo unum principium Spiritus sancti sunt.* En miram atque perspicuam

Hilarius quoque vir acris ingenii scribens ad Constantium imperatorem de incarnatione Domini sic ait : Filius, inquit, Dei factus homo Deus est; et præposterans repetit, Deus filius hominis, etc. In vulgatis Arnobii inscriptio *in Constantium Imp.* minime probanda est : tum deinde occurrunt aliqua menda, quæ ex veteri ms. Corbeiensi castigavimus. Ex plurimis autem, quæ in dicto Arnobii opere ex eodem codice castigari queunt, hoc unum hic notamus, lib. II, ubi Arnobius, laudatis quibusdam Ambrosii versibus, in ms. subjicit, *Numquid dicit, talis decet partus hominem?* Verbum autem *dicit* deest in vulgatis, quamvis ad intelligentiam hujus loci prorsus necessarium. Conferendum hoc fragmentum cum Tract. Psal. CXLIII, n. 7.

(*a*) Magis placeret, *Non Dei filius hominis filius factus est* (*homo enim factus est Deus, non Deus factus est homo*) : *sed filius hominis factus est filius Dei.* Hujusmodi sententiam Augustinus, Serm. CLXXXVI, n. 2, notat his verbis : *Non ergo*, inquit, *vobis subrepat quorumdam sententia, minus attentorum in regulam fidei et in Scripturarum oracula divinarum. Dicunt enim, Qui filius est hominis, factus est filius Dei; qui vero filius est Dei, non est factus filius hominis. Hoc ut dicerent, quod verum est attenderunt, sed verum eloqui non valuerunt. Quid enim attenderunt, nisi quia humana natura potuit in melius commutari, in deterius autem divina non potuit? Hoc verum est. Sed etiam sic, id est, nequaquam in deterius divinitate mutata. Verbum tamen caro factum est..... ac per hoc qui erat Dei filius, factus est filius hominis, assumptione inferioris, non conversione potioris.* Apprime quidem solet Hilarius ad oracula Scripturarum suum exigere sermonem, dum, v. g. lib. IX de Trinit. n. 5, de Christo ait : *Hunc per omnia evangelici sermonis modum tenuit, ut se filium Dei credi doceret, et hominis filium prædicari admoneret*, etc. ; et num. 3 : *Ipse ex unitis in idipsum naturis naturæ utriusque res eadem est; ita tamen, ut neutro careret in utroque, ne forte Deus esse homo nascendo desineret, et homo rursum Deus manendo non esset.* Plura in promptu sunt : sed pluribus non eget, cui jam Hilarii lectio familiaris est. Igitur in allato illius fragmento alius quidam latet abstrusior sensus. Quippe cum Hilarius triplicem in Christo statum distinguat, primum ante susceptam carnem, alterum in carne mortali, postremum qui resurrectionem ipsius excepit; ita eum in secundo statu Deum et hominem passim profitetur, ut in tertio hominem in Deum transiisse sensu a nobis sæpius explicato dicat. Unde allatus locus totus esse videtur de glorioso Christi statu, ad quem pertinet subjectum Apostoli testimonium. Et quidem qui in Psal. CXLIII, n. 4, in Verbo assumente carnem formam Dei ita exinanitam dicit, ut *totus in forma servi sit*, procul abest ut servilem formam per susceptionem Verbi servilem esse cessasse prædicet. Qui igitur illum hic rationem reddere existimant cur una in Christo subsistentia sit, sententiam illius non satis videntur assecuti.

(*b*) Vel ex homiliis in Job, vel ex perditis tractatibus in Psalmos excerptum est, quod a concilio Toletano IV, c. 10, sic memoratur : *Sanctus Hilarius dicit : Panem nostrum*, etc. V. Ambros. lib. V de Sacr. n. 25.

(*c*) Hæc verba non sine Hilarii elogio sic celebrat Augustinus, lib. I cont. Julian. c. 3, n. 9 : *Ecclesiæ catholicæ adversus hæreticos acerrimum defensorem quis ignorat Hilarium episcopum Gallum? Qui cum de Christi carne ageret, attende quid dixerit : Ergo cum missus*, etc. Eadem rursum indicat libro subsequenti cap. 4 : *Et ideo venerandus Hilarius*, ex peccato esse omnem carnem, *non cunctatus est dicere : sed numquid ideo negavit ex Deo?* verum ea unde excerpserit, non declaravit. Non enim crediderim, librum hic indicari, cui titulus *de carne Christi* fuerit; sed tantum lectorem admoneri, Hilario in eo loco de carnis Christi prerogativa esse sermonem. Similis sententia occurrit, lib. X de Trinitate, num. 25.

(*d*) Subjecta verba occurrunt in commentariis Ambrosio adscriptis in epistolas Pauli Rom. V. Ea tamen cum Augustinus, lib. IV contra duas epist. Pelagian. c. 4, ita profert, *Sic sanctus Hilarius intellexit, in quo omnes peccaverunt*, etc., hæreticam sententiam refellere voluisse videtur S. Hilarii Pictavensis auctoritate. Et merito quidem existimetur commentarios illos numquam legisse; cum alias etiam plura in iis exstent Pelagio adversa, nec tamen quidquam aliud ex iis adversus illum adducat. Itaque cum in hoc fragmento phrasim Hilarianam non satis internoscamus, illud veluti dubium proponimus.

tanti Patris contra schismaticos Græcos doctrinam de Spiritus sancti processione ac Patre Filioque tanquam unico principio! Jam vero sanctum Hilarium commentarios scripsisse in Pauli Epistolas affirmabat Hispalense concilium II, can. 13, apud Aquirrium, tom. III, p. 353 : nunc ecce ex eo deperdito opere frustum splendidum a Græcis servatum. (Ex *Spicileg. Rom.* tom. VI, p. 73.)

APPENDIX.

JOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI IN SEQUENTEM HILARII EPISTOLAM PRÆFATIO.

CAPUT PRIMUM.

In quonam codice reperta, et cuinam (nostra quidem sententia) tribuenda sit ea, quam nunc evulgamus, epistola.

1. Si ex diligentia, quam in perlustrandis Bibliothecæ nostræ codicibus adhibui, fructum non levem retuli, quum superiorem libellum reperi, multo uberiorem sane sum assecutus, dum nobilem epistolam, quam tibi, humanissime Lector, exhibeo, in membraneo codice Hieronymi epistolas, et opuscula complectente inveni (*a*). Nolim tamen illam Hieronymo tribuas; stylus enim eam Hieronymo abjudicat, atque adeo Ambrosio, et Augustino, quos nempe longe diversam scribendi rationem fuisse consectatos, manifesta res est. Latine primitus scriptam, non ex græco conversam epistolam hanc, ostendit locutio ipsa nihil græcitatis habens : latinum quoque scriptorem innuit ea Scripturæ versio, quam sequitur : quippe aut *Italica* ipsa est a veteribus sæpe laudata, aut alia *Italicæ* affinis, ipsa quoque a veteribus latinis Patribus sæpe adhibita. At cum præter Hieronymum, Ambrosium, et Augustinum (quos quidem hujusce epistolæ auctores fateri vetat, uti diximus, scriptio ipsa), multi fuerint latini Patres, qui litteras scripserint, inquirendum est nobis, cui epistolam hanc tribuamus.

2. Antequam Vulgata Bibliorum interpretatio ab Ecclesiis reciperetur, eam fuisse compositam, compertissimum puto : differt enim plurimum a Vulgata ea versio, quæ in epistola hac allegatur. Præit ergo sæculum septimum, quo scilicet tempore in Ecclesiis Occidentalibus fere omnibus Vulgata invaluit. At quarti sæculi scriptorem satis indicat summa diligentia, et enixum studium, quo Verbi divini consubstantialitatem atque æternitatem stabilire studet, et inculcare, ideoque Arianos, et Semiarianos refellere : præterit vero hæreses deinceps exortas, atque adeo Macedonianam ipsam Semiarianorum tempore celebrem; imo de Spiritu Sancto loquens iis utitur locutionibus, quæ postquam hæresis ea viguit, a viro Catholico, qualis procul dubio est scriptor noster, adhiberi non potuissent. Scripta itaque est epistola hæc, antequam Macedonius novam hæresim conderet. Inter eos porro, quos per ea tempora epistolas scripsisse novimus, et Verbi divinitatem atque æternitatem vindicasse, eminent Hilarius Pictaviensis (*b*), et Eusebius Vercellensis (*c*). At si quis epistolam hanc cum iis comparaverit Eusebii epistolis, quas Baronius evulgavit, manifesto videbit, eam ab Eusebii stylo abesse plurimum, accedere autem ad eam loquendi rationem, quam Hilarius in libris suis consectatus est : atque adeo in eo tantummodo ab iis differre, quod ii utpote oratorio stylo compositi, elatiores sint, ac sublimiores; epistola vero hæc humili, tametsi ornato, ac multum exculto conscripta sit : quod mirum non est; hujus modi enim loquendi genus epistolæ illi congruit, quæ in Ecclesiastico conventu ad plurimorum eruditionem legenda foret (*d*). Neque sane auctore illo indigna est, de quo hæc Hie-

(*a*) Codex iste in vetusto inventario est positus n. 21. Nunc vero est in plutco IV ad lævam in parte superiore plutei. Incipit vero a libro, quem Hieronymus *adversus Jovinianum* scripsit. Hanc, quam edimus, epistolam habes, pag. 118.

(*b*) Nonnullas epistolas fuisse ab Hilario conscriptas, docet Hieronymus, lib. *de Viris illustribus*, cap. 10, his verbis, *nonnullæ ad diversos epistolæ*; Hilarii enim et Eusebii Vercellensis Epistolas de scriptoribus illorum temporum disserens, tantummodo memorat : sed expresse id docet Sulpicius Severus, libro II histo., cap. 57 : *Hosius* (inquit) *centenario major* (*ut S. Hilarius in epistolis refert*) *deliravit.*

(*c*) Vide quæ docet Baronius ad annum Christi 356, n. 92 et sequent. et præfationem ad editionem Veronen. Hilarii pag. 8, n. 24.

(*d*) Humile scribendi genus interdum in epistolis suis persecutum fuisse Hilarium, tradit his verbis Baronius, de epistola Hilarii ad filiam loquens ad an. 355, n. 71 : *Videas in ea virum sanctissimum, pariterque eloquentissimum, stylum suum natura sublimem inclinare puellæ, et de industria humilem reddere, atque ad persuadendum facilem, simplicibusque Virginis auribus accommodare.* Illas vero epistolas quæ ad eum finem scribebantur, ut in ecclesiasticis conventibus publice legerentur, ornatas fuisse, atque excultas, is facile fatebitur, qui ad hujusmodi litteras (de quibus aliqua mox dicemus) animum advertet.

ronymus tradit (*a*): « S. Hilarius Gallicano cothurno attollitur, et quum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, et a lectione simpliciorum fratrum procul est. » Neque in ea desideramus ubertatem, ac nitorem, quem in Gallorum Scriptorum elucubrationibus enitere alibi testatur idem Hieronymus (*b*). Denique, ne multa proferam, in hac sane epistola se prodit is, quem disertissimum fuisse evincunt illa ejusdem pariter Hieronymi verba (*c*) : *Nec disertiores sumus Hilario* : quippe qui, teste hic quoque Hieronymo (*d*), « Duodecim Quintiliani libros et stylo imitatus est, et numero (*e*), brevique libello, quem scripsit contra Dioscorum medicum, quid in litteris possit, ostendit. » Initium profecto hujus epistolæ valde nobile est, nec minus præstantia quæ sequuntur, sic ut sublimitatem illam, et eloquentiam, quam in Hilario commendant veteres, in ea quoque facile detegas.

3. Illud etiam in Hilario notarunt Critici, quod voces admodum infrequentes scriptis suis inserat (*f*) : atque id quidem in hac ipsa epistola occurrit. Quis enim voces has, *initiat*, *splendificare*, *sacerdotare*, *confuerit*, quas hic invenies, iis vocibus annumerabit, quas crebro adhibemus? Quod si explicationis, reique clarius illustrandæ causa græcas voces usurpat in suis libris Hilarius : eæ quoque in Epistola hac occurrunt. Si a voce *homousion* ad consubstantialitatem Verbi explicandam quoad potest, cavet Hilarius, illiusque loco explicationes alias in libris suis substituit, ne scilicet de *nomine*, non de ipsa Verbi consubstantialitate, atque æternitate, ac præstantia decertare videatur; id quoque hic peragit. Id pariter in epistola hac observans, quod in reliquis libris suis adversus Arianos disputans religiose observarat : ut scilicet eorum quidem errores vehementer redarguat, at neminem nomine appellet ; atque ab odioso *Arianorum* et *Semiarianorum* vocabulo prorsus abstineat : quam quidem ob rem Lucifero Calaritano displicuit, et plus æquo mitis apparuit. Quid? quod eædem paulo liberiores phrases, præsertim cum de Spiritu Sancto, de Incarnationis mysterio, et de rerum creatione disserit, quæ in libris Hilarii *de Trinitate* occurrunt, occurrunt pariter in ea, quam evulgamus, epistola; sententiæ quoque eædem exstant; nec dissimilis, uti diximus, sermo est : atque id sane fatebitur, qui annotationes, quas eidem epistolæ adjiciemus, expendet : eo enim non modica illarum pars respiciet, ut adductis Hilarii verbis ostendatur, cum reliquis illius libris epistolam hanc non modo in doctrina, verum etiam interdum in locutione ipsa, verborumque dispositione, ac circuitu convenire.

Accedit ad hæc affinitas nonnulla nominum Hilarii, et Hieronymi; iisdem enim litteris utrumque nomen incipit. Hinc suspicor Hilarii nomen duabus tantum prioribus litteris indicatum (*Hi*) : et huic epistolæ præpositum inducere facile potuisse amanuensem nostrum non admodum fortasse peritum, ut Hieronymo tribueret libellum istum, qui Hilario utique fuerat tribuendus.

4. Atque his quidem conjecturis ducor, ut Hilario Pictaviensi, ideoque præclarissimo, et valde vetusto scriptori epistolam hanc adscribam. Nolo tamen dissimulare eas, quas mihi vir clarissimus, quique primas in litteraria republica tenere visus est (*g*), mihi objecit difficultates. Nimirum 1° ad martyrium vult scriptor iste paratos eos, quibus epistola hæc legenda erat. Antiquior ergo Hilario auctor illius est; quippe qui imperatorum Ecclesiam persequentium ætate vixit. 2° Fatetur epistolæ hujus scriptor, fidem suam fuisse in dubium revocatam. « Et sciant æmuli fidei meæ præstitam rationem, et convenire cum Ecclesia recognoscant. » At quis id de Hilario audeat dicere? qui, ut Augustini verbis utar (*h*), « Ecclesiæ catholicæ adversus hæreticos acerrimus defensor; catholicus et insignis Ecclesiæ catholicæ doctor; et non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum, et in assertione fidei vir appellatus est. » His scilicet ad hunc modum occurro. Constantii tempore exstitisse multos, qui propter Orthodoxæ fidei defensionem non modo in exsilium missi, verum etiam martyrio functi sint, indubitatis monumentis assequimur. Merito itaque ad martyrium paratos esse cupiebat fideles noster egregius Scriptor, ad testificandam scilicet sanguine suo Orthodoxæ confessionis veritatem. An non etiam dubitari merito poterat, ne mortuo Constantio ad hominem vetustæ superstitioni addictum transferretur imperium, eoque regnante iterum exagitaretur Ecclesia? Quod si regnante Juliano vis epistolam hanc conscriptam, quam recte ad subeundum martyrium paratos fideles cupiebat Hilarius, quos summum in modum a Gentilibus, quibus palam imperator ipse favebat, vexatos novimus?

5. Quamquam porro eas laudes meruerit Hilarius, quibus ab Augustino, Hieronymo, Cassiano, aliisque celebratissimis viris ornatus est, indubitatum est tamen, de illius fide fuisse ab aliquibus nimio plus severis austerisque dubitatum. Id facile fatebitur, qui ad librum ab Hilario ad suæ fidei defensionem adversus Luciferi Calaritani accusationes compositum, animum adverterit. Legas illum obsecro, et manifesto conspicies coactum fuisse Hilarium, ut fidem suam a criminationibus hujusce episcopi vindicaret (*i*).

(*a*) Epist. ad Paulinum olim. XIII, in Veronensi editione LVIII, n. 10.

(*b*) In epist. ad Rusticum olim IV, in Veron. editione CXXV, n. 6. *Ut ubertatem*, inquit, *gallici, nitoremque sermonis*, etc.

(*c*) In epist. ad Pammachi. et Ocean. olim LXV, in Veron. editi. LXXXIV, n. 7.

(*d*) In epist. ad Magnum olim LXXXIV, in Veron. edit. LXX, n. 5.

(*e*) Duodecim silicet numero sunt libri *de Trinitate*, ad quos respicit hic Hieronymus.

(*f*) Erasmus in præfatione præposita editioni operum S. Hilarii.

(*g*) Ludovic. Muratorius in epistola ad me scripta.

(*h*) Lib. I contra Julian., cap. 3; lib. II, cap. 7; et lib. VI de Trinit., cap. 10.

(*i*) Tomo II Oper. Hilar. pag. 521.

CAPUT II.

Ad quemnam eadem epistola missa sit : quale illius argumentum ; et quonam tempore conscripta fuerit.

1. At imminet quæstio altera : cui scilicet missa sit hæc epistola. Abest enim ab nostro codice. Episcopum, qui populum regendum paulo ante susceperat, eumdemque catholicum, qui instructionem coram populo legendam ab Hilario poposcerat, indicant ea verba, quæ sub hujusce epistolæ finem occurrunt : « Veniam ante omnes (*fortasse* omnia) a tui populi sincerissima sanctitate orans, ut tua Sanctitas, cui peritior via a Deo, et sanctior comprobata est, in omnibus, in quibus mediocritas mea vel prætermisit, vel inventa melius explanare non potuit, correcta reformare, et supplere dignetur : aut si probaveris, ut est a nobis opusculum cœptum, te petente, et Deo adjuvante perfectum, non habere quod desit, in orationibus tam tuis sanctis, quam omnium fratrum memoriam mei habeas. » Atque ea sane verba : « cui peritior via a Deo, et sanctior comprobata est, » probum innuunt; doctum quoque, aut certe in dicendo, scribendoque aliquoties exercitatum, qui vel sibi minus fidens, vel ad conciliandam fidei suæ, sibique ipsi auctoritatem, vel etiam ut cumulatissimam haberet, quam populo suo traderet, instructionem, eam ab Hilario poposcerat epistolam, in qua et fidei dogmata summatim proponerentur, et dirigerentur ad pietatem mores. Quod quidem mirum non est; in magna enim apud omnes æstimatione erat Hilarius (*a*), quem eximia probitas, miracula edita, doctrina non vulgaris, exsilium quod pertulerat, laboresque, quos pro catholica fide toleraverat, et mira adversus catholicæ Ecclesiæ hostes constantia summopere commendabant. Aliunde etiam novimus celebriores Antistites ab episcopis nuper electis exoratos litteras ad eos misisse, quibus populi instruerentur : cujus quidem rei exemplum tibi præbet epistola ea, quam Ambrosius Mediolanensis episcopus Vigilio episcopo nuper electo dedit (*b*) : in qua complectitur ea fere omnia, quæ aut perquirere, aut effugere episcopus debet. Nobiliorum porro episcoporum litteras in sacris fidelium conventibus fuisse perlectas cum alia multa testentur, tum id sane liquido ostendit, quod Cyprianus Cornelio papæ scribens his verbis docet (*c*) : « Et quamquam sciam, frater carissime, pro mutua dilectione quam debemus, et exhibemus invicem nobis, florentissimo illic clero tecum præsidenti, et sanctissimæ atque amplissimæ plebi legere A te semper litteras nostras; tamen nunc et admoneo, et peto, ut quod alias sponte, atque humanissime facis, etiam petente me facias, ut hac epistola mea lecta, si quod illic contagium venenati sermonis, et pestiferæ seminationis irrepserat, de fratrum auribus, et pectoribus exuatur, et bonorum integra, ac sincera dilectio ab omnibus hæreticæ detrectationis sordibus repurgetur. »

2. Atque hæc quidem epistola propterea majori in pretio habenda est, quod et perraræ inveniuntur in ipsis veterum libris hujus generis litteræ (*d*), et eæ ipse quæ habentur, incitamenta quidem ad pietatem, virtutemque habent, at mysteria fidei, et dogmata aut prorsus prætereunt, aut brevissime attingunt. Contra hæc utrumque complectitur, fideique mysteB ria diligenter explicat : ad virtutes quoque assequendas luculenter hortatur, et incitat.

3. Quod porro absit a Codice nostro nomen Episcopi ad quem eadem epistola missa est, facit, ut tempus ignoremus, quo ea conscripta sit ab Hilario : quod quidem tempus facile innotuisset, si nomen Episcopi illius haberemus; novimus quippe annum, quo præstantiores saltem per eam ætatem latini Episcopi (ad quorum aliquem epistola illa missa videtur) Ecclesiarum suarum regimen susceperint.

4. Extremis tamen, quibus Hilarius vixit annis, eamdem epistolam conscriptam arbitror. Etenim studium illud, ac diligentia, quam is impendit in illustrando, et luculenter exponendo catholico dogmate, quo Filii divinitas nobis credenda proponitur, eoque C vindicando a subdolis Arianorum, ac Semiarianorum explicationibus, eam ætatem innuit, quæ omnes Valentis, Ursacii, aliorumque his affinium machinationes, et malos dolos jam detexerat. Atque in hac quidem opinione confirmor, quum animum intendo ad eas locutiones, explicationesque, quæ ex libris *de Trinitate*, et ex Commentariis in Psalmos desumptæ videntur : conjicere quippe ex ea re commode possumus, conscriptis jam evulgatisque iis, quos diximus, libris, epistolam hanc fuisse ab Hilario compositam. Atque hanc suspicionem meam comprobant verba illa sub epistolæ finem posita : *Et sciant æmuli fidei meæ præstitam rationem, et convenire cum Ecclesia recognoscant :* etenim satis indicant dissidium antea exortum Hilarium inter, et Luciferum Calaritanum, vocatamque ab eo in dubium Hilarii pietatem, D ac religionem, adeo ut coactus sit Hilarius explicationem librorum suorum texere, illiusque præsertim, qui *de Synodis*, seu *de fide Orientalium* inscri-

(*a*) Quanta apud veteres in æstimatione fuerit Hilarius, facile discimus ex iis laudibus, quibus ab iis ornatus est. Consule obsecro quæ hoc de argumento exhibet postrema editio (*illa scilicet quam recudimus*) operum S. Hilarii, initio *præfationis generalis :* et rursus *selecta veterum testimonia de S. Hilario*, quæ clarissimus editor ex congregatione S. Mauri edidit (*V. tom.* I *Hil. Op., col.* 203, *nost. edit.*).

(*b*) In editione PP. Benedictinorum XIX ea est : *Poposcisti a me institutionis tuæ insignia*, etc.

(*c*) In editione Baluzii epist. LV, pag. 186, edit. Venet.

(*d*) Inter Ambrosii epistolas, duas tantummodo invenies, quæ ad hoc genus spectent : nempe secundam ad Constantium, et eam, quam nuper allegavi, ad Vigilium : nullam vero inter Hieronymi, nullam inter Augustini epistolas. Ea porro, quæ ab Ambrosio ad Constantium directa est, piis quidem instructionibus referta est, at paucissima de Ecclesiæ firmitate, et Scriptura habet : de reliquis vero fidei nostræ dogmatis mentionem vix facit. Ea vero, quæ Vigilio data est, morum instructionem tantummodo respicit, dogmata vero et mysteria fidei ne attingit quidem.

bitur. Vide obsecro opusculum, de quo loquimur, A quodque *Apologetica ad reprehensores libri de Synodis responsa* inscripsere PP. S. Mauri (*pag.* 521 *tom.* II *editio. Veron.*).

5. His positis, manifesto vides, quam excellens sit epistola, quam evulgamus, quippe quæ plurima, eaque valde præstantia continet documenta ab eo conscripta, qui *Magister Ecclesiarum* (*Vide Cass. lib.* VII *de Incarn. cap.* 24) propterea a veteribus appellatus esse videtur, quod non modo exemplo, multorumque librorum scriptione Arianis obstiterit, verum etiam quia Episcopos ipsos, ideoque populos eis subjectos epistolis suis instruxerit ; eaque ratione *per profectus aliorum creverit* (*a*). At satis prælocuti jam sumus. Ecce itaque Epistolam ipsam.

SANCTI HILARII
EPISTOLA SEU LIBELLUS.

(Numeri annotationes ad calcem epistolæ subjectas indicant.)

I. David 1 gloriosus 2 in Psalmo (*Ps.* XVIII, 5) sic B dicit 3 : *In universam terram exivit sonus eorum, et ad terminos orbis terræ verba eorum.* Ex hoc igitur intelligi datur, sono ante præparato, id est Fidei principiis, posse ad intima et perfectiora fidei perveniri, ne rudimentis vacillantibus dicatur nobis Domini voce increpantis (*Luc.* XVI, 10) : *Si in modico fideles non fuistis, quod majus est quis dabit vobis?* Sed quia video certam esse formam, quam egredi non licet, differentiæ inter Judæos, et Græcos, id est Gentiles 4; prius differentiam edisseramus (*Codex ms. habet :* disseramus) : Judæis enim nihil aliud ad veritatem fidei credendum existimo, nisi Jesum Christum filium Dei : per ipsum salvari et genus Israel, et Gentes etiam baptizari in nomine ejus 5 : reliqua enim sciunt per legem et Prophetas. At vero gentiles, quibus verus, et major est labor 6, tali admittendi, et docendi sunt ordine 7. Et primo quidem ut ab Idolis, et ab omnibus voluptatibus hominum totis præcordiis recedant : ut amputatis et evulsis radicitus malis, bona possint et religiosa pectoribus seminari 8 : hoc est, unum Deum credere ; ipsum timere 9. Deinde scire, quod cuncta ipse fabricaverit : et universa mundi vel quæ facta sunt vel ipso jubente, et volente, et faciente constiterint 10. Esse corpus Scripturæ : quod autem lex vocetur atque Prophetæ 11 quid hoc indiget 12 : quod quidem per homines scriptum sit, non ab hominibus 13? Spiritus enim Dei, qui omnia scit 14, inspirabat homines sanctos qui loquerentur 15, aut qui destruerent pravitatem, aut qui ædificarent fidem, aut spem erigerent, aut judicium comminarentur, aut promissa servarent 16. Deinde credendum illis, Jesum Christum filium Dei 17, per quem cuncta Deus fecerit, et sine quo nihil est factum 18, per quem in principio Sermonem 19, id est rationem 20 universitatis accepimus, apud Deum fuisse. Sic enim gloriosus Evangelista Joannes initiat 21 dicens (*Jo.* I) : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt ; et sine ipso factum est nihil* 22. Deinde esse Spiritum Sanctum, 23 qui cuncta, quæ Deus per Sermonem fecerit, animaverit, et confirmaverit 24. Unum esse baptismum 25 quo homines regenerantur in Deo 26. Credendum etiam resurrectionem mortuorum in eadem carne 27. Judicium futurum Dei, quo secundum facta hominis vel malis pœnæ rependantur (*Codex ms. habet* repnentur), vel bonorum operum destinata præmia tribuantur 28. Tanta est differentia Judæorum convertentium, et gentilium credentium 29 : Quid sit 30 Deus, aut qualis, et quantus ; quis esset, et qualis filius Dei, et quis Spiritus Sanctus : Tres enim unum sunt.

II. Sane illud scire convenit prudentiæ vestræ nos de Deo hæc (*Codex ms. habet* hoc) loqui et posse, et scire, quæ aut ipse de se apud homines voluit C sciri, aut ea ad quæ homini, permissu ejus, licuit accedere. Non illum in terris quærat homo, aut inter figmenta componat, ne cui similem credat 31 : Deum enim vera fides ita semper exposuit : Non natum, non factum 32, incomprehensibilem 33, inextimabilem 34, invisibilem 35, et impassibilem 36 : Et ideo solum verum Deum 37, qui quædam generaverit 38, quædam fecerit, disposuerit, ordinaverit 39, exornaverit 40. Optimum, justum mandare Judicem 41. Et ideo inexcusatus est omnis homo, qui factorem suum non agnoverit 42 in tempore agnitionis 43, habiturus post exitum Judicem justum : qui non suo tempore converti se putaverit : sed ex præterito 44. Hæc fas est de Deo credere 45. Hæc qui crediderit, D abstinet se ab omni injustitia 46. Bona et justa operatus æternam requiem habebit in vita 47.

III. Habentem 48 Filium : non statim ut homines procreati sunt, ita dicere me æstimes generatum 49; sed ut decet de Deo credere, et Deum filium habere ex se quidem natum 50 non divisa ejus substantia, nec majestatis ejus divisa substantia ; ac per hoc passibilis videatur 51. Nec de ore sermonem nostri similem esse prolatum : ut litteris et Syllabis constet : nec filius Dei compositus, ac per hoc dissolubilis teneatur 52. Nec ex nihilo, sicut reliqua facta sunt, ne

(*a*) « Hilarius vir virtutum omnium, atque ornamentorum ; et sicut vita, ita eloquentia insignis ; qui et magister Ecclesiarum, et sacerdos, non per sua tantum merita, sed etiam per profectus crevit aliorum ; et inter procellas persecutionum ita immobilis perstitit, ut per invictæ fidei fortitudinem etiam Confessoris ceperit dignitatem. » Cassian. lib VII *de Incarn.* cap. 24.

similis et æqualis et cæteris, qui facti sunt 53, jungeretur : sed sicuti ipse scit qui generans, et ipse qui generatus est : ipso Domino in evangelio dicente : *Nemo novit Patrem nisi Filius : neque Filium quis novit nisi Pater* (*Matth.* XI, 27). Item in Scripturis legimus : *Mysterium meum mihi : mysterium meum mihi* (*Isa.* XXIV, 16) 54. Et re vera absconditum esse decet de generatione illa, in qua nullus interfuit : nec momentum quidem temporis 55. Ante sæcula enim, et antequam suspicari quis auderet, natus est filius Dei sine temporibus 56 : quod græca lingua *Achronos* dicunt 57; semper enim filius, quia semper pater 58 : nefas est enim Deo aliquid assignare postmodum, quod ante non habuerit : cum Deus semper perfectus sit 59. Ut etiam quod propter nos postmodum fuerit fabricatum 60, apud illum jam fuerit et si non in substantia, plena dispositione 61 : Non minus enim erat impotens simul omnia facere 62, sed ut ordinata et gradatim disposita universa pro suo gradu et honore obsequerentur; et ne passiva et nulla inter se antiquiora inhonorifica permanerent 63. Nam si quæ nostri causa a Filio Dei nativitas suscepta est, incomprehensibilis est, non nudata mortalibus; quanto magis 64 illa, quæ nulli nisi Deo Patri et sibi soli est cognita ? Nam Gabriel angelus ad Mariam ita loquitur sicuti Evangelista testatur : *Spiritus Domini superveniet in te : et virtus Altissimi obumbrabit tibi* (*Luc.* I, 35) Quod obumbratur, absconditur : nec omnibus notum est. Ergo si hæc nativitas, quæ nostri est causa deposita (*Legendum videtur :* disposita), nobis incognita est : quanto magis illa quæ a nobis longe remota est 65 ? Et quid dico a nobis, et non ab omni cœlesti creatura 66 ? Sufficit ergo hoc, quod vidimus, quod divinitas nosse nos voluit. Nec ultra cognitio porrigenda est, ne sacrilegus unusquisque teneatur, quisquis concessos (*Codex ms. habet* concussus) terminos fuerit cognitionis egressus 67.

IV. Christum igitur accepimus 68 Dei Filium initio 69 Sapientiam (I *Cor.* I, 24, *Dei virtutem, et Dei sapientiam*) veram 70; Sermonem, id est rationem 71, spiritum (*Joan.* IV, 24, *Spiritus est Deus*, etc.), viam (*Joan.* XIV, 6), lucem (*Joan.* I, 9, *et rursus* III, 19), brachium (*Is.* LIII, 1, *et Joan.* XII, 38, *Et brachium Domini*(*a*) *cui revelatum est ?*) fortitudinem,(*b*) virtutem (I *Cor.* I, 24), veritatem(*Joan.* XIV, 6), panem(*Joan.* VI, 35, 48), vinum (*Matth.* IX, 17, *et Joan.* XV, 1, *etc.*, *Ego sum vitis vera*), Vitam (*Joan.* I, 4, *et* XIV, 6, *et alibi sæpe*), Ostium (*Joan.* X, 1, 2, 7, 9), pastorem (*Ibid.*, 11, *etc.*) , et alia plurima 72 , quæ propter homines sunt 73 : et omnes in illo vivunt 74 : quæ unusquisque processu temporis Scriptura edocente perdiscet 75. Si igitur Dei Filium cognitum confitemur : per ipsum Deum Patrem scimus et sæcula visibilia, et invisibilia condidisse : Non enim fas est ex

(*a*) Quod plurimi ad Christum referunt. Vide Calmet in locum hunc.

(*b*) Vide Calmet in superiorem locum.

A turæ suæ idem nativitatis initium sumpsit, aut cessasse et desiisse credendum est post mundi fabricam : cum Dominus loquatur et dicat : « Pater meus usque nunc operatur (*Joan.* V, 17) 76. Otium illi vel antea, vel postmodum requiem illi assignat quisquis illum infatigabilem nescit : et ignorat quod nihil illi semper acciderit, sed semper sit 77 : quod græca lingua ἀναστιτεν vocat : et in omnibus semper sit spiritus perfectus 78.

V. Esse igitur plurima quæ per Filium fecerit 79 : quorum aut sola nobis nota sunt nomina, aut nec ipsa sunt cognita. Quanti enim sunt throni ? quantæ potestates ? quantæ dominationes ? quanti principatus ? quanti spiritus ? quanti Angeli ? quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscen-
B dit 80 ? Quantam etiam claritatem putamus esse in invisibilibus, nec extimare possumus, cum in his quæ nobiscum sunt, admiranda sint omnia 81. Inter omnia enim etiam mundus, quem conspicimus, per Filium fabricatus est 82. Et quidem lucem, qua cætera fierent perspicua, esse jussit, et fecit : cui *diem* nomen imposuit (*Gen.* I, 3, 4). Tenebris *noctis* addidit nomen (*Gen.* I, 5). Deinde *firmamentum*, quod inter aquas depulsaret, ostendit : quod *Cœlum* voluit nuncupari (*Gen.* I, 6, 7) : neve terrena 83 visu cœlestibus miscerentur : sed esset quod inter humana et divina discerneret. Jam enim ex nihilo materias ipsas, ex quibus omnia fierent elementa, condiderat. Post hæc aquas in unum congregari et convenire præcepit : ut *Arida* monstraretur (*Gen.* I, 9). Nec
C quæque sunt privata nominibus. Nam congregatas aquas vocavit *mare* (*Gen.* I, 10), separatam aridam *terræ* vocabulum voluit possidere (*Gen.* I, 10). Sed hæc minus instructa videbantur. Benignam itaque fœcunditatem his addidit, et decorem (*Gen.* I. 11 *seq.*). Et miro modo illam primo generare præcipiens, quæ novissime fuerat fabricata 84, Non ordinem turbans, aut ignarus facturæ suæ : sed voluit postremum habere primum aliquid, ne in omnibus jaceret extrema 85, et primis secunda conjunxit, ne prima inferiora contemnerent 86. Sic Dei filius Deus artifex Patre jubente moderatus est 87, ut ordinem mutando, dispositionem melius ordinaret. Namque terras omnia pabula, lignaque cum suis seminibus redivivis impe-
D ravit educere (*Gen.* I, 11, 12), cœlumque luminaribus, id est Sole, et Luna, et Stellis ornavit (*Gen.* I, 14), quibus aut diei, aut noctis fines ostenderet, aut signis rusticos, aut nauticos erudiret (*Ib. et vers.* 16). Maria quæque inclusa in terræ limitibus (*Job.* XXXVIII, 8, *etc.*) sua animalia procreare mandavit (*Gen.* I, 20, 21) : anima videlicet ipsas materias animaverat, ut nascentibus postmodum animantibus animas commodarent 88. Sed quo fœcundiorem faceret (*Codex ms. habet* fecerat) terram (*Gen.* I, 24, 25), post pabula, post ligna fructifera, post universa semina, quadrupedum genus, ferarum, et serpentium viva omnia et animata jussit ejicere (*Ibid.*) 89. Nec mora in his omnibus : 90 quippe quum Deus Pater jusserat, Filius virtus ipsa sine procrastinatione imperium capes-

sebat : nam cum jussione et opus adstabat 91. Sed quoniam multum intererat subfœcundare terrena 92, et post divina, humana deerant; hominem fecit, qui non totus esset e cœlo, nec tamen de terra totus 93 iterum nasceretur 94 : quippe corpus ex omni limo terræ formavit (*Gen.* II, 7) 95, spiritum concessurus e cœlo (*Ibidem*) 96 : et cum omnia jussione Patris Sermone obsequente formata sint 97, in hominis fictione etiam ipse Pater fabricator accessit 98, ut ad immortalitatem non præscriberet terra, si immortales manus constituerent hominem 99. Concessit etiam ut homo Dei imaginem portaret in terris 100, daturus postmodum similitudinem, si imago servaretur illæsa 101. Ad imaginem non putes esse formam hanc hominis exteriorem factam. Absit. Quis enim credat Deum, ad cujus imaginem factus est homo, habere aliquam partem, quæ non audiat, quæ non videat, quæ non omnia operetur? Hominis enim exterior forma non undique videt, non undique audit, non undique potens est. Deus autem totus lux, totus oculus, totus auris, totus manus est potentissima 102. Ergo mentiuntur Scripturæ? Absit. Sed esse in homine quiddam interius, quod *Homo* quidem et ipse vocetur, Apostolus Paulus nos instruit dicens : *Et si exterior noster Homo corrumpitur, sed interior quotidie renovatur* (II *Cor.* IV, 16) 103. Hic est ad imaginem Dei factus : quem νοῦν (id est mentem) vocamus : qui Deo possit similis esse tunc, quando impassibilis 104 : dum inconcussus, dum beatus et sanctus, et sine fine (sine fine, usque in finem, *aut, si vis*, sine infidelitate, *vel* in fide) fuerit comprobatus 105. Liberumque arbitrium, et capacem animum dedit non sine lege vivendi 106, ne magnus et solutus a lege, animantibus omnibus æquaretur : addita comminatione post legem, ut, si servaret legem, in æternitatem veniret; si non servasset, mortem sibi pareret, amitteret et salutem (*Gen.* II, 16) 107. Est autem hominis facti nomen *Adam* (*Gen.* II, 19).

VI. Sed quia in omnibus animalibus ad procreationem sexus uterque processerat (*Gen.* I, 22 *et seq.*) : homini quoque provisum est, ut et ipsi propter generationem mulier pararetur (*Gen.* I, 27; II, 20, 21, *et seq.*) : et facta est, sicut Scriptura testatur : quæque *Heva* (*Gen.* III, 20) nomen accepit 108 : quam æquæ legis præscriptio nec a mercede, nec a supplicio separabat 109. Sed postquam universa Deus per Sermonem suum (id est Filium) perfecta atque exornata vidisset; omnia quæ cum homine erant, ipsius tradidit potestati (*Gen.* I, 28). Cui cum omnia tradita videret Lucifer, homini miserandus invidit (*Gen.* III, 1, *etc.*). (Nam est et ipsis non peccare liberum, et licitum, si jussa servaverint, in beatitudine permanere). Dei legem et jussa per mulierem transgredi persuasit (*Gen.* III, 1, *et seq.*) : ut reus homo mandatorum fieret Dei, et in sententiam caderet (*Gen.* II, 17) 110. Ejectus est igitur in hunc mundum (*Genes.* III, 17 *et seq.*) : nam in Paradiso, dum sine peccato fuisset, habitabat (*Gen.* III, 23) 111. Sed quia post transgressionem homines generaverat, universum hominum genus secum ad mortem usque perduxit 112. Non defuturus tamen bonus, vel justus : quoniam quidem liberum erat et postmodum natis non delinquere, et Deus non cessabat quotidie commonere 113. Tunc divina bonitas, et paterna pietas larga multipliciter providebat : et primo quidem per Justos Patriarchas : deinde per Moysen, et Prophetas 114. Sed omnes hi in Adam moriebantur 115. In novissimis temporibus, ne in totum Diabolus triumpharet (nam hoc illi nomen est, postquam homini invidit) 116, et ne homo post tempora damnationis impleta contra misericordiam Dei diu teneretur in pœna; salutem, quam sola miseratione merebatur, accepit 117. Deus namque pater omnipotens Filium suum Jesum Christum Deum ac Dominum nostrum misit, per quem cuncta condiderat : ne hoc quidem sine illo fieri passus 118. Nec tamen quisquam idoneus erat, qui hominem patienter tolerare (*Fortasse legendum est* tollere, *de potestate scilicet dæmonis*) posset, aut nosset, aut potestates hujus mundi et harum tenebrarum quisquam poterat superare, aut mortem vincere, inferna reserare, virtutem, et potestatem peccati eradicare penitus, et delere, nisi Filius Dei, qui in factura hominis particeps cum Patre fuerat, qui et se posset in homine celare, et hominem cum Deo mixtum virtutes perficere, et exhibere 119 : per hunc deletis nostris chirographis peccatorum (*Coloss.* II, 14) ad Deum Patrem pacati, et Dei filii facti (I *Joan.* III, 1) possemus accedere 120. Mittitur igitur Dei filius, et hominem latenter intravit (*Luc.* I) : Non quo metueret quemquam qui erat omnium dominus; sed ne Diabolus ad hominem, qui Deo mixtus erat, timeret accedere : et minus prostratus Diabolus ab homine videretur, si sine accessu, et certamine vinceretur 121. Ex Virgine igitur *Spiritu Domini superveniente, et virtute Altissimi obumbrante* (*Luc.* I, 35), secundum hominem Christi Nativitas celebrata est, et omnes transegit ætates, ut omnes fere discerent Deum 122 : hæc omnia esse in lege et Prophetis ante prædicta, ut res mira omnibus, incredula non fieret subitatione : et præteriti, quibus hoc inspicere oculis non contigit, si sperarent sine dubio in adventu ejus, qui prædicabatur, a contagio possent æternæ mortis evadere 123. Sic igitur in terris visus est Deus tantus ac talis filius Dei, quantum vel qualem illum humanitas posset aspicere. Nam qui in monte majestatis, et bonitatis suæ speciem tribuens exhibuit Apostolis, cum facies ejus splendificaret (*Matth.* XVII, 1; *Luc.* IX, 29; II *Petri* I, 17), ut virtus solis processisse videretur, vestem autem ita gestaret, ut nive candidior videretur; et tamen jam eruditi, jam docti, jam sancti claritatem non potuerunt Jesu sustinere discipuli, ejus scilicet qui universorum hominum vitia ac peccata adhuc curanda susceperat (*Joan.* I, 29). Quid si Deus tantus venisset, ut claritatem, et potestatem hominibus ostenderet? Forsitan omnis creatura invalida et casura succumberet. Sed salvare venerat filius Dei 124. Ita homo parto corpore, Deus in potestate (*Joan*,

1, 1, *etc.*) docebat ut magister (*Joan.* XIII, 13), persuadebat ut frater (*Matth.* XXVIII, 10), efficiebat ut Deus (*Joan.* XIII, 13), eligebat ut præscius (*Joan.* VI, 71; XIII, 18; XV, 16), curabat ut medicus (*Matth.* VIII, 16; IX, 35; XI, 8, *etc.*), ut humanus compatiebatur (*Hebræ.* IV, 15) 125. Et jam peractis omnibus et completis, quæ aut lex, aut Prophetæ prædixerant, aut salus hominis exigebat (*Joan.* XIX, 28, 29 *et* 30); in novissimo per mortem hominis immortalis moriebatur (*Ibid.*, *v.* 30), 126, ut sublata mortalitate, hominibus immortalitatem donaret. Suspensus igitur ligno (*Matth.* XXVII, 35), populo Judaico proclamante (*Matth.* XXVII, 23), apud quos tanta magnalia perfecerat, ut in eo omnis invidia Diaboli vinceretur (*Regnavit a ligno Deus*), in quo invidus hominem fefellerat, ad mortem voluntate properabat (*Joan.* III, 14, *etc.*; VIII, 28, *etc.*, XII, 31, 32, 33, 34, *etc.*), futurus scilicet mortis mors; namque reseratis inferis, et spretis conculcatisque omnibus his, quæ in perniciem hominis et salutem apud inferos tunc valebant, omnes Justos et sperantes in se illuminavit, et ad superos revocavit : ostendens Diabolo et potestatibus hujus mundi et harum tenebrarum, nequitiam eorum non valuisse : ipsos manere in pœnis, liberato, cui invidebant, homine (*Codex habet* homini) 127. Triumphans igitur homo cum Deo, jam devicta morte, non mortalis jam ad superos evadebat 128. Sic igitur Christus Jesus Dominus noster patiebatur, ut surgeret; surgebat, quia jam fuerat passus. Hoc scilicet docens, quia cum Deo quisquis se conjunxerit, mori videri potest, non potest interire 129. Parum tamen videbatur ad supplicium inimicorum factum, si extincto inimico vitam homini dedisset, et non adderet claritatem. Et ut Diabolo, et angelis ejus pœna major accederet, cum triumpho hominem, qui carnem habebat jam non morituram, in cœlum angelis et potestatibus sanctis monstraturus invexit (*Act.* I, 9; *Ps.* XLVI, 6), Deo Patri liberatum hominem offerens munus 130. Mox pro se vicarium dimisit Spiritum Sanctum (*Act.* II, 1, *etc.*), quem discipulis proximus passioni promiserat (*Joan.* XIV, 16 *et* 17), ut hominibus credentibus et auxilio esset, et sanctificationi 131. Hic ordo est credulitatis nostræ de Christo 132.

VII. Sed quia jam mentionem fecimus Spiritus Sancti, dicemus credendum esse in Spiritum Sanctum, per quem universa, quæ postmodum fierent, et inspiraret, et sanctificaret, suæ substantiæ (*fortasse addendum* communicatione)..... 133. Tamen.... *tres unum sunt, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus* 134. Deinde credendum, unum esse baptismum, quo homines purificati, et Dei filii facti in fide consignentur; quo universa vel nativitatis, vel erroris veteris hominis delicta purgarentur : *In quo non corporis deponuntur sordes : sed conscientiæ puræ interrogatio est bona in Deum de resurrectione Jesu Christi* (I *Petri* III, 21) 135.

VIII. Post hæc ordo exigit credere resurrectionem mortuorum in eadem carne 136. Constat enim, nec fas est aliud dicere, quod et sapiens et præscius sit A Deus, meliusque elegerit ut sapiens et præscius, factum hominem æternum esse, quam non esse. Quod si melius putes non esse, in compendio habuerat, antequam fecisset 137. Quod autem æternus sit homo, qui fit ex corpore et anima, Scripturæ plurimis locis docent nos : sed pauca ad exemplum ponam. Salomon clamat dicens (*Sap.* II, 2) : *Deus condidit hominem ad immortalitatem* 138. Nec immerito in Genesi prohibetur post peccatum homo ad arborem vitæ accedere, ne viveret in æternum (*Gen.* III, 22) utique ut immortalis perseveraret 139. Quis? nisi homo qui immortalis a Deo factus fuerat, et immortalitatem corpus non capiebat 140. Sed credo hoc movere lectorem, quod homo a vitæ ligno prohibebatur a Deo, ignorans et in hoc homini esse provisum : jam B enim erat in transgressione. Ante ergo hanc mortem, quæ a Deo pro remedio hominibus attributa est, et qua per separationem corporis et animæ fit finis et evulsio peccati, si ad arborem vitæ accessisset; quia necesse fuerat communicatione vitæ fieri æternum, in immortali homine necesse erat perpetuum permanere peccatum 141. Ergo et hoc consulte (*fortasse* consulto), et utiliter homini provisum est, ut amputato interventu temporariæ dissolutionis vera factura Dei, excluso malo excitetur in vitam 142. Ergo semper homo 143. Sed cur morimur in hoc mundo? Superius comprehensa est ratio : non interire hominem, sed separari 144 : Nec assumere materias hominem, ex quibus corpus est fabricatum : sed ad resurrectionis diem judicium reservari 145. Fas enim non est, C ut aliquid desit Deo judicanti, cum certum sit Dei judicium post finem hujus ævi destinatum 146. Nam hoc quoque insinuandum est : et expingi necesse est totum hominem : quoniam omnes aut in virtute invenientur esse, aut in crimine. Et hoc competit, ut remunerentur qui bene gesserunt secundum voluntatem ejus, et mali æternis suppliciis destinentur. Unde nos appetamus præcepta legitima, et vitemus adversa, ut obsequentes præmia consequamur 147.

IX. Nunc ergo 148 de persona tractemus. In persona duo sunt obtinenda : Pauper et Dives. Et divitibus quidem hujus sæculi præcipiendum est (I *Timot.* VI, 17) : *Non altum sapere : nec sperare in incerto divitiarum suarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis abundanter omnia ad fructum boni operis : divites esse, sed in bonis factis communicatores esse : thesaurizare sibi bonum in futurum : ut apprehendant, quam bona est vita.* Deinde scire debent non ideo acceptas esse, et habendas divitias, ut his solis beatitudinem se habere confidant, ut male utantur illis. Et ne despiciant pauperes, neve ministerium malitiæ, aut instrumentum divitias libidinis computent, aut propter se sibi traditas, aut se nunquam illas amissuros existiment. Postremo sciant, se dispensatores gratiæ Dei constitutos a Deo; ut et in distributione voluntas recta eorum, vel prava noscatur 149 : ut sciant magis sibi accessisse per abundantiam, nisi sapientes fuerint, tentamenta potiora. Discant erogare divitias. Sed ad comparationem immortalitatis

distribuant facultates, ut sint similes Deo 150 : Misericordes : non profusi ac perditores rei dominicæ judicentur. Et fidenter quidem hæc agant, et cum hilaritate. Ait enim Paulus Apostolus (II *Corint.* IX, 7) : *Hilarem datorem diligit Deus.* Non existiment finiri posse, quod in usus pauperum contemplatione præceptorum Dei 151 dependitur 152. Cum et ab ipso acceptæ sint, et necessariæ : et eas utiliter ministrare, et augere confuerit. Unde enim temporalia deesse possunt, cum propter ipsa, si bene erogentur æterna promissa sint, et parata? Veritas loquitur, qui est Christus, dicens (*Matth.* XIX, 29; *Marci* X, 29) : *Qui dimiserit propter me domum, aut villam, aut parentes, aut reliqua : centuplum accipiet in isto sæculo ; in futuro autem vitam æternam.* Et si hoc quidam tempori persecutionis adscribunt, ego tamen sic audio Dominum nostrum monentem, quod propter se quolibet tempore ad quodcumque opus sanctum fuerit præceptum ejus impletum, non defuturum præmium destinatum. Non simus solliciti. Curam gerit pro nobis Deus. Clamat Propheta dicens (*Prov.* XXII, 2, *et expressius Sap.* VI, 8) : *Et pauperem, et divitem ego feci. Et pro omnibus æqualis cura est mihi.* Curam gerit Deus : et quisquam metuit, ne minuatur patrimonium? Unde Deo jubente erogatur. Timeamus magis, ne, si trepidi, et steriles, et infideles fuerimus in bonis operibus, egeni atque inopes judicemur. Timeamus potius impleri tristitia, quia et de hujusmodi divitibus in Evangelio in unius licet persona, ad complexum tamen retulit dicens (*Matth.* XIX, 22) : *Abiit autem, cum audisset, contristatus : quia fuit habens possessiones multas.* Non timeat, *ne difficile ingrediatur regna cœlorum* (*Ibid.*, *v.* 23 *et* 24) 153. Sit imo humilis : sit largus, ut beatior ex hoc judicetur : si nec in isto sæculo, nec in futuro sentiat egestatem 154. Det pauperi, ut Deum fœneretur : Deum computet debitorem (*Proverb.* XIX, 17) 155. Sciat præpositam esse misericordiam sacrificiis 156. Gloriam consecuturus et requiem, si de his divitiis, in quibus alii et corrupti, et perditi judicantur; iste fructus justitiæ ac misericordiæ accipiat coronam. 157.

X. Pauper vero ita consolandus est, ut sciat in paupertate consideranda magis sibi bona. Et primo quidem quod a Deo sit illi utiliter provisum : præscium Deum infirmitatem ejus considerasse, et fir-masse, quod divitiarum sarcinam et sollicitudinem ferre non posset. Deinde sentiat, quantas tentationes, et quanta pericula transierit nomine paupertatis 158. Sed affluentia deest, quæ frequenter contraria est : ad animi tamen divitias quantocius sine impedimento in paupertate transitur. Certe qualibus malis caruit, consideret. Caret invidia, æmulatione, insidiis, dolo, superbia, contentione, et his quæ homini in sæculo divitiæ solent conflare; fluxu enim rerum, et ubertate copiarum animus solvitur, vigor mentis infringitur, virtus corporis enervatur. At in paupertate non lasciva convivia, non turpes potationes : omnia sobria, omnia rigida, omnia humilia : non abjecta, quoniam conscientia pura, et virtute sunt plena. Non est abundans extrancis facultatibus : est justus. Non facile ad divitias animi, id est virtutes hujus mundi, dives accedit. Qui dicit enim (*Matth.* XIX, 24), *difficilius divitem introire in regnum cœlorum*, utique intelligit pauperem facilius. Ne se ob paupertatem alienum esse a cura Dei existimet, Propheta testatur dicens (*Prov.* XXII, 2; *et expressius Sap.* VI, 8) : *Et pauperem, et divitem ego feci : et pro omnibus æqualis cura est mihi. Non est* (*Actor.* X, 34; I *Petr.* XVII) *enim Deus personarum acceptor* 159. Nec pro illo se curam gerere 160 profitetur tantum, qui sæculi divitiis pollet, sed pro omnibus, et pro pauperibus curam sustinet : remuneraturus quem invenit aut in divitiis humilem, aut in paupertate patientem. Distributio veluti totius corporis humani, et ministerium quæritur singulorum. Consideret, hominis corpus *esse unum quidem corpus, sed plurima membra. Numquid omnia sunt oculus, aut pes, aut reliqua membra* (I *Cor.* XII, 14)? Sed, sicuti ait Paulus *doctor gentium in fide et veritate* (I *Timot.* II, 7) : *Quæ inferiora sunt membra, majorem his tribuimus honorem* (I *Cor.* XII, 23). Et quemadmodum virtus singulorum membrorum in suo ordine atque officio demonstratur, ita in totius generis humani corpore veluti membra Paupertas et Divitiæ collocantur; ut Pauperis patientia, et Divitis humanitas Dei examine comprobetur. Exsultare debet pauper, et Deo gratias agere : quia multis patrimonii nexibus liberatus est. In die probationis non gravatur compedibus facultatum; facilius liber sequitur discipulus Dominum nullis nexibus implicatus. Non desit etiam ab ipso, in quantum potest, misericordia justa in egenos (*Tob.* IV, 8), quia sicut dives liberalitate, ita pauper justus efficitur de frugalitate, si inferioribus, et non habentibus erogarit. Non vereatur, ne ipse deficiat, cum in usu sanctæ administrationis habeat promptissimam voluntatem : nihil deerit : per Prophetam Spiritus corroborat (*Prov.* X, 3) : *Non occidit Deus justi animam fame.* Et Dominus in Evangelio (*Matth.* VI, 33) : *Quærite primo regnum Dei, et hæc omnia apponentur vobis.* Non cupiat dives in hoc sæculo fieri, ne mala plurima sibi acquirat, dicente et monente glorioso Paulo (I *Timoth.* VI, 8) : *Habentes igitur victum, et vestitum : his contenti simus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et muscipulam, et desideria multa : quæ mergunt homines in perditionem* 161. Imo si vera fide, et propter salutem credere optavit, cœlestes sibi divitias cooptet, et comparet (*a*), quas unusquisque justitiæ, et misericordiæ, et reliquis bonis actibus comparat, et assumit. Temporalibus æterna sunt præponenda, caducis stabilia, sollicitis securiora, periculosis libera, inhonorificis clariora. Ilis mo-

(*a*) Fortasse respicit ad vers. 6 cap. XLIII Isai. : *Divitiæ salutis sapientia et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus.*

nitis et Dives temperetur, et Pauper sublevetur 162.

XI. Nunc jam de sexu loquamur. Sexus ille est masculus, et femina; id est vir, et mulier. Et vir quidem post ea, quæ supra comprehendimus, ad institutionem vitæ melioris etiam illud debet cum omnibus custodire, ut *Uxorem suam diligat, sicut Christus dilexit Ecclesiam* (*Ephes.* v, 25) : ut omnia gerere uno animo (*Codex ms. habet :* ut omni generi unianimo) concordes rite possint *Deum de omnibus deprecari, levantes manus puras sine ira et disceptatione* (I *Timoth.* II, 8) : sed omnia fiant ad ædificationem Deificam. Deinde conjunctionis vinculum pudica, et communi castitate gerere; et tunc convenire, quando vel generationis est contemplatio, aut orationis non revocat tempus (I *Cor.* VII, 5). Orationem autem illam computo, quæ omni sacramentorum ministerio, et communicatione celebratur 163. Cæterum est deprecatio, et adoratio, exomologesis, et interpellatio (I *Timoth.* II, 1), et votum, quæ omnia sua habent tempora 164. *Virum igitur decet intecto capite orare* (I *Corinth.* XI, 4 *et* 7) : non comatum (*Ibid.*, *v.* 14) : Incessum esse simplicem, non jactatum, aut fucatum; ut non solum verbo credidisse, sed et cæteris speciem vitæ suæ præstet. Viro enim omni competit sacerdotare Deo (I *Timoth.* II, 8). Et ita debet tam in catechismo (*Id est in instructione*), quam etiam in laica vita conversationem suam mundissimam exhibere, ut et si tempor : (*Ita legitur in ms. codice*) munere atque officio Sacerdotali non fungitur, vitæ tamen similitudine sacerdotio coæquetur. At vero mulier *discat obsequi viro suo* (*Ephes.* v, 22), *etiam illum dominum vocans* (I *Petr.* III, 6) : et quidem omnes viros revereatur; suo tamen serviat : *Quoniam omnis mulieris caput vir* (*Ephes.* v, 24). Sciat et hæc caste vivere cum viro suo (*Tit.* II, 5) : quod et ille modis omnibus faciat : ita ut nullam aliam, præter uxorem, noverit (I *Corint.* VII, 1, 5, *etc.*). Nosse enim debet tempora conventionis, et abstinere a conjunctione, cum tempus est orationis 165, vel cum mulier patitur, vel cum post partum intra tempora purgationis se esse cognoverit. Non enim ad impudicitiam matrimonium copulavit Deus, sed ut generationi præberet obsequium. Discat filios educare pie (I *Timot.* v, 10 : *Si filios educavit*), verecundam esse, non litigiosam, non vinolentam (*Tit.* I, 7; *Coloss.* III, 18; *Ephes.* v, 22; I *Petr.* III, 1), non superbam viro (*Gen.* III, 16; *et Tit.* II, 3, 4, 5 : *Subditas viris ; et* I *Timot.* II, 12, *neque dominari in virum*), tametsi patrimonio major videatur 166 : sed et incessu pudicam, non fucata forma procedere (I *Timot.* II, 9 *et* 10; I *Petr.* III, 3) : aut circumdatam auro, aut veste preciosa : non studere capillorum incrispationibus. Sed ut decet fœminas Christianas promittentes castitatem non tantum verbis, sed per bonam conversationem (I *Pet.* II, 12; III, 1, 2) Sciat se tacere debere in Ecclesia; loqui enim illis non est congruum (I *Timot.* II, 11 *et* 12; *et* I *Corinth.* XIV, 34). Debere obsequi non tantum majoribus natu, et sacerdotibus, verum etiam omnibus fratribus (I *Petri* II, 13) 167. Neque se ulli præponere viro contemplatione sexus (I *Petri* III, 7) 168 : quoniam et cum omnia legitime perfecerit, in virum consummabitur perfectum (*Ephes.* IV, 13). Imo appetat virtutem consecuturam gloriam, sexus infirmitate non retardata, sanctitate et virtute animi, et omni continentia et passione devota viris justissimis coæquetur.

XII. Jam ætatum sermo habeatur in manibus 169. Et primo quidem arbitror infantiam differendam in doctrina, quia vel qualitate temporis, vel ætatis, verbum doctoris non potest substinere 170. Et quibus omnibus ætatis defectu in malitiam, et innocentiam naturalem dari præcepta non possunt, in horum admonitionem parentes sunt constringendi : quamquam accedente ætate Ecclesia non decrit, nec cessabit admonendo. Pueris autem illud insinuandum primo, ut nullo audiendi desint tempore, quia nec semel possunt omnia perdoceri. Deinde ut innocentiam simplicitati conjungant, ne pueritiam in malitiæ perseveratione continuent. Custodiendum, et observandum, ne in cæteris ætatibus corrumpantur 171. Naturali bonitati fidei quoque bonum, et deificum munus adjungant, ut semper boni, semper sancti, semper innocentes, semper Dei opus, et non naturæ, traditione credulitatis perseverent. Considerandum illis 172, ut casti vel pudici permaneant, frequentius ad Ecclesiam venire debere, quia frequentius sunt confirmandi 173, frequentius commonendi, quibus adhuc propter ætatem minus stabilem pugna diaboli futura sit gravior 174. Observanda illis omnia cum timore, et ante omnia cavendum a fornicatione, quæ initium idolatriæ habet : et necesse est utrumque noverit, qui secutus fuerit alterum 175. Ergo quomodo credere intelligitur et desiisse a gentibus, si ea quæ gentiles designant, recolit? Sane obsequentes sint non solum parentibus (*Coloss.* III, 20), sed et omnibus ætate majoribus (I *Petri* V, 5), si tamen eorum monita, et oratio nihil legitimi afferet impedimenti. Deum se computent habere Patrem (*Matth.* VI, 9) : illius sperare debent hæreditatem (*Ibid. et vers.* 10; *Actor.*, XX, 32; *Rom.* VIII, 17; *Coloss.* III, 24), quæ non in temporalibus constat, sed in æternis. Quin etiam si Deus illis utile esse præviderit, etiam temporalia præstabit; maxime cum viderit unumquemque æterna sectari : Filio ejus, Domino nostro, dicente (*Matth.*, VI, 33) : *Primum quærite regnum Dei, et hæc omnia apponentur vobis.* Unde nulli dubium fore, his copiam necessariarum rerum in terris non defuturam, quibus cœlestia præparantur (*Ibid. et vers.* 34). Ergo quia a Deo hæc speranda sunt, nulli obsequendum : imo omnibus obsequendum, quia Deus vult : non quia ab ipso temporarie sperari debeat aliquid præmii : sed quia Dei etiam in his legitima complere contendimus (I *Petri* II, 13). Postremo gratulandum his, in primo exordio liberi arbitrii si ad Deum accesserint, omnem ætatem suam bono fidei comparantes : quod non consummata ætate in

errore, ut essent postmodum quod dolerent; sed quod adhuc pueri et innocentes, ad Dei non tantum veniam, quantum gratiam accessissent consequendam.

XIII. Juvenes vero hoc sunt admonendi modo, ut si uxores habent, doceantur caste vivere cum uxoribus suis. Alienam sciant sceleratum esse contingere (I *Corinth.* VII, 1). In hoc dabit experimentum et documentum, renuntiasse se vere vitæ præteritæ, si postquam crediderit, in melius vitæ sit reformatio. Tunc enim desinit esse gentilis, et esse initiat Christianus, si universa legis caute custodiens, castum se exhibeat et pudicum (I *Cor.* VII,). Si vero uxores non habent, constringendi sunt, ut aut habeant, aut omnino se contineant, ne putent sibi eadem licere, quæ agebant antea (*Coloss.* III, 5; *Eph.* V, 3). Renuntiasse se debent scire Diabolo, non verbis, sed factis. Admoneantur, et sciant interdicta esse fornicationem et adulterium. Nullam feminam licere contingere, excepta uxore, et ipsam deifice comparatam 176. Itaque aut illis ducenda est uxor (I *Corinth.*, VII, 9, *Qui se non continent, nubant*), aut amplectenda continentia. Sane ne territi fidem differant, sciant malum esse propter immunditiam non credere 177 : deterius esse impudicos, postquam crediderint, inveniri. Considerandum juvenibus, ut in omnibus factis ætatem suam superent, animo et virtute fortes : et apud interiorem hominem (II *Cor.* IV, 16) juvenes; (I *Corinth.* XIV, 20) inter senes Deo judice collocentur 178. Gratulandum etiam quod non omni ætate consummata, sed in ipso ætatum calore, et in ipsa adolescentia flagitiorum *auctori* Diabolo, et immundis factis renuntiaverint : et renovati exhibeant se Deo puros in malitia (*Ibid.*) : In tentationibus juvenes; in consiliis, et cogitationibus senes graves 179. Et hos omnes monendos esse existimo, ut omnibus propter Deum obsequantur (I *Petr.* II, 13) : domum suam bene regere discant (I *Tim.* V, 4) : si filios habent, pie tractent (*Ibid.*, *vers.* 10; *Tit.* II, 4), et instruant rebus deificis : hæc enim signa sunt fidei nostræ, si non solum crediderimus, verum etiam aliis, quæ crediderimus, tradiderimus 180.

XIV. Milites Christi sciant se in pace debere esse sollicitos, et in persecutione fortissimos. Ita nomen militiæ dedisse, et donativa vel stipendia sic sperare vitæ æternæ 181, ut præter quotidiana pacis certamina, quæ circa Diabolum, cui renuntiavimus, gerimus, persecutionionis pugnam et prælia cogitemus 182. Non corporis supplicia metuenda; sed considerandæ merita, vel promissa. Captivitas potius et sub hoste servitus, et exilium cœlestis Patriæ, et Dei Judicium, etiam insultatio inimici, et mors æterna, et æterna tormenta pertimescenda sunt 183. Consideremus, nos omnes esse mortales, et necesse esse nos mori. Quam gloriosum et prædicandum, si quod necesse est pati, expugnatur in gloria. Aptandus omnis sermo ad destructionem idolatriæ, et martyrii coronam laudandam, ut omnifarie ad expugnandum hostem, et ejus jacula repellenda miles Christi munitus incedat 184. Is qui evangelizat, interrogetur quid agat. Si miles est, vel officialis, aut (*Codex ms. habet*, an) Judex, ut moderetur. Rusticus, ut non murmuret. Urbanus, ut non subdolus, et circumspector sit, et ne in rebus malis suum exerceat ingenium. Negotiator, ut non pejeret. Agricola, ut annonam non captet. Opifex, ut non illudat, aut fallat 185.

XV. Est autem fides, ut definit apostolus Paulus (*Hebr.* XI, 1), *Substantia rerum, quas speramus, et index rerum, quas non videmus:* Credere et fide quis debet, quod Deus ea quæ promisit, potens est et implere, et spem suam in futurum transferre. Et tunc fide plena poterit ad ea, quæ promissa sunt, facillime pervenire (*Heb.* XI, 1). Hæc nobis invisibilia ante oculos ponit. Ad hanc ingressi, et Diaboli, et potestatum hujus mundi, et harum tenebrarum universa deserimus (*Eph.* VI, 11, *etc.*) : Deo cum fiducia proximamus 186. Credere enim, et sperare necesse est quæ Deus jussit, cum quæ Diabolus inseruerat, abnegamus. 187.

XVI. Fidem spes sequitur. Itaque de ipsa loquamur. Est igitur spes *expectatio rerum omnium futurarum, quas in fide habemus :* per quam salvamur, Paulo scribente apostolo (*Rom.*, VIII, 24) : *Spe enim salvati sumus.* Spes autem, quæ videtur, non est spes. Quod autem videt, quis sperat? Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. Hæc in se habet timorem : non illum dico, cujus oblivisci, et quem foras debet mittere quisquis in fide vivit; sed qui unus de spiritibus, quibus repletur Jesus, sicut Isaias testatur (*Isa.* XI, 1) : *Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus sapientiæ, et intellectus, spiritus, scientiæ et pietatis, et replebit illum spiritus timoris Domini :* Illum spiritum, quem David canit dicens (*Psal.* XXXIII, 10) : *Timete Dominum, Justi ejus.* Unde et beati efficiuntur, eodem protestante, et dicente (*Ps.* CXI, 1) : *Beatus vir qui timet Dominum.* Illum timorem dicit, qui castus est et pudicus. *Quoniam timor Domini castus,* inquit David (*Psal.* XVIII, 10), *permanet in sæculum sæculi.* Ergo duplex est etiam timor, et unus appetendus et alius fugiendus. Est igitur timor appetendus, admonitio, et custodia rerum omnium, quas credimus aut speramus : timeamus enim Judicium, quia speramus; et metuamus Dominum, quia fortem illum Judicem credimus.

XVII. Sed quoniam castus est timor Dei, et est castitas species continentiæ; de continentia et ejus virtutibus nunc tractandum est. Est autem continentia *appetendarum omnium rerum malarum refrenatio. Malarum* ideo addidi, ne Judices putent, diffinitionem istam communem esse in rebus bonis, et malis. Nam qui se a bonis retinet, non bene est continens; sed a malis, recte. Sed in omnibus sane præceptis duplex consideratio, et doctrina esse debet. Et hoc retinendum et observandum in cæteris arbitror, ut, cum unam partem tractaveris, contrariam noveris : et ita rerum ipsarum institutio exigit, ut, cum alteram partem tenueris, alteram necesse est deseras 188. Malorum sane substantiam ab initio nullam esse comperimus; quippe inobedientia..... *juxta bonum*

malum est (*Ecclesiastic.* XXXIII, 15). Et quæ si nusquam comparentur sibi : boni tutela servatur 189.

XVIII. Continentia igitur docenda est et tenenda in malis rebus. In bonis aviditas exigenda est. David pronuntiat et docet dicens (*Psal.* CXI, 1) : *Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus cupiet nimis.* Item continentem debere esse in malis, et appetentem bonorum, in alio præmonet psalmo, sic dicens (*Psal.* XXXIII, 14) : *Contine linguam tuam a malo; et labia tua ne loquantur insidiosa. Evita a malo, et fac bonum; quære pacem, et consequeris eam* 190.

XIX. Placet etiam de continentibus conferre 191 : multos enim video juxta conjunctionem conjugalem continentes tantummodo 192, et in reliquis continentiæ partibus omnibus, gentilibus esse deterrimos. Si enim consideres, quam plurimi illorum et iracundi sunt, et ebriosi, et procaces, et superbi, et ex forma veluti continentiæ magis inflati, percussores, maledici, cupidi, timidi, multum sibi placentes, ut magis judices, illam ipsam, quam se proferunt habere 193 continentiam, fomitem et flammam, et materiam magis *criminum* subministrasse 194. Cum utique hæc præsecanda sint, in quibus quotidie reprehendimur, et tunc magis in aliis omnibus vitiis virtus continentiæ retinenda : et ad consummationem non conjunctio respuenda, sed pudicitia præponenda est. Nam cum apostolus Paulus Ecclesias commoneret, non uniformem mandavit continentiam, sed in quibus appetenda et invenienda sit, sic monuit dicens : *Ut sit*, inquit (I *Cor.* VII, 34), *sancta corpore et spiritu* : definiens non esse continentem, qui non utraque parte continentissimus comprobatus sit 195. Multos vel plurimos sic flagrare cupiditate..... sicuti exitus docet, ut universa genera pœnarum perpeti velint, vel quamlibet Ecclesiæ sententiam sustinere, quam a familiari conversatione discedere : nescientes Deum præscium dixisse de talibus (*Matth.* V, 28) : *Quicumque respexerit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Non possunt hujusmodi excusare culpam suam, quod non ad concupiscentiam oculos suos porrexerint, quando et simul, et sub uno cubant tecto, aut in uno dormiunt lecto : Unde et reprehensi, spiritualiter hoc agere profitentur, adjicientes extraneis nomina affectuum vel pietatis. Sane quoniam et Diaboli substantiam accipimus spiritualem, debet addi : sed *nequitiæ et malitiæ spiritualis* (*Ephes.* VI, 12) a Deo propter scandalum Ecclesiæ, et ruinam 196 : cum a se nec persuasione, nec interdicto majorum natu, nec metu præsentis sententiæ, vel futuri Judicii inde velli possint : cum frequentius etiam quos legitimæ copulavere nuptiæ, leve jurgium separet 197. Quid hoc mali est? quid mali individua charitas, ut ab alienæ consanguinitatis affectu separari non possint? Turpe est dicere, quod illos non pudet facere. Certe vel ab osculo immunes non sunt, quod est pignus et arra serpentis 198. Sane cum increpaveris, mox hæc proferunt verba : posse integritatem sui corporis comprobari; cum ab ipsis prius mentis requiratur integritas, quamquam nec in corpore omnino examinari possint. Non enim conscientiæ latebras hominibus scire, aut nudare permissum est, dicente Scriptura (I *Reg.* XVI, 7) : *Homo videt in facie, Deus autem in corde. Deus solus intima et secreta conspicit.* Sed manifesta est vox Domini monentis (*Matth.* VII, 20) : *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Si consideretis, qualis eorum aspectus; quam turbata fronte, quam inverecunda respiciunt; quantum audaciæ in vultu, quantum constantiæ gerunt, impudicus in quibusdam cultus, et affectatus incessus professione jactantiæ 199. Et ad hoc hujusmodi professionis veluti devotio procedit, ut propter nomen, quod solum portant, virginitatis, appetibiles fiant. Inde est, quod se indicant, cum se celare debuerant, Deo exhibentes tantummodo obsequium suum, a quo remunerationem pudicitia sperat 200. Ideo ingressæ limina domus Dei ad orationes intecto capite initiantur, interpretantes Apostolum (cohibentibus corruptoribus suis) de mulieribus maritatis, non de virginibus statuisse : nescientes quod ubique masculos cujuslibet ætatis *Viros* nominat; omnes feminas *Mulieris* appellatione designat. Scio me excessum fecisse a proposito tractatu continentiæ; sed necessarie : ut deinceps omnes homines cujuslibet sexus plena continentia docti sciant, et quibus se abstineant, et quæ debeant custodire : aut si in una specie, quolibet genere continentiæ fuerit observator, nec ad alias velit monitus accedere, non se jactet in numero esse continentium : ne et ipsam partem, in qua sibi plaudebat, obstinatione videatur amittere. Ergo qui ad continentiam docetur, et vult accedere, non in corpore, aut in una parte corporis tantummodo debet continentiam quærere, sed in toto animi motu, continentiæ debet observationes agnoscere. Nam qui iracundiam retinet, is magis est continens, quam qui linguam a convicio, a maledicto, a detractione, a mendacio, a perjurio et a cæteris linguæ malis affectibus subtrahit. Qui ipsum denique cogitatum a tota nequitia compescit, et omni denegat iniquitati, is plenus est continens, et illum non cum hominibus comparo, sed cum Angelis sanctis simillimum recognosco.

XX. Nunc jam nobis de patientia et de ejus omnibus bonis loquendum est 201. Est igitur *patientia omnium injuriarum et passionum tolerantia, et expectationum omnium sine præcipitatione sufferentia.* Quam si quis intellexerit, et habuerit, contraria vitæ gravia bajulat; bona omnia continet 202. Sororem habet spem 203. Quamquam superius comprehendi, affines esse sibi res bonas omnes. Patitur enim libenter, quia sperat, et speranda tolerat : impatienter enim fertur, quod non speratur : et 204 quando nihil speratur 205. Omni autem virtute patientia perfert, quod spe pereunte dignoscitur. At si spem fructus patientiæ subsequatur, hæc matre gaudet fide, gubernaculum habet Dei, continentia genus propinquitatem. Inde justi, dum omnia pa-

tienter operantur (*Rom.* v, 3 *et* 4), gloriosi Dei testes efficiuntur, dum fide pleni, dum Dei timore solliciti, dum continentiæ discipuli, dum filii spei duce sapientia reperiuntur. Deinde cohæredes Christi, dum illum usque ad mortem (*Si tamen compatimur*, etc., *sequamur vestigia ejus*) patientiæ virtutibus (*fortasse* certaminibus) imitantur 206.

XXI. Sed jam de justitia disseramus. Est igitur *Justitia singularum rerum, et personarum æquissima distributio:* quam si quis obtinens, et cui quis adhærens, vitam suam recte dispositam, et sine conturbatione conservat; custodit in omnibus æquitatem; scit, quid Deo debeat; quid sanctis et coæqualibus reddat; quid non deneget potestatibus hujus sæculi; quid sibi retineat; quid proximo competat; quid alienis concedat aut congruat. Justum enim est Deum colere et diligere ex toto corde, et ex tota anima, et ex tota virtute : sanctos; et coæquales honorare : tributa pendere potestatibus (*Rom.* XIII, 7) : superbum non esse, sed magis mitem, et humilem (I *Petri* II, 13 *et* 14) : proximos tanquam se diligere (II *Timoth.* III, 2) : alienos et inimicos non persequi odio, sed amare : subjectum esse prioribus vel ætate majoribus (I *Petri* V, 5). Quia et Dominus cum esset omnium dominus, a Joanne, quia prior ab illo in nativitate hominum erat, baptizatur (*Luc.* VII, 28), et sic *impleri omnem justitiam* protestatur (*Matth.* III, 15). Ex hac misericordia nascitur, obsequium deificum generatur. In his omnibus quisquis invenitur, non immerito *in Christo dicitur permanere* (I *Joan.* II, 6) : quoniam hæc omnia ipse Christus est. Paulus nos gloriosus 207 informat, et instruit de Christo dicens (I *Corinth.* I, 30) : *Qui est nobis a Deo justitia, et sanctificatio, et redemptio.* Alio item loco (*Judæ* II) : *Qui est misericordia, pax, et dilectio* 208, quam Græci ἀγάπην vocant 209; ad quam nunc transitum faciamus, quia in omnibus major est inter cæteras : sic fatetur beatus Apostolus (I *Cor.* XIII, 13) : *Manent autem tria hæc, Fides, Spes, Dilectio* 210.

XXII. Est ergo *Dilectio vinculum animorum, casta, et sincera, et sine æmulatione : Charitas est consummatio omnium mandatorum.* Hæc vis omnium præceptorum, quam quis cum habuerit, *omnia habet* 211; sine hac, malus remanet et imperfectus. Et ut cognoscat vestra prudentia, quantum charitas valeat, legamus responsum Domini in Evangelio dicentis : cum interrogaretur, sic ait (*Mat.* XXII, 37) : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex tota virtute tua; et diliges proximum tibi tamquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet, et Prophetæ.* Vides in hac sola universa legis capita pendere 212. Vere quisquis hanc habet, jam Deus, et Dei filius dici potest 213. Ex hac sola Deo te similem esse considera 214. Qui Deum diligit, numquid sperat? numquid timet? numquid fidit? Non : sed tantum diligit 215. *Deus*, inquit Paulus (*Rom.* VIII, 3), *cum dilexisset mundum, misit unicum filium suum in similitudine carnis peccati : ut de peccato condemnaret peccatum in carne.* Inde et Paulus præponit illam omnibus bonis rebus, dicens (I *Cor.* XIII, 1) : *Et si locutus fuero linguis hominum et angelorum, charitatem autem non habeam, nihil sum : ac sicut æramentum tinniens, aut cymbalum concrepans. Et si habuero Prophetiam, et cognovero omnia mysteria, et omnem scientiam; et si habuero fidem, ita ut montes transferam, et si distribuero omnia mea in cibos pauperum; et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Charitas magnanima est. Charitas benigna est. Charitas non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non irritatur, non confunditur, non quærit quæ sua sunt, non cogitat malum, non gaudet super injustitiam : gaudet autem veritate. Omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat. Charitas nunquam excidit* 216. Ergo qui hanc veluti speciem voluerit invenire, totæ illi Scripturæ sunt reserandæ : omnis aperienda lex : omnes Prophetæ insinuandi : omnes virtutes Christi, actus, mandata insinuanda, Apostolorumque doctrina aperienda penitus, et docenda. Et quamvis omnes, quas supra tractavimus species, ad plenum tractatum hominibus incomprehensibiles sint; multo magis ea, in qua omnes consummantur, et pendent : maxime cum Joannes Evangelista interdixerit nobis in Epistola sua disputare, cum illam et Dei filium, et Dei Patrem docet esse, sic dicens (I *Joan.* IV, 8) : *Deus dilectio est.* Si potest quis de toto dicere Deo, potest et de dilectione, quæ Deus est. Ergo si sacrilegium est de Deo tantum, quantum non licet, disputare, tacere, religiosum 217; et alienum.... de dilectione sentiendum. Tanta enim de ipsa, quanta de Deo; quoniam *Deus dilectio est*.... 218. Unusquisque igitur se cognoscat; quia si quis habet in se dilectionem, habitaculum est Dei, quia Deus, *qui dilectio est, manet in illo* 219. Decet jam finem specierum, in dilectionis plenitudine, et omnium rerum bonarum consummare, maxime cum omnia sint retractata 220; aut si quid prætermissum est, in mundi plenitudine videatur esse conclusum. Veniam ante omnes (*fortasse* ante omnia) a tuo populo sincerissima sanctitate orans, ut tua Sanctitas, cui peritior via a Deo, et sanctior comprobata est, in omnibus, in quibus mediocritas mea vel prætermisit, vel inventa plenius explanare non potuit, correcta reformare, et supplere dignetur : aut si probaveris, ut est a nobis opusculum cœptum te petente, et Deo adjuvante perfectum, non habere quod desit, in orationibus tam tuis sanctis, quam omnium fratrum memoriam mei habeas : Et sciant æmuli fidei meæ, præstitam rationem, et convenire cum Ecclesia recognoscant 221, et magis mysterium sumant, ut non solum gratulemur nos credidisse, verum etiam aliquantulum inimicis, et credentibus profuisse 222.

IN SUPERIOREM HILARII EPISTOLAM ANNOTATIONES.

1. Diu dubitavi, num aliquid præter nomen Episcopi, ad quem missa epistola est, hic deesset. Sed nihil vetat, ne integram facias : potest quippe satis apte hujusmodi initium habere hoc genus epistolarum.

2. Tametsi in malam partem Latini veteres vocabulum hoc *gloriosus* sæpius acceperint (*a*), ab Ecclesiasticis tamen Scriptoribus fere sumitur pro excellenti, et egregio. In vetustissimo ipso Romanæ Missæ canone *gloriosa Ascensio dicitur*. In eo etiam libro Sacramentorum, quem Leoni tribuit clariss. Josephus Blanchinus (*b*), hæc invenio. *Vere dignum. Quia tu es gloriosus in Sanctis tuis.* = *Quia tu es gloriosus in omnibus Sanctis tuis* (*c*). Et deinceps (*t.* IV *Anast., pag.* XIV) : *Grata tibi munera nostra sint, Domine, quæ tuis sunt instituta præceptis, et Sanctorum festivitas gloriosa commendat. Per*, etc. Rursus (*Ibid.*) : *Exercentes, Domine, gloriosa commercia*, etc. Et paucis interjectis (*pag.* XV) : *Vere dignum. Qui nos sanctorum martyrum tribuis gloriosas indesinenter celebrare victorias. Gloriosa confessio; Gloriosa resurrectio; Deus gloriosus auctor solemnitatis*; deinceps dicitur (*pag.* XVI *et* XVII), et expressissime *gloriosus præcursor unigeniti* (*pag.* XX). In illo quoque Sacramentorum codice, quem Optimus Cardinalis Thomassius edidit (*lib.* XI, *p.* 142 *vet. edit.*), *gloriosa* Martyrum *passio* appellatur : hæc quoque Oratio in Natali S. Felicis dicenda præcipitur. *Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Beatus Felix donis tuis extitit gloriosus*, etc. *Gloriosa* quoque in eodem codice compluries dicitur Virgo Maria (*d*). Adeo vero subsequentibus temporibus in pretio epitheton hoc fuit, ut viris dignitate, et nobilitate præstantissimis veluti argumentum quoddam, et nota summi honoris tribueretur. Consule, obsecro, quæ docet hac de re Du Cange (*e*).

3. Ob librarii indiligentiam (nisi plane fallor) deest numerus, quem Psalmus iste in Psalmorum serie obtinet. Sane veteres doctores nostri psalmos allegare soliti erant, aut designato vel per numerum, quem in serie habet, psalmo, vel per verba, quibus idem psalmus incipit : aut generatim ad hunc modum : *in psalmis*, seu potius in *libro Psalmorum*.

4. Multum dubitavi, num verba hæc : *id est Gentiles*, glossema forent vocis *Græcos*, quod a margine deductum fuerit in epistolam ipsam. Cum tamen viderim crebro deinceps adhibitam vocem *Gentiles*, eam reliqui; arbitratus Hilarium substituta voce *Gentiles*, eos denotasse, quos alii *Græcos* appellabant, vetustæ scilicet *Græcorum* superstitioni adhuc addictos (*f*). Hinc Theodoretus eas, quas ad vindicandam christianam Religionem orationes edidit, *de curandis Græcorum affectionibus* inscripsit. Vide quæ ad vocem *Gentiles* annotavit Du Cange. Emendavi vocem *disseramus*, quæ in codice habetur, illique substitui alteram *edisseramus*, id exposcente syntaxi.

5. Norunt omnes, quam pertinaciter obstiterint Judæi ad fidem conversi, quominus ad eam Gentiles admitterentur (*g*). Paulus in epistola ad Romanos in id potissimum intendit, ut non minus Judæos, quam Gentiles ad Christianam religionem vocatos doceat. Hoc itaque ut fateantur Judæi, antequam baptismum susciperent, Hilarius exposcit. De Baptismo in *Christi nomine* collato omnes fere Theologi agunt : atque in primis clariss. Joannes Joseph Orsi, ad quem Lectorem amando.

6. Ut Gentiles ad fidem adducantur, *verus, et major labor est*, tum quia Scripturas non habent, quibus verus Deus traditur, novaque lex, et Christus promittitur; tum etiam quia majoribus inquinati plerumque sunt vitiis, quæ describit Paulus Apostolus (*h*).

7. Ordinem in edocendis Catechumenis, antequam ad baptismum admitterentur, constanter servavit Ecclesia, ab unitate et omnipotentia Dei exordiens, ut eos instrueret, atque ab Idolorum vanitate averteret. Consule antiquas Catechumenos edocendi formulas.

8. Quod hic paucis Hilarius, copiose ac sæpe exsequitur Paulus, iis præsertim verbis (*Ephes.* IV, 17) : *Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis ut gentes ambulant*, etc.

9. Quod hic Hilarius tradit his verbis : *hoc est, unum Deum credere, ipsum timere*, tradiderat jam Apostolus Paulus hæc ad Hebræos scribens (*Heb.* XI, 6) : *Sine fide autem impossibile est placere Deo : credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Quod si inquirentibus se remunerator est, an non ultor in eos erit, *qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis* (*Rom.* I, 21)? *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent* (*Rom.* I, 18). Quis porro hæc de Deo credat, illumque non timeat? Consule, obsecro, quæ hoc super argumento tradit Irenæus (*i*).

10. Deum cunctorum conditorem propositum fuisse ad credendum Catechumenis, antequam ad baptismum admitterentur, vetustæ omnes Symboli formulæ apertissime docent. *Apostolicum* quod dicimus *Symbolum* sic incipit : *Credo in unum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ* (*j*), Seu, ut vertit Rufinus (*k*) : *Credo in Deo patre omnipotente*, etc.

(*a*) *Celebris est Plauti Comœdia* Miles gloriosus *inscripta. Plinius quoque epistola nona libri tertii :* Miserat, inquit, etiam epistolas Romam ad aniculam quamdam jactantes, et gloriosas his verbis : Io, io, *etc.*

(*b*) *Tom.* IV *Anast. Biblio. editionis Romanæ, an.* 1735, *pag.* XII *et seqq.*

(*c*) *Pag.* XIII, XIV, *et* XV : quoniam tu es gloriosus in Sanctis.

(*d*) *Vide preces in missa Annuntiationis dicendas, p.* 148 *et* 149.

(*e*) *In Lexico ad vocem* Gloria : Gloria titulus honorarius, *etc.*

(*f*) *Act.* IX, 29; XI, 20; XIV, 6; XVIII, 4; *Rom.* I, 16; I *Corin.* I, 22 *et* 24; *Galat.* III, 28.

(*g*) *Act.* XIII, 45 : Videntes autem turbas Judæi, repleti sunt zelo, *etc.*; *et v.* 50 : Judæi autem concitaverunt mulieres religiosas, *etc.*

(*h*) *In epistola* I *ad Corin.* VI, 10; I *ad Timoth.* I, 9 *et* 10; *Tit.* III, 3.

(*i*) *Lib.* I, *cap. olim* 11, *nunc* 10, *p.* 48 *tomi* I *edit. Venetæ* 1734.

(*j*) *Vide* Codicem Sacramen. Roma. Eccle. *editum a Card. Thomasio, lib.* I, *p.* 56.

(*k*) *Commen. in Symbo. Aposto. n.* 3, *p.* 55, *tom.* I *edit. Veron. anni* 1745.

Idem etiam tradunt *Constitutiones*, quas *Apostolicas* appellamus (*lib.* VII, *cap.* 41). Id ipsum inculcat Nicæni Concilii formula his verbis in latinum ab Hilario translatis (*a*) : *Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem.* Irenæus (*lib.* I *contra Hæreses, cap.* 10, *n.* 1) : *Ecclesia*, inquit, *accepit eam fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt.* Atque idem deinceps inculcat (*lib.* II, *cap.* 1, *n.* 2 *et seq.*). Hinc Tertullianus (*lib.* I Adversus Marcionem, *cap.* 21) : *Stabat igitur fides semper in Creatore, et Christo ejus*, etc. Error casu irrepsit in typos : legendum est enim : *quæ vel facta sunt, vel ipso jubente, et volente, et faciente constiterint :* Sic enim habet Codex. Porro particulam *vel* (*quæ vel facta sunt*, etc.) aut hic accipe, ut in vetustis Ecclesiasticis libris sæpissime accipitur, id est pro *et*, seu *ac*; adeo ut non sit particula disjungens, sed conjungens : id est, *et quæ facta sunt, et ipso jubente, et volente, et faciente constiterint* : Vel ad eum modum accipe, quo accepit Augustinus, cum hæc scripsit (*b*) : « Divisisse Deum inter lucem et tenebras, eo ipso quo lux facta est, oportet accipi, quod aliud est lux, aliud illæ privationes lucis, quas in contrariis tenebris ordinavit Deus. Non enim Deum fecisse tenebras dictum est : quoniam species ipsas Deus fecit, non privationes, quæ ad nihilum pertinent.... quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cum dicitur : *Et divisit Deus inter lucem et tenebras*, ne vel ipsæ privationes non haberent ordinem suum.... Sicut in cantando interpositiones silentiorum certis moderatisque intervallis, quamvis vocum privationes sint, bene tamen ordinantur ab iis qui cantare sciunt, et suavitati universæ cantilenæ aliquid conferunt. Et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac, non specie, sed ordine placent. Nam et vitiorum nostrorum non est auctor Deus; sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, et ea perpeti cogit quæ merentur. » Articulum hunc si explicatum cupis, consule Irenæum (*c*), Cyrillum Hierosolymitanum (*Catech.* IX), Rufinum (*d*), Augustinum (*e*), et auctores, quibus sermones debemus, qui eo super argumento, præposito Augustini nomine, prodierunt (*f*).

11. Aliqui insunt in Codice errores, quos amanuensi tribuas oportet, leves ii tamen, et qui facile conjectura emendentur. Sed nolui ex ingenio lectionem immutare. Arbitror altero ex his modis emendari vitiosam lectionem posse. *Quod autem lex vocetur, atque prophetæ quid hoc* nosse *indiget* (id est, necesse est), cum *per homines quidem scriptum sit, sed non ab hominibus?* Vel ad hunc modum : *Esse corpus Scripturæ : quod lex vocetur, atque prophetæ : quid hoc indicet : quod quidem*, etc. Prior emendatio haud contemnenda est. Altera quoque valde probabilis est, plana illa quoque; nam hunc sensum verba illa habent : Docendi gentiles sunt, cum ad baptismum recipi petunt, esse Scripturas in unum corpus collectas; quod quidem corpus duas partes continet, quarum una *lex* vocatur (etenim sæpe subjunctivo pro indicativo utitur Hilarius), *prophetæ* altera. Nosse autem oportet eum, qui baptizatur, quid *legis*, quid vero *prophetarum* vocabulis indicetur. Celebratissima porro divisio est Scripturæ totius veteris testamenti in *legem*, seu Moysen totam legem quinque libris a se conscriptis comprehendentem, et prophetas. Porro sub altero horum membrorum libri historici comprehenduntur; ac præsertim sub *prophetarum* titulo : vel quatenus tam multa prædicuntur in ipsis historiarum libris, ut propterea dici commode possint *prophetici* hi quoque libri : vel quia prophetæ nomen hic latius accipitur, indicatque quemlibet Sacrum Scriptorem. Utcumque sit · ea quæ ad fidem instruendam, moresque dirigendos pertinent, in Moyse haberi, et prophetis, subsequentia Evangelii dicta declarant (*Luc.* XVI, 29 *et* 31) : *Habent Moysen et prophetas : audiant illos.... Si Moysen, et prophetas non audiunt, neque se quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Lucas quoque in eumdem sensum locutum fuisse Christum affirmat his verbis (*Cap.* XXIV, 25) : *Et ipse* (Christus) *dixit ad eos : O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipso erant.* Videtur quidem postea (*Vers.* 44) psalmos a prophetis sejungere his verbis : *quæ scripta sunt in lege Moysis, et prophetis, et psalmis de me.* At hæc eumdem habere videntur sensum, quem habent alia ejusdem Christi verba (*Marci* XVI, 7) : *dicite discipulis, et Petro :* id est, præsertim Petro : in psalmis enim frequentius, et, nisi fallimur, etiam apertius, quam in aliis quibuslibet sacris libris, prædicitur Christus, ejusque gesta, passio, et resurrectio (*g*). Cæterum psalmos *legis* vocabulo comprehendi, manifesto discimus ex Joannis Evangelio (*h*).

12. *Quid hoc indiget.* Recole superiorem Annotationem.

13. *Quod quidem.* Substitue, *corpus Scripturæ*, de qua rursus sermonem habet. Dum porro illud appellat *per homines scriptum, non ab hominibus*, respicit procul dubio ad illa Pauli verba (II *ad Timo.* III, 16) : *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est*, etc. Quod expressius docet Petrus (*Epist.* II, *cap.* 1, 20 *et* 21) : *hoc primum*, inquiens, *intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit : non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia : sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.*

14. Innuit aut alterum subsequentium testimoniorum, aut potius utrumque. *Spiritus* (*Sap.* I, 7) *Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis : propter hoc qui loquitur iniqua, non potest latere.* Et (*Rom.* VIII, 26 *et* 27) : *Ipse spiritus, qui scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus.*

15. Recole quæ annotatione 13 diximus. Adde hæc ex Hilario desumpta, ex quibus perspicue assequeris sententiam eamdem utrobique apparere (*i*). *Aut Moysen prophetam, et ducem præficit, et latorem legis instituit; aut prophetas in omni tempore legis inspirat.*

16. Quod hic tradit Hilarius, desumptum videtur ex his Jeremiæ verbis (*Cap.* I, *v.* 9) : *Dixit Dominus ad me : Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et disperdas, et dissipes, et ædifices, et plantes....* (*Ibid. v.* 18). *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, et in columnam ferream, et in mu-*

(*a*) De Synodis, *seu* de fide Orientalium, *n.* 83, p. 510 *tom.* II *edit. Veron.*

(*b*) *De Gen. ad litte. lib. imperf.* XXV, *alias cap.* 5.

(*c*) *Locis nuper allegatis; id est lib.* I *contra hæreses, cap.* 10, etc.

(*d*) *Commen. in Symbo. n.* 5, *pag.* 55, *tom.* I, *edi. Veron. an.* 1745.

(*e*) *Tom.* V, *Serm.* 213, *alias* 119, de tempore, *Serm* 214, 215, *et Tom.* VI *Serm.* de Symbolo ad Catech., *pag.* 547.

(*f*) *Sunt porro sermo* 235, 236, 237, 238, 239, 240, *et subsequentes tres in appendice sermonum. Rursus sermones tres de Symbolo, tom.* VI *Oper. Augustini, pag.* 555.

(*g*) *Act.* II, 25 : David enim dicit, etc. *Rursus Act.* VI, 11 : Hic est lapis, etc.

(*h*) *Jo.* X, 34. Nonne scriptum est in lege vestra (*id est Psal.* LXXXI, 6) : Ego dixi : dii estis, etc.

(*i*) *In Psalmum* LII, *n.* 5, *pag.* 96, *tom.* I.

rum æreum, super omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, et Sacerdotibus, et populo terræ. Et alibi (*Jerem.* VI, 27) : *Probationem dedi te in populo meo robustam : et scies, et probabis viam eorum, omnes principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, et ferrum : universi corrupti sunt;* et affinia alia in Prophetarum libris valde frequentia. Prophetis vero aliquando fuisse impositum, ut Domini promissa ac mandata exsequerentur, multis exemplis discimus. Unum hic innuam desumptum ex cap. IX libri IV Regum; plurima scilicet, antea per Prophetas promissa, Prophetarum ministerio executioni mandata conspicimus. Locum hunc consulat, obsecro, Lector.

17. Omnes, qui nostræ fidei articulos exhibent, secundo loco istum proponunt : *Et in unum Jesum Christum filium Dei* (Patris omnipotentis) : veluti Irenæus, Symbolum Apostolicum, aliique. Ita porro articulum hunc accipiendum omnes monent, ut non adoptione et gratia, uti nos filii Dei Patris sumus, sed natura sit filius : quod rectissime in apostolico symbolo traditur, dum *unicus* dicitur (*a*). Cur enim unicus est, nisi quia unus *natura* filius est, cum nos adoptione et gratia (quod diximus) filii simus? Patres ejusdem Symboli interpretes minime affero, cum eos quisque facile consulere per se possit. Unum hic Hilarium excito, a quo argumentum hoc pertractatur numero secundo l. V *de Trinit.* (*t.* II, *p.* 105 : *Sed nos sapientiam*, etc.). Et num. 43 libri VI, item *de Trinitate* (*Pag.* 166 : *Et cum hic verus Dei filius*, etc.). Rursus n. 41, id est, postremo libri VII pariter de Trinitate (*p.* 208 : *Credi itaque*, etc.). Vehementissime autem id ipsum inculcat n. 36, et subseqq. libri VI, etiam de Trinitate. Hæc tantum seligo ex numero 41, quæ hic describam : « Scribendi igitur Evangelii non aliam prætulit causam, quam ut omnes crederent Jesum esse Christum filium Dei. Si sufficit ad salutem, Christum credere; cur adjecit filium Dei? Si vero Christum credere ea demum fides est, non Christum tantummodo, sed Christum filium Dei credidisse; non est nomen filii in Christo unigenito Deo ex adoptionis consuetudine, quod proprium est ad salutem. » Temere ergo affertur Hilarius quasi Elipando et Felici Urgelitano favens.

18. Respicit procul dubio ad versiculum 3 capitis I Evangelii Joannis. Porro uberrime hac de re, et sæpe disserunt Patres. Tertullianus obscure quidem, ut solet, et presse, ea tamen tradit, e quibus eumdem sensum elicias. Consule, obsecro, quæ docet ille capite 18 libri adversus Hermogenem : perspicue autem cap. 19 libri V adversus Marcionem : « Si non est, inquit, Christus primogenitus conditionis, ut Sermo Creatoris, per quem omnia facta sunt, et sine quo nihil factum est; si non in illo condita sunt universa in cœlis, et in terris, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates; si non cuncta per illum, et in illo sunt condita (hæc enim Marcioni displicere oportebat); non utique tam nude posuisset Apostolus : Et ipse est ante omnes. Quomodo enim ante omnes, si non ante omnia? » Et alibi apertius (*Apolog. cap.* 21) : λόγον *Dei... eumdem, qui verbo omnia faceret, et fecisset.* Cyrillus Hierosolymitanus in eamdem sententiam (*b*) : « Vis vero addiscere, quod cum Patre etiam ante inhumanationem est Christus Dominus; ut non solum fide recipias id quod dicitur, verum etiam demonstrationem habeas ex veteri Testamento? Accede ad primum librum, qui Genesis est. Ait Deus : *Faciamus hominem*, non ad imaginem meam, sed, *ad imaginem nostram.* Et postquam factus esset Adam, dicit : Et fecit Deus hominem : ad imaginem Dei fecit illum. Nec enim ad Patrem solum divinitatis dignitatem restrinxit, verum una etiam Filium comprehendit : ut declararetur hominem non solius Dei opus esse, sed Domini quoque nostri Jesu Christi, qui et ipse verus est Deus. Hic ipse Dominus, qui cum Patre cooperatur, cooperatus est et circa Sodoma, juxta Scripturam aientem : Et Dominus pluit super Sodoma, et Gomorrha, ignem et sulphur, a Domino de cœlo. » Sed cæteris fortasse copiosius Hilarius numero 15, et subsequentibus libri II de *Trinitate.* Ea vero præsertim te consulere lector optime cupio, quæ tradit ille numero decimo nono (*Apostolus enim docuit*, etc.) Ea quoque consulere te opto, quæ docet in ps. XCI (num. 3 et seqq.). Rursus quæ tradit num. tertio et quarto tractatus in Ps. CXLVIII (pag. 645 tomi I), et n. 44 libri IX de *Trinitate* : denique num. 43 lib. XII de *Trinitate.* Respicere porro videntur hi Patres non modo ad caput I Joannis, verum etiam ad versiculum 6 psalmi XXXII : *Verbo Domini cœli firmati sunt.*

19. Nonnihil obscuritatis habet hic locus, in quo etiam amanuensem errasse puto; desunt quippe (mea quidem sententia) ea verba, quibus indicetur hæc tradita fuisse a Joanne; veluti ista, aut affinia : *uti nos docet Joannes = quemadmodum ex Joanne Evangelista constat.* Tum vero Epistolæ hujus verba sic explica. *Per quem* (Joannem scilicet Evangelistam) *accepimus, sermonem, id est rationem universitatis, fuisse apud Deum.* Joannes quippe hæc tradidit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Neque vero mireris me hic Sermonem pro Verbo divino sumere : quamvis enim, uti notat Petavius (*lib.* VI *de Trinit. cap.* 1, *n.* 5), secundam Trinitatis personam *Verbum* potius, quam *Sermonem* appellare voluerint Veteres, ii præsertim, qui Nicænum concilium sunt subsecuti; negari tamen minime potest eamdem ipsam secundam sanctissimæ Trinitatis personam *Sermonis* vocabulo fuisse significatam, non ab iis tantum, qui Nicænum præivere (*c*), verum etiam ab iis, qui illud sunt subsecuti. Hoc modo Paulinus Nolanus (*Natal.* VI *S. Felicis vers.* 25) :

> Christe Deus Felicis ades, da nunc mihi verbum
> Sermo Deus, da perspicuam Sapientia mentem.

Rusticus quoque (*d*) : « Si ergo modis omnibus sic Verbum sempiternum est, sicut Pater, impassibilisque idem Dei Sermo, et invertibilis sicut Pater. » Augustinus pariter (*e*) : « Misit Sermo Dei legem per servum suum, nec profuit in peccatis mortuo generi humano. » Alibi vero (*Serm.* 8 *de verbis Apostoli n.* 1) : « Non liberaretur humanum genus, nisi Sermo Dei dignaretur esse humanus. »

Quin et Hieronymus primam Theophili Alexandrini Episcopi paschalem epistolam in latinum vertens, sic eumdem Theophilum scribentem inducit (*Epist. in Veron. edit.* 96, *n.* 7) : « Quod si regnat Sermo Dei, utique Deus est, etc. » Atque ea quidem hujusce vocis usurpatio adeo nonnullis placuit, ut in latinam ipsam Sacræ Scripturæ interpretationem eam inducerent; quippe, monente Augustino (*f*), in quibusdam codicibus *Sermo* legebatur, ubi nunc *Verbum* legimus. Ille

(*a*) Et in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum.

(*b*) Catech. X. n. 6, interprete clariss. Antonio Augustino Toutée.

(*c*) Tertull. *contra Hermogen.* cap. 20; contra Praxeam cap. 15. Novatianus (si is auctor est libri *de Trinita.*) cap. 31. Cypria. lib. II *Testimo.* cap. 3, et de *Unit. Eccle.* Lactan. lib. IV Institu. cap. 4 : λόγος *enim et sermonem significat, et rationem quia ille et vox est, et sapientia Dei* ; et capite 8, ubi hæc eloquitur : *merito sermo, et verbum Dei dicitur.* Rursus cap. 9, *sed melius Græci* λόγον *dicunt, quam nos verbum sive sermonem.*

(*d*) In initio disputationis contra Acephalos; Biblio. Pat. Paris. t. IV, pag. 798.

(*e*) Lib. XII contra Faustum, cap. 35.

(*f*) Tractat. seu Sermone 108, in Joan. n. 3 : *Et in quibusdam codicibus positum est : Verbum tuum ve-*

etiam Arnobius, qui *junior* dicitur, propterea quia post Leonis Magni tempora vixisse creditur, hæc habet (*a*) : « Ergo Sermo Patris ex ore procedens virtute plenus facit omnes visibiles creaturas. » Merito itaque non modo in Opusculo, quod illustramus, verum etiam in aliis libris suis in eamdem sententiam vocem *Sermo* Hilarius adhibet : veluti libro II de Trinitate hæc elocutus (*num.* 15, *pag.* 36 *tomi* II) : « Numquid audieras in Deo, et non apud Deum, ut sermonem reconditæ cogitationis acciperes?.... statum Verbi, et nomen expecta; dicit namque : *Et Deus erat Verbum* (*Joan.* I). Cessat sonus vocis, et cogitationis eloquium. Verbum hoc res est, non sonus : natura, non sermo : Deus, non inanitas est (*b*). » Eadem alibi inculcat, in locis scilicet, quos hic noto (*c*). Merito etiam Ecclesia ipsa eadem voce ad denotandum Verbum utitur. Etenim sic divinum Patrem alloquitur (*d*) : *Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus, Domine, de cœlis a regalibus sedibus venit.* Transfert scilicet ab alia significatione, accommodatque festivitati huic, quod vers. 14 et 15 cap. XVIII libri *Sapientiæ* traditur.

En itaque quid his verbis credi jubet Hilarius : *Sermonem* scilicet *Divinum* non simplicem vocem, sed extantem, personam esse, eamque apud Deum, ideoque divinam personam. Ea porro non esse cœpit in tempore, sed *apud Deum* fuit *in principio*, id est ante quævis tempora *etiam imaginaria, et fictitia* (ut sæpe aiunt Patres), et ab æternitate ipsa. Atque his, quæ expressissime tradiderat libro II, (n. 13. *Respice ad mundum*, etc.) et XII (n. 43.) *de Trinitate* idem Hilarius, affinia docent Athanasius (*orat.* 3 *et* 5), Nyssenus quoque (*lib.* II *contra Eunomium*) et Augustinus. Vide quæ hoc super argumento docet Petavius (lib. VI *de Trinit.* cap. 1, n. 6 et seq.).

20. Veteres Patres non modo *Sermonem*, aut *Verbum* secundam Trinitatis sanctissimæ personam, verum etiam *rationem* appellavere : quæ quidem vox variis de causis Divino Verbo convenire potest. Aut scilicet majoris cujusdam, efficaciori-que, et, si vis, illustrioris etiam explicationis vocis *sermo* causa, veluti colligendo synonyma : aut quia Divinum Verbum ea *ratio* est, seu idea, ad quam Pater in mundo condendo unice respexit : *ratio*, inquam, et idea ingenita, et consubstantialis Deo : aut etiam quia sicut ratio in egregio opificio primas, potissimasque habet partes, sic Divinum Verbum in mundo condendo primas, potissimasque habuit partes : aut pariter quia sicut in egregio opificio recta ratio apparet eminetque, et singulis illius partibus veluti inest, ita divina Verbi virtus, ac sapientia in mundo creando se se prodidit, et veluti eminuit, et singulis illius partibus quodammodo inhæsit, et inest. Rursus quia sicut ratio ad praxim deducta artificem exprimit; ac declarat, ita Verbum, illiusque tum generatio tum operatio Patrem, ejusque præstantiam, ac divinitatem mundo declaravit, notamque effecit. Denique (et en postrema explicatio) non desunt, qui ideo Divinum Verbum *rationem* appellatum aiunt, quia rationem, seu respectum, ac relationem habet ad Patrem.

Atque in prima quidem significatione vocem hanc videtur sumere Tertullianus, quum ita Gentiles alloquitur (*In Apolog. cap.* 21). « Jam ediximus, Deum universitatem hanc mundi Verbo, et Ratione, et virtute molitum. Apud vestros quoque sapientes λόγον, id est Sermonem, atque Rationem constat artificem videri universitatis.... Et nos etiam sermoni, atque Rationi, itemque virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam substantiam Spiritum inscribimus (*legunt alii* ascribimus). »

In eamdem etiam sententiam librum, quem de *Oratione* inscripsit, sic est exorsus : « Dei spiritus, et Dei sermo, et Dei ratio, sermo rationis, et ratio sermonis, et spiritus utrumque Jesus Christus dominus noster. » Et sane vocem hanc *ratio*, cum ad Unigenitum Dei denotandum adhibetur, esse veluti synonymam vocum *Sermonis* et *Verbi*, edocere videntur, ut de aliis sileam, Lactantius, Ambrosius (si is est auctor libri, qui *de filii divinitate, seu de fide Orthodoxa contra Arianos* inscribitur), et Augustinus (*e*), seu, si vis, scriptor alius sub Augustini nomine latitans. An vero hujusce rei causam ex eo repetemus, quod, ut Tertulliani verbis utar (*Apolog. cap.* 21), « ostenderit se se λόγον Dei, id est Verbum illud primordiale primogenitum, virtute et ratione comitatum, e spiritu fultum? » An potius, *quia* ut jam docuit Petavius (*lib.* VI *de Trinit.*, *cap.* 1, *n.* 6), *Sermo idem est ac ratio*, hinc sermo rationis, et ratio sermonis dicitur? Sane Hilarius in hac ipsa, quam illustramus epistola, hæc habet (*cap.* 4, *pag.* 40) : « Dei filium sapientiam veram, sermonem, id est rationem, etc. »

Secundam significationem, quæ scilicet denominationem hanc derivat ex eo quia unigenitus Dei ea ratio, seu idea est, ad quam unice in mundo condendo respexit Pater, proponit is, cui debemus librum *de divinis nominibus* (*cap.* 7); sive Dionysius Areopagita is sit, sive alius quispiam vetustus sane, et probabilis scriptor; hæc enim tradit Petavio interprete (*lib.* VI *de Trinit. c.* 1, *n.* 3) : « Λόγος in sacris lit-

ritas est, sicut in quibusdam codicibus etiam ibi scriptum est : in principio erat Sermo.

(*a*) Bellarmi. de scripto. Eccle. et Biblioth. Patr. edit. Paris. tom. XV, p. 352 et 355.

(*b*) Sic interpunxi, ut consuetudini, aliorumque exemplo me accommodarem. Cæterum aliter interpungi posse fateor : ita tamen, ut denotetur *Sermonem* hunc aliquid substantiale, et verum Deum esse.

(*c*) Lib. VII *de Trinit.* n. 18, pag. 181 : *Et ubi refertur : Ego dixi, loquentis potius est Sermo;* et n. 19, *se cœlestis sermo*, etc. Rursus n. 11, lib. X *de Trinitate*. Et expressius n. 19, libri XII *de Trinit.* pag. 430, *sed Dei sermo*, etc. Etiam in libro *de Synodis* seu de Fide Orientalium, n. 46, *Hæretici perimentes*, etc.

(*d*) In introitu Missæ Dominicæ infra octavam Nativitatis, et in antiphonis ad *Magnificat*, et *Benedictus* ejusdem diei. Hanc ipsam antiphonam a priscis usque Ecclesiæ temporibus adhibitam discimus ex libro, quem *Responsoralia, et Antiphonaria Romanæ Ecclesiæ* inscripsit, ediditque optimus Cardinalis Thomasius anno 1686.

(*e*) Lactantius, lib. IV Institutionum cap. 9, hæc ait : *λόγος enim et sermonem significat, et rationem, quia ille est et vox, et sapientia Dei.* Augustinus, si Augustinus is est (nam eum librum PP. S. Mauri Augustino demunt, nec temere demunt, ut constat ex admonitione huic operi præposita pag. 2. Appendicis tomi VIII) in libro de quinque Hæresibus, cap. 6, hæc habet : *In principio erat Verbum. Melius græce dicitur λόγος :* logos *quippe Verbum significat, et rationem.* Ambrosius demum, si est, uti antea dixi, auctor ejus libri (Vide admonitionem præpositam huic tractatui a Patribus S. Mauri pag. 343 *Appendicis* Ambrosii) in libro, qui *de Filii divinitate* inscribitur, cap. 6 : *Ratio quædam est*, inquit, *quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem et Filium personas vel vocabula distinguit, quia et ipse filius ratio dicitur.* Quæ quidem verba habet etiam sermo olim 190 *de tempore* inter Augustinianos, nunc 115 inter rejectos in appendicem, num. 2, in quo etiam recitatis superioribus verbis hæc subjiciuntur : « Quæ tamen ratio multis nominibus appellatur : modo verbum, modo virtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo homo, modo agnus, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via, veritas, et vita, cum sit Deus omnia in omnibus : ut per hæc vocabula divinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non ut ipsa majestas filii Dei proprie definita monstretur. »

teris celebratur Deus, non solum quia rationis, et melioris sapientiæ distributor est, sed etiam quia causas omnium in se se simpliciter ante complexus est: et quia contendit, et penetrat omnia, ut sacræ litteræ testantur (*a*). » Quem locum commentariis illustrans Maximus, ideo ait (*b*) «divinum Verbum vocari λόγον, quoniam naturæ totius rationes insunt illi, tamquam causæ ac principio creaturæ omnis; per ipsum enim existunt omnia. Quin et ideæ, atque exemplares formæ in illo sunt, quæ sunt æternæ notiones, ac rationes omnium effectrices: adeoque natura ipsa: siquidem natura ipsa ratio est causam, naturamque continens, quoniam non temere ac frustra naturæ sunt existentium rerum.»

Tertiam explicationem, quam in eo sitam diximus, «quod sicut ratio in egregio opificio primas, potissimasque habet partes, sic divinum Verbum in mundo condendo primas potissimasque habuit partes:» tertiam, inquam, explicationem ii proponunt, quorum sententiam describit Augustinus, cum testatur (*c*), «Unigenitum Dei rationem minus recte vocari, quam Verbum, ut significetur non solum ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt, operativa potentia.» Ii quoque proponunt, qui vocem *ratio* synonymam voci *sermo*, et λόγος volentes esse, monent *Divinum Sermonem*, quatenus etiam pro persona sumitur, potissimas partes in mundo condendo habuisse. Qua de re annotatione decima octava nonnulla diximus, et rursus dicemus deinceps. Hic tantum affero Nazianzenum hæc elocutum (*Orat.* 36): «Quod si quis etiam, quia rebus omnibus inest, λόγον appellari velit, a ratione non abhorrebit: quid est enim, quod non Verbo conditum sit (*d*)?»

Quartam explicationem in eo sitam affirmavimus, «quod sicut in egregio opificio recta ratio apparet, eminetque, et singulis illius partibus veluti inest; ita divini Verbi virtus, ac sapientia in mundo creando se prodidit, et veluti eminuit, et singulis illius partibus quodam modo inhæsit, et inest.» Huic porro favere dicitur Nazianzenus prioribus illis verbis modo allegatis: « Quod si quis etiam, quia rebus omnibus inest, λόγον appellari velit, a ratione non abhorrebit.» Sed certe ii favent, qui vocem *sapientia* synonymam vocis *ratio* esse aiunt (*e*), tum versiculum vicesimum quartum capitis VII, et primum capitis VIII libri *Sapientiæ* ad Divinum Verbum referunt. Nimirum hæc in allegatis locis leguntur: « Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam... Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.»

Quintam explicationem eam esse diximus, quæ docet, « quod sicut ratio ad praxim deducta artificem exprimit ac declarat; ita Verbum, illiusque tum generatio, tum operatio Patrem, ejusque præstantiam, ac divinitatem mundo significavit, notamque effecit.» Hæc, nisi nos virorum amplissimorum auctoritas fallit, proponitur a Nazianzeno qui filium Dei ὅρον καὶ λόγον τοῦ Πατρὸς appellans, id est, ut interpretatur Petavius (*lib.* VI *de Trinit.*, *cap.* 1, *n.* 3), *definitionem*, *et rationem Patris*, cur ita appellet, deinceps explicat his verbis a Billio in latinum versis (*tom.* I, *pag.* 590): « Verbum porro (substitue, sic appellatur), quod ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem, non modo propter generationem passionis omnis expertem, verum etiam propter conjunctionem ipsius cum Patre, vimque enuntiatricem, fortasse etiam quia eodem modo se ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque

(*a*) Usus sum, uti dixi, interpretatione Petavii, nam alii aliter vertunt. Et sane nonnihil ab interpretatione Petavii differt interpretatio Ambrosii Camaldulensis. Eumdem tamen interpretationes omnes sensum habent.

(*b*) Petavio interprete lib. VI de *Trinit.*, c. 1, n. 3.

(*c*) Lib. LXXXIII Quæst., cap. seu quæstio 63.

(*d*) Usus sum interpretatione Petavii, a qua vix differt vetusta Billii interpretatio. Locum hunc habes pag. 500 tomi I editionis Colonien. an. 1690.

(*e*) Audivi, qui eam in rem subsequentia Lactantii verba allegaret: recte ne, an secus, alii judicent. *Λόγος enim et sermonem significat, et rationem, quia ille et vox est, et sapientia Dei.* Lact. l. IV Inst. c. 9.

(*f*) *Novissimus omnium scripsit Evangelium rogatus ab Asiæ Episcopis, adversus Cerinthum aliosque*

A λόγος dicitur; qui enim Filium cognovit, ait Christus (hoc enim significat illud, *qui vidit* [*Joan.* XIV]), Patrem quoque cognovit; ac brevis et compendiosa, facilisque paternæ naturæ declaratio est filius: omne enim quod genitum est, genitorem suum tacita quadam voce definit.»

Postremam vero explicationem (quæ scilicet docet, «ideo divinum Verbum rationem fuisse appellatum, quia rationem seu respectum, ac relationem habet ad Patrem») proponunt Nazianzenus, quem modo excitavi, Augustinus quoque, cujus paulo ante verba retuli (*lib.* LXXXIII *Quæstio*, *cap.* 63), ac denique, ne plurimos afferam, Ambrosius (si Ambrosium auctorem putas libri *de Filii Divinitate* inter Ambrosii opera): «Ratio quædam est,» inquiens (*in libro de Filii divinitate*, *cap.* 6; *in appendice Oper. Ambrosii pag.* 346, etc.), quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem, et Filium personas vel vocabula distinguit: quia et ipse Filius ratio dicitur.»

B En celebriores explicationes hujus vocis *ratio*, cum de divino Verbo enuntiatur. Suspicor adhuc tamen, Hilarium, cum Verbum *rationem universitatis* appellat, ad aliam etiam intendisse in eo positam, quod Unigenitus Dei unica ratio est, cur rerum universitas extet: unica, inquam, quia ipse condidit omnia: unica etiam, quia illius incarnatio ratio fuit, ob quam universa condita sunt: qua de re copiosissime Theologi. Hinc *initium viarum Domini* in Scripturis dicitur: *primogenitus* quoque *omnis creaturæ* (*Coloss.* I, 15) a Paulo dicitur, qui etiam hæc subjicit: *quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis, et in terra, visibilia, et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.*

Atque hanc quidem conjecturam meam prævenisse videtur Hieronymus, dum hæc Paulino scribit (*epistola olim* 103, *in Veron. edit.* 53, *n.* 4): «Logos græce multa significat: nam et verbum est, et ratio, et supputatio, et causa uniuscujusque rei, per quam sunt singula quæ subsistunt; quæ universa recte intelligimus in Christo.» Annotatio hæc, quamquam aliquanto prolixior, lectori tamen, ut puto, injucunda non erit.

21. Vox hæc *initiat* quatenus posita est pro *incipit*, seu *exorditur*, ex iis vocibus est, quas in Hilario notarunt multi, veluti ab aliis perraro adhibitas. Alii tamen etiam ante Hilarium adhibuerunt. Vitruvius (*præfat. libri* VII, *sub finem*) *initiantes* appellat, quos reliqui *initiatos* appellare consueverunt. Tertullianus similiter (*advers. Valent.*, *cap.* 15): *Ex his initiata sunt cætera:* id est, initium, seu exordium deduxerunt. Julius Firmicus etiam in eamdem sententiam: *Ver initiatum*, inquit, *cum primam arietis partem sol fuerit ingressus.*

22. Ad refellendam stultissimam Arianorum persuasionem aptissimum esse caput primum Evangelii Joannis, docent omnes, qui eo de argumento disputaverunt. Augustinum hic tantummodo indico (*Tractat.* 1, *in Joan.*, *et alibi sæpe*), et Hilarium (*lib.* II *de Trinitat.*, *n.* 13, *pag.* 34 *et* 35, *et alibi sæpe*). Et profecto ideo potissimum Evangelium conscriptum fuisse a Joanne, ut iis obsisteret, qui divinam Christi originem denegabant, ex Hieronymo discimus (*f*).

23. Spiritum sanctum tertiam Trinitatis sanctissimæ personam fateri debebant omnes, qui christianæ Religioni nomen dabant. Id profecto Symbolum Apostolicum, Irenæus (*lib.* I *contra hæreses*, *cap.* 10), Ni-

cænum Symbolum (*Hilar., de Syn., n.* 84), illud quoque Symbolum, quod Athanasio tribuitur, et reliquæ Christianæ fidei formulæ ostendunt. Non est hic porro locus, in quo Spiritus sancti divinitatem ego vindicem, quam copiosissime catholici Theologi asserunt (*a*), et eam non obscure asseruerunt ii ipsi Patres, qui Constantinopolitanum, atque adeo Nicænum Concilium ætate præiverunt (*b*). Ut ad Hilarium revertar, is a nonnullis audacioribus carpitur, quasi Spiritus sancti divinitatem asserere vereatur (*c*). Perperam tamen carpitur. Etenim de Spiritu sancto hæc scriptis prodidit (*lib.* II *de Trinita., n.* 29, *pag.* 43 *tomi* II): « De Spiritu sancto autem nec tacere oportet, nec loqui necesse est; sed sileri a nobis, eorum causa qui nesciunt, non potest. Loqui autem de eo non necesse est, qui, Patre, et Filio auctoribus, confitendus est. Et quidem puto an sit, non esse tractandum: est enim; quandoquidem donatur, accipitur, obtinetur: et qui confessioni Patris et Filii connexus est, non potest a confessione Patris, et Filii separari. Imperfectum est enim nobis totum, si aliquid desit a toto. » Deinde per ea Scripturæ loca percurrit, quibus illius divinitas asseri consuevit et stabiliri. Alibi etiam (*d*) in hunc modum eloquitur: « Quamquam ad fidei Sacramentum, id est ad Patris, et Filii, et Spiritus sancti unitatem, sed et ad trium gentium vocationem ex Sem, Cham et Japhet, tres mensuras farinæ esse referendas, sensisse multos meminerim .... in Patre autem, et Filio, et Spiritu sancto, sine admixti extrinsecus fermenti necessitate in Christo, omnia unum sunt. » Ab aliis Hilarii locis in eamdem sententiam adducendis consulto abstineo, ne actum agam: laborem quippe hunc præoccupavit præclarissimus ille S. Mauri Monachus, qui postremam S. Hilarii editionem adornavit, evulgavitque Parisiis. Vide, obsecro, quæ tradit ille n. 12, et subsequentibus præfationis in libros *de Trinitate.*

24. Spiritum sanctum creationis participem Veteres omnes faciunt: et recte id quidem: Deus quippe est, et opera, quæ *ad extra* Theologi appellant, toti Trinitati communia sunt. Basilium hic tantummodo profero, quippe libro V adversus Eunomium hæc ait (*e*): *Spiritus enim viventi Verbo ad creandum conjunctus est, viva potentia, et divina natura, quæ ineffabilis ex ineffabilis ore effulsit*, etc. Perfectionem porro rerum, atque animationem earum, quæ vita fruuntur, plurimi Patres Spiritui sancto tribuunt. Cur vero? An quia Spiritus sanctus amor est; amoris autem eximii argumentum est rerum perfectio? An quia cum complementum veluti is sit, et terminus ultimus processionum divinarum, æquum erat etiam, ut complementum, et terminus *operationum ad extra* illi tribueretur? Ex Theologis hæc assequeris. Illud sane constat, plurimos tum veteres, tum minus antiquos interpretes ad Spiritum sanctum retulisse verba illa Genesis I, 2: *Spiritus Domini ferebatur super aquas* (ut eas scilicet fœcundaret, vimque productricem efficeret) (*f*): illa quoque versiculi sexti Psalmi XXXII: *Et spiritu oris ejus* (Verbi) *omnis virtus eorum* (cœlorum). Spiritum conditum, ideoque a tertia Trinitatis Sanctissimæ persona diversum aliquando commemorat Tertullianus (*adversus Hermog., cap.* 32), qui alibi (*lib.* IV *contra Marcionem, cap.* 26) eadem videtur tradere, quæ hic Hilarius.

25. Baptismi unitatem edocuit jam Paulus ad Ephesios scribens (*cap.* IV, *vers.* 3): *Unus Dominus*, inquit, *una fides, unum baptisma.* Edocet quoque Cyprianus (*g*) (quamquam ipse in eo postea errarit (*h*), ut ex unitate baptismi illum tantummodo in Ecclesia Catholica valide conferri posse censuerit), et Patres reliqui tum ante Concilium Constantinopolitanum, Symbolum explicantes, tum maxime postea, præsertim cum allegata Pauli verba commentariis illustrant. Vide, ut in Hilario consistam, quæ tradit ille num. 1 et 2 libri XI *de Trinitate* (*i*). Ita porro unitatem baptismi explicant Magistri nostri, ut unus sit, quia cum is sit a Christo instituta protestatio suæ fidei, certumque argumentum, et ad illam ingressus (*j*), aliam protestationem, et certum argumentum, atque ingressum temere quærimus. Aliter etiam explicat Cyrillus Hierosolymitanus (*in Protocatechesi n.* 7) hæc elocutus: « Non licet bis aut ter lavacrum suscipere; alioquin liceret dicere: Quod semel male successerit, id altera vice perficiam. Sed si vel semel male successerit, ea res emendationem non admittit: *unus enim Dominus, et una fides, et unum baptisma.* Hæretici namque solummodo rebaptizantur; siquidem prius illud baptisma non erat. » Vide, obsecro, quæ ad locum hunc adnotat Clariss. Toutée.

26. In baptismo regenerari, renascique nos Deo, indicavit Christus ipse verbis his Nicodemum alloquens (*Joan.* III, 3): *Amen amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei* (*k*). Expressissime porro id Petrus in prima epistola (*l*) docuit, et Paulus capite III epistolæ ad Titum (*m*). Id quoque inculcant, explicantque ii omnes, qui Symbolum Apostolicum, aut Constantinopolitanum sermonibus suis, concionibusque, et scriptis illustra-

hæreticos, et maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse: unde et compulsus est divinam ejus nativitatem edicere. Hieron. in libro. quem inscripsit *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, cap. 9.

(*a*) Vide, ne cunctos enumerem, Petav. lib. II *de Trinita.* cap. 12, 13, 14.

(*b*) Irenæi loca divinitatem Spiritus sancti testificantia collegit D. Renatus Massuet, dissert. 5, n. 51, 52 et 53, pag. 116 et 117 tomi II editionis Venetæ anno 1734. Tertullianus porro quamquam inter eos recensetur, qui Montani errorem secuti de Trinitate, et expresse de Spiritu sancto, prave senserunt, antequam tamen se depravari sineret, Spiritus sancti divinitatem apertissime professus est capitibus 8, 9 et 13 libri *contra Praxeam:* quæ quidem loca ita consulat volo lector, ut reliqua etiam ejusdem libri capita non prætereat.

(*c*) Vide Præfat. in lib. de Trinita. n. 12. pag. VIII tomi II editionis Veron.

(*d*) In Caput XII Matth. n. 6, pag. 735 tomi I.

(*e*) In novissima PP. Benedictinorum ed., p. 303 t. I.

(*f*) Calmetus nonnullos, eos tamen præclarissimos allegat. Adde, si vis, Prudentium (in Apotheosi) Victorem Vitensem (in *Fidei ratione ad Hunnericum*), cujus hæc verba sunt: *Ferebatur Spiritus Dei super aquas, utpote creator virtute potentiæ suæ continens creaturam, ut ex iis viva omnia producturus ipse rudibus elementis ignis proprii fomenta præstaret;* et, ne cunctos enumerem, Steuchum nostrum in Cosmopœia, Prudentium porro, et Victorem Vitensem præcessit Ausonius: quippe hæc ait *in Precatione matutina:*

Unigeni cognosco Patrem, mixtumque duobus
Qui super æquoreas volitabat spiritus undas.

Et in carmine *de Dominica Resurrectione:*

Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum
Ut super æquoreas nabat qui spiritus undas
Pigra immortali vegetaret membra lavacro.

(*g*) Ep. ad Janu. 78: *Quando et baptisma unum sit*, etc.

(*h*) Ep. 73, ep. 74; lib. *de Unitate Eccclesiæ: quamquam aliud baptisma præter unum esse non possit*, etc.

(*i*) Pag. 373 tomi II: *Unum itaque*, etc.... *Sed nec in unius baptismi*, etc.

(*j*) *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, etc. Matth. XXVIII, 19.

(*k*) Vide interpretes in locum hunc, et ut cæteros prætermittam, vide Commentaria Jansenii Iprensis.

(*l*) Cap. I, vers., 23: *Renati non ex semine*, etc.

(*m*) Vers. 4, et 5. Consule interpretes in locum hunc, non Catholicos modo, verum etiam externos, in quorum numero laudem non levem sibi promeruit Grotius.

runt. Sæpissime id quoque tradit Ecclesia veluti in iis precibus, quas in Missa feriæ v post Pascha recitat (*a*) : iis quoque, quas feria vi ejusdem hebdomadæ dici jubet (*b*). Eadem habes in Pentecoste (*c*). Patres si addam, infinitus propemodum ero. Ne multos afferam, Zenonis et Hilarii loca tantummodo indico (*d*). Ea, si vult, per se consulat lector.

27. Resurrectio mortuorum non modo in Symbolo Apostolico, verum etiam in reliquis fere omnibus Ecclesiasticis monumentis traditur, in quibus fides nostra summatim exponitur. Qua in re mirari desines, cum noveris articulum hunc in eorum numero esse, per quos maxime a Gentilium, et præsertim Epicureorum pravis opinionibus recedimus. Hanc inculcavit Apostolus Paulus, cum Atheniensibus in areopago Christum nuntiavit : eamque ob rem, et quod Christum nuntiaret, ab iisdem *Epicureis, et Stoicis philosophis* habitus contemptui est (*e*). Eamdem tamen resurrectionem sæpe ipse annuntiavit, ne scilicet ea de re dubitari posset a quopiam. Nonnulla loca ad paginæ calcem indico, quæ per se consulat Lector (*f*). Illud etiam certo constat, ea de re persuasos fuisse Judæos (*g*), et adeo persuasos ut hæreticis accenserentur Sadducæi, qui eam negabant. Vide, obsecro, quæ tradit Philastrius hæresi v, atque ea his adjunge, quæ optimus Canonicus Galeardus adnotat; multa quippe Scripturarum, aliorumque probabilium auctorum loca eam in rem allegat. Eamdem mortuorum resurrectionem inter eos articulos recenset Irenæus (*h*), qui a Catechumenis credendi forent.

Explicant hunc articulum copiose ii omnes, qui vel Apostolicum Symbolum, vel etiam Constantinopolitanum, vel illud ipsum, quod Athanasii dicimus, commentariis illustrant. Multam in ea ipsa re assecutus est laudem Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech.* XVIII, *n.* 1 *et sequent.*). Augustinus, aliique etiam tum veteres, tum minus antiqui doctores nostri eo de argumento disseruerunt. Nec sane te legisse pœnitebit, quæ Gregorius Magnus ad eamdem resurrectionem asserendam sæpe tradit. Hic mihi satis est locum unum indicare, quem tamen valde probabilem reor; homiliam scilicet VIII in Ezechielem (*i*). De Resurrectione sæpe agit Hilarius, veluti num. 9 Comment. in Psal. LXIII, etc.

28. Conjunctissimus est articulus iste cum superiore. Cur enim resurgemus omnes, nisi ut a Judice vivorum et mortuorum Domino Jesu Christo *referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum* (I *Cor.* v, 10)? Innuit eam, quam diximus, utriusque articuli conjunctionem Paulus, cum in Epistola ad Hebræos *resurrectionem mortuorum judicio æterno* jungit (*j*). Expressissime autem eam tradit Irenæus, dum inter dogmata a baptizandis credenda recenset (*lib.* I, *cap.* 10) « in carne in cœlos ascensionem dilecti Jesu Christi Domini nostri, et de cœlis in gloria Patris adventum ejus ad recapitulanda universa (*k*), et ad resuscitandam omnem carnem humani generis, ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo, et Salvatori, et Regi secundum placitum Patris invisibilis (*Philip.* II, 10, *etc.*), *omne genu curvet cœlestium, et terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur ei*, et judicium justum in omnibus faciat (*Eph.* VI, 12) : spiritualia quidem nequitiæ, et Angelos transgressos, atque apostatas factos, et impios, et injustos, et iniquos, et blasphemos homines in ignem æternum mittat : justis autem, et æquis, et præcepta ejus servantibus, et in dilectione ejus perseverantibus, quibusdam ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, et claritatem æternam circumdet (*l*). » Hunc ipsum articulum proponunt Symbolum Apostolicum, Nicænum (*m*), et reliqua etiam antiquissima Symbola. Quod mirum non est : etenim potestas *judiciaria* potissimum præmium esse videtur humanitati Christi tributum, propter humilitatem, quam in Cruce præsertim ostendit : Ipse vero adeo amavit discipulos suos, atque in primis Apostolos, ut eis sedes in eodem judicio statueret, in quibus *et Angelos judicarent* (I *Corin.* VI, 13). Quod si quis explicatum hunc articulum optet, eos consulat, qui Apostolicum Symbolum explicant, atque in primis Cyrillum Hierosolymitanum (*Cate.* XV, *num.* 3 *et seq.*); interpretes quoque in ea Scripturarum loca, quæ hic indico (*n*).

29. Codex noster revera habet : *Tanta est differentia Judæorum convertentium, et gentilium credentium.* Quod si quis legere cupiat *se convertentium*, per me quidem licet. His porro verbis, quocumque tandem modo ea legas, veluti epiphonemate quodam concludit Hilarius id, quod antea dixerat, scilicet aliter instruendos esse Hebræos Christianæ fidei se se adjungentes, aliter eos, qui ex Idololatria ad Ecclesiam veniunt : a primis scilicet pauca credenda exposcuntur, cum reliqua jam noverint : at a secundis expressior, copiosiorque confessio exposcenda est; ea nempe, quam paucis comprehenderat, et paulo ante exposuerat Hilarius, enucleatius eam deinceps expositurus. Neque vero mireris, tam pauca fuisse illis ad credendum proposita. Etenim id ipsum assequimur etiam ex Irenæo, quippe *fidem, quam Ecclesia per universum orbem usque ad finem terræ sentinata, et ab Apostolis, et a discipulis eorum accepit*, explicaturus, paucissimis capitulis comprehendit (*o*). Id quoque præstitit Nicæna Synodus, fusius quidem se se explicans circa Filii divinitatem, et dignitatem, de

(*a*) In secr. *Deus, qui diversitatem gentium*, etc.

(*b*) In secr. *Hostias*, etc. Et Postcomm. *Respice, quæsumus*, etc.

(*c*) In Vigilia ad missam. *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus... qui per gratiam tuam renati sunt.*

(*d*) Zenon. lib. II, tracta. 30, et sequen. pag. 227 editio. Veron. adornatæ a Fratribus Ballerinis. Hilar. lib. I de Trin. n. 22, pag. 15 tom. II. Et in psal. LXIII, n. 11, pag. 182 tomi I. Et in caput X Matthæi n. 24, pag. 719 tomi item primi.

(*e*) *Quidam autem Epicurei et Stoici philosophi disserebant cum eo; quidam dicebant : Quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero : novorum dæmoniorum videtur annuntiator esse, quia Jesum, et resurrectionem annuntiabat eis.* Actor. XVII, 18.

(*f*) Actor. XXIII, 6. Rursus c. XXIV, vers 14, et 21. Et cap. XXVI, vers. 8 et 23. Rom. VI, 5. I Corin. XV, 12, et toto fere capite deinceps. II Timoth. II, 18. Ep. I Thess. IV, 12, etc. Heb. VI, 2. Petri I, 4, 5, *Qui paratus est judicare vivos et mortuos.*

(*g*) Lib. II Machab. XII, 44 : *Nisi enim eos resurrecturos speraret* (Judas Machabæus), *superfluum videretur et vanum orare pro mortuis.*

(*h*) Lib. I cap. 10 : *Et resurrectionem mortuorum .. Ad resuscitandam omnem carnem humani generis*, etc.

(*i*) Num. 6 et sequent., *sed quia de carnis resurrectione*, etc.

(*j*) Cap. VI, 2 : *Ac resurrectionis mortuorum, et judicii æterni.*

(*k*) Vertit nova editio : *ad instauranda omnia.* Eph. I, 10.

(*l*) Idem Irenæus id alibi inculcat, nempe libro III, cap. 4.

(*m*) Hilar. de Synodis num. 84, *Venturus judicare vivos et mortuos.*

(*n*) Matth. XXIV, 29, et XXV, 31. Actor XXIV, 25. Rom. XIV, 10. I Corin. VI, 3. II Corint. V, 10. I Thessa. IV, 13 et seq.

(*o*) Lib. I, cap. 10. Rursus lib. III, cap. 3, olim 2, *traditionem annuntiantem unum Deum*, etc. Etiam capite 4 ejusdem libri *traditionem custodiendam hanc* esse dicit : *in unum Deum credere fabricatorem cœli et terræ.*

qua per ea tempora potissimum disputabatur : at articulos reliquos summatim comprehendens (*a*). Quod mirum non est ; etenim hi ipsi articuli articulos eos aut complectuntur aut innuunt, quos Apostolicum Symbolum tradit; adeo ut hi ipsi, quos attuli, Patres minime eorum persuasioni obsistant, qui Symbolum Apostolicum ab Apostolis ipsis dictatum affirmant.

30. Epistolam hanc pro diversitate argumentorum in tres partes dividere possumus. Priorem partem, in qua hactenus perstitimus, habet summa articulorum fidei nostræ; partem alteram, quam nunc aggredimur, accuratior explicatio eorumdem articulorum. Porro ne quid dissimulem, diu suspicatus sum, ne legendum esset potius *quis sit* (seu, si vis, *quis est*), *et qualis filius Dei*. Suspicatus pariter sum, ne addita fuerint deinceps verba illa : *tres enim unum sunt :* etenim respicere verba hæc videntur ad nobile illud Joannis (*b*) testimonium : *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo*, etc.; ad quod quidem aliis in locis minime respexisse videtur Hilarius. Nihil tamen mutandum duxi etiam in subsequentibus : etenim rectissimus est adhuc sensus, si legas, *quis esset*, *et qualis filius Dei :* immo cum non de præsenti, sed de antiquissimo, ut ita loquar, et æterno statu filii Dei Arianos inter et Catholicos disputaretur, merito scribere potuit Hilarius, *quis esset* (ab æternitate scilicet, et ante tempora *fictitia* etiam) *filius Dei*. Verba porro illa *tres enim unum sunt*, potuere poni ab Hilario non ad Arianos, ut olim, quum libros de Trinitate componeret, sed ad Catholicos scribente, ideoque ad agnoscentes vim testimonii illius, quod et ante Hilarium indicatum fuerat a Cypriano. Vide quæ de testimonio hoc adversus recentes Arianos Catholici disputant. Profecto rectissime propterea positæ sunt voces illæ, quia rationem reddunt, cur Filium, et Spiritum Sanctum Patri jungat, declaretque deinceps accuratius, quid de his credere Catholica Religio præcipiat. Itaque si testimonium istud in libris de *Trinitate* omisit, ne extraneam de illius *authenticitate* (liceat porro ita loqui) controversiam institueret, Catholicos nunc alloquens authenticum illud esse fatentes, merito adducit, utpote aptissimum ad divinarum Personarum consubstantialitatem asserendam.

31. Multa ad superiorem illam sententiam, *Sane illud scire convenit prudentiæ vestræ*, confirmandam si quis ex Hilario ipso desumere optat, atque eumdem ex locorum illorum, et hujus, quem hic expendimus, comparatione utriusque elucubrationis scriptorem ostendere cupit, ea consulat, quæ statim noto; scilicet numerum 19 libri I *de Trinitate : Et vos quidem, quos fidei calor*, etc; numerum 19, et 26 libri III *de Trinitate;* num. 14 et 38 libri VII; ea pariter, quæ n. 17 libri VI *de Trinit.*; ea denique, quæ n. 2 (*c*) et 33 (*d*) de Trinitate ille docet. Præclarissima sane in postremo hoc loco est Hilarii sententia : *Non relictus* (hominum) *eloquiis de Dei rebus alius, quam Dei sermo : omnia reliqua et arcta, et conclusa, et impedita sunt, et obscura.*

Quæ vero deinceps Hilarius iis verbis tradit : *non illum in terris quærat homo, aut inter figmenta componat, ne cui similem credat*, ea ipsa sunt quæ sæpe Scriptura de Deo inculcat; veluti in Deuteronomio (*cap.* IV *vers.* 15) : « Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis : ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel feminæ, etc. Et apud Isaiam (*cap.* XLVI, *vers.* 5) : *Cui assimilastis me, et adæquastis, et comparastis me, et fecistis similem*, etc. « Ea porro omnia, quæ Theologi adversus Anthropomorphitas disputant, hic locum habent. Satis mihi erit, si ad nonnullos Hilarii locos digitum intendam, quibus superior sententia confirmetur. Ecce primum (*lib.* I *de Trinitate*, *n.* 19) : « Si qua vero nos de natura Dei et nativitate tractantes, comparationum exempla afferemus, nemo ea existimet absolutæ in se rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorum ad Deum nulla est : sed infirmitas nostræ intelligentiæ cogit species quasdam ex inferioribus, tamquam superiorum indices quærere; ut rerum familiarium consuetudine admonente, ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur. Omnis igitur comparatio homini potius utilis habeatur, quam Deo apta; quia intelligentiam magis significet, quam expleat : neque naturis carnis, et spiritus, et invisibilium, ac tractabilium coæquandis præsumpta reputetur, protestans et infirmitati se humanæ intelligentiæ necessariam, et ab invidia esse liberam non satisfacientis exempli. Pergimus itaque de Deo locuturi Dei verbis, sensum tamen nostrum rerum nostrarum specie imbuentes. » Superioribus affinia tradit idem Hilarius numero 2 libri IV, et num. 9 libri VI, ac denique, ne cuncta loca, in quibus id ipsum docet, enumerem, numero 18 libri VII. Tanti porro articulum hunc fecit auctor libri, qui *de Trinitate*, seu *in Symbolum Apostolicum* inscribitur, et inter Ambrosii opera extat, ut ab eo exordium dicendi sumpserit (*e*).

32. Emendationem, quam hic adhibui, Lectori candide expono. In codice ita legitur : *Natum : non factum*. Posui vero : *non natum*, *non factum*. Vel scilicet Deum *in essentia* (ut Scholasticorum phrasi utar) et *præcise* inspectum hic accipe, vel Patris personam. Sume porro, ut libet : legendum omnino est *non natum*. Quando enim divina essentia nata est? Quandonam natus Pater? Dum autem hic ait Hilarius Deum *non natum*, originis, aut principii cujusque, multoque magis causæ expertem, ac nescium eum dicit, idque docet, quod Patres omnes, et Theologi tradunt, dum Patrem *innascibilem* esse monent, quodque idem Hilarius his verbis expressissime dixerat (*lib.* IV *de Trinit.*, *n.* 6) : *Novit unum innascibilem Deum, novit et unum unigenitum Dei filium. Confitetur Patrem æternum, et ab origine liberum*, etc. Copiosius vero id persequitur idem Hilarius non modo in iis locis, quos allegat Petavius (*lib.* V *de Trinit.*, *cap.* 5, *n.* 13), verum etiam n. 58 libri de Synodis (*f*) : Et rursus numero 47 libri XI *de Trinitate* (*pag.* 404 *tom.* II), quem, si libet, consule. Adde, si vis, eos Patres, quos recenset Petavius capite 5 libri V *de Trinitate* (*n.* 13, 14 *et* 15). Adde Ausonium, quem deinceps afferam.

33. Deum incomprehensibilem sæpissime docent Patres, ii præsertim qui adversus Arianos et Anomœos disputaverunt. Nazianzenus magnam partem orationis quartæ et tricesimæ impendit, ut ostendat neque nos assequi posse, *quid Deus sit*, neque illius præstantiam oratione describere. Chrysostomus hoc ipsum argumentum copiosissime persequitur. Seligo locum unum, quem hic afferam (*Orat.* III *contra Anomœos*, *pag.* 465 *tomi* I *editionis Claris. Montfauconii*). « Vocemus itaque, inquit Chrysostomus, ipsum ineffabilem, inintelligibilem Deum, invisibilem, incomprehensibilem, humanæ linguæ vim superantem, mortalis mentis comprehensionem excedentem, Angelis non vestigabilem, Seraphinis invisibilem, Cherubinis inintelligibilem, inaspectabilem Principatibus, potestatibus, virtutibus, ac simpliciter omni Creaturæ, a solo autem Filio, et Spiritu Sancto cognitum. »

Idem inculcat Hilarius numeris 5 et 6 libri II *de*

(*a*) Hilar. de Synodis n. 84. *Credimus in unum Deum*, etc.

(*b*) In episto. I cap. v.

(*c*) N. 2, *et Dei ex Deo fidem unus tantum nobis Deus in confessione dissolvat.*

(*d*) N. 33, *non enim fides ex arbitrio nostro, sed ex dictorum est ineunda virtutibus.*

(*e*) *Nullus igitur qui sanum sapit, omnipotentem Deum, qui Trinitas, et spiritus est, corpus aliquod visibile, aut palpabile arbitretur.*

(*f*) *Ex non nata substantia perfecta nativitas*, etc.

Trinitate (*pag.* 30 *tomi* II); et numero 62 libri de Synodis (*pag.* 497 *tomi* II). Hunc prorsus legas, velim. Novatianus quoque, si is est auctor libri *de Trinitate*, qui præposito ejus nomine aliquando evulgatus est, et inter Tertulliani opera editus, Novatianus, inquam, in eamdem sententiam consentit (*cap.* 7) : « Id enim, inquiens, quod est, secundum id quod est, nec humano sermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis sensibus colligi potest. »

Hujus autem incomprehensibilitatis origo est, ut ita loquamur, *infinitas*, id est infinita illius perfectio ac virtus : cum enim hæc illimitata sit prorsus, et (quod jam dixi) infinita, facit ut comprehendi omnino non possit. Hanc infinitatem sæpissime Scripturæ tradunt. Sed mihi Theologi partes hic minime agenti satis erit, si unum tantum locum allegem. Est porro notissimus libri Job (*cap.* XI, *vers.* 7, 8 *et* 9) : « Forsitan vestigia Dei comprehendes, et usque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cœlo est, et quid facies? profundior inferno, et unde cognosces? Longior terra mensura ejus, et latior mari. » Porro vel incomprehensibilitas, ut ita loquar, extensionis omnipotentiæ hic proponitur; vel incomprehensibilitas perfectionis ipsius, et infinitatis divinæ, ideoque ea incomprehensibilitas, quæ propterea Deum indicat vincentem scientiam nostram, quia eximia, et super omnem modum excellentissima, perfectione is pollet. Enim vero ad hæc Jobi verba ita Gregorius Magnus disserit (*lib.* X *Moral.*, *cap.* 8, *alias num.* 13 *et seqq.*) : « Excelsior itaque est cœlo, quia ipsi quoque electi spiritus visionem tantæ celsitudinis perfecte non penetrant.... Excelsior itaque cœlo fit, cum ipsa in eum nostra deficit contemplatio. »

Merito itaque de Deo concludit Augustinus (*in ps.* LXXXV, *n.* 12), « facilius dici a nobis, quid non sit, quam quid sit. » Quin etiam hæc subjicit : « Hoc solum potui dicere, quid non sit. Quæris, quid sit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Non est similis tibi in diis, Domine, et non est secundum opera tua. » Simillima his edocet n. 9 tractatus XXI in Joannis Evangelium. Hic si ea adduxeris, quæ *ineffabilem* Deum describunt, recte adduces. Cur enim ineffabilis est? Profecto quia incomprehensibilis est. Porro plurima et Scripturarum, et Patrum loca eo spectant, ut Deum ineffabilem describant. Hic Fulgentium unice affero hæc docentem (*in lib. contra object. Arianorum*, *objection. et respons.* II) : « Non est ignorabilis Deus, cum sit inenarrabilis : sed a fidelibus cognoscitur, ut ametur; quamvis nec humanis linguis, nec Angelicis enarretur.

34. *Inextimabilem* positum est pro *inæstimabilem*. Ea porro, quæ in annotatione superiore diximus, facile ostendunt Deum *inæstimabilem* esse. Quis enim eum satis æstimet, qui incomprehensibilis est? Si quis tamen aliqua sanctorum Patrum expressa testimonia, ad sententiam hanc confirmandam, afferri a me cupiat, en statim Tertullianum (*cap.* 17 *Apologet.*) : « Invisibilis est, inquit ille, et si videatur : incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur : inæstimabilis, et si humanis sensibus æstimetur : adeo verus, et tantus est. Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est et oculis, quibus occupatur, et manibus, quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est. Hoc est quod Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis magnitudinis et notum hominibus objecit, et ignotum. Et hæc est summa delicti nolentium recognoscere quem ignorare non possunt. »

Quem visus est Ambrosius sequi (si Ambrosius est is, cui librum *de Divinitate Filii* tribuis; de quo vide quæ diximus annotatione ad num. 20, dum hæc de Deo scripsit (*de Divinit. Filii*, *cap.* 6) : « Hic est de quo et cum dicitur, non potest dici : cum æstimatur, non potest æstimari : cum comparatur, non potest comparari; cum definitur, ipsa sua definitione crescit. »

35. *Invisibilem* (Deum). Copiose de hoc dogmate Theologi disputant. Nos, quibus propositum est hisce in annotationibus disputationes effugere, muneri nostro satisfecisse arbitramur, si Lectorem amandemus ad Petavium, qui copiosissime hac de re disserit. Vide itaque, obsecro, tomum I, lib. VII, capite primo; ibi quippe collegit Veterum testimonia. Iis ea adde, quæ docet Hilarius in Commentariis in Psal. CXVIII (*a*). Ea quoque, quæ ex commentariis in Psalmum CXXXV annotatione 38 allegabimus, quippe ibi Deus *inconspicabilis* dicitur. Sed quoniam antea Ausonium me allegaturum fore dixi, en illum, cujus quidem auctoritate et id, quod nunc agimus, et ea, quæ num. 32, et subsequentibus duobus tradita sunt, facile confirmantur. Sic porro ille Deum Patrem deprecatur (*in Precat. matut.*).

> Omnipotens, quem mente colo, pater unice rerum,
> Ignorate malis, et nulli ignote piorum,
> Principio, extremoque carens, antiquior ævo,
> Quod fuit, aut veniet, cujus formamque modumque
> Nec mens complecti poterit, nec lingua profari,
> Cernere quem solus, coramque audire jubentem
> Fas habet, et patriam propter considere dextram
> Non genito genitore Deus.

36. *Et impassibilem*. An passiones a Deo hic arcet Hilarius, an mutabilitatem? an utrumque? An potius ad Patrem hæc refert, quippe qui carnem minime assumpsit, in qua passus est Filius? Judicet Lector. Profecto ut denotet Filium Dei Verbum esse Deum, Patrique consubstantialem, docet naturam impassibilem fuisse illi a Patre communicatam. « Omnibus creaturis, inquit ille (*De Synod. n.* 58, *pag.* 495), substantiam voluntas Dei attulit; sed naturam Filio dedit ex impassibili, ac non nata substantia perfecta nativitas (*b*). » Impassibilitatem sane expresse amovet a Patre in Divini Filii generatione in libro de Synodis (*c*). Et alibi (*lib.* IV de Trinit. *n.* 6) : « Novit, inquit, in spiritu Deum spiritum impassibilem, et indesecabilem. »

37. Is cui tituli hi et attributa desunt, fictitius est, non verus Deus. Hæc autem ideo expresse tradit, ut puto, Hilarius, ut confessionem suam opponat confessioni Arii, qui ut fucum incautis faceret, perfectiones, et attributa Dei expresse recensuit, exposuitque. « Novimus unum, aiebat ille (*d*), Deum, solum infectum, solum sempiternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem, solum optimum, solum potentem, omnium Creatorem, etc. » Eaque ratione Catholicos sugillare in animo habebat; quippe qui (eo judice) Deum in personas dividentes, divinas perfectiones imminuerent. Hilarius itaque Orthodoxorum causam defendendam suscipiens, hæc quoque a se admitti fatetur, ideoque admitti fatetur etiam in personarum Trinitate *Deum non factum*, *incomprehensibilem*, etc.

38. Aliquando dubitavi, num verba ista, *qui quædam generaverit*, obscuriore quadam ratione divinam Verbi generationem innuerent; cum enim superiora verba facile referri possint ad Patrem, suspicabar ne (quod jam dixi) divina generatio his vocibus indicaretur. Sed deinceps suspicionem omnem amovi. Quis enim putet, unigenitum Dei filium, quem tam crebro, tam perspicue a creaturis secernit Hilarius, communi illa voce *quædam* fuisse, designatum? Arbitror itaque longe consultius esse, ut generationem illam, cujus hic Hilarius meminit, ad eas referamus

(*a*) Litt. VIII, n. 7, ad verba illa, *deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo*, etc.

(*b*) Præter superiorem locum, vide quæ tradit n. 59.

(*c*) *Et si ipsa paterni nominis, per quod impassibilis origo nascentis*, etc., n. 24.

(*d*) Apud Hilar. *lib.* IV *de Trinit.* n. 12, et *lib.* VI *de Trinit.* n. 5.

creaturas, quas intelligentia etiam ornatas voluit : intelligentia enim Deo similes, gratia *divinæ naturæ* quodam modo *consortes* facit (II *Petri* I, 4), et filiorum Dei titulo ac dignitate honestat. Sane verba illa Job (*cap.* XXXVIII, *vers.* 7) : *cum... jubilarent omnes filii Dei*, de Angelis plerique intelligunt, propter egregiam eorum intelligentiam, et gratiam. Quid ? quod Hilarius ipse hæc tradit (*a*) : « Sed cum regionem cognitioni suæ, qui infinitus est, collocaret : cœlo superiore atque primo, eodemque in orbe collocato terminum quemdam virtutibus, quæ primæ ad cognoscendum se gignerentur, inclusit. Neque enim *gignendæ* creationes virtutem inconspicabilis Dei ferre potuissent, nisi naturæ temperatioris objectu sedem hanc moderatæ ad infirmitatem habitationis incolerent. » Alibi tamen monet, eos ipsos, quos et *filios*, et *genitos* dici posse fatetur, *cum proprietatis* tamen *significatione* minime dici ; nam si proprie loqui volumus, nos per gratiam filii efficimur, non nascimur filii ; ideoque *adoptione*, et *electione*, non generatione, rigorose scilicet, et proprie accepta (*b*).

In eo itaque sensu nos a Deo *genitos* dicere Hilarius potuit, quo sensu *Dei genus* nos appellari docet Paulus ; quippe hæc in Areopago concionem habens, dixerat (*Act.* XVII, 28) : « *In ipso enim vivimus, movemur, et sumus : sicut et quidam vestrorum Poetarum dixerunt* : ipsius enim et genus sumus. » Ea quæ dissertatione III copiose dicemus, ad hunc locum illustrandum afferri commode poterunt.

39. Locus hic paulo obscurior esse videtur. Suspicatus sum aliquando, amanuensis licentia legi *ordinaverit*, *exornaverit*, cum fortasse in primævo exemplari legeretur, *exornaverit*, *ordinaverit* : Ordinaverit, inquam, *optimum, justum mandare judicem* : id est constituerit optimum, et justum judicem mandare, seu imperare, et judicium justum exercere. Deinceps tamen adverti, legi adhuc posse, uti in nostro codice legitur, id est *ordinaverit*, *exornaverit*. Recole hic, quod paulo ante positum fuerat : « Deum vera fides ita semper exposuit. Non natum, etc. » Tum porro sensum hunc habent allegata verba : « Vera fides ita semper exposuit, ut agnoscamus non natum .... eumque optimum justum mandare judicem. »

Quod si quæras, quænam fecerit Deus, quænam disposuerit, quænam ordinaverit, quænam vero exornaverit ; aio, naturas omnes, earumque genera, et species ab initio a Deo fuisse factas : *In principio creavit Deus cœlum, et terram*, etc. Neque vero corporalia tantummodo condidit Deus, verum etiam spiritualia. Vide quæ tradidimus adnotatione 10 et 18. Disposuit solem, et lunam, et stellas, *ut dividant diem, ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos : ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram* (*Gen.* I, 14 ; *et Ps.* CXXXV, 7, 8 *et* 9). Disposuit proinde temporum vicissitudines omnes et intervalla. Res quoque ipsas disposuit : raras enim ubique obvias invenies : sed cuncta fere locis suis disposuit, et aptavit. Nonnulla eo de argumento habet liber Job (*cap.* XXXVIII, 4, 5, *etc.*), quem consulas opto, et apertissime liber Sapientiæ (*cap.* XI, 21) : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti*. Et inter profanos auctores Virgilius : *Non omnis fert omnia tellus*. Cur vero ? quia, uti diximus, cuncta *in mensura, et numero, et pondere disponens* Deus, quamlibet portionem Mundi carere aliquibus voluit, quæ ab aliis repeteret regionibus, ut homines mutuis se officiis adjuvarent.

Ordinavit autem (Augustino judice) privationes etiam, et peccata. Recole quæ adnotatione 10 diximus ; quibus ea adde, quæ idem Augustinus in Psalmum LI (*n.* 15 : *Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo*, etc.) docuit. Quæ quidem omnia experientia nituntur, et vetusto illo Salomonis effato (*Prov.* XVI, 4) : *Universa propter semetipsum operatus est Deus : impium quoque ad diem malum*. Dum porro peccatores, eorumque errores a Deo ordinari affirmo, ægritudines, morbos, aliaque hujus generis peccati quidem pœnas, sed tamen meriti nostri occasiones, atque incitamenta ad patientiam, ordinari etiam aio.

40. Exornavit porro Deus non pauca in hoc mundo, attestante id experientia et Scriptura verbis illis (*Gen.* II, 1) : *Igitur perfecti sunt cœli, et terra, et omnis ornatus eorum*. Atque a cœlorum quidem ornatu, eorum auctorem innotescere facile posse, manifesto constat ex illis verbis (*Ps.* XVIII, 1) : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum*. Sicut autem cœlorum ornamenta stellæ sunt, ita terræ ornamenta frutices, arbores, et herbæ sunt, quorum omnium innumera, ac varia genera Deum omnipotentem illorum auctorem ostendunt (*Sap.* XIII, 5), adeo ut *inexcusabiles sint, qui Deum agnoscentes, non sicut Deum glorificaverunt*. (*Rom.* I, 19, 20, *etc.*) Vide quæ de hoc argumento Theologi disputant, ac præsertim Petavius, tomo I Theologic. dogmat. cap. 1. Nefas porro sit, dum Hilarium illustro, alium ejusdem Hilarii prolixiorem locum non adducere : Hæc scilicet alibi tradit (*in Ps.* LXIII, *n.* 6, *pag.* 197 *tomi* I) : « Docemur etiam consequentibus monitis ad ordinem obsequelæ, Propheta, vel Spiritu per Prophetam ita admonente : *Dicite Deo : Quam terribilia sunt opera tua !* Quis enim non trepidet ad Majestatem ejus, qui sæcula instituerit, mundum condiderit, tempora revolubili vicissitudine cursuque dimensus sit, cœlum astris ornaverit, terram fructibus repleverit, mare obicibus concluserit, hominem, ut his aut uteretur, aut dominaretur, elegerit ? Per hæc enim omnia virtutis ac potestatis ejus æternitas noscitur, Apostolo dicente : *Quæ enim invisibilia ejus, a creatura mundi ipsius factis intellecta aspiciuntur, æterna quoque virtus ejus et divinitas*. Hæc terribile nomen conditoris efficiunt : et operum dignitas majestatem ejus, qui ea sit operatus, ostendit. Horum igitur operum conditor esse Deus et a nobis prædicandus est, et a cæteris confitendus. » Affinia habet in commentariis in ps. CXVIII (*c*).

41. Recole quæ antea dixi, annotatione scilicet 39. Si quis tamen aliqua deesse, aut male conscripta, hic velit, illi minime obsistam. Christum judicem nostrum constitutum esse vetustæ ipsæ fidei nostræ professiones agnoscunt, Symbolum Apostolicum, Irenæus, et reliqui omnes de potioribus fidei nostræ articulis sermonem habentes.

42. Hæc referenda sunt ad ea quæ paulo ante dixerat : *quædam fecerit*, etc. Recole quæ dixi num. 39 et 40

43. *Tempus agnitionis* videtur hic Hilarius sumere aut pro tempore, quo vivit homo, atque eo quidem perspicere potest, quæ Deus condidit : aut pro tempore, quo Deus gratia sua uberius adjuvat, studetque

(*a*) In tractat. in *Psal*, CXXXV, n. 8, ad verba illa : *qui fecit cœlos in intellectu*.

(*b*) « Nisi forte in eo quod ait : *Filius primogenitus ejus Israel*, quisquam hoc quod *primogenitus meus* dixit, ad detrahendam Filio proprietatem generationis intelliget ; ut quia et de Israel dixerit *meus*, assumptio factorum filiorum pro nativitatis proprietate usurpata sit ; et idcirco non sit nativitati Dei proprium, quod de eo dictum est : *Hic est Filius meus dilectus*, cum *meus* etiam illis proprium esse dicatur, quos non natos esse manifestum est. Non natos autem esse, licet nati esse dicantur, vel ex eo docetur, cum dicitur, *Populo qui nascetur, quem fecit Dominus*. Ergo populus Israel nascitur ut fiat : neque per id quod nasci dicitur, non intelligitur et fieri. Ex adoptione enim est filius, non ex generatione ; neque ei proprietas, sed nuncupatio est. » Hilar. lib. XII *de Trinit.* num. 14.

(*c*) *Litt.* X, n. 2, pag. 334 tom. I, *commune judicium est*, etc.

deducere ad se. Respicere porro videtur Hilarius ad duos valde nobiles Scripturæ locos, quorum primus is est, quem legimus Lucæ XIX (*vers.* 42) : *Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi : nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis . . . . non relinquent in te lapidem super lapidem eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Alter is est, quem habet epistola Pauli ad Romanos (*cap.* I, 18) iis verbis : *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem, et injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent : quia quod notum est Dei, manifestum est in illis ; Deus enim illis manifestavit.*

44. Prior pars hujus sententiæ, nempe : *habiturus post exitum Judicem justum;* perspicua est : eaque respicit ad judicium particulare cujusque mortem proxime sequens : antea porro summa capita fidei nostræ recensens judicium universale commemorat. Atque in hoc quidem particulari judicio sententiam quisque accipit suam pro meritis, scilicet bonis aut malis. Id sane indicare videtur Paulus, cum hæc ait (*Hebr.* IX, 27) : *Statutum est hominibus semel mori : post hoc autem judicium.* Etenim verba illa *post hoc autem*, judicium proxime sequens indicant. Id pariter ostenditur Epulonis et Lazari exemplo ; Epulo enim statim ad inferos detrusus est, Lazarus autem assecutus etiam statim sinum Abrahæ. Profecto Augustinus postremo hoc exemplo summum in modum nititur, hæc scriptis mandans (*a*) : « Rectissime, et valde salubriter credit judicari animas, cum de corporibus exierint, antequam veniant ad illud judicium, in quo eas oportet jam redditis corporibus judicari .... Quis adversus Evangelium, etc. »

Eadem alibi indicat (*b*) ; agnoscit enim « præter extremum judicium, judicia alia ; in quibus Deus judicet etiam de singulorum operibus propriis ; et homines plerumque aperte, semper occulte luunt pro suis factis divinitus pœnas, sive in hac vita, sive post mortem. » Etenim si post mortem punit ea facta judicio aliquo, quod extremum non sit, præcedat necesse est particulare judicium judicium extremum. Et de priore hujusce sententiæ parte hactenus.

Venio ad alteram, quæ multo difficilior est : hanc nempe : *qui non suo tempore se converti putaverit, sed ex præterito.* An ad Judicem referuntur ea verba : *qui non suo tempore converti se putaverit*, an potius ad eum, qui cum factorem suum non *agnoverit in tempore agnitionis*, habiturus est eum post exitum, judicem justum ? Utraque explicatio defendi fortasse poterit ; sed orationis series, ac continuatio indicare videtur, ad judicem ea verba referenda esse, qui cum ab homine, dum adhuc vivit, exorari se sinat, post mortem obsecrationes quaslibet rejicit. Hinc voces illas, *sed ex præterito*, sic interpretor, ut denotent : *sed jam tempus aptum elapsum est.* Agunt hoc de argumento Theologi, et præsertim P. Liberius (*Tom.* I *Controversiarum, tractat.* III, de statu animarum, *par.* I, *controv.* 1). Ego, cui multa hic congerere proposita brevitas vetat, Hilarium tantummodo allego, duo illius loca indicans, quæ quoniam paulo longiora sunt, Lectorem deprecor, ut ea per se legat. Sunt porro numerus 23 commentariorum in Psal. II (*pag.* 92 *tomi* I : *Confessio tantum in sæculo*, etc.), et numerus 4 commentariorum in caput XXVII Matthæi, in quo quidem loco explicatur parabola decem Virginum. (*Sponsus atque sponsa*, etc.)

45. Id est, oportet hæc de Deo credere.

46. Si deesse putes (deesse autem potest ob amanuensis indiligentiam) in nostro codice, post vocem *crediderit*, particulam *et ;* adeo ut legendum arbitreris : *qui crediderit, et abstinet se... requiem habebit*, etc. ; tum idem denotat hæc Hilarii sententia, atque illa Gregorii Magni illustrantis nobilem Evangelii locum : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur*, « Fortasse, inquit (*Homil.* 29, *in Evang. n.* 5), unusquisque apud semetipsum dicat : Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet : vera etenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit : hinc est enim, quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit (*Tit.* I, 16) : *Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Hinc Joannes ait (I *Joan.* II, 4) : *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est.* » Immo id ipsum denotat etiam Hilarius numero 9 commentariorum in psalmum XIV : quem quidem Hilarii locum subsequenti annotatione allegabimus.

Si vero defuisse in primævo ipso exemplari putes particulam *et*, legendumque sit, uti in codice nostro legitur, *qui crediderit, abstinet se*, etc. ; tum sic explica : qui vere credit, is abstinet ab omni injustitia, id scilicet executus, quod fides nostra agere nos jubet. Apte Jacobus apostolus (*cap.* II, *vers.* 17) : *Fides si non habeat opera, mortua est*, etc.

47. Adeo frequentes sunt promissiones, quibus certi efficimur, per proba opera, æternam nobis requiem esse conferendam, ut inutile videatur testimonia multa ad id facientia congerere. Unicam, sed perspicuam Christi sententiam hic proferam, poscenti enim ab ipso (*Matth.* XIX, 16) : *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, hæc reposuit : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata... Non homicidium facies : non adulteraberis : non facies furtum : non falsum testimonium dices : honora Patrem tuum et matrem tuam : et diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Vitam (quod alibi dixi) hic intellige vitam eam, quæ alibi simpliciter *vita* (*Matth.* VII, 14 ; *rursus* XVIII, 8), alibi *corona vitæ* appellatur (*Jacob.* I, 12 ; *Apoca.* II, 10).

Sed quænam, inquies, requies ea est, quam habebimus *in vita?* Ea, de qua ait Paulus (*Hebr.* IV, 11) : *Festinemus, ingredi in illam requiem ;* et de qua agit Muratorius in eo libro, quem inscripsit *de Paradiso contra Burnetum* (*cap.* 4, *pag.* 58 *et subseq.*) ; in eo quippe veterum Patrum loca collegit, ex quibus constet, requiei nomine veram perfectamque beatitudinem intelligi. Mihi, cui paucis in his annotationibus disserere licet, satis est unum allegare ex Ecclesiasticis precibus desumptum locum ; quippe ante Pium V in vigilia Assumptionis Mariæ preces hæ recitandæ præscribebantur : *Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei genitricis requiem celebramus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem*, etc. Quas si immutavit sanctissimus Pontifex, non propterea immutavit, quia minus convenientes putaret, sed ne ii, quibus cordi erat Ecclesiam romanam ubique distringere, hanc habere vel minimam possent occasionem, qua eam carperent, veluti subobscure de cœlesti beatitudine loquentem.

Verum, ne, dum Hilarii dicta expendimus, ejusque sensa investigamus, alia sancti Doctoris loca eodem spectantia negligere videamur, ecce illa, ex quibus sane manifesto constat, *quietis æternæ* nomine æternam ab eo intelligi beatitudinem. Commentariis illustrans versiculum primum Psalmi XIV : *Domine, quis habitabit*, etc., hæc ait (*pag.* 69) : « Oratio est simplex Dominum precantis et optantis ab eo noscere, qui mores, quod studium, quæ voluntas sit cohabitaturi cum Deo, et in excelsis ejus, et cœlestibus quieturi. » Et numero nono (*pag.* 74) explicans hæc ejusdem XIV Psalmi verba : *qui non egit dolum in lingua sua*, scriptis hæc tradidit. « Ut veritatem, quam sentit, non fallat in verbis ; ut catholicæ doctrinæ professionem, et ita sentiendi ac prædicandi judicium etiam operatio consequatur : quia secundum apostoli testimonium ut in corde creditur, ita in ore

(*a*) *De anima et ejus origine lib.* II, c. 4, alias n. 8.
(*b*) *Lib.* XX. de Civit. cap. 1, n: 2, *quia et nunc judicat, et ab humani generis initio judicavit*, etc.

confessio fit ad salutem. Ergo ut sit in Dei requiem dignus ascensus, in verborum ac linguæ veritate vivendum est : ut per operationum fidem sensus nostri verba non falsa sint. »

Confer autem, obsecro, jam allegata præsentis epistolæ verba : *Æternam requiem habebit in vita*, cum iis, quæ docet Hilarius explicatione sua illustrans Psalmum LXII, videbisque hac ipsa sententiarum collatione, quam merito dixerim, ejus, de qua disserimus, Epistolæ auctorem Hilarium esse. Ecce porro quæ in illum Psalmum Hilarius docet (*n.* 7, *in Psal.* LXII, *pag.* 174) : *Est et vita post vitam, quia in Abrahæ sinibus vivendum est, in qua Dei nomen pauperis quiete benedicitur.*

48. Aliqua deesse hic videntur, per quæ via sternatur ad copiosiorem explicationem verborum illorum : *Deinde credendum illis, Jesum Christum Filium Dei*, etc.

49. Rejicit hic Hilarius perridiculas illas, et turpes deorum genituras, quas Ethnici confinxerunt, sexuum commistionem minime veriti interdum in B ducere ; quos imitari visi sunt nonnulli hæretici, quos refellit Irenæus (*lib.* I, *cap.* 1 ; *rursus lib.* IV, *cap.* 1 ; *quibus adde quæ habet Epiph. hær.* 31), et recenset Petavius (*vide quæ tradit Petavius, lib.* X *de Trinita.* 8, 9 *et* 12). Alibi sane Hilarius eumdem errorem videtur refellere, cum hæc ait (*lib.* IV *de Trinitat.*, *n.* 6) : « Novit (Ecclesia) in spiritu Deum Spiritum impassibilem, et indesecabilem : didicit enim a Domino, spiritui carnem et ossa non esse : ne forte cadere in eum corporalium passionum detrimenta credantur. » Rejicit pariter illam Filii generationem quam per summam amentiam excogitarunt nonnulli, Sabellii, ut puto, asseclæ, qui, ut verbis Hilarii utar (*lib.* IV *de Trinitat.*, *n.* 4, *pag.* 73, *tom.* II), « vocem hanc ὁμοούσιον hoc sensu usurparunt, atque elocuti sunt, tanquam ipse sit pater, qui et filius, ex infinitate videlicet sua protensus in Virginem, ex qua corpus assumens, sibi in eo corpore quod assumpserit, filii nomen addiderit. »

50. Eos pariter rejicit, qui purum hominem Christum esse dixerunt (*Vide quæ tradit Hilarius de Synod. n.* 38 *can.* VI *et* VII) : eos quoque, qui fingere eum poterant spiritum quemdam Deo minorem, qui carnem deinceps in Virgine suscepisset : vult quippe indubitate ex Deo genitum, ideoque verum Dei Filium, proindeque Deum verum.

51. Error aliquis procul dubio in hæc verba irrepsit : *non divisa ejus substantia, nec majestatis ejus divisa substantia, ac per hoc passibilis videatur.* Scilicet aut glossema quoddam priorum verborum, *non divisa ejus substantia*, sunt posteriora ista verba, *nec majestatis ejus divisa substantia*, quæ ex margine in epistolam ipsam irrepserunt ; aut legendum est, *nec majestatis ejus imminuta substantia.* At quomodo, inquies, cum superioribus subsequentia congruunt, ac connectuntur : *nec majestatis ejus divisa substantia, ac per hoc passibilis videatur?* An Filius ex eo quod ex indivisa Patris substantia prodit, passibilis aut *videtur*, aut est? Aut itaque emendandus est rursus codex D legendumque, *ne per hoc passibilis videatur ;* loret enim passibilis Pater, si substantia ejus scinderetur : aut ita accipienda sunt verba ista, *ac per hoc passibilis videatur*, ac si diceret : Fatemur quidem ex se (id est ex Deo Patre) Filium *natum*, sed ita ut indivi-

A dua permaneat illius (Patris) substantia ; nam si dividuam facis, passibilis videtur, seu apparet : posito scilicet subjunctivo, pro indicativo, quod sæpe facit Hilarius (*a*). Nimirum Arius, illiusque asseclæ catholicos accusabant, quod, dum Filii generationem explicare studebant, in eorum errorem inciderent, qui divinam dividebant, secabantque substantiam, eam veluti patientes in Patrem, et Filium ; hinc in suis fidei professionibus illud extollebant maxime, quod divinitatem in uno Patre agnoscentes, Deum minime secarent dividerentve, sed integrum, ut ita loquamur, servarent. Audi, obsecro, quid Arius ipse ad Alexandrum Alexandriæ Episcopum scribens effutiat (*b*) : « Novimus unum Deum solum infectum... nunc Deum generasse filium unigenitum ante omnia sæcula, per quem et sæculum, et omnia fecit. Natum autem non putative, sed vere obsecutum voluntati suæ, immutabilem, et inconvertibilem creaturam Dei perfectam, sed non sicut unum de creaturis ; facturam, sed non sicut cæteræ facturæ ; nec ut Valentinus B prolationem, natum Patris commentatus est : nec sicut Manichæus partem unius substantiæ Patris natum exposuit ; nec sicut Sabellius, qui unionem dividit, ipsum dixit filium, quem et Patrem ; nec sicuti Hieracas, lucernam de lucerna, vel lampadem in duas partes ; nec qui fuit ante, postmodum natum, vel supercreatum in filium, etc. » Neque vero id Arius tantummodo tradidit. Eusebius Nicomediensis episcopus, magni nominis inter Arianos, catholicos perstringere non est veritus (*c*), quasi hi « Deum unum in duos divisum, vel corporale aliquid quod patiatur, assererent, tum ex ipso, vel ab ipso Patre fuisse, sicuti partem ejus, aut ex affluentia substantiæ. »

Eunomius similiter (*Apud Nyssenum lib.* III *contra Eunom.*) « filii substantiam a Patre genitam esse ait, non extensione prolatam, nec incremento perfectam, non mutatione formatam : » quibus quidem verbis non modo suam sententiam exponere, verum etiam catholicos incusare creditur, et reprehendere.

C Hilarius itaque, ut eorum vafritiem eludat, et catholicos a reprehensione vindicet, non modo in eo libello, quem explanamus, verum etiam in libris aliis illud ipsum dogma inculcat, cujus causa se a catholicorum partibus recessisse aiebant Ariani, lib. II de Trinitate (*n.* 8) hæc ait : « Sed neque pars Patris in Filio est... neque natura habet omnia esse, quod portio est. Perfectus autem a perfecto est : quia qui habet omnia, dedit omnia. Neque existimandus est non dedisse, quia habeat, vel non habere, quia dederit. »

Libro III de Trinitate (*n.* 4) : « Igitur perfecti Patris perfectus Filius, et ingeniti Dei unigenita progenies, qui ab eo, qui habet omnia, accepit omnia, Deus a Deo, spiritus a spiritu, lumen a lumine, confidenter ait : *Pater in me, et ego in Patre :* quia ut spiritus Pater, ita et Filius spiritus ; ut Deus Pater, ita et Filius Deus ; ut lumen Pater, ita et Filius lumen. Ex iis ergo quæ in Patre, sunt ea in quibus est Filius, id est, ex toto Patre totus Filius natus est ; non aliunde, quia nihil antequam Filius ; non ex nihilo, quia ex Deo Filius ; non in parte, quia plenitudo Deitatis in Filio ; neque in aliquibus, quia in omnibus ; sed ut voluit qui potuit, ut scit qui genuit. »

Rursus in eamdem sententiam (*lib.* III *de Trinit.*, *n.* 17) : « Deum nemo noscit, nisi confiteatur et

(*a*) Unicum porro affero, sed notissimum exemplum desumptum ex commentariis in Matthæum (canone 27, alias cap. 27, in Matth. XXIV, 48, atque eo quidem loco utimur in lectionibus tertii Nocturni in communi *confessoris*, pontificis secundo loco) : *Quia adventum desperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia præsentibus studuerit, quia vita gentium vixerit, quia desperatione judicii commissam sibi familiam fame, siti, cæde vexaverit :* pro desperavit : non obtemperavit ; studuit, vixit, vexavit. Et ne ab hac ipsa epistola discedamus, paragr. 3, p. 39, hæc habet : *ut etiam quod propter nos fuerit fabricatum :* id est, *fuit fabricatum.*

(*b*) Epistolam hanc habet græce Epiphanius hære. 69, n. 5. Sed ego latina Hilarii interpretatione utor lib. IV de Trinit., n. 12 ; et lib. VI de Trinit. n. 5.

(*c*) In episto. ad Paulinum Tyri episcopum quam commemorat Victorinus in præfatio. Operis *contra Arianos.*

Patrem, patrem unigeniti Filii, et Filium non de portione, aut dilatatione, aut emissione, sed ex eo natum inenarrabiliter, incomprehensibiliter, ut Filium a Patre, plenitudinem divinitatis, ex qua, et in qua natus est, obtinentem, verum et infinitum, et perfectum Deum; hæc enim Dei est plenitudo. Nam si horum aliquid deerit, jam non erit plenitudo, quam in eo habitare complacuit. Hoc a Filio prædicatur, hoc ignorantibus manifestatur : sic clarificatur per Filium Pater, cum Pater Filii talis agnoscitur. »

Deinceps vero, ac præsertim numero nono, et subsequentibus libri VI quaslibet explicationes hæreticas quarum jam meminimus, nominatim et expresse condemnat. Pauca delibemus ex plurimis (*lib.* VI, *n.* 10). « Manichæum, secundum hæreticæ insaniæ prædicatores, pia Ecclesiæ fides damnat. Nescit enim in Filio portionem : sed scit Deum totum ex Deo toto; scit ex uno unum; non desectum, sed natum; scit nativitatem Dei nec diminutionem esse gignentis, nec infirmitatem esse nascentis... hæc enim ita ei a Deo unigenito comperta sunt, quod Pater, et Filius unum sunt, quod plenitudo Deitatis in Filio est : per quod et portionem unius substantiæ odit ad Filium, et per nativitatis veritatem, veræ Divinitatis proprietatem veneratur in Filio. »

Sic porro tum eos, qui in prolatione quadam divini Verbi generationem collocabant, tum eos etiam, qui Patrem corporeum fore dicebant, et mutabilem, si filium genuisset ad eum modum, quo orthodoxi contendebant : sic, inquam, impios hos et disputantes inducit, et refutat (*lib.* VI *de Trinit. n.* 17). « Si, inquit, ex Deo est Filius demutabilis, et corporeus Deus est, qui ex se protulerit, vel extenderit quod sibi esset, in Filium. Quid sollicitus es, ne demutabilis Deus sit? Nos nativitatem confitemur; nos unigenitum prædicamus ex Deo docti : tu, ne nativitas maneat, ne unigenitus Deus in Ecclesiæ fide sit, naturam indemutabilis Dei, quæ nec extendi, nec protendi possit, opponis. Afferrem tibi, infelix error, etiam ex rebus mundi quarumdam naturarum, quæ gignuntur, exemplum, ne nativitatem protensionem existimares, ne nascentium naturas detrimenta crederes esse gignentium, ut etiam multa sine corporali admixtione ex viventibus in viventes animas gignerentur : nisi nefas esset Deo de se non credidisse, et ultimi furoris vesania judicaretur, adimere auctoritatem ad fidem, cui venerationem profitearis ad vitam. »

Rursus numero undecimo libri VII de Trinitate : « Non enim, sicut frequenter dictum a nobis est, divisionis in Filio, sed nativitatis sacramentum prædicamus. » Vide quæ annotant in locum hunc PP. S. Mauri. Denique, ne cuncta afferam, copiosissime hoc de argumento disserit num. 22 et 23 libri, quem *de Synodis, seu de Fide Orientalium* inscripsit. Si multa porro hoc de argumento cupis, Petavium consule (*a*). Hic tantum proferre placet Alexandrum Alexandriæ Episcopum, quem magnum habemus Catholicæ veritatis vindicem. (*b*) « De quibus (*de Patre et Filio loquitur*) nos ita credimus, quemadmodum Apostolica sentit Ecclesia : in unum ingenitum Patrem.... Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum : non ex nihilo genitum, sed ex eo qui Pater est : non corporum more per incisiones, aut defluxus divisionum, quem ad modum Sabellio videtur, et Valentino, sed inexplicabili, et inenarrabili quodam modo juxta Prophetæ verba, quæ supra retulimus : Generationem ejus quis enarrabit? » Consule, obsecro, quæ hoc de argumento Gezo Derthonensis Abbas edidit (*c*); atque ex iis disces, quanti apud veteres Hilarii auctoritas constiterit.

52. Recole dicta n. 19. Hic tantum Athanasii monita hoc ipso de argumento affero (*d*). « Verbum non dissolubiliter, neque simpliciter vox est significativa, sed substantiale Verbum est, et substantialis Sapientia, quæ revera est Dei filius : nam nisi substantialis est, erit Deus loquens in aerem, atque corpus, nihil hominibus amplius habens, etc. » Reliquos Patres eo de argumento disserentes consule apud Petavium, eo ipso, quem annotatione 19 dixi, loco; scilicet capite 2 libri VI *de Trinitate*.

53. Substitue *Filiis*, seu, si vis, *Sermonibus*, quibus cave dicas æqualem, aut similem Dei filium. Nimirum impetit hic Hilarius impiam Arii confessionem (*apud Hila., lib.* IV *de Trinit., n.* 12, *et* VI *n.* 5), qui fassus Patrem, quem solum Deum agnoscebat, « genuisse Filium unigenitum ante omnia sæcula, per quem et sæculum, et omnia fecit; » addebat, « creaturam Dei perfectam, sed non sicut unam creaturarum : facturam, sed non sicut cæteræ facturæ, etc. » Arbitror autem edocere hic velle Hilarium, si admittatur Filius ex nihilo editus (quod necesse est faciat, qui creaturam tametsi perfectissimam, eum agnoscit), similem, atque adeo æqualem reliquis creaturis fore in potissima, et essentiali Creaturæ notione unigenitum Dei; id enim tantummodo sejungit Creaturam a Deo, quod Creatura *ex nihilo* sit; Deus *ex se*. Ariana porro opinio adeo displicuit aliis omnibus, qui plane Ariani non erant, ut damnata sit ab iis ipsis, qui non omnino Catholici creditu sunt. Hæc sane in Sardicensi Synodo statuta sunt (*Hilar. de Synod. n.* 34 *et* 35) : « Eos autem, qui dicunt, de non extantibus esse Filium Dei, vel ex alia substantia, et non ex Deo.... anathematizat Sancta et Catholica Ecclesia. » Immo in secunda Sirmiensi Synodo, cujus fidei professionem Hilarius profert, idem error condemnatur his verbis (*Ibid. n.* 38, *anath.* 1) : « Eos autem, qui dicunt : De nullis extantibus filius, vel de altera substantia, et non ex Deo, et quod erat tempus, vel sæculum, quando non erat, alienos scit sancta et Catholica Ecclesia. » Ut reliquos porro præteream, qui hanc Arii blasphemiam refutarunt, sæpe illam, et luculente, repellit Hilarius. Unum seligo, ne in re notissima videar abundare, Hilarii locum. Numero 2 libri XII *de Trinitate* (*pag.* 409 *tomi* II) scriptis hæc tradidit : « Non enim Dominum Jesum Christum creaturam, quia neque ipse est : neque facturam, quia facturarum omnium ipse est Dominus; sed Deum novimus, Deum Dei Patris propriam generationem, etc. »

54. Expressissima hæc est Hilarii sententia, ex qua quidem facile innotescat, unum eumdemque esse utriusque operis auctorem (*lib.* II *de Trinit.*, *n.* 9, *p.* 32). « Habent igitur nativitatis hujus uterque secretum. Et si quis forte intelligentiæ suæ imputabit, generationis hujus sacramentum non posse se consequi, cum tamen et Pater sit absolute intellectus, et Filius; majore istud dolore a me audiet ignorari. Ego nescio, non requiro; et consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit. Inenarrabilem etiam unigeniti divini Filii nativitatem appellat n. 12 lib. II, et num. 16 libri VI *de Trinitate*.

Sed ne solum Hilarium proferre videar, ecce tibi Athanasium (*orat.* III. *pag.* 214) hæc proferentem. « Indecorum est quærere quomodo ex Deo Verbum existat, aut quomodo sit Dei splendor, aut quomodo generet Deus, et quis sit modus generationis Dei. Insanus enim sit, qui talia audeat, cum inexplicabilem rem, ac divinæ naturæ propriam, solique ipsi, et ejus Filio cognitam, oratione sua declarare conetur. Perinde est enim, ac si iidem inquirerent, ubi sit Deus,

(*a*) Lib. V *de Trinitate*, cap. 6. Et rursus cap. 8, n. 9, et sequent.

(*b*) In Episto. ad Alexan. Constant. Epist. apud Theodor. lib. I Eccles. Hist., cap. 4.

(*c*) *De Corpo. et Sangu. Christi*, cap. 1 et sequent., pag. 253 tomi III Anecdo. Murator.

(*d*) Oratione V, Petavio, ut puto, interprete, in lib. VI *de Trinita*, cap. 2, n. 9.

et quomodo sit Deus, et cujusmodi sit Pater. Sed ut tale aliquid sciscitari impium est, et eorum proprium, qui ignorant Deum, ita neque fas est in Filii percontanda generatione eamdem audaciam sumere. » Quin et Prudentius (*in Apotheosi*) non Poetæ, sed Theologi personam agens Arianos ineffabilis generationis audacissimos investigatores versibus his castigat :

Pergunt ulterius scrutantes, quid sit id ipsum
Gignere, si fas est humanos tendere sensus
Usque ad secretum, quod tempora cuncta, diesque
Prævenit antiquos, et principium super ipsum
Eminet, et quodcumque potest homo quærere, transit.
Cum sit difficilis via, noscere principiorum
Semina; cui dabitur mortali exquirere, quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit Verbum, quod principio caret omni?
Hoc solum scimus, quod traditur esse Deus, quem
Non genitus genitor generaverit, unus, et unus. Etc.

Patres alios si cupis, eos tibi præbebit Petavius (*lib.* v *de Trinit.*, *cap.* 6). Unum seligo, quem hic proferam, Alexandrum Alexandriæ Episcopum, præclarissimum Arii, illiusque hæreseos reprehensorem (*apud Theodo. lib.* I *Hist. cap.* 4). « Solertissimam (inquit ille) Evangelistarum, ipsorumque adeo angelorum comprehensionem transcendit unigeniti Filii Dei inexplicabilis subsistentia. Quare inter pios, meo quidem judicio, censendus non est, etc. »

55. Loca illa Hilarii, et Alexandri Alexandrini, quæ modo allegavimus, hic recole: *Angeli nesciunt*, *Angeli non audierunt*, etc. Sed ea, quæ mox afferemus, hic quoque, si vis, afferre commode potes. Epistola porro, quam dixi, Alexandri Alexandrini copiosissime hoc argumentum exsequitur.

56. Quamquam Arius æternitatem Filii visus sit admisisse, dum fatetur, « Deum (Patrem) genuisse filium unigenitum ante omnia sæcula, per quem et sæculum, et omnia fecit; » revera tamen æternum esse negavit, « solum Deum (Patrem) infectum, solum sempiternum, solum sine initio, immortalitatem habentem » (*apud Hila. lib.* IV *de Trinit. n.* 12) agnoscens. Quem quidem errorem secutos fuisse deinceps Arii in impietate consectatores, discis ex iis monumentis, quæ copiose collegit Petavius, e quibus aliqua seligo, quæ ad paginæ calcem noto (*a*), quæque ut per se ipse consulat Lector, rogo, eum deprecans, ut Alexandri Alexandriæ Episcopi quam dixi epistolam legens, plane videat, quantum Catholicis adversus Arium decertantibus statim cordi fuerit, æternitatem divini Verbi inculcare. Quamquam porro aut mitiores, aut fortasse callidiores quidam Ariani filium *ante tempora* genitum facile admitterent; si ab eis tamen exposcebatur, ut coæternum Patri faterentur, id facere recusabant; sed quædam tempora, quæ *putatitia*, *commentitia*, *imaginaria*, *priora* nonnulli appellarunt, inducebant, quæ res creatas præcederent, ideoque cœlos, solem, et stellas, quorum omnium motu, ac conversione tempora dimetimur. Atque in illis *putatitiis*, *commentitiis*, *imaginariis*, *prioribus* temporibus Verbum Patris genitum, ideoque veram, licet cæteris præstantiorem et anteriorem, Creaturam describebant. Horum omnium errorem merito redarguerunt Catholici, quorum argumentationes Theologi habent. Tu, si vis, eos consule (*b*). Hilarii libellum explananti satis est, dogma hoc aliis Hilarii locis confirmare. Hæc itaque ait ille (*c*) : « Nec non in eo se eleganter doctrinæ propheticæ, sed et Evangelicæ atque apostolicæ posse existimant contraire, ut Filii nativitatem intra tempora prædicent. Cum enim vitiose a nobis asserant dici, Filium semper fuisse, necesse est, excludendo quod semper fuerit, nativitatem ejus confiteantur ex tempore. Si enim non semper fuit, erit tempus quo non fuit. Et si est tempus quo non fuit, erit ante eum tempus: quia qui non semper est, esse cœpit ex tempore. Qui autem caret tempore, non potest eo carere quod semper est. Respuere se autem id, quod semper Filius fuerit, ob eam causam affirmant, ne per id quod semper fuit, sine nativitate esse credatur : tamquam per id quod semper fuisse dicitur, innascibilis prædicetur. » Et paucis interpositis : « Confitetur Patrem æternum, et ab origine liberum : Confitetur et Filii originem ab æterno : non ipsum ab initio, sed ab ininitiabili : non per se ipsum, sed ab eo qui a nemine semper est, natum ab æterno, nativitatem videlicet ex paterna æternitate sumentem. » Alia porro Hilarii loca si consulere Lector velit ea adeat, quæ ad calcem paginæ noto (*d*).

Mirum vero non est, si æternitatem Verbi inculcarint tam sæpe Orthodoxi. Ut ut reliqua eluderent Ariani, adeo ut *Deum* etiam fateri minime dubitarent unigenitum Dei (*e*) ; quando tamen ab eis exquirebatur, ut æternum faterentur, subdolas quidem inducebant voces, *ante sæcula* eum fuisse dicentes, eoque, veluti manu quadam, et instrumento ad sæcula condenda fuisse usum Deum (Patrem) : fatebantur etiam nonnulli minus rigidi Arii asseclæ, veluti Patres Antiocheni, *semper fuisse in principio apud Deum* (*f*) : tamen vere, et simpliciter æternum, seu *sempiternum* fateri recusabant : Solum Deum (Patrem) *sempiternum*, *et sine initio* monentes esse (*g*). Hujusce rei præter antiquam Arii confessionem, alia etiam habemus exempla (*h*). Quoniam porro multis hic de eo argumento disserere opus non est, unicum, perspicuum tamen exemplum affero. Damnati fuere scilicet a Concilio Aquileiensi veluti indubitati Arianæ hæreseos rei Palladius, et Secundianus, quod unigenitum Dei *sempiternum* fateri recusarunt. Lege, obsecro, tum acta ipsa Concilii, quæ, ut multorum opinio valde probabilis est, Ambrosii diligentia nobis servavit (*i*) : tum epistolam ab eo Concilio ad Imnodo hac editam, latineque expressam ab Hilario n. 29 libri *de Synodis*. Notant tamen eidem Patres Sancti Mauri Athanasium, et Socratem, dum hanc fidei formulam describunt, omisisse vocem *semper*, a qua scilicet vehementer Arianos abhorruisse testatur Hilarius n. 5 libri IV *de Trinitate* : sed revera hanc expressam fuisse ab Antiochenis Patribus, cum Hilarius doceat, ea de re minime dubito. Vide etiam quæ idem Hilarius deinceps tradit, n. scilicet 33 ejusdem libri *de Synodis*.

(*a*) Petav. *de Trini.* II, 9, 8, III, 10, 5 et 6, et lib. V, cap. 9.

(*b*) Vide Petavium loco nuper allegato, nempe lib. II *de Trinita.*, etc.

(*c*) Lib. IV *de Trinit.* n. 5 et 6, pag. 73 et 74 tomi II.

(*d*) Lib. XII *de Trinit.* n. 21, pag. 420 tomi II : *Esset itaque*, etc. Ibidem n. 27, pag. 424 : *At vero cum in Dei rebus*, etc. In libro de Synod. n. 24, pag. 475 : *Et si quis sermonem*, etc. In Commen. in ps. LXIII, n. 10, p. 181 tomi I : *Jam si fidem hæreticus destruet*, etc.

(*e*) Hac scilicet voce deum inferiorem *Vero Deo*, aut improprie dictum *Deum* appellari monebant. Vide Petav. *de Trini.* II, 9, 4 : *At enim Deum esse*, etc. Vide etiam n. 69, et quæ in eo notabimus.

(*f*) Synodus Antiochiæ anno 341 (uti quidem nos docent Patres S. Mauri, qui Hilarii opera ediderunt) jure, ac merito, plerisque suspecta est. Vide annotationem Patrum S. Mauri in *professionem Fidei* in Sy-

(*g*) Vide fidei professionem ab Ario conditam apud Hilar. lib. IV *de Trinita.* 12, etc.

(*h*) Alexander Alexandriæ Episcopus apud Theod. lib. I cap. 4 ex Arianorum sententia : *Fuit tempus*, *cum non esset Filius Dei*, etc.

(*i*) Tom. II edit. Ambrosii PP. S. Mauri pag. 790 et 792 : *Specialiter dicit solum Patrem sempiternum.* = *Ambrosius dixit : Filius Dei habet immortalitatem*, *aut non habet secundum divinitatem.*

peratores scriptam (*a*), in qua hæc extant: *Isti Arium potius sequi, quam sempiternum Deum Dei Filium... voluerunt fateri.*

Hinc denegata Verbo æternitas certum argumentum fuit professionis expresse Arianæ. Quam ob rem Eudoxius, tametsi non prorsus Orthodoxus, ut tamen Ursacio, Valenti, aliisque in Arii impietate consortibus obsisteret, mitioremque Aetii errorem stabiliret, in Ancyrana Synodo unigeniti Dei æternitatem tribus canonibus exprimi curavit; x scilicet, XI, et XII (*Hilarius de Synodis n.* 23). Et Hilarius ipse in brevi illa fidei professione, quam edidit adversus Arianos (*Ibidem n.* 64), si a Catholicis poposcit, ut faterentur *Patrem non intra tempora*, poposcit etiam, *ut cointemporalem Patri Filium non negarent.* Ad locum hunc copiosius illustrandum ea proderunt, quæ numero 76 afferemus.

57. Alibi dixi (*In præfationis capite* 1, *num.* 3) Hilarium latine scribentem græcas voces quandoque adhibere, ut se nempe clarius explicet. Num vero vocem istam latinis characteribus ipse scripserit (quod Latinos Patres constanter fecisse vult Richardus Simon) an Græcis judicaverit Lector. Utcumque sit, vox ista (quod quisque facile noscet) *negantem* (seu excludentem) *tempus*, seu sine tempore, ideoque ante tempora, et æternum denotat unigenitum Dei.

58. Ne objiceretur, hæc temere ab Orthodoxis dici, perquisierunt hi sæpe argumenta, quibus eam, quam statuebant, divini Verbi æternitatem comprobarent; in quorum numero illud potissimum esse videtur, quod hic paucis perstringit Hilarius, desumptum scilicet ex immutabilitate Patris, quam admittamus necesse est, si Deum facimus; etenim mutatum ille describit, qui unigeniti Filii Patrem in tempore describit. Hanc ipsam probationem cum adhibeant alii Patres, quos Petavius minime præterit (*b*), eam sane et sæpe, et copiose urget Hilarius, veluti numero 5 libri IV *de Trinitate*, et alibi sæpe (*c*). Sed unicum præstat locum hic afferre, ex libro XII *de Trinitate* (*n.* 21, *p.* 420), qui sic se habet. « Et aliud est sine auctore esse semper æternum, aliud quod patri, id est auctori, est coæternum. Ubi enim pater auctor est, ibi et nativitas est; at vero ubi auctor æternus est, ibi et nativitatis æternitas est: quia sicut nativitas ab auctore est, ita ab æterno auctore æterna nativitas est. Omne autem quod semper est, etiam æternum est. Sed tamen non omne quod æternum est, etiam innatum est. Quia quod ab æterno nascitur, habet æternum esse quod natum est. Quod autem non natum est, id cum æternitate non natum est. Quod vero ex æterno natum est, id si non æternum natum est, jam non erit et Pater auctor æternus. Si quid igitur ei, qui ab æterno Patre natus est, ex æternitate defuerit, id ipsum auctori non est ambiguum defuisse: quia quod gignenti est infinitum; infinitum est etiam nascenti. Medium enim quid inter nativitatem Dei filii, et generationem Dei patris nec ratio nec sensus admittit, quia et in generatione nativitas est, et in nativitate generatio est. Quod utrumque sine intervallo sui est, quia sine utroque nec neutrum est. » Hoc ipsum argumentum persequitur Alexander Alexandrinus Episcopus, quem legas, opto (*d*): Perstringit vero paucis Augustinus hæc scriptis mandans (*Epist. olim* 174 *nunc* 238, *n.* 24): *Semper gignit Pater, et semper nascitur Filius.* Adde quæ tradit Petavius (*Lib.* II *de Trinit. cap.* 5).

59. Mutationis cujusque et novi status expertem esse Deum, apertissime Scripturæ testantur: idque etiam Patres, et ratio insinuant. Sed præsentis instituti non est hæc persequi. Theologos consule, et præ cæteris Petavium (*Tom.* I *Theolog.*, *lib.* III, *cap.* 1). Quo quidem constituto, æternam esse divini Verbi generationem, ex eo evincit Hilarius, quod alias mutaretur Deus Pater: inciperet enim in tempore filium habere.

Prævenit porro Hilarius id, quod adversus stabilitam Dei immutabilitatem objici facile potest: nempe Deum condidisse in *tempore* mundum; nec propterea divinam præstantiam, ac perfectionem imminui: prævenit, inquam, monens mutationem nullam ex rerum creatione in Deum induci, quia æterno, immutabilique decreto cuncta stabilita, et in divina idea perfectissima cuncta disposita sunt: atque ita executioni mandata sunt, uti stabilita, ac disposita fuerant. Id ipsum alibi tradiderat (*e*). Alia excogitarunt Theologi ad arcendam a Deo mutationem, quæ ex temporali rerum creatione metui fortasse posset, quorum magnam partem recenset Petavius (*Tom.* I *Theol. dogm.*, *lib.* III, *cap.* 1). Sed Hilario placuit (quod jam dixi) ad immutabilitatem divini decreti, ideoque scientiæ, et ideæ Dei confugere. Expressissimum seligo ex pluribus Hilarii locis, quem præbet numerus 40 libri XII *de Trinitate*, et hic est. « Perpetua enim, et æterna rerum creandarum est præparatio: neque partibus cogitationum universitatis hujus corpus effectum est, ut primum de cœlo sit cogitatum, tum postea terræ cura, et tractatus Deum inierit, cogitatumque per singula sit, ut primum in planitiem diffunderetur, deinde postea meliore consilio montibus elevaretur, rursum autem etiam collibus variaretur, quarto deinde habitabilis etiam in ipsis cacuminibus redderetur, præparatumque cœlum, ac sedes Dei segregaretur, ventorumque exhalationes nubes in summo valide continerent: tunc deinde certi sub cœlo fontes mearent, ac postremo fundamentis terra fortibus confirmaretur. Singulis enim his omnibus anteriorem se Sapientia esse profitetur. Sed cum omnia per Deum, quæ sub cœlo sunt facta sint, et componendo cœlo Christus adfuerit, et ipsam præparati cœli præveniat æternitatem; non patitur hoc existimari in Deo minutarum rerum particulatas cogitationes, quia omnis horum præparatio Deo est coæterna. »

60. Propter homines (*quod propter nos*, etc.) fuisse conditum Mundum, haud obscure docet alibi etiam Hilarius, veluti cum hæc ait (*In ps.* LXV, *n.* 6, *pag.* 197 *tom.* I): « Quis enim non trepidet ad majestatem ejus, qui sæcula instituerit, mundum condiderit, tempora revolubili vicissitudine, cursuque dimensus sit, cœlum astris ornaverit, terram fructibus repleverit, mare obicibus concluserit, hominem, ut his aut uteretur, aut dominaretur, elegerit. » Eadem inculcat in commentariis in alios psalmos, quæ omnino legas opto (*f*). Num id ipsum indicet locus ille psalmi VIII: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, etc., judicaverit Lector. Fuse porro hoc de argumento, peculiari dissertatione disseram.

61. Idest: tametsi nondum condiderat, disposuerat tamen, et intra se ordinaverat. Vide num. 59.

(*a*) Pag. 807 et 808, n. 5. Vide porro quæ hoc de argumento traduntur in editione Operum S. Ambrosii adornata a Patribus S. Mauri post epistolam VIII, pag. 786 tomi II, *Ambrosius lectam Arii epistolam*, etc.

(*b*) Lib. V *de Trinita.* cap. 8, §. 4, 5 et subseq., sed præsertim § 11.

(*c*) Pag. 73 et 74 tomi II: *Cum enim vitiose*, etc.

(*d*) Apud Theodo. Eccle. histo. libro I, cap. 4: *Necessario dicendum est, Patrem semper esse Patrem*, etc.

(*e*) *Ipse* (Deus) *est etenim caput, et principium universorum, et in ipso universa sunt condita, licet postea de thesauris in se conditis, secundum arbitrium potestatis æternæ, singula quæque protulerit.* Hilari in psal. XCI, num. 4.

(*f*) Tractat. in ps. LXIII, n. 9; tractatu in ps. CXXXIV, n. 14; sed præsertim tractat. in ps. CXVIII, littera X, n. 1 et 2, pag. 334 tomi I.

62. Legendum utique puto *simul*, cum in nostro codice legatur *semel* (*semel omnia facere*) : id quippe exposcit oppositio hinc simultaneæ, illinc per plures dies distributæ rerum omnium creationis, quarum prior minus placet Hilario, qui posteriorem amplectitur, idest, distributam in dies sex, quamquam in Ecclesiastici libro de creatione agente legimus *simul* (*a*). Quanam vero ratione concilietur locus iste cum Genesi, tibi declarabunt Sacrarum Scripturarum interpretes, et Theologi. Quo quidem constituto, hanc esse arbitror loci hujus interpretationem. Non ex impotentia Dei provenit, quod non unico momento universa disposita sint, sed ideo per dierum sex intervallum disposita universa sunt, ut veluti per gradus, et juxta honoris uniuscujusque discrimen, et ordinem cuncta obsequerentur Deo condenti disponentique. Quod si prolixiorem hujusce loci interpretationem optas, eam tibi Ambrosii verba præbebunt, quæ quidem eo libentius allego, quod verisimillimum putem, Ambrosium, cum hæc protulit, ad priorum Patrum monita respexisse. En itaque quæ dixi Ambrosii verba (*b*) : « Namque mundus ipse distincte legitur factus, cum esset ante incomposita pars ejus : quia terra erat invisibilis, et incomposita. Nempe lux primum facta est, et vocavit Deus lucem, et separavit Deus inter lucem, et tenebras, et vocatæ sunt tenebræ Nox. Et per ordinem singula quæ facta sint, legimus, cœlum, terra, ligna fructifera, animalia diversa. Distributa autem sunt leviora superioribus, ut aer, et ignis ; graviora inferioribus, hoc est terra, et aqua. Utique simul omnia fieri jubere potuit Deus ; sed distinctionem servare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotiis, et maxime in vicissitudinibus gratiarum. » Notant autem interpretes, emersisse veluti gradatim ex materia illa prima creaturas : adeo ut minus præstantes initio emerserint, tum præstantiores, quarum seriem clauderet præstantior omnibus homo.

63. Paulo obscurior videtur esse locus iste, quem obscurissimum facies, si legas, uti in codice legitur, *et nulla*. Sed legendum utique arbitror, *et nuda*, id est, *sine ornatu, et specie*. Puto autem hunc habere sensum : Ideo voluisse Deum, *ut ordinata, et gradatim disposita universa pro suo gradu, et honore obsequerentur* Deo educenti per dies singulos, creaturas, ne priora illa informia elementa despicerentur (*c*). Quis enim ea non despiceret illisque non præponeret res jam venustas, suaque specie, et forma ditatas? Dum autem hæc propono, vereor ne aliquid in hac periodo desit, quod aptius jungat priora illa verba : *passiva, et nuda* (seu, si vis, *nulla*) cum subsequentibus *inter se antiquiora*. Probabilis ne sit mea suspicio, an non, Lector dijudicet.

64. Addita voce *magis*, nonnihil emendavi deficientem codicis nostri lectionem : legitur enim in eodem, *quanto illa, quæ nulli*, etc. Quis enim non videt, vocem *magis* exposci ab argumentatione, qua Hilarius utitur? quæ quidem argumentatio illius generis est, quod *a minori ad majus*, seu *a fortiori* Scholastici appellant. Porro si ad argumentationem hanc confirmandam Patrum, et Scholasticorum testimonia afferre studebo, infinitus propemodum ero. Sane Scholastici illi, qui Angelis ipsis abditum prorsus, atque incomprehensibile Incarnationis mysterium fuisse contendunt, Patribus præsertim nituntur. Mihi satis est Leonem allegare, et Hilarium, quorum prior sæpe id inculcat, atque iis præsertim in locis, quæ ad paginæ calcem noto (*d*). Alter vero copiosius id exsequitur n. 12 libri I *de Trinitate* (*e*), et n. 19 libri III ejusdem tituli, id est de Trinitate (*f*).

65. Urget adhuc Hilarius probationem quam antea proposuerat, ostendens primo, merito *absconsam, seu ineffabilem* dici nativitatem Christi corporalem, cum eam *obumbrationem* appellet Scriptura ipsa ; tum eo posito, id ipsum inferens, quod nuper dixerat, *absconsam* scilicet, seu *ineffabilem* a fortiori dicendam esse æternam Verbi generationem. De ea porro obumbratione disserentem lege, si cupis, Hilarium (*Lib.* II *de Trinita. n.* 26; *Sed ne forte*, etc.).

66. Recole quæ dixi n. 54 et 55.

67. Recole dicta n. 31, 33 et 54. In codice pro *concessos* habetur *concussus*, manifesto utique errore, quem propterea emendandum duxi.

68. Uberiorem explicationem dignitatis atque excellentiæ divini Verbi Hilarius aggreditur, simulque fidei suæ confessionem satis amplam atque accuratam exponit. Quis porro dubitet, num Hilarius, dum hos titulos Christo attribuit, illi præsertim attribuat, quatenus Deus est? Sed multi tamen eidem Christo conveniunt, quatenus etiam homo est, seu, ut melius, et verius dicam, quatenus *Deus homo* est, propter eam quam Theologi appellant *communicationem idiomatum*. Consuevit autem Hilarius eadem dogmata sæpius inculcare et recolere ; quod fatebitur quisquis libros *de Trinitate* ab eo editos perlegerit. Cujus quidem consuetudinis rationem ipse affert his verbis (*De Synod. n.* 62) : « non enim infinitus, et immensus Deus brevibus humani sermonis eloquiis vel intelligi potuit, vel ostendi : fallit enim plerumque et audientes, et docentes brevitas sermonis. » At nos reliqua ejus dicta illustremus.

69. Vox hæc *initio* tam referri potest ad æternam Filii generationem, de qua satis diximus n. 56, quam ad reliquos titulos, quos eidem filio attribuit. Qua porro significatione Dei filium nominet, et ea additione vocis, *initio*, explicat, et alibi apertissime tradit. « Non est itaque, inquiens (*Lib.* V *de Trinit., n.* 5, *pag.* 107, *tom.* II), Dei filius Deus falsus, nec Deus adoptivus, nec Deus nuncupatus, sed Deus verus.... Deus enim est, per quem facta sunt omnia. » Atque hoc loco (ut obiter dicam) non solum Ariani, verum etiam ii revincuntur (*Nec Deus adoptivus*), qui ut *adoptivum Filium* Christum facerent, Hilarii auctoritate abutebantur : nam si Deus est, quomodo adoptari poterit?

70. Antequam progredior, noverit Lector, titulos hosce, atque affines alios, qui a veteribus Theologis Unigenito Dei tribuuntur, *in duplici* veluti *differentia* esse : alios enim ideo Orthodoxi eidem unigenito Dei tribuebant, quia Ariani eos illi tribuere recusabant, uni Patri tribuentes; alios vero ideo tribuebant, quia cum eos Ariani ipsi, aut certe Semiariani eidem unigenito tribuerent, magnoque apparatu, et præconiis extollerent, verebantur Orthodoxi ne, si eos eidem Unigenito minime tribuerent, viderentur minus præclare de eo loqui, quam loquerentur Ariani. Porro cum hic Verbum *sapientiam veram* Hilarius nominat, Sapientiam intelligit divinam et causæ expertem : nam hac ipsa significatione Arius *unum Deum* (Patrem nempe) *solum sine initio, solum verum* agnoscebat; Hilarius vero, quem modo allegavimus (*n.* 69), *Deum verum* unigenitum Dei appellat. Hinc quamvis in Concilio Aquileiensi fassus fuisset Palladius, « *unigenitum Dei esse sapien-*

(*a*) Cap. XVIII, 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.*

(*b*) De Cain et Abel lib. II, cap. 6, n. 22.

(*c*) *In principio creavit Deus cœlum et terram : terra autem erat inanis, et vacua* (legunt alii, *incomposita*) : *et tenebræ erant super faciem abyssi*. Gen. I, 1, etc.

(*d*) Sermon. IX *de Nativit.* n. 1, *excedit quidem*, etc. Et Serm. X ejusdem tituli, seu *de Nativit.* n. 1 : *Sed quia Domini, Salvatorisque nostri*, etc. Et n. 4 ejusdem sermonis : *Nativitas autem Domini*, etc.

(*e*) Pag. 9 tomi II. *Hanc itaque divini Sacramenti doctrinam*, etc.

(*f*) Pag. 60 ejusdem tomi : *Quæris quomodo*, etc.

tiam (*a*), » quia tamen divinam, et causæ expertem, ideoque in ea, de qua agimus, significatione *veram sapientiam* prædicare recusabat, uni Patri eum titulum tribuens, Ambrosius hæc de Palladio enuntiare non dubitavit : « Etiam sapientem, quantum video, Filium Dei Palladius negare conatus est. » Sed nec eos reprehenderim, qui hæc ab Hilario ideo tradi dicerent, ut eorum refelleret impietatem, immo potius insaniam, qui Filium Dei non *sapientiam ipsam*, sed sapientiæ opus esse dicebant. Ac sancti Doctoris verba hic referre operæ pretium reor, quatenus eam, quam nunc illustramus, sententiam mire confirmant (*Commen. in Matth. cap.* XI, *n.* 9, *pag.* 724). « Plures enim eludere dictum Apostolicum (I *Cor.* I. 24), quo ait Christum Dei sapientiam, et Dei virtutem, his modis solent ; quod in eo ex virgine creando efficax Dei sapientia, et virtus extiterit, et in nativitate ejus divinæ prudentiæ, et potestatis opus intelligatur ; sitque in eo efficientia potius, quam natura sapientiæ. Quorum ne quid tale intelligi posset, ipsum se sapientiam nuncupavit ; eam in se, non quæ ejus sunt, ostendens. Est enim sapientiæ opus fides, spes, charitas, pudicitia, jejunium, continentia, humilitas, humanitas : sed hæc naturæ opera sunt, non ipsa natura ; et non in his, quæ fiunt, consistit res ipsa quæ faciat. » Nam ut hanc amentiam refellat, hæc tradat Hilarius (*In ps.* LXVI, *n.* 29, *pag.* 235) : « Sed enim Dei virtus, Deique sapientia est Dominus Jesus Christus, » viderint alii.

71. Vide num. 19 et 20.

72. *Spiritus* nomine, Deum ab Hilario intelligi dudum notatum est. Vide, obsecro, præfationem (*b*) in Tomum I S. Hilarii edentibus Monachis S. Mauri. Notissimus est Hilarii locus, quem hic referre operæ pretium reor (*Lib.* IX *de Trinitat. n.* 14) : « Qui cum se evacuaverit, ut manens spiritus (*id est Deus*) Christus, idem Christus homo esset. » Neque mirum est, si nomine *spiritus* Deus intelligatur ; etenim per antonomasian *Spiritus* Deus est ; præstantissimus scilicet : et *spiritus* solus est Deus, si *spiritus* nomine *per se* perfectissime cuncta *comprehendentem* intelligas ; qua quidem significatione nonnulli veterum visi sunt vocem hanc *spiritus* accepisse (*c*). Utcumque sit, præter eos, quos allegat clarissimus editor Operum S. Hilarii (*In præfatione tomi* I, *n.* 58 *et sequent.*), en locus perspicuus Tertulliani, quo quidem constet, *spiritus* nomine Deum a veteribus Patribus denotari. Hoc scilicet modo librum de Oratione exorditur : « Dei spiritus, et Dei sermo... utrumque Jesus Christus. » Alia porro Tertulliani loca afferre si cupis, ea tibi indicabit Clariss. Muratorius (*d*).

Reliquos titulos fere omnes, qui deinceps recensentur : *via*, *lux*, etc., expressos habes in ea notissima fidei professione, « quæ exposita est in Synodo habita per Encænias Antiochenæ Ecclesiæ consummatæ. Exposuerunt qui adfuerunt Episcopi nonaginta septem, cum in suspicionem venisset unus ex Episcopis, quod prava sentiret. » En quæ Episcopi ii protulerint (*e*) : « Credimus..... in unum Deum Patrem.... et in unum Dominum Jesum Christum, Filium ipsius unigenitum, Deum per quem omnia, qui generatus est ex Patre, Deum de Deo, totum ex toto, unum ex uno, perfectum de perfecto, Regem de Rege, Dominum de Domino, verbum, sapientiam, vitam, lumen verum, viam veram, resurrectionem, Pastorem, januam, inconvertibilem, et immutabilem, divinitatis, essentiæque, et virtutis, et gloriæ incommutabilem imaginem, primum editum totius creaturæ, qui semper fuit in principio apud Deum.... Mediator Dei, et hominum, prædestinatus fidei nostræ, et dux vitæ. » Ad hanc porro professionem si respexisse Hilarium dicas, id sane dices, quod probabile visum est nonnullis. Et sane Hilarius hanc fidei professionem in eo tantum reprehendit (*n.* 31), « quod minus forte expresse videtur de indifferenti similitudine Patris, et Filii locuta esse, maxime cum de Patre, et Filio, et Spiritu sancto ita senserit significatam in nominibus propriam uniuscujusque nominatorum substantiam, et ordinem, et gloriam, ut sint quidem per substantiam tria, per consonantiam vero unum. »

Minus abundat titulis ea fidei professio, quam *secundum Orientis Synodum* appellat Hilarius (*de Syn. n.* 33 *et* 34), tamen in ea quoque hæc de unigenito Dei enuntiantur : « qui est Verbum, et sapientia, et virtus, et vita, et lumen verum. »

Verum ut ad Hilarium revertar, non in ea tantum, quam illustramus, epistola hæc docet, verum etiam in locis aliis. In Psalmum sexagesimum tertium hæc eloquitur (*Num.* 10, *pag.* 181 *tom.* I) : « Jam si fidem hæreticus destruet, Dei Filium semper fuisse cognoscet, nullo a Patre intervallo temporis separatum ; ipsum esse verbum, virtutem, sapientiam Dei : hunc mundi opificem fuisse, hunc et hominis conditorem. »

Plura complectitur in tractatu in Psalmum CXVIII (*Litt.* IX, *numero pariter* 9, *pag.* 334). Etenim hæc ait : « Locutus est Deus per Moysen legem, locutus est per Prophetas : sed hæc lex Dei est, non etiam lex oris Dei : Os autem Dei est ille, qui et virtus Dei est, qui et sapientia Dei est, qui et brachium Dei est, qui et imago Dei est, Deus scilicet, et Dominus noster Jesus Christus. »

Id ipsum docet Basilius Magnus, cujus verba libenter afferrem, nisi multa essent, præsertim cum horum ipsorum titulorum rationem etiam afferat. Sed Lector facile ea, quæ dico, verba consulere per se poterit capite 8, alias n. 17 et 19, libri *de Spiritu Sancto* ad Amphilochium. Scilicet : « Ob multiplicem in nos beneficentiam, etc. » Et : « Omnia autem facit contactu virtutis, ac voluntate bonitatis operans : pascit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit, etc. »

Alios si cupis, qui Christo convenientes titulos recenseant, facile in vetustorum Scriptorum libris invenies. Duos hic duntaxat indico, quorum alter Scriptor ille est, cui tribuendus est sermo olim 190 de tempore, qui nunc rejectus in appendicem, 113 in eadem est, cujus verba annotatione 20 (*Pag.* 60) retuli. Alter Ausonius est sic Christum deprecans (*In Precat. matutin.*).

> Christe apud æternum placabilis assere Patrem,
> Salvator, Deus, ac Dominus, mens, gloria, Verbum,
> Filius, ex vero verum, de lumine lumen,
> Æterno cum Patre manens, in sæcula regnans.

Quis vero ea de re miretur, cum hos ipsos titulos vel Scripturæ manifesto tribuant Christo, vel certe eos Christo tribuere facile possis, si ad ea respicias, quæ Scripturæ de Christo enuntiant? Quædam in calce epistolæ ipsius annotavi, ne id, quod aio, temere dixisse videar. Fateor quidem, *fortitudinem Domini* Christum expressissime minime dici ; nisi forte eumdem esse putes, qui Angeli specie interdum apparuit, seque *Gabrielem* appellavit, aut, si vis, omnes, Angelos quoque ipsos, et animas nostras. Quod, ne multos afferam, tradunt auctor *Ecclesiasticorum dogmatum*, qui Gennadius esse creditur, cap. 11, 12 et 13, et alii, quos allegat *le Quien* ad caput 3 lib. II Damasceni *de Fide.*

(*a*) *Palladius dixit : Sapientia est*, pag. 793 tom. II, Ambros. edit. PP. S. Mauri.

(*b*) N. 57 et seq., numero præsertim 62 et 63. Adde, si vis, ea quæ n. 8 libri XII *de Trinit.* leguntur, *Sed quia nobis spiritus de spiritu nativitatem prædicabat*, etc.

(*c*) In ea significatione videntur accipere, qui Deum solum *incorporeum* esse monent, corporeos reliquos

(*d*) Annot. 1 in lib. hunc Tertulliani t. III Anecdot.

(*e*) Apud Hilarium de Synodis n. 28 et 29, p. 478 tomi II.

in Gabriele locutus est. Sed si brachium Domini, seu Dei dicitur, an *fortitudo* non dicetur? Patres sane hac, nisi fallor, de causa *brachium Dei*, seu *Domini* Christum appellare minime dubitant. Quid? quod *Virtus* vox synonyma videtur esse voci *fortitudo*. Titulum porro hunc sæpissime Patres tribuunt Christo. Unum hic Rufinum indico hæc tradentem (*In Symboli expositione, pag.* 73 *edit. Vallarsii*) : « Quæ est autem virtus Altissimi, nisi ipse Christus, qui est Dei virtus, et Dei sapientia? » Alia Patrum loca si cupis, ea tibi præbebit Clariss. editor Operum S. Hilarii (*Præfat. in tomum* I, *n.* 61 *et seq.*). Cum porro ea loca indicavi, in quibus Christus dicitur *vinum*, duo notavi, nempe Matthæi IX, 17, et Joan. XV, 1, in quorum primo hæc occurrunt : *neque mittunt vinum novum in utres veteres*. Nimirum vini allegoria, ac vocabulo lex Evangelica, ideoque ejus auctor Christus intellectus est a veteribus. In altero vero : *Ego sum vitis vera*. Vitis autem *vini* parens, ut ita loquar, est. Cæterum fateor, respicere potuisse adhuc Hilarium ad ea Proverbiorum cap. IX loca (*vers.* 2) : *sapientia.... miscuit vinum....* (*vers.* 5) *Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis*. Etenim his verbis sacrosanctum altaris Sacramentum, in quo scilicet sub specie panis et vini Christus ipse extat, prænuntiari, probatissimi interpretes docent : respicere potuisse pariter ad locum illum Matthæi (XXVI, 29) : *Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vivis*. Etenim genimen vitis, cujus hic mentio fit, est ipsissimus Christus sub vini specie latens.

73. Cum incarnatio ipsa propter homines sit, propter homines erit pariter Christus vita nostra, lux nostra, pastor noster.

74. Respicit ad celebratissimum Pauli monitum (*Act.* XVII, 28) : *In ipso vivimus, movemur, et sumus*. Fortasse etiam ad ea respicit loca, in quibus *vita* nostra, aut *fons vitæ, fons aquæ salientis in vitam æternam* dicitur Christus.

75. Id est : ea, quæ de Christo diximus, ideoque eos ipsos, quos recensuimus, titulos, ex Scripturarum lectione assequetur.

76. Hunc inesse verbis his sensum puto. Si igitur revelante Scriptura confitemur, Dei Filium nobis esse cognitum, scimus etiam Deum Patrem per eumdem filium condidisse sæcula tum visibilia, tum invisibilia : neque enim fas est putare Deum tum cœpisse operari, cum mundus conditus est, aut cessasse postquam est conditus : etenim eum non desiisse testatur Dominus ipse, cum ait : *Pater meus usque modo operatur*, etc. Si sæculorum visibilium et invisibilium vocabulo creaturas visibiles et invisibiles intelligit, id ipsum hic docet, quod antea docuerat. Vide numerum, seu annotationem 18. Sane eas creaturas intelligere his vocabulis potuit; per synecdochen scilicet, qua contentum continentis vocabulo denotatur.

At si sæcula ipsa intelligit, paulo obscurior tum fit locus iste. Et visibilia quidem sæcula novimus, ea scilicet, quæ per solis, stellarumque, ac cœlorum conversiones dimetimur. At difficile est explicare, quidnam sint sæcula invisibilia. An ea sæcula indicat, quæ alii *imaginaria* appellarunt, ipse vero Hilarius *tempora* appellat, *quæ opinione complectimur* (*Lib.* XII *de Trinit.*, *n.* 27, *pag.* 424), immo expressius (*Ibid. et n.* 28) *tempora æterna* (*a*)? Alienum judicium esto. Hic porro advertamus oportet, suspicari nos posse, cum hæc ait Hilarius : « Non enim fas est ex eo Deum operatum credere, ex quo mundus genituræ suæ idem nativitatis initium sumpsit, » in ea fuisse opinione, quæ Angelorum creationem præcessisse docet visibilium atque aspectabilium harum rerum creationem. Quæ quidem opinio cum multorum veterum Theologorum, ac Patrum fuerit, ac præsertim Græcorum (*b*), Hilarii procul dubio fuit : etenim hæc scriptis prodidit (*Contra Auxent*, *n.* 6) : « Aut regenerati omnes non vere Dei filii sunt, aut Angeli omnes, per Christum utique conditi, non ante omnia tempora, et ante omnia omnino sæcula sunt creati? »

77. Si ad illud genus operationum, quas Theologi *ad intra* appellant, hæc Hilarii verba referas, facile explicabis : perstant enim immutabiles eæ actiones, quæ æternæ fuerunt, et in æternum sunt duraturæ : quam ob causam, ut jam Augustinus monuit (*c*), tempora cuncta comprehendunt. Si vero ad genus illud actionum, quas *extrinsecas*, seu *ad extra* dicimus; si ante mundum aspectabilem condidit Angelos (quod sane censuit Hilarius), Deum credimus operatum fuisse, antequam mundus *genituræ suæ sumpserit initium :* Nec operari cessat, cum infundendas in humana corpora animas in momenta singula creet, et cuncta conservet, et administret. Vide loca, quæ noto in calce paginæ (*d*). Quænam vero sit requies æterni Patris, docet Hilarius n. 8 commentariorum in ps. XCI (*Pag.* 269 *tom.* I, *Quia ergo opera Dei*, etc.). Ut voces illas, *nihil illi semper acciderit, sed semper sit*, plane intelligas, recole quæ num. 59 diximus. Quod si voces has, *semper sit*, ita accipias, ut doceat Hilarius, attributum hoc *Esse* esse proprium Dei, ideoque Patris; eo sensu profecto accipies, quem alia Hilarii dicta valde probabilem reddiderunt. Nimirum aliquando hæc scripsit (*Lib.* XII *de Trinit. n.* 23 *et* 24, *pag.* 421 *tom.* II) : « Quod si semper Patri proprium est quod semper est Pater; necesse est semper Filio proprium esse quod semper est Filius. Et quomodo in sermonem nostrum, atque intelligentiam cadet, ut non fuerit, antequam nasceretur, cui proprium est semper esse quod natus est? Formam itaque atque imaginem invisibilis Dei unigenitus in se Deus continens, in omnibus his, quæ propria Deo Patri sunt, per plenitudinem veræ in se divinitatis æquatur. Nam, ut superioribus libris docuimus, per virtutem, et venerationem, sicut Pater et honorandus, et potens est : ita et in eo quod Pater semper est, ei quoque in eo quod Filius est, Filio semper esse commune est. Nam secundum ad Moysen dictum : *Misit me ad vos is qui est*, Deo proprium esse id quod est, non ambigens sensus est : quia id quod est, non potest intelligi, dicique non esse. Esse enim, et non esse contraria sunt : neque

(*a*) « At vero cum in Dei rebus, id est in Dei nativitate nihil non ante tempus æternum sit... intelligi non potest cœpisse post aliquid, qui esse sit ante tempora æterna confitendus. Si ergo nasci aliquid ante tempora æterna neque in naturis humanis est, neque in intelligentia; et tamen in hoc professionibus de se Dei creditur : quomodo id, quod sine sensu intelligentiæ æternæ natum semper, id est ante tempora æterna esse, apostolica fides cum locuta sit, id rursus non fuisse, antequam nascitur, per sensum humanæ intelligentiæ nostri temporis infidelitas eloquitur? cum quod ante tempus natum est, semper est natum : quia id quod est ante æternum tempus, hoc semper est. » *Hilar. loco citato, id est n.* 27 *et* 28, *lib.* XII de Trinitat.

(*b*) *Vide Petav. de Ange., lib.* I, *cap.* 15. *Vide etiam notam appositam verbis illis Novatiani cap.* 1 *libri* de Trinit. : « Quamquam etiam superioribus, etc. »

(*c*) *Lib. contra serm. Arian., cap.* 24, *alias n.* 20, *pag.* 640, *tomi* VIII *edit. PP. S. Mauri.* « Nec moveat quod futuri temporis verbum est, *accipiet*, quasi nondum haberet, indifferenter quippe dicuntur temporis verba, quamvis sine tempore manere intelligatur æternitas. Nam et accepit quia de Patre processit, et accipit, quia de Patre procedit, et accipiet, quia de Patre procedere nunquam desinet : sicut Deus et est, et fuit, et erit, et tamen initium, vel finem temporis nec habet, nec habuit, nec habebit. »

(*d*) *Lib.* VII de Trinit., *n.* 17, *et in ps.* XCI, *n.* 3, 4, 5 *et seq., pag.* 266 *tomi* I.

hæ diversæ significationes in unum atque idem coeunt; quia manente alia, altera non erit. Ergo ubi *est*, non potest vel sensum, vel sermonem inire non esse. Sensui nostro retroacto, semperque revocato ad intelligentiam ejus qui est, de eo id ipsum tantum, quod est, ei semper anterius est: quia id quod infinitum in Deo est, semper se infiniti sensus nostri recursui subtrahat: ut ante id, quod proprium Deo est, semper esse, aliquid aliud intentio retroacta non capiat; quia nihil aliud ultra ad intelligentiam Dei, æternitate procedendi, quam Deum semper esse, semper occurrat. »

Quod si alios Patres optas, plurimos tibi præbebit Petavius, quem consulas opto (*Tomo* I, *Theol. dogm. cap.* 6). Istud porro attributum peculiare etiam Filio esse, fortasse ostendunt plurima ex iis testimoniis, quæ ad æternitatem Divini Verbi comprobandam afferuntur, ideoque plurima ex iis, quæ idem Petavius cap. 9 libri V *de Trinitate* allegat. Unum seligo, quod ad id, quod agimus, valde aptum reor, desumptum ex epistola Alexandri Alexandriæ Episcopi ad cognominem Episcopum Constantinopolis (*Apud Theodoret*, *Histor. Eccles. lib.* I, *cap.* 4). *Nemo hoc* semper (inquit ille) *ad suspicionem ingeniti sumat, sicuti putant qui sensus animæ obcæcatos habent: nam neque* erat, *neque* semper, *neque* ante sæcula *idem est, atque ingenitum.*

78. Vide n. 57 et 72. Quod attinet ad vocem ἀνάστιτεν, an ea dicitur ex verbo ἀνίστημι, quod est *excito*, *suscito*, *restituo*, *instauro*, etc.? aut ex verbo inusitato ἀναστάω? An mendosum hoc in loco codicem esse putandum est? Judicet lector.

79. Fortasse deest vox *constat*, aut alia affinis, sic ut legendum sit: *esse igitur constat plurima, quæ per filium fecerit.* Nolim vero ita vocem illam *plurima* sumas, quasi putarit Hilarius plurima quidem, sed non omnia a Divino Verbo esse condita, quandoquidem et crebro, et apertissime inculcat Evangelicum illud monitum: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.* Vide num. 18. *Plurima* ergo hic sumit pro omnibus. Quænam vero ea sint, statim recenset, hæc subjiciens: *quanti enim sunt throni*, etc. Quis porro nescit, plurimas esse creaturas tum corporeas, tum corpore destitutas, quarum vix scimus nomina, immo aliquarum ne ipsa quidem nomina novimus? Merito itaque hæc ait Hilarius: *quorum aut sola nobis nota sunt nomina, aut nec ipsa sunt cognita.*

80. Ex Apostolo Paulo (I *Corin.*, II, 9) desumpta sunt verba illa: *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.* Sed cum valde probabile mihi videatur, verba hæc ab inscito amanuense fuisse inserta in epistolam ipsam, cum prius in margine legerentur, veluti in confirmationem sententiæ illius: *quantam etiam claritatem putamus esse in invisibilibus, nec æstimare possumus*, etc., propterea delenda esse existimo, aut, si vis, in marginem rejicienda. Porro vox *quanti* (*quanti enim sunt throni, quantæ potestates*, etc.) hic, me quidem judice, sumitur pro *quot;* quod fit sæpissime a Tertulliano, Hieronymo, aliisque Patribus. De numero, dignitate, ac muneribus Angelorum agit copiose Petavius peculiari opere ea de re instituto (*De Angelis, tom.* III *Theolog. dogm.*): egi et ego, sed multo brevius in libello Italica lingua conscripto, editoque anno 1747 (*Trattato degli angeli custodi part.* I, *cap.* 3, 4, etc.).

81. Id est: si corporea ipsa adeo pulchra sunt, adeo speciosa, adeo admirabilia, quis se comprehendere posse putet pulchritudinem, et præstantiam invisibilium? Nobile argumentum *a minori ad majus*, ut aiunt. Verbum *extimare* constanter scribitur a nostro amanuensi pro *æstimare*, apt, si vis, *existimare.*

82. Millies Hilarius a Filio, seu a Deo per Filium, veluti consubstantiale instrumentum, fuisse conditum mundum docet. Loca S. Doctoris adeo frequentia sunt, ut, si ea afferam, videri facile possim in re A perspicua eruditionis laudem velle perquirere. Nonnulla habes supra, num. 18. An vero iis verbis, « et quidem lucem, qua cætera fierent perspicua, esse jussit, et fecit, cui diem nomen imposuit, » Tertullianum reprehendit, qui *lucis* (primigeniæ) nomine Verbum ipsum intellexit? Alienum judicium esto. Ecce porro ipsa Tertulliani verba, quæ Lector expendet (*Contra Praxeam cap.* 12): « Sed et antecedentibus operibus mundi, quomodo scriptum est? Primum quidem, nondum Filio apparente: *Et dixit Deus: Fiat lux, et facta est* (*Gen.* I): ipse statim sermo, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; et per illum mundialis quoque lux: exinde autem in Sermone Christo adsistente, et administrante Deus voluerit fieri, et Deus fecit. » Reliqua in hac epistolæ Hilarii periodo comprehensa facile per se patent.

83. Aut legendum est, *ne terrena;* aut, si legis, *neve terrena*, aliqua, tametsi pauca, in fine periodi B desunt, quibus sententia compleatur. Hic sane sumit Hilarius voces, *firmamentum*, et *cælum* pro solida aliqua, et consistente, tametsi pellucida, materia, quæ nobis visum cœlestium præcludat. Favere huic explicationi videtur ipsa vocis etymologia. Quid recentiores philosophi de cœlorum materia statuant, norunt omnes.

84. Vide loca Scripturarum in calce epistolæ ipsius Hilarii a me annotata, et annotationem 62. Hæc porro verba: « Et miro modo illam primo generare præcipiens, quæ novissime fuerat fabricata, » ad terram refer: cœlum quippe prius creatum est (*Gen.* I, 1): hanc autem emittere voluit Deus *herbam virentem et facientem semen*, quæ primus veluti fœtus fuit naturæ creatæ.

85. Ea, quæ nuper diximus, hunc etiam locum illustrant. Porro *extrema in omnibus* terra non est, si ante reliquas res tribuitur illi virtus *germinandi herbam virentem, et facientem semen.*

86. An referenda hæc sunt ad vesperam (*tenebras*), C et mane (*lucem*), quæ *facta sunt dies unus?* An ad composita naturalia constantia ex elementis per intervalla creatis? Ignis enim procul dubio non est cum aqua formatus, nec fortasse terra cum aere. Judicet Lector. Vide etiam num. 62 et 63.

87. Pervenimus ad eum locum, qui perdifficilis visus est multis. Primum enim quæritur, cur *Dei Filius Deus* appelletur *artifex.* Deinceps quæritur, cur Pater dicatur *jubens* (*Jubente Patre*). Porro hæc facile illustrantur, si memineris, Patri omnipotentiam veluti peculiare attributum tribui (Credo in Deum Patrem omnipotentem), Filio vero *sapientiam:* qua de re fuse Theologi. Omnipotentiam vero veluti *jubentem* concipimus, sapientiam autem veluti exsequentem: Sic ut creationem opus quidem totius Trinitatis fateamur; sed quoniam attributa veluti peculiaria Personis tribuimus, illis etiam eos affectus tribuimus, quos ab iis attributis veluti provenire mentis nostræ angustiæ nobis dictitant. Hilarius ipse D hæc indicat cum ita adversus Arianos Filium Dei unigenitum veluti purum, creatumque instrumentum a Patre in creatione adhibitum asserentes (*Vide Arianorum sensa apud Petavium lib.* II *de Trinitate cap.* 5, *n.* 16), eloquens, hæc scriptis prodidit (*lib.* IV *de Trinit. n.* 20). « Dixisti enim: ex Patre omnia, sed per Filium omnia. Namque per id quod dictum est, *Faciamus hominem*, ex eo origo est, ex quo cœpit et sermo: in eo vero quod *Deus ad imaginem Dei fecit*, significatur etiam is, per quem consummatur operatio. Tum deinde, ne quid tibi hinc liceat mentiri, Sapientia, quam tu ipse Christum confessus es, contraibit dicens: *Cum certos ponebat fontes sub cælo, cum fortia faciebat fundamenta terræ, eram apud illum componens. Ego eram, ad quam gaudebat. Quotidie autem lætabar in conspectu ejus in omni tempore, cum lætaretur orbe perfecto, et lætaretur in filiis hominum.* Conclusa est omnis occasio, et coarctatur ad veri confessionem universus eror. Adest Deo genita ante

sæcula Sapientia. Neque solum adest, sed etiam componit. Est ergo componens apud ipsum. Intellige compositionis, vel dispositionis officium. Pater enim in eo quod loquitur, efficit; Filius in eo quod operatur, quæ fieri sunt dicta, componit. Personarum autem ita facta distinctio est, ut opus referatur ad utrumque. Nam in eo quod dicitur, *faciamus*, et jussio exæquatur, et factum: in eo vero quod scribitur: *Eram apud illum componens*, non solitarium se sibi esse in operatione significat. » In eumdem sensum locutus mihi videtur idem Hilarius n. 43 libri XII de Trinitate, quem rogo consulas. Tum vero scies, cur artificem etiam Verbum nominet; quia scilicet cum *sapientia* sit filius Dei, sapientiæ ipsi veluti dirigenti tribuitur opus, ideoque etiam mundus, eximium profecto *opificium*. Neque in nostra hac Epistola tantummodo *artificem* ea de causa Verbum divinum appellat: verum etiam num. 4 libri XII de Trinitate, in quo quidem loco copiose agit de Verbo Dei mundum creante(*a*). Hunc quoque locum, oro, ut consulas.

Sed cur Patres tantum afferimus, et hymnum, quo Ecclesia utitur, præterimus? Hæc scilicet Ecclesia concinit (*b*):

Nascente qui Mundo faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo jugasti spiritum.
Cum livor, et fraus dæmonis
Fœdasset humanum genus:
Tu carne amictus perditam
Formam reformas artifex.

Quod plane congruit cum eo hymno, quo antequam ecclesiasticis hymnis elegantiores numeros Urbanus VIII tribueret, Romanus Clerus utebatur.

Qui mundi in primordio
Adam plasmasti hominem,
. . . . . .
Ut hominem redimeres,
Quem ante jam plasmaveras, etc.

88. Ii quibus placet, Patres in explicandis Scripturis ipsis Platonem (quoad fieri id posset) fuisse secutos, minime verebuntur Hilarium hæc proponentem: *anima videlicet ipsas materias animaverat, ut nascentibus postmodum animantibus animas commodarent*, Platonicis adscribere. At iis minime illum adscripserim: novi enim Platonica dogmata, quæ mundi animam, et alia his affinia exhibent, non multum laudis apud Orthodoxos habere posse. Duobus itaque modis sententiam explicaverim. Vel scilicet dic, ex Hilarii sententia Deum indidisse aquis id, quodcumque tandem illud sit, quo piscium, et reptilium, et volatilium animæ constant: atque illud quidem, licet a nobis ignoretur modus, quo id factum sit, tamen peractum certe est: excepere enim pisces, et reptilia, et aves, quum vivere cœperunt, animas ab aquis jam divina jussione fecundatis. Vel dic inditas jam fuisse animas piscibus, et reptilibus, et avibus ex quibus pisces et aves, et reptilia, nascitura animas quoque suas receptura forent (neque enim piscium, et reptilium animæ creantur et infunduntur in corpora jam formata: nam hoc tantum in homine evenit; sed per generationem communicantur excipiunturque). Cur enim de piscium animabus id dicere non licebit, quod de brutorum animabus tradidit Basilius? Cujus quidem verba laudabilem paritatem nobis præbent. Ecce porro quid Basilius hoc de argumento doceat (*c*) priorem illam explicationem haud obscure indicans: « *Producat terra animam viventem.* Cur producit terra animam viventem? ut, quid inter animam pecudis, et inter animam hominis intersit, discas. Quomodo hominis anima formata sit, paulo post scies: nunc vero de brutorum anima audi. Cum juxta id quod A scriptum est, animalis cujusque anima sanguis ipsius sit, sanguis autem concretus soleat in carnem transmutari, caro vero corrupta in terram resolvatur: jure ac merito est quid terrenum anima brutorum. *Producat* igitur *terra animam viventem.* Animæ vide affinitatem cum sanguine sanguinis cum carne, carnis cum tellure: et rursus ordine inverso per eadem regredere a terra ad carnem, a carne ad sanguinem, a sanguine ad animam, et pecorum animam terrenam esse comperies. Cave existimes, animam esse corporis ipsorum constitutione vetustiorem. »

Altera porro explicatio eodem quoque Basilio innititur, quem audire præstat hæc docentem (*Hexaemer., Homil.* IX, *n.* 2, *pag.* 81). « *Producat terra animam viventem pecorum, et bestiarum, et reptilium.* Considera Dei vocem per res creatas pervadentem, quæ et tunc incepit, et usque adhuc efficax est, ac in finem transitura est, quod consummatus fuerit mundus. Quemadmodum enim globus cum a quopiam fuerit motus, ac deinceps declivem aliquem B locum nactus fuerit, et ex propria structura, et ex loci opportunitate deorsum fertur, nec prius quiescit, quam planities aliqua ipsum exceperit: ita rerum natura uno præcepto incitata, res conditas æqualiter in generatione, et in corruptione penetrat, servatque per similitudinem successiones generum, donec ad ipsum pervenerit finem. Nam equum equi successorem facit, leonem leonis, aquilam aquilæ: immo singula animalia consequentibus successionibus conservata usque ad Universi consummationem transmittit. Tempus nullum destruit animalium proprietates: sed tanquam nuper constituta natura sit, semper recens una cum tempore excurrit. *Producat terra animam viventem.* Hoc præceptum terræ inhæsit, nec ea Creatori desinit famulari. »

Quamquam si quis illud generationis genus, quod *spontaneum* vetusti Philosophi appellant, sive *ex putri*, hic commemoratum dicet, rem dicet a verisimili minime alienam: veteres enim hujusmodi C generationes aquæ, imbriumque subsidio peragi potissimum arbitrabantur. Hinc Basilius (libet enim, quoniam superiora illius auctoritate firmavi, hoc quoque ejusdem auctoritate comprobare) hinc, inquam, Basilius proxime post superiora verba hæc subjicit: « Alia enim ex successione eorum, quæ prius extitere, producuntur: alia vero ex ipsa terra etiam nunc adhuc vitam accipere compertum est. Non enim solum pluvio tempore edit cicadas, aut alia innumera volatilium in aere vagantium genera, quorum plurima propter tenuitatem sunt anonyma; sed mures etiam, et ranas ex se ipsa profert. Nam circa Thebas Ægyptias, ubi in æstibus large pluit, statim campestribus muribus regio expletur. Quin etiam anguillas vidimus non aliter quam ex limo constitui, ac generari, quarum successionem neque ovum, neque ullus alius modus conficit, sed ipsæ ex terra ortum habent. Producat terra animam, etc. »

Atque his explicationibus, mea quidem sententia, illustrari facile possunt ea, quæ allegavimus, hujusce Epistolæ verba, neque cogimur, ut dicamus animam, cujus hic mentio fit, esse ipsum Spiritum Sanctum fecundantem aquas: quæ tamen opinio et Steucho nostro placuisse visa est, et veteribus multis apertissime placuit, eamque fortasse innuit Basilius, cum hæc scripsit (*d*): « Non solum corpus ejus (*hominis*) circumjacens, et æstus corporis tranquilla sint, sed etiam quidquid ambit, et circumplectitur, cœlum videlicet, terra, mare, et quæ in eis sunt rationalia. Et intelligat adimpleri omnia, spiritumque undelibet super ipsa stare, ceu illapsum, et infusum, et undelibet ingredientem, atque illucescentem: nam orbem terrarum Spiritus Domini replevit,

(*a*) *Testis est Petrus ita scribens:* Quasi fideli creatori commendantes animas vestras. *Quid operis nomen opifici imponimus?* etc.

(*b*) In hymno ad matut. temp. pasch.

(*c*) Hexaemeron, Homil. VIII, n. 2, pag. 71 tom. I editionis Patrum S. Mauri.

(*d*) Adversus Eunomium lib. V, cap. ultimo, pag. 321 tom. I.

et hoc quod continet omnia, scientiam habet Dei. » Recole quæ dixi num. 24.

89. Consule locum Genesis, quem in calce epistolæ notavi. Docet hic porro animalia non extrinsecus animam accepisse, sed cum corpore ipso, et materia jam animata, et vivente. Contra homo, ut mox videbimus.

90. Respicit, ut puto, ad notissima illa Psalmi XXXII, (*vers.* 2), verba: *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.* Ipsa quoque descriptio creationis, formationisque rerum, quam habes capite I Geneseos, celeritatem eductionis rerum post divinam jussionem declarat. *Dixitque Deus: fiat lux, et facta est lux*, etc. Hinc intervalla quævis, et tarditas excluduntur. Consule, obsecro, quæ tradit Hilarius in Commentariis in psal. CXVIII (*Littera* X, *Iod*, *n.* 4 : *In creatione*, etc.).

91. Vide numerum proxime superiorem; id est nonagesimum, et Dissertationem I. Ubi posuit, *quippe quum Deus*, etc., amanuensis ita scripsit, ut legere etiam possimus, *quippe quod Deus*.

92. Aliam fœcunditatem terræ tribuit, dum ex ea corpus hominis formatum est: quam ob causam homo *terræ fœtus* aliquando dictus est, *et de terra terrenus* ab Apostolo Paulo (I *Corin.* XV, 47, etc.). Ipsa quoque etymologia nominis Adam id denotat.

93. Nonnihil difficultatis habent ista. Quid enim significatur vocibus illis *post divina*? Suspicor, amanuensis indiligentia errorem aliquem huc irrepsisse: in primævo enim exemplari legi facile potuit *post humana* (id est terrena) *divina deerant*, id est creatio animæ humanæ, quam *divinam* alibi appellat Hilarius (*In psal.* CXVIII, *litter.* X, *n.* 7, *pag.* 337 *tom.* I). Quod si vis, errorem nullum fuisse huc illapsum, tu dic aut speciem illam formamque humanam, de qua alibi dicam fusius (*a*), hic indicari nam divina species ea erat, tametsi hominem referens. Vel etiam dic, voce illa, *divina*, Cœlum Empyreum fortasse denotari, quod aliquando *Sedes Dei* dicitur (*b*), aut potius Angelos, qui a Job, et ab aliis, atque adeo ab Hilario ipso vocantur *Filii Dei* (*Vide annotationem* 38): adeo ut sensum hunc habeant verba ista: Postquam Angelos puros spiritus jam condiderat, hominem denique condidit, qui non solo spiritu (cujus causa originem dicitur e cœlo trahere), verum etiam corpore e tellure formato constet.

94. Is vero (id est homo) dici rectissime potest *iterum natus*, quia, ut hic interea omittamus, bis de illius formatione, et, si appellare ita volumus, *nativitate* mentionem fieri in Scriptura, quæ indicat in secunda ejusdem creationis, seu nativitatis, formationisque mentione formationem Evæ ex Adami costa (*Gen.* I, 26, 27 *et* 28. *Genes.* II, 7, 22 *et* 23): ut id, inquam, omittamus, *iterum natus* propterea is dici potest, quatenus antea extabat terra, ex qua formatus est, cujus quidem terræ creatio, prima Adami nativitas fuit (*in causa* scilicet, seu *in præcedenti materia*, ut Scholastici loquuntur). At cum factus est in animam viventem (*Gen.* II, 7), tum iterum nasci visus est. Hinc alibi Hilarius triplicem *hominis facti præformatique perfectionem* innuit, quarum altera corpus spectet, altera animam (et de duabus his hic loquimur), tertia vero respiciat imaginem Dei homini impressam (*c*), de qua deinceps erit sermo. Illustrabunt præsentem Hilarii sententiam ea quæ numero 6 et 7 Commentariorum in psalmum CXVIII, e quibus nuper nonnulla descripsimus, edocet: duas quippe hominis origines tantummodo memorat; eaque ipsa monet, quæ in præsenti hoc opusculo tradit. En ea, quæ dixi, Hilarii verba. « Cæterorum omnium elementorum creatio eo ipso tempore et instituta, et effecta est, quo subsistere jubebatur: neque inchoationem eorum, et perfectionem tempus aliquod discernit; nam consummationem inchoatio in eo quod est cœpta, percepit. Homo vero cum internam, et externam in se naturam dissonantem aliam ab alia contineat, et ex duobus generibus in unum sit animal rationis particeps constitutus, duplici est institutus exordio. Primum enim dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Dehinc secundo: *et accepit Deus pulverem de terra, et finxit hominem.* Primum opus non habet in se assumptæ aliunde alterius naturæ originem. Secundi vero operis efficientia quanto differt ab institutione prima! Deus terræ pulverem accipit. Nam sumitur pulvis, et terrena, materies formatur in hominem, vel præparatur: et ex alio in aliud opere ac studio artificis expolitur. Primum ergo non accepit, sed fecit: secundum non ut primum fecit, sed accepit; et tunc formavit, vel præparavit. »

95. An approbat hic Hilarius illorum sententiam, qui corpus Adami ex nobiliore portione, et, si loqui ita licet, ex flore veluti terræ e variis, iisque præstantioribus locis collectæ formatum putant, an aliud quodpiam hic indicat? Judicet Lector.

96. Id ipsum alibi aliis verbis docet Hilarius, his nempe (*In Ps.* LXVII, *num.* 22, *pag.* 229 *tomi* I): « Qui primum animam nobis ad flatum respirationemque vivendi, cum hominem secundum imaginem sui similitudinemque constituit, de thesauris potestatis suæ, divinitatisque diffuderit. Secundum Apostolum enim, ipsius genus sumus: et secundum eumdem, omnia ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt: scilicet ut *in ipso* habitatio nostra atque incolatus ostensa sit sedes, dum omnia immensa virtutis potestate complexus est; *per ipsum* vero originis inchoatæ opus effectusque monstretur, cum in nobis id ipsum, quod sumus, operatus sit; *ex ipso* autem initia vitæ ad exordia spiritus indulta notescerent. Non fuit ergo a beneficentia divinæ bonitatis alienum, ut qui ex se ipso nobis, qui ejus genus sumus, vitæ ac spiritus elementa tribuisset. *Alibi* (*In Ps.* LXIII, *n.* 9) *vero tradiderat*, animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam, elementis corporis admisceri. »

97. Vide dissertationem I his annotationibus adjunctam.

98. Patrem in creando homine vult expressissime consortem, et, si loqui ita volumus, concreatorem, cum reliquorum omnium creationem recensens, Patris minime meminerit. Id ipsum, sed multo copiose in se duplicem beatus Paulus esse naturam, cum secundum interiorem hominem delectatur in lege, et cum aliam in membris suis videt legem, quæ se captivum ducat in lege peccati. Quod ergo fit secundum imaginem Dei, ad animi pertinet dignitatem. Quod autem formatur ex terra, speciei corporis naturæque primordium est. Et quia vel locutus ad alterum Deus intelligitur, cum dicit, *faciamus hominem*; vel triplex cognoscitur hominis facti præformatique perfectio: cum et fit ad imaginem Dei, et formatur e terra, et inspiratione spiritus in viventem animam commovetur: idcirco manibus se factum et formatum, non manu tantum Propheta testatur, quia in constitutione sua non solitarii tantum, et eadem triplex fuisse docetur operatio. »

(*a*) Vide dissertat. I, huic epistolæ adjunctam.

(*b*) Psalm. X, 4: *Dominus, in cœlo sedes ejus.* Et Ps. III, 16: *Dominus in cœlo paravit sedem suam.* Et psal. CXIII, 3: *Deus autem noster in cœlo.* Et ib. v. 16: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

(*c*) En quæ num. 8 comment. in Ps. CXVIII edocet « Utrumque autem intelligi recte potest, quia utrumque scriptum deprehendimus: ut formaverit in id quod est, corporis scilicet speciem; vel præparaverit in id quod dicitur, et inspiravit in eum spiritum vitæ, et factus est homo in animam viventem. Inspirationi ergo huic præparatus sive formatus est: per quam natura animæ et corporis in vitæ perfectionem quodam inspirati spiritus fœdere contineretur. Scit

sius tradit numeris octavo, nono et decimo libri v *de Trinitate*, ad quæ quidem loca Lectorem allego. Sed cur, quæso, hic Patrem exposcit, qui reliqua soli Filio videtur tribuere? Id repetere, si volumus, possumus ab imagine homini impressa; nam eam Hilarius *Patris imaginem* expresse appellat (*a*). Quamquam non solius Patris imago ea est, sed totius Trinitatis, id indicantibus verbis illis : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* An etiam ex eo repetimus, quod peculiare, eximiumque omnipotentiæ opus est homo, jungens scilicet in se quidquid corpus, et spiritus præstantiæ habent, ac dignitatis? (Omnipotentiæ porro opus speciatim refertur ad Patrem). Judicaverit Lector. Illud certe constat, Theodoretum (*Quæst.* XIX *in Genes.*), quem propterea allegat Petavius (*De Opific.* II, 2, 4), edocuisse id ipsum, quod hic Hilarius. Asserit scilicet Deum Patrem, cum hominis illius, quem moliebatur, naturam ac substantiam Filium suum aliquando assumpturum prævideret, Adamum veluti humani generis originem ac fundamentum suis ipsis manibus fabricasse. Theodoretum ipsum consule, obsecro.

99. Locutio hæc : *ut ad immortalitatem non præscriberet terra*, ex earum numero est, in quibus Tertullianum imitari videtur Hilarius. Rationem porro hic affert, cur homo, tametsi solubili corpore constans, constitutus a Deo fuerit immortalis : quia scilicet *immortales* (supple, *Dei*) *manus* eumdem hominem efformaverunt. Quid Dei manus denotent, facile assequeris, si vel ad eam speciem, formamque humanam confugias, de qua copiose in priore dissertatione dicemus, vel ea consulas, quæ psalmum CXVIII, commentariis illustrans docet Hilarius. Vide n. 3, 4 et 5 litteræ X, seu *Iod*. Respicit porro procul dubio hic Hilarius ad duo illa Scripturæ loca (*Job*. X, 8): *Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt, me*, etc. (*Ps.* CXVIII, 73). *Manus tuæ fecerunt, et plasmaverunt me*, seu, ut legit Hilarius, *finxerunt me, præparaverunt me*. Post verba illa *constituerent hominem*, intercapedo aliqua in codice occurrit : sed ea tam modica est, ut ipsam contempserim; et revera sine ulla intercapedine sensus integer perstat.

100. De imagine homini a Deo impressa, deque similitudine, quam post mortem recepturus est, si Deo acceptus mortem obierit, multa monet Hilarius, quæ quoniam non levem exposcunt operam, ea in peculiarem dissertationem rejiciam.

101. Respicit ad eum Joannis locum (I *Epist.* III, 2) : *Charissimi, nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quod porro hic paucis Hilarius, alibi copiose et fuse exsequitur, undecimum *de Trinitate* librum sic concludens (*pag.* 406 *tomi* II) : « Cæterum nos in hominis nostri conformem gloriam proficiemus, et in agnitionem Dei renovati ad Creatoris imaginem reformabimur, secundum Apostoli dictum : *Exuti veterem hominem cum actibus suis, et induti novum eum, qui innovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit eum.* Consummatur itaque homo imago Dei. Namque conformis effectus gloriæ corporis Dei, in imaginem Creatoris excedit, secundum dispositam primi hominis figurationem. Et post peccatum, veteremque hominem, in agnitionem Dei novus homo factus, constitutionis suæ obtinet perfectionem, agnoscens Deum suum, et per id imago ejus : et per religionem proficiens ad æternitatem, et per æternitatem Creatoris sui imago mansurus. »

102. Hæc si quis comparet cum iis, quæ Hilarius in Psalmum CXVIII (*litt.* X, *n.* 8), et apertius etiam in Psalmum CXXIX (*n.* 3, *et sequentibus*) scripsit, statim, ut puto, fatebitur, unum eumdemque et Epistolæ hujus nostræ, et commentariorum illorum esse auctorem. Nonnulla delibabo, quæ tamen, nisi plane fallor, id quod aio, aperte ostendent. Ecce illa (*In Ps.* CXXIX, *n.* 3, *pag.* 492) : « Ac primum quidem intelligendum est, Deum incorporalem esse, neque ex partibus quibusdam, atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, consistere. Legimus enim in Evangelio, quoniam Deus spiritus est, invisibilis scilicet, et immensa, atque intra se manens, et æterna natura. Scriptum quoque est, quoniam spiritus carnem, et ossa non habet. Ex his enim corporis membra consistunt, quibus substantia Dei non eget. Deus autem, qui et ubique, et in omnibus est, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit, et hoc ex Scripturis docemur, cum dicitur, Ego sum Deus appropians, et non de longe; et rursum : Quoniam in ipso vivimus, et movemur, et sumus. Virtus ergo Dei, quæ æqualis et indiscreta est, officiorum, ac membrorum habet nomina, ut virtus qua videt, oculi sint, virtus qua audit, aures sint; virtus qua efficit, manus sint; virtus qua adest, pedes sint : Officiorum diversitates virtutis hujus..... potestate peragente. Deus ergo ubique est, et ubique adest, audit, videt, efficit. »

Porro diu ante Hilarium hæc scripserat Irenæus (*lib.* I, *cap.* 12, *n.* 2, *alias cap.* 6) : « Universorum Deus, qui simul ut cogitavit, perficit id quod cogitavit : et simul ac voluit, et cogitat hoc quod voluit.... quum sit totus cogitatus, et totus sensus, et totus oculus, et totus auditus, et totus fons omnium bonorum. » Id ipsum inculcat his verbis (*l.* II, *contra hæreses cap.* 13, *n.* 3; *olim cap.* 16) : « Multum enim distat omnium Pater ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus, et passionibus, et simplex, et non compositus, et similimembrius, et totus ipse sibimetipsi similis, et æqualis est; totus cum sit sensus, et totus spiritus, et totus sensuabilitas, et totus ennæa, et totus ratio, et totus auditus, et totus oculus, et totus lumen, et totus fons omnium bonorum, quemadmodum adest religiosis, ac piis dicere de Deo. » Similia mox docet (*b*). Et rursus alibi (*cap.* 28, *n.* 4 *et* 5, *olim cap.* 47 *et* 48) : « Deus autem cum sit totus mens, totus ratio, et totus spiritus operans, et totus lux, et semper idem..... Deus autem totus existens mens, et totus existens Logos, etc. » Affinia tradit libro IV (*cap.* 11, *num.* 2, *olim cap.* 24 : *Et Deus quidem*, etc.). Irenæum videtur exscribere Cyrillus Hierosolymitanus, cum hæc ait (*Catech.* VI, *num.* 7) : « Sufficit nobis ad pietatem illud solum ut sciamus nos Deum habere Deum unum, Deum existentem, ab æternitate existentem, sui semper similem... qui multis nominibus insignitus omnia potest, et uniformis est substantiæ... Non ex parte videns, et ex parte visione privatus : verum totus oculus, et totus auditus, et totus mens. » Hos imitatur Theodoretus commentariis illustrans Psalmum CXXIX (*vers.* 2 : *Fiant aures tuæ intendentes*, etc.) : hæc nempe ait : « Licet humano more verbis usi sint, tamen divinitatem incorpoream esse norunt, et au-

(*a*) *Lib.* V de Trinitate, *n.* 9 : « Meminerit tamen semper per Filium omnia; ne forte hæretica intelligentia operationem sibi Dei Patris coaptet. Si igitur ad imaginem Dei Patris per Filium Deum homo conditur, conditur quoque ad imaginem Filii : quia nemo Filio dictum denegat, *ad imaginem et similitudinem nostram*. Tenuit ergo Sermo divinus rationem veritatis in dictis, quam opus explebat in factis : ut hominem ad imaginem Dei Deus figuraret, ut Deum significaret, nec veritatem Deo adimeret, cum et in communione imaginis esset Deus verus, qui in opere efficiendo intelligebatur Deus filius. »

(*b*) *N.* 9 *ejusdem capitis* 13, *olim cap.* 16 : « Deus totus Nus, et totus Logos cum sit, quemadmodum prædiximus, et nec aliud antiquius.... Quemadmodum qui dicit eum totum visionem, et totum auditum (in quo autem videt, in ipso et audit, et in quo audit, in ipso et videt) non peccat : sic et qui ait totum illum sensum et totum Verbum. »

diendi vim, oculos : qua bent, et auri

aures appellavit, et videndi potentiam, doquidem nostri oculi videndi vim habent, et auri us audiendi vis commissa est. Deus autem qua potentia audit, hac etiam videt; et qua videt hac etiam audit. »

103. Prævenit objectionem, quæ in rudioris alicujus animum venire posset. Scilicet, si tantum differt homo a Deo, in qua hominis parte imago Dei poni poterit? Prævenit, inquam, monens duas esse hominis partes, quarum utramque per Synecdochen appellare possumus *hominem*, interiorem, et exteriorem, in quarum priore sita est ea, quam diximus, Dei imago.

104. Vide quæ diximus n. 100 et 101.

105. *Dum :* id est, dummodo. Porro in verbis illis, *sine fine*, manifestus error inest. At quomodo locum eum emendem, nescio. Suspicor, paucas aliquas voces lineola una comprehensas fuisse ab imprudente amanuense sublatas, sicut legendum nunc sit, *et sine... in fine* (id est, in fine vitæ, seu in morte) fuerit comprobatus. Suspicor etiam fuisse olim lectum *sine fictione ;* adeo ut scilicet jure exposcat Hilarius, ut exteriori professioni pietatis interior pietas respondeat. Suspicatus sum pariter, fuisse primitus lectum *sine infide :* neque enim dubito, quin aliquando in usu fuerit vox hæc, et ab ea provenerit *infidus*, sicut ab infidelitate infidelis. Quia tamen suspiciones meræ hæ sunt, nihil immutare in ipso Hilarii scripto volui. Lector pro lubito emendet. Confirmationem eorum, quæ hic traduntur, si quis repetere ex Hilario ipse cupiat, adeat loca, quæ brevitatis causa in paginæ calce noto (*a*). Cæterum in Scripturis id sæpe inculcatur, veluti Luc. IX, 62; Matth. X, 22; rursus XIX, 17, et XXIV, 13; Heb. XII, 7, etc.

106. Animum hic intendit Hilarius ad ea Ecclesiastici verba (XV, *vers.* 14) : « Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, et ignem : ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita et mors, bonum et malum : quod placuerit ei, dabitur illi, etc. » Hæc si uberiori stylo atque eleganter ab Hilario exposita videre cupis, ad num. 16 Commentariorum in psalmum II (*pag.* 39 *tom.* I, *Sed qui perfectus ac bonus est*, etc.).

107. Dum hæc tradit Hilarius : « ne magnus et solutus a lege animantibus omnibus æquaretur, » eum respexise arbitror ad locum illum psalmi XLVIII (*v.* 13 *et* 14) : « Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. » Fortasse etiam respexit ad ea libri Job verba (*cap.* XI, 12) : *Vir vanus in superbiam erigitur, et tanquam pullum onagri se liberum natum putat.* Ea quæ proxime superiori annotatione monuimus, subsequentia verba : *addita comminatione post legem*, etc., ex parte illustrant. Sed procul dubio innuit S. Doctor ea Genesis verba (*cap.* II, 16) : *Præcepitque ei* (Dominus) *dicens : Ex omni ligno paradisi comede : de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas : in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

108. Notant hic interpretes, mulierem ex Adami costa eductam fuisse antea appellatam (אִשָּׁה) *Ishah*, nomine scilicet mulieribus omnibus communi : post peccatum vero appellatam Evam, quo quidem vocabulo indicatur, Deum illi post ejus peccatum vitam servasse; indicatur quoque spes ab Adamo concepta ut per illam gignerentur, alerenturque homines, per quos propagaretur humanum genus. Vide Calmetum. Vocabulum tamen hoc potius convenire Mariæ Sanctissimæ, quam Evæ, immo Evæ tantummodo convenire, quia Mariæ typus fuit, docet Epiphanius (*Hæres.* 18, *num*, 18 *et* 19).

109. Evæ fuisse præscriptum, ne pomum arboris scientiæ boni et mali comederet, perspicue assequimur ex capite III Genesis (*Vers.* 1 *et seq.*). Eamdem porro Evam præmii Adæ promissi futuram fuisse participem, si in innocentia perstitisset, certa res est, et facile ex eventu ostenditur. Si enim propterea pœnæ obnoxia fuit, quod peccatum commiserit, præmii sane futura fuisset compos, si cavisset a crimine. Monent autem Patres, in Scripturis fere omnibus, ubi præcepta nobis imposita memorantur, et præmia proponuntur, solius hominis mentionem fieri, vel quia scilicet sub *hominis* genere sexus uterque comprehenditur, vel quia, cum *caput mulieris* vir sit, hic tantummodo nominatur, quamvis et præcepta mulieres etiam afficiant, et eadem præmia iis quoque proposita sint. Pulchre Cyprianus (*De habitu Virgin.*) commentariis illustrans verba illa Apocalypsis (*Cap.* XIV, 4) : *Hi sunt qui se non coinquinaverunt*, hæc ait : « Neque enim tantum masculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, et feminas præterit : sed quoniam femina viri portio est, et ex eo sumpta, atque formata est, in Scripturis fere omnibus ad protoplastum Deus loquitur, quia sunt duo in carne una, et in masculo simul significatur et femina. »

110. Loca Scripturarum, quæ in epistolæ ipsius margine notavi, consule. Quod attinet ad vocem illam *Sermonem*, qua scilicet Divinum Verbum unigenitus Dei Patris significatur, vide quæ num. 20 diximus. Num voces hæ, *id est filium*, glossema quoddam scriptoris sint a margine in epistolam ipsam illapsum, an ab Hilario ipso proveniant, dijudicet Lector. Postremam sententiæ hujus partem, *nam est et ipsis non peccare liberum*, etc., illustrant ea quæ n. 106 tradidimus; ea quoque, quæ Petavius aliique Theologi, et interpretes *de Opificio sex dierum* disserentes docent.

111. Ut ea de re certior sis, vide Theologos peculiari tractatu *de Opere*, (seu de opificio) *sex dierum* disputantes, interpretes quoque, atque inter cæteros Steuchum nostrum Eugubinum eleganti similitudine sententiam hanc illustrantem (*in Cosmopœia*).

112. Causam hic affert Hilarius, ob quam peccatum originale trahamus, quia scilicet derivamur ab Adamo, in cujus voluntate posterorum voluntates constituerat Dominus : derivamur, inquam, ab Adamo jam inobediente, ideoque etiam reo, quique secum in perniciem posteros traxit. Hoc de argumento si pro dignitate agere voluero, infinitus propemodum ero : quam ob rem Lectorem rejicio ad Theologos, qui copiose de eo disserunt. Hilarii loca ad rem præsentem conducentia si quis consulere velit, ea adeat, quæ ad paginæ calcem allego (*b*).

113. Ea de re si quis dubitet, consulat (ut reliqua sileam) caput IV Genesis : videbit enim Deum perquirentem Cain homicidii reum, eumque hortantem ad pœnitentiam. Memoranda sunt præsertim ista (*Cap.* IV, 7) : *Nonne si bene egeris, recipies : sin autem male, statim in foribus peccatum* (id est, pœna peccati) *aderit? Sed sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Recole etiam quæ diximus num. 106. Quod si hic quoque Hilarium optas, lege, obsecro, quæ docet ille in Commentariis ps. CXVIII (*Littera* XXII, *n.* 3 *et pag.* 412 *tom.* I, *Æquitatis autem*, etc.

114. Id indicatur a Christo ipso, dum hæc ait (*Matth.* XXIII, 37) : *Jerusalem quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt! Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat*

(*a*) *In Ps.* II, *num.* 15, *pag.* 38 *et* 39 *tomi* I. *Et in psal.* CXVIII, *litter.* XX, *n.* 9 *et* 10, *pag.* 406 *ejusdem tomi. Et lib.* I de Trinit. *n.* 9, *pag.* 7 *tomi* I.

(*b*) In ps. CXXXVIII, n. 24 *Revertetur enim*, etc., (pag. 573 tom. I). Et in ps. CXLV, n. 2, *Non enim ea vita*, etc. (pag. 630). Vide etiam Commentaria in caput XVIII Matthæi n. 6, *Ovis una*, etc. (pag. 758 ejusdem tomi).

pullos suos sub alas, et noluisti. Neque vero necesse est, ut Jerosolymæ nomine hic intelligamus Jerosolymæ incolas; sed vocabulum hoc referre commode possumus ad humanum genus, et speciatim ad genus Jacob : nisi enim humanum genus universim denotaretur, haud apte sanguinis Abelis a Caino fusi facta fuisset a Christo mentio (*a*). Aptissima hoc super argumento tradit Hilarius in iis, quos ad paginæ calcem designo, locis (*b*).

At, ne videar uno Hilario inniti, Augustinum Hilario adjungo hæc edocentem (*lib.* XII *contra Faustum, c.* 35) : « Misit Sermo Dei legem per servum suum, nec profuit in peccatis mortuo generi humano; quæ tamen non sine causa missa est; ille enim misit, qui sciret eam prius mittendam : venit ipse, conformavit se nobis, factus particeps mortis nostræ, et vivificati sumus, etc.

Sed præ his omnibus uberius, atque eloquentius argumentum hoc pertractat Gregorius Magnus, cujus monita ne prætereat Lector, velim. Etenim commentariis caput XX Matthæi illustrans, explicansque paraboIam illam, in qua *Regnum cœlorum simile dicitur homini patrifamilias, qui ad excolendam vineam suam operarios conduxit*, ea tradit, quæ mirifice sententiam hanc illustrant (*c*). Vide etiam interpretes in versiculum 1 epistolæ ad Hebræos : *Multifariam, multisque modis olim loquens Deus Patribus in prophetis*, etc.

115. Peccatum Adami, quod omnes contraxerunt, perspicue innuit; atque ex eo ostendendi necessitatem dominicæ incarnationis, prædicandæque divinæ pietatis erga genus humanum, occasionem sumit Hilarius; quod alibi, et sæpe facit. Quis enim hominum reconciliare nos Deo poterat, si omnes in Adamo peccavimus, et nascimur *filii iræ, filii vindictæ?* Erat itaque opus, ut carnem nostram sumeret unigenitus Dei Filius, *sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* (*Hebræ.* VII, 26), atque in ea satisfaceret Deo irato. Disserunt hoc de argumento Theologi, et Petavius in primis, qui plurimos eam in rem Patres allegat (*lib.* II, *de Incarnat., cap.* 12, 13 *et* 14). Unum hic affero Ambrosium hæc elocutum (*d*) : « Ipse est solus, qui redimet hominem vincens pietate germanos, quia pro alienis sanguinem suum fudit, quem nemo potest offerre pro fratre.... sed quare solus hic redimet? Quia nemo potest eum æquare pietate, ut pro servulis animam suam ponat : nemo integritate, omnes enim sub peccato : omnes Adæ illius subjacent prolapsioni : solus Redemptor eligitur, qui peccato veteri obnoxius esse non possit.

116. Quod ad priorem illam sententiam attinet : *ne in totum diabolus triumpharet*, ea denotat priora illa, et incarnationem præcedentia tempora, quibus sane *triumphare* visus est dæmon; adeo cuncta vitiis obsita erant, et idololatriæ tenebris involuta. Indicat id sæpe Paulus, veluti cum hæc ait (*Ad Tit.* III, 3) : *Eramus enim aliquando et nos insipientes, increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia, et invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei : non ex operibus justitiæ, quæ facimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum : ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Affinia docet idem Paulus versiculis 9 et 10 capitis I epistolæ II ad Timotheum : *Qui* (Deus) *nos liberavit*, etc.

Quod vero attinet ad partem alteram, *nam hoc illi nomen est*, notant omnes, vocabulum hoc *Diabolus*, significare *criminatorem*, seu criminum auctorem.

Tertia demum pars, *postquam homini invidit*, innuit locum illum libri Sapientiæ (*Sap.* II, 24) : *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* : innuit quoque verba illa Pauli (II *Cor.* XI, 3) : *Serpens Evam seduxit astutia sua*, et alia his affinia. Quamquam expressissime Luciferum homini ab ipsa ejus origine invidisse, nonnulli tradunt : sed eidem jam condito certe invidisse ii docent, quos allegat Petavius (*De Angelis l.* III, 2, 16, 17, etc.). Ilos consule, obsecro : quibus adde Chrysostomum in eo, qui ad paginæ calcem allegatur, loco (*Homil.* XXII *in Genes. num.* 2, *pag.* 195 *tomi* II *edit. Montfaucon*).

117. Ea quæ ex Epistolis Pauli modo attulimus, huc commode referri possunt.

118. Stricte hic Hilarius rationes, ob quas Verbum Dei incarnatum est, comprehendit. Ac prima quidem est, quia per Filium reparari lapsum hominem conveniens erat, per quem homo erat conditus. Athanasius, Hilarius, Cyrillus, Augustinus, Fulgentius, Chrysologus, Leo papa, Alcuvinus et Ivo Carnotensis eamdem rationem inculcant locis iis, quæ Petavius allegat (*De Incarnat.* II, VI, 16, *et rursus cap.* XV, *num.* 2, 3 *et* 4). Ne cunctos videar præterire, Leonis verba (*Serm.* XII *de Passion., cap.* 2) adduco : « In hac ineffabili unitate Trinitatis (*inquit Leo*) cujus in omnibus communia sunt opera atque judicia, reparationem humani generis proprie filii persona suscepit; ut quoniam ipse est, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil, quique plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animavit, idem naturam nostram ab æternitatis arce dejectam, amissæ restitueret dignitati, et cujus erat conditor, esset etiam reformator, sic consilium suum dirigens in effectum, ut ad dominationem Diaboli destruendam magis uteretur justitia rationis, quam potestate virtutis. »

119. Vereor ne error irrepserit in verba illa, *hominem patienter tolerare*, legendumque sit *hominem patiendo e potestate dæmonis tollere*, aut aliud hujus generis, quo significetur redemptio passione peracta. Aliquem tamen laudabilem sensum habere possunt hæc ipsa verba. Christus enim humanas infirmitates patientissime toleravit, hominumque peccata et tulit in se, et portavit in ligno, et adeo nostri est misertus, ut, dum extrema quævis ab hominibus pateretur, exclamaret ad Patrem : *Pater, ignosce illis : quod enim faciunt, nesciunt* (*Luc* XXIII, 34). Nisi fortasse velis eumdem sensum habere hæc Hilarii verba, atque illas vulgatissimas Ecclesiæ preces : *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserendo manifestas*, etc. Utcumque sit, ea quæ subsequuntur de potestatibus hujus sæculi superatis, morte devicta, et cæteris, quæ Hilarius prosequitur, iis illustrantur Patrum locis, quos indicavi annotatione 115; centesima vero decima octava ea illustrantur, quæ subsequuntur : *qui in factura hominis particeps cum Patre fuerat.* Vide etiam quæ annotatione 100 et 101 allegavimus. Ut ea confirmes Hilarii verba, *qui et se posset in homine celare, et hominem cum Deo mixtum virtutes perficere et exhibere*, audi Augustinum in eamdem sententiam hæc proferentem (*in Psal.* LXIII, 7) : « Accessit ergo homo (*intellige, Christus, seu unigenitus Dei factus homo*) ad illas omnes passiones, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. Accessit homo ad cor altum, id est cor secretum, objiciens aspectibus humanis hominem, servans intus Deum : celans formam Dei, in qua æqualis est Patri,

(*a*) *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum, et altare* (*Matth.* XXIII, 35).

(*b*) In ps. LII, n. 5, pag. 56 tomi I, *ac ne indiligens Dei erga homines*, etc. Et in Matthæi caput XII, n. 22, pag. 733. Et expressius in caput XX, n. 6 et 7.

(*c*) Homil. XIX in Evangelia n. 1 ; *Quis vero patrisfamilias similitudinem*, etc.

(*d*) In versic. 8 psalmi XLVIII, seu ad verba illa : *Frater non redimit, redimet homo : non dabit Deo placationem.*

et offerens formam servi, qua minor est Patre. » Nolim porro putes, superiora verba aut Nestorianis favere, aut Eutychianis : Nestorianis illa, *qui et se posset in homine celare* : Eutychianis vero subsequentia, *et hominem cum Deo mixtum*. Memineris, obsecro, quibus temporibus Hilarius hæc scripserit ; diu scilicet ante exortam Nestorii et Eutychetis hæresim, ideoque iis temporibus, quibus liberioribus his locutionibus uti tuto licebat. Hinc mirum non est, si his utatur (*a*). Atque ea quidem loca, in quibus *hominem* veteres Patres appellant naturam humanam a Verbo assumptam, tam crebra sunt, ut ea pigeat recensere (*b*). Ea vero, in quibus voce *mixtus*, ad denotandam unionem Verbi cum natura humana, utuntur, non aliud indicant, nisi unionem Verbi Divini cum natura humana (*c*).

120. Consule ea Scripturæ loca, quæ in epistolæ ipsius calce indicavi.

121. Omnes fere veteres Patres Virgineum Christi partum Dæmonem latuisse aiunt ; sed causam hujusce divini consilii plerumque non afferunt. Duas valde probabiles hic adducit Hilarius, quarum prima est : ne Dæmon vereretur Christum tentare, quem scilicet non tentasset, si Deum nosset : et ut magis appareret victoria, quam de dæmone retulit Christus, qui minus diaboli victor appareret, si sine ejusdem diaboli accessu, et tentationibus diabolus vinceretur. Itaque voces illas, *et minus prostratus*, sic accipere possumus, ut vel addenda sit vel certe intelligenda particula *ne* : id est, *et ne minus prostratus*, etc. Accipere tamen ita etiam possumus, ut per se sententia illa persistat.

122. Prior hujus sententiæ pars ea innuit, quæ de Virgineo Christi conceptu docet Lucas. Pars altera rationem affert cur Christus diu moratus sit inter homines ; ut scilicet illius divinitatem per ejus dogmata et miracula tum præcedentia illius ortum, tum etiam ab eo peracta assequeremur, concurrentibus ad eamdem testificationem Angelorum nuntio, et canticis, adventu magorum, veteribus prophetiis, Simeonis pariter et Annæ prophetissæ, Joannis quoque Baptistæ testificationibus. Horum partem attingit Hilarius num. 26 et 27 lib. II *de Trinitate*, quæ loca rogo ut consulas. Ne quid porro dissimulem, suspicatus sum aliquando, legendum esse *discerent demum hæc omnia*, etc. Vel, *ut omnes ferre discerent Deum*, id est legi Christi subjici. Num recte, judicet Lector.

123. Duo emendavi, quæ depravata reperi in codice : legitur siquidem in eo *perterriti*, cum procul dubio legendum sit *præteriti*, id est, ii, qui adventum Domini præcesserunt. Legitur quoque : *Quibus hoc his oculis*, etc., omisso verbo *videre*, aut *inspicere*. Quod si quis ut oculos mentis oculis corporis opponat, vocem *his* retinere velit, per me quidem licebit, dummodo verbum *videre*, aut *inspicere* adjungat (*d*). Duo porro hic docet Hilarius : primum quidem, Christi Domini adventum prædictum fuisse in lege et prophetis : alterum, cur prædictus is fuerit ; ac postremi duas causas adducit, quarum prior præsentes afficit, præteritos altera. Ideo scilicet multo ante prædictum vult hujus modi adventum, ne rem tam mirabilem præsentes credere recusarent, quandoquidem jam diu tam certis, perspicuisque prædictionibus innotuerat. Ideo vero iis, qui Christi Domini adventum antecedebant, prædictus fuit adventus ille, ut in venturum Messiam crederent, et ab eo se consecuturos salutem sperarent : hinc crebræ illæ voces (*Isai.* LXIV, 1) : *Utinam disrumperes cœlos*, etc. *Rorate, cœli, desuper*, etc. (*Isai.* XLV, 8), et similes aliæ. Immo Christus ipse aliquando testatus est (*Joan.* VIII, 56, *Ut videret diem meum*) optasse Abrahamum *videre diem illius* : id est, ea tempora, quibus Unigenitus Dei assumpto humano corpore inter nos degit, humanum genus exemplis, et monitis suis erudiens, morte vero sua salvaturus. Porro Christi Domini adventum jam pridem fuisse prædictum, cum alii multi, tum præsertim ostendit Cyrillus Hierosolymitanus, cujus 12, et 13 Catechesim, obsecro, legas. Sed quis Hilarium omiserit, quippe qui ipsum, quod hic paucis, alibi luculenter exequitur ? Nonnulla indico ex plurimis. Sunt porro numerus 13 commentariorum in psalmum LIV (*Pag.* 123 *tomi* I) ; numerus 1 commentariorum in psalmum LXI (*Pag.* 161 *tomi* I) ; numerus primus comment. in psalmum LXVI (*Pag.* 208 *tomi* I) ; numerus vicesimus comment. in psalm. LXVIII (*Pag.* 253) ; numerus primus comment. in ps. CXXXI (*Pag.* 500) ; numerus XXXVIII libri IV de Trinitate (*Pag.* 97 et 98 *tomi* II ; *et pag.* 123 *tomi* I) ; ac denique, ne in singulis immorer, dum psalmos explicat, magnam horum partem ad Christum refert : id quod is fatebitur, qui ipsos Hilarii tractatus in psalmos legerit. Nonnulla de hoc argumento attuli in annotationibus in quemdam S. Antipatri sermonem, in Vaticana bibliotheca repertum, quem paucis ab hinc mensibus edidi (*In tomo* XLIII *Opusculorum a Patre Calogera collectorum*). Vide ibi annotationem 18 et subsequentes.

124. Post voces illas, *majestatis et bonitatis suæ*, addidi vocem *speciem*, cum hæc, aut altera affinis in codice desit. Deinceps in codice legitur *susceperant* : sed omnino legendum puto *susceperat*, idque refero ad Christum, qui venit ad tollenda peccata mundi. Paulo obscurior videtur hic esse syntaxis ; sed eam immutare nolui, ne plus æquo audacior apparerem. Num aliqua desint, judicabit, qui periodos superiores expenderit. Codex ita scriptus est, ut legi etiam possit : *quod si Deus . . . . ostenderet, forsitan*, etc.

125. *Parto corpore* intellige *assumpto corpore*. In calce epistolæ ea Scripturarum loca notavi, ad quæ oculos intendisse Hilarium, arbitror. Si loca ea, quibus Patres id ipsum persequuntur, afferre studuero, infinitus propemodum ero. Notant porro interpretes Scripturarum et Theologi, atque in primis Petavius (*De Incarnat. lib.* II, *cap.* 6, 1, etc.), duos præsertim ob fines humanam carnem a Domino Jesu fuisse assumptam, quorum prior est, exemplis et monitis suis nos erudire ; alter, morte pro nobis tolerata, ex dæmonis potestate eripere humanum genus.

126. Indico in calce epistolæ ea Scripturæ loca, ad quæ respexisse Hilarium puto. Verba porro illa, *per mortem hominis*, quoniam ab amanuensi depravata fateri non cogimur, vel explica *propter mortem*

(*a*) Lib. II *de Trinit.*, cap. 16 : *Spiritus* (id est Verbum divinum) *naturæ se humanæ carnis immiscuit*, etc.

(*b*) Vide, ut has, aliasque affines locutiones in rectissimum sensum deducas, quæ docent Theologi. Indico e plurimis Petavium *de Incarnat.* lib. VII, cap. 12 et 13.

(*c*) Vide hic quoque quæ ad deducendas in rectum sensum has aliasque affines locutiones Theologi tradunt. Petavium hic quoque seligo e plurimis *de Incarn.* libro. I, cap. 15, n. 7 et 8, et lib. IV, 1, 2 (numero præsertim 14 et 15) ; capite etiam 10. Vide etiam annot. *d* ad n. 26 libri II *de Trinit.* Hilarii ad verba illa *Spiritus.... naturæ se humanæ carnis immiscuit*, etc. (*Hujus ed. tom.* II, *col.* 67) ; afferuntur enim probatissimi Patres, qui his locutionibus usi sunt. Ut in Hilario persistam, *mixtionem* procul dubio idem intelligit, atque unionem, cum ait (num. 9 Commentar. in ps. LXII, pag. 181 tom. I) : *animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam, elementis corporis admisceri*. Ausonius quoque, ut denotet, Spiritum Sanctum unum esse cum Patre et Filio Deum, mixtum eum ait (in *Precatio. matut.*) Patri et Filio

> Unigeni cognosco Patrem, mixtumque duobus,
> Qui super æquoreas volitabat spiritus undas.

(*d*) Vide quæ docet Hilarius tractat. in ps. CXVIII litter. 11, n. 3, pag. 344 tom I : *Sed hi nunc oculi prophetæ*, etc.

hominis (quam scilicet homo in Adamo subierat, et ad quam vincendam Christus Dominus crucem pertulit); vel, *morte hominis:* Christus enim mortuus est eo mortis genere, quo solent mori homines. Vocem *Immortalis* refer ad Christum, qui, utpote Deus, per se *immortalis* erat.

127. Loca Scripturæ, quæ in calce epistolæ indico, consulat Lector. Consulat pariter eos Patres, quos hoc super argumento Petavius allegat (*De Incarnat. lib.* II, *cap.* 6). Duos tantum adducere hic libet, Hilarium (*a*), et Cyrillum Hierosolymitanum (*Catech.* XIII *et* XIV), quorum testimonia ad paginæ calcem innuo. Recole quæ diximus, n. 115 et 118. An error est in iis verbis: *In perniciem hominis, et salutem*, etc.? An ea denotant, quidquid tentasset homo ad salutem adipiscendam inutile futurum fuisse? Aliorum judicium opto.

128. Recole quæ num. 119 tradidimus, ut vim assequaris locutionis illius: *triumphans homo cum Deo.*

129. Verba hæc, *quia cum Deo quisquis se conjunxerit, mori videri potest, non potest interire*, paulo obscuriora nonnullis visa sunt. Perspicua fiunt, si ea referas ad mortem perpetuam, quam non subibunt, qui Christo conjuncti perstant. Si vis ad Christum ipsum referre, eumdem habent sensum, atque illa Petri verba (*Act.* II, 24): *Quem* (Christum) *Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo: David enim dicit in eum . . . . Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem:* interitum quippe, cujus hic mentionem facit Hilarius, idem esse arbitror, ac *corruptionem*, quam a Christo arcent David et Petrus. Juvabit porro ad Hilarii sensa penitius assequenda, ea consulere, quæ Clariss. Monachus S. Mauri, editor Operum S. Hilarii, paragrapho III præfationis docuit (*N.* 98 *et seq.*, *pag.* 32 *tom.* I). Sane voce hac *interitus* exterminium ab Hilario intelligi fatebitur, qui hæc audiet (*In ps.* LXIII, *n.* 9): « Qui vero prædicabit animæ cum corpore occasum, audiet animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admisceri: mortem autem, non interitum esse, sed discessionem ejus a corpore. »

130. Post voces illas, *exstincto inimico vitam*, adjeci *homini*, id exposcente ordine ipso, ac vi disputationis. Audi porro, quanta elegantia, et verborum copia hoc ipsum argumentum alibi pertractet Hilarius (*In ps.* LXVIII, *n.* 14). « Cum cohæredes, et concorporales, et comparticipes Christo gentes fierent . . . . . cum mors postquam in Deo esset grassata, desineret; cum lex peccati, quæ in carne nostra est, tolleretur; cum revelationem filiorum Dei congemiscens omnis creatura speraret; cum in passione unigeniti Dei omnium ante constitutionem mundi causarum et originum consummaretur effectus; principem sæculi judicando, hominem ex peccati lege redimendo, creaturis a corruptionis vanitate, cui servierant, liberandis, nequitiis spiritalibus Domini morte damnandis, Deo in omnibus et per omnes æternitatis munere, et immortalitatis nostræ claritate laudando. Omnia autem hæc virtutis resurrectionis implevit: quia per primitias ex mortuis ab hominum genere morte depulsa, in auctores mortis æternæ mortis pœna decreta est. » Præclara etiam multa in idem argumentum tradiderat n. 6, et n. 19 tractatus in psalmum LXVIII (*b*). Affinia autem, ne dicam eadem cum iis, quæ nostra habet epistola, tradit capite tertio commentariorum in Matthæum (*N.* 2, *pag.* 667). Ecce illa: « Qua rerum ratione indicat (*quadraginta dies, quibus Jesus jejunavit, et postea esuriit, innuit Hilarius*), post quadraginta dierum conversationem, quibus post passionem in sæculo erat commoraturus, esuritionem se humanæ salutis habiturum. Quo in tempore expectatum Deo Patri munus, hominem, quem assumpserat, reportavit. » Sed, ne unice Hilarium citare videar, nonnullos alios Patres indico e plurimis, quos tu lector consules, Cyrillum (*Catech.* XIV), Nyssenum (*c*), Augustinum, seu alium quempiam auctorem sermonis 176 *de Tempore*, et Leonem Magnum (*d*).

131. Fuere nonnulli, quibus placuisset, ut Hilarius expressius de Spiritus Sancti divinitate locutus fuisset; idque facile assequimur ex iis, quæ in præfatione in libros *de Trinitate* collegit (*Num.* 12) doctissimus Monachus S. Mauri, cui editionem S. Hilarii debemus. Sed ejusdem Sancti Spiritus cum Patre et Filio æqualitatem, ac consubstantialitatem procul dubio asserit Hilarius: quod quidem is fatebitur, qui ad ea, quæ in ea præfatione traduntur (*Num.* 15), advertet animum. Neque porro persuasionem hanc attenuat, ea, qua in hac epistola utitur, phrasis, nempe, *pro se vicarium dimisit Spiritum Sanctum*. Nimirum (quod alibi etiam monui) eo tempore Hilarius scripsit, quo nondum exortus erat Macedonii error, accensentis scilicet creaturis Spiritum Sanctum: ideoque paulo liberius scripsit, imitatus (quod alibi interdum facit) Tertullianum hæc scribentem (*Lib. de Præscript. Hæreticor. c.* 13): « Regula autem est fidei . . . . Jesum Christum . . . . sedisse ad dexteram Patris, misisse vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat. » Si Tertulliano tum plane orthodoxo hæc scribere licuit, cur non licuit Hilario, præsertim cum in catholicum ac probabilem sensum facile ea deducantur? Dicitur scilicet hac significatione Christi *vicarius* Spiritus sanctus, quod intima sua inspiratione, et interno afflatu consolatus est Apostolos, adjuvit quoque et direxit, et, si vis ita loqui, permovit eos ad ea opera, ad quæ Christus monitis exemplisque invitavit. Dicitur etiam Christi vicarius, propterea quia donis in Apostolos infusis, miraculorum reddiderit effectores, sicut effectores eorumdem miraculorum eos reddiderant Christi auctoritas et præcepta. Aliis de causis dicitur Spiritus Sanctus supplere vices Christi, veluti quod donorum ubertate et conformatione plenissima divinæ voluntati iis infusa compenset corporalem et sensibilem Christi Domini absentiam; aliisque affinibus, ob quas *alius Paraclitus* appellatus est a Christo ipso (*Joan.* XIV, 16 *et* 17). Perstitimus hactenus in locutione illa: *pro se vicarium dimisit Spiritum Sanctum*. Ut autem aliquid de iis vocibus dicam: *Ut hominibus credentibus et auxilio esset, et sanctificationi*, illud gratiæ genus, quod *actuale* Theologi vocant, voce illa *auxilio*; illud vero, quod *habituale*, voce altera *sanctificationi*, denotari arbitror. Quod si earum etiam gratiarum genus, quas *gratis datas* iidem theologi appellant, hic pariter denotari affirmes, ego quidem minime obsistam. Etenim et hoc ipsum gratiarum genus *auxilio* Ecclesiæ est, et *sanctificationi*, quatenus sanctam denotat, quam sic adjuvat Deus, et alios invitat, ut eam ingrediantur, et sancti fiant.

132. Id est, hactenus per ordinem nostram exposuimus de Christo sententiam.

133. Postquam satis in superioribus hujusce epistolæ partibus suam de Patre et Filio sententiam declaraverat Hilarius, transit ad tertiam sanctissimæ Trinitatis personam, Spiritum Sanctum scilicet, de quo statim profert, in eum pariter credendum esse: deinde de eodem Spiritu Sancto pronuntiat eum universa, quæ postmodum fierent, et inspirare, et sanctificare suæ substantiæ . . . Sed quænam (inquies)

(*a*) *Lib.* I de Trinit. *n.* 13, *pag.* 11 *tom.* I. Et in ps. LXVII, *n.* 23, *pag.* 230 *tom.* II, *Ac primum, quid in Crucis sacramento*, etc. Et in ps. LXVIII, *n.* 14, pag. 249.

(*b*) Ad verba illa: *qui ascendit super occasum.*

(*c*) Oratione, quæ *de Ascensione* inscripta est.

(*d*) In sermonibus duobus *de Ascensione*, præsertim vero capite 4 sermonis I, *Super omnium creaturarum*, etc.

sunt, quæ *postmodum fierent?* An Ecclesia in Christo, veluti angulari lapide Judæos et Gentiles jungente ædificata? An sacramenta, ac præsertim baptismus, super cujus aquas Spiritum Sanctum ferri dixere Veteres (*a*)? An peccatoris cor, quod in conversione creari dicitur (*b*), ut illius renovatio indicetur? Utrumque commode admitti potest. Suppleri vero potest, quod periodo deest, *communicatione*, aut *munere*, aut aliud aliquid affine, quoniam ex iis, quæ docet Petavius, discimus in justificatione Spiritum Sanctum ipsum nobis communicari (*c*). Quæ nuper dixi de duplici genere gratiæ, de *actuali* scilicet, et de *habituali*, mihi quidem videntur rursus hic tradi verbis iis: *Et inspiraret, et sanctificaret*, etc.

134. Meminerit lector, hic retractare Hilarium, et accuratius explicare, quæ in priori epistolæ parte summatim tradidit. Neque porro locum hunc copiosius illustrare conveniens duco, cum ea jam docuerim, quæ ad eumdem illustrandum valde apta sunt. Recole itaque quæ dixi numeris 23, 24 et 30. Videtur autem hic aliquid desiderari præter vocem *communicatione*, quam addendam esse dixi.

135. De unitate baptismi egimus num. 25. Per baptismum porro deleri peccata, indubitatum est, et manifesto a theologis demonstratum. Hilarius, qui hic strictim fidei nostræ capita complectitur, unicum allegat Scripturæ testimonium, quod in Vulgata nostra sic integrum legitur: *Quod et vos nunc similis formæ salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi.*

136. Recole quæ annotavi num. 27.

137. Arbitratus sum aliquando aliqua hic deesse; neque enim statim apparet, prioribus verbis (nimirum: *post hæc ordo exigit credere resurrectionem mortuorum in eadem carne*), subsequentia cohærere. Cohærent tamen, et ea sic explico: Credenda est resurrectio mortuorum; etenim per discessionem animæ a corpore non interit, nec prorsus perit homo, sed sapienti Dei cuncta prævidentis consilio post mortem perstat statuto tempore resurrecturus et judicandus. Quod si putes, melius fuisse homini non esse æternum, quam esse, scito Deum, antequam hominem conderet, probe agnovisse, quid melius foret. Itaque si *æternum* condidit, id melius fuisse dicendum est. Quæ deinceps afferemus, explicationem hanc ipsam confirmant. Addidi vocem *Deus* (*præscius sit Deus*), quæ deest in codice, ut sententia constaret.

138. *Homo qui fit*: id est constat; nisi malueris legere *qui sit*; id est, qui est: utitur enim (quod alibi dixi) sæpe subjunctivo pro indicativo Hilarius. Ut ad sententiam ipsam veniam, a ratione theologica ad Scripturam transit Hilarius, adducitque librum *Sapientiæ*, quem et Salomoni tribuit (quatenus scilicet Salomonis sententiæ in eo colliguntur), et aptum putat ad id, de quo agit, evincendum, ideoque canonicum judicat. In Vulgata autem locus ille sic se habet: *Deus creavit hominem inexterminabilem.* Num aliqua hic desint, ex Scriptura pariter desumpta, ad id, de quo agimus, confirmandum, an non; judicaverit lector. Profecto voces illæ, *pauca ad exemplum ponam*, duo saltem loca, quæ adducerentur, videbantur exposcere.

139. Suspicionem illam meam, quam nunc indicavi (deesse scilicet hic nonnulla), augent illa ipsa verba, quæ ex Genesi adducuntur: videntur enim indicare alia Hilarii verba, quibus moneretur Lector, hominem peccando sibimet eripuisse corporis immortalitatem: quam ob rem vetuit Deus, ne ex ligno vitæ, qua mors arceretur, homo comederet. Anceps porro hæreo, num verba illa, *utique ut immortalis perseveraret*, glossema olim fuerint verborum illorum, *Deus condidit hominem ad immortalitatem*, quod a margine in textum ipsum epistolæ transierit; an potius his statuat Hilarius ipse, quod tametsi peccando corporis dissolutionem, ideoque hoc sensu mortem incurrerit homo, adhuc tamen immortalis perseverat, in ea scilicet parte, quæ *interior homo est* (*V.* n. 103), et quæ omnino, seu, ut cum Scholasticis loquar, *absolute, et independenter a quavis conditione*, immortalis fuerat constituta. Postremum hoc magis placet.

140. In Codice legitur *quid*, ubi ego substitui vocem *quis* (*Quid? nisi homo*, etc.). Si priorem illam retinere vult Lector, retineat per me licet, dummodo ea vox reliquis concordet. Verba illa, *homo, qui immortalis a Deo factus fuerat*, interiorem hominem, seu animam denotant (*Vid. n.* 103); nam hæc natura sua immortalis est, corpus autem per gratiam, a qua peccando decidit.

141. Post verba illa: *jam enim erat in transgressione*, in codice hæc adduntur, *a peccato possidebatur*, quæ delevi, propterea quia manifestum glossema sunt præcedentium verborum, *jam enim erat in transgressione*, quod ex margine in epistolam ipsam illapsum est. Superioribus vero illis verbis, quæ incipiunt: *Sed credo*, etc., hanc inesse arbitror significationem: Si forte Lectorem moveat, quod homo a ligno vitæ sumendo prohibitus sit, noverit id hominis ipsius bono esse factum. Scilicet jam reus admissi criminis erat. Itaque si ad arborem vitæ accessisset, cujus esu vitam continuasset; nec suam novisset culpam, nec spem suam in Christum incarnandum direxisset, ideoque eamdem culpam suam dolore, castigationibus, ac pœnitentia minime delevisset. Consultum itaque illi est, dum ab arbore vitæ comedenda prohibitus est. Ante Hilarium hæc tradiderat Novatianus, si is auctor est libri *de Trinitate*, qui ipsi tribuitur (c. 1): « Nam et quod requiritur, non ex ignorantia venit, sed spem hominis futuræ in Christo et inventionis, et salutis ostendit: et quod, ne de ligno arboris vitæ contingat, arcetur, non de invidiæ maligno livore descendit sed ne vivens in æternum, nisi peccata Christus ante donasset, circumferret secum in pœnam sui semper immortale delictum. » Vetustam querelam de homine ab esu arboris impedito si alibi ab Hilario allatam et breviter repulsam videre cupis, eum locum, quem ad paginæ calcem indico consule (*In ps.* CXVIII, *litte.* XVI, *n.* 9, *p.* 380 *t.* I, *Cum Adam de paradiso*, etc.).

142. Hunc inesse arbitror superiori sententiæ sensum: Consultum itaque, et utiliter provisum est homini, qui vera factura Dei est (*Vide n.* 97, etc.), ut qui temporariam dissolutionem subire cogitur, expulso per Christi merita et gratiam malo, excitetur in vitam, per resurrectionem scilicet, de qua antea locutus fuerat. (*V. n.* 136).

143. Vereor, ne aliquid hic desit. Cæterum sensus adhuc perstat, tametsi nihil desit. Nimirum sic interpretari sententiam hanc possumus: id est, *semper permanet homo*, sive quia permanet homo interior (anima scilicet, quæ minime dissolvitur); sive (quod tamen eodem recidit) quia tametsi immortalitatem amiserit corpus, eam tamen non amisit animus.

144. Objectioni, quam experientia ipsa dictat (omnes enim morimur), occurrit Hilarius: negatque nos vere, seu prorsus interire, sed tantummodo se-

(*a*) Vide annotationem *e* adjunctam num. 24. Addere potes Patres plurimos, qui de baptismi aquis agentes, et ad eas invitantes Catechumenos, super easdem aquas ferri Spiritum Sanctum, et easdem sanctificare dixerunt. Tertullianus cap. 4 libri de Baptismo: *Supervenit* (inquit) *statim Spiritus de cœlis, et aquis superest sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificata vim sanctificandi combibunt.*

(*b*) *Cor mundum crea in me Deus.* Psal. L.

(*c*) Vide quæ tradit Petavius *de Trinit.* lib. VIII, cap. 4, n. 5 et subsequent.

parari ait : perstat enim individuus animus, corpus vero constituto a Deo tempore resurget, et ab anima assumptum Christo judici se sistet. Quænam sit vis vocum harum, *non interire hominem, sed separari*, assequeris ex num. 129. Recole, obsecro, verba illa : « Qui vero prædicabit animæ cum corpore occasum, audiet animam non esse terrenam, sed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admisceri : mortem autem non interitum esse, sed discessionem ejus a corpore. »

145. In codice ad hunc modum legitur : *sed ad resurrectionis timet Dei judicium reservari :* errore, me quidem judice, manifesto : cum procul dubio legendum sit, *ad resurrectionis diem judicium reservari.* Delevi autem vocem *timet*, quia veteres omnes, cum de divino judicio agitur, *timorem* inculcaverunt (*a*) : hinc notula addita est, ut puto, in margine, *time*, seu, si vis, *timet*, a margine vero illapsa est amanuensis inscitia in epistolam ipsam. Qui veteres codices pervolvere consueverunt, sæpissime in hæc offendunt. Venio nunc ad sententiam ipsam. Obscura sane sunt ista : *nec assumere materias hominem ex quibus corpus est fabricatum.* An hic eorum opinionem rejicit, qui post mortem repeti ab animabus priora corpora arbitrabantur, et *Deos manes, Deosque lemures* ea de re confingebant? An potius docet hominem, cum resurget, non habiturum illius generis corpus, ex quo primitus constitit? Quis enim dicet nos luteum habituros esse corpus, cum *ex luto* humanum corpus *fuerit fabricatum*, et moneat Apostolus, Deo caros in resurrectione immutandos (*b*) id est, multo præstantius corpus habituros esse?

146. Rationem reddit, cur omnes, nullo prorsus excepto, divino judici præsentabimur : cum enim et pro omnibus mortuus fuerit, et omnium tum hominum, tum Angelorum Judex electus sit Dominus Jesus, nullus erit, qui ab ejus judicio, quod propterea universale, et postremum erit, se queat eripere.

147. Fortasse vocula *nam* ad eum modum hic adhibetur, quo sæpe in Scripturis (*c*); ita scilicet, ut superiorum dictorum rationem minime reddat, sed vices habeat particulæ *Et*. Verbum *expingi* (si nullus amanuensis error hic inest) sic accipe, ut Hilarius sumpserit verba illa Pauli : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum* (II *Cor.* v, 10), quasi vox illa *referat* idem sit ac *repræsentet*, seu *exhibeat*, adeo ut nota futura sint omnibus opera nostra, quæcumque illa sint, sive bona, sive mala. Voces illæ, *secundum voluntatem ejus*, aut prædestinationem denotant (*d*), aut indicant illos, qui recta gesserunt opera, id egisse, quod maxime optat Deus : *hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra*, inquit Paulus (*e*). Illa porro, quæ extremo loco habentur : *unde nos appetamus*, etc., hortatio quædam sunt, ex superioribus dictis consequens, et valde apta ad excitandos homines ad recta opera. Recole etiam, si vis, quæ n. 8, 27 et 28 tradidimus.

148. Difficilioribus emensis, longa adhuc, tametsi minus aspera, superest via. Traditis scilicet, explicatisque in superioribus duabus epistolæ partibus orthodoxæ fidei dogmatis, ad mores *personarum* (*Nunc ergo de persona tractemus*) recte instituendos se convertit Hilarius, instructionem suam in quinque partes dividens, quarum prima ad divites et pauperes dirigitur. Ad mares et fœminas altera. In tertia quid unicuique ætati conveniat explicat. Habet quarta communem quamdam exhortationem ad fideles omnes, quorum munia percurrit, eosque ad martyrium (si opus fuerit) subeundum incitat, et ad eversionem idololatriæ : tum brevissimis monitis perstringit, quomodo in eo vitæ genere, in quo unusquisque versatur, se recte ac laudabiliter gerat. In quinta denique de virtutibus disserit. Tametsi porro deinceps multo parcior in annotationibus apponendis futurus sim (fere enim perspicua per se sunt, quæ docet Hilarius), aliquas tamen, cum scilicet conveniens id judicavero, adjungam. Loca porro Scripturæ, quæ in calce paginæ indico, ipse per se consulet lector.

149. En quomodo superiorem Pauli locum Vulgatus interpres exhibeat : *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Quod porro deinceps paucis docet Hilarius, alibi luculentius exsequitur. En quomodo « Diviles quosdam insolentes esse præstat opulentia, et maxime timorem Dei divitiarum fiducia inanis avertit : stulti, non intelligentes, hoc se magis religiosos oportere esse, quod divites sunt ; quia gratiam referre largitori bonorum sibi desiderabilium conveniat : et hoc magis inexcusabilis avaritiæ sit reatus, quia avaritiæ necessitatem non excuset opulentia. Jam vero quam infelix fiducia est rei inanis : Deum contemnere habendo aurum, quasi aurum non ex Dei sit creaturis ; aut aliquem per id, judicio sanæ mentis, beatæ vitæ acquirat profectum, quod sibi aurum jaceat suffossum ; et hinc fiat non generalis animæ, et corporis homo, aliusque possit esse, quam natus est ; aut cum vita excedat, auro suo sit usurus in morte! Utetur plane, si eo recte utetur in vita, si esurientem pane suo aluerit, si nudum veste sua texerit, aut ægrum sumptu suo refoverit, aut captivum libertati suæ reddiderit. Hæ sunt plane ambitiosæ apud Deum humani thesauri legationes, hæc potentia deprecandorum criminum, et vera suffragia. Sic auro demutabimur, ut ex terrenis cœlestes, et ex mortalibus simus æterni » (*In Psal.* LI, *n.* 21, *p.* 90 *tom.* I).

150. Innuit fortasse Hilarius locum illum Epistolæ Pauli Apostoli primæ ad Timotheum (VI, 9) : *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et in desideria multa inutilia*, etc. Sane Hilarius in eamdem sententiam alibi : « Sed radix maxime iniquitatum in pecuniæ cupiditate est : quam qui appetit, gravissimæ tempestatis naufragio mergitur. Sequitur enim : *Nolite sperare in iniquitate, et in rapinas nolite concupiscere : Divitiæ si fluant, nolite cor apponere.* Magnæ enim in hisce desiderii sui et amoris illecebræ sunt : rapiunt ingenia, mentesque pendulas apprehendunt. Non solum itaque non concupiscendæ earum rapinæ sunt, verum ab his voluntas nostra, etiamsi præbeantur fluantque, referenda est ; ne desideratæ capitæque dominentur. Non enim spebus nostris bona sunt cœterna, neque nobiscum aut condescendunt in infernum, aut conresurgunt de inferno. Fides, pietas, continentia, benignitas expetenda est, et maxime Dei cognitio sectanda est. Cæterum hæc vana, et per naturam sui ad omnem iniquitatum necessitatem captiosa, vitanda sunt » (*In Ps.* LXI, *n.* 8, *pag.* 169 *tom.* I). Denique indicat (nisi me fallit animus) locum illum Evangelii : *Estote misericordes, sicut Pater*

(*a*) *A judicis tuis timui*, etc,

(*b*) *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* I *Cor.* XV, 51, etc.

(*c*) *Nam in Christo Jesu ego vos genui :* hic nempe particula *nam* rationem minime reddit superiorum dictorum : quod alibi sæpe fit.

(*d*) *In quo* (Christo) *etium et nos forte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ephes. I, 2.

(*e*) I Thessa. IV, 3. Affinia tradit idem Apostolus Rom. XII, 2, et Eph. V, 17.

vester misericors est (*Luc.* VI, 36) : misericordia enim Deo efficimur similes.

151. Modum in dispensanda pecunia primum adhibendum ait, adeo ut, distribuatur quidem, sed non profundatur ac disperdatur. An tacite celebrem Ecclesiasticæ pecuniæ distributionem in Ecclesiæ ministros, in ædificia sacra, et in pauperes hic indicet Hilarius, lector dijudicabit. Si revera indicat, in ea distributione pauperes præferre videtur, quod et reliqui Patres sæpe faciunt Annon ipsa Ecclesiastica et sacra vasa ad pauperes sublevandos sanctissimi iique doctissimi Episcopi sæpe disperdiderunt? Verba illa, *non existiment finiri posse*, etc., tum superiorem, Pauli sententiam (*a*), tum celebrem illam Dei promissionem innuunt : *Benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes, et erit merces vestra multa..... Date, et dabitur vobis, mensuram bonam et confertam, et coagitatam, et superafluentem dabunt in sinum vestrum* (*Luc.* VI, 35 *et* 38). Alibi, idque sæpe utilitas eleemosynæ in pauperes effusæ commendatur. Paucissima loca seligo ex plurimis, eaque ad paginæ calcem indico (*b*). Si quis multa tum ex Scriptura, tum ex Patribus collecta cupit, Muratorium eo super argumento disserentem consulat (*c*). Deinceps etiam idem argumentum retractat Hilarius : *Non desit etiam*, etc. (*Cap.* 10, *col.* 742).

152. Id est, expenditur, seu insumitur : nisi velis, errorem amanuensis hic inesse, legendumque *deperditur* : videtur enim infidelibus id deperdi, quod pauperibus tribuitur : temere tamen et perperam.

153. Id quod antea proposuerat, nempe, *finiri non posse quod in usus pauperum contemplatione præceptorum Dei dependitur*, statim probat ratione Theologica usus. Vox illa *confuerit* ex earum numero est, quæ cum perraro a scriptoribus adhibeantur, in Hilario sunt speciatim notatæ. Tamen apud veteres aliquando usitatam fuisse eamdem vocem, demonstrat verbum *confert*, quod adhuc in usu est, estque portio (si licet ita loqui) verbi *consum*, quod idem valet, ac *prosum*. Ad utilitatem porro eleemosynæ comprobandam præter ea, quæ ego modo notavi, plurimum virium ea habent, quæ hic docet Hilarius, quæque perspicua per se sunt. Periculum ex divitiis imminens postremo exequitur.

154. Quæ divitibus servanda sint, statim proponit. Ea, quæ numero proxime superiore Scripturarum loca notavi ad calcem paginæ, sententiam istam aliqua ex parte illustrant : *Nec in isto sæculo, nec in futuro sentiet egestatem*. Alia si vis eodem spectantia Scripturæ loca, adi Matth. cap. V, vers. 5, et caput VI, vers. 19, 20 ; et Luc. cap. XII, vers. 31, 32 et 33; et Act. cap. XX, vers. 33.

155. In epistolæ ipsius calce notavi, quem respicit locum Hilarius, versiculum scilicet 17 capitis XIX Proverbiorum. Nunc lector excipiat, quid ad eum locum tradat egregius Calmetus. « *Fœneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei. Dominus ipse illius debitor fit, eique cum fœnore reddet, quæ ipse pauperi erogaverit. Excipiat illum, quemadmodum ipse exceperit fratrem suum : miserebitur ejus*, etc. Non ait simpliciter : *Dat Domino, sed fœneratur*. Non recipiet duntaxat ea, quæ pauperi dederit, sed recipiet cum fœnore. Aviditas nostra majoris lucri promissionibus erat allicienda, ait S. Basilius in Psal. XXVIII. Hoc fœnus permissum est. Ditescere vis, et ex argento quæstum capere; illud large pauperibus eroga, ne verearis, quominus æs mutuatum dissolvant; Deus vas est, ipse tibi debet. *Cum pauper orat pro se*, S. Augustinus in Psal. XXXVI ait, *tamquam Deo dicit : Domine, mutuum accepi, fidedic pro me. Proinde et si non tenes pauperem redditorem, sed idoneum tenes fidejussorem. Ecce Deus tibi de Scriptura sua dicit : Da securus, ego reddo.* » Nec porro Hilarium ipsum prætereas volo, cujus scilicet in eo loco, quem in paginæ calce noto, præclara in hanc sententiam monita sunt (*d*).

156. Monuere jam pridem critici, fuisse interdum amanuenses, qui, ut eruditi apparerent, Scripturarum loca sæpissime ex ingenio addiderunt. Hinc vetustiores codices non raro breviores sunt, et loca quidem Scripturarum indicata plerumque habent, minime tamen per totum allegata. Hoc ego in duobus Cypriani codicibus, quos possidemus, expertus sum. Sed et manifestum exemplum nobis nunc præbet locus ille, quem modo illustramus. Scilicet in codice ad hunc modum se habet : *Sciat præpositam esse misericordiam sacrificiis : dicente Domino : Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur.* An hæc Christi verba misericordiam sacrificiis præponi docent? minime vero. Alibi igitur perquirendus est locus ille, quem Hilarius hic citat; in Osee scilicet, in cujus capite VI (*Vers.* 6) hæc expressissima habentur : *Misericordiam volui, et non sacrificium* quibus affinia habes capite I Isaiæ (*e*).

Quod si non scitulum fuisse velis amanuensem nostrum, sed imperitum, aut potius indiligentem, tum vero dicere commode potes, verba ista : *Dicente Domino : Beati misericordes*, etc., fuisse ab aliquo posita in margine ad illam Hilarii sententiam confirmandam, *ut beatior ex hoc judicetur*. Is vero a margine in Epistolam ipsam transferens aptavit loco non suo. Utcumque sit, hic sane delenda erant.

157. Id est, gloriam apud homines, qui eum laudabant veluti liberalem, et æternam beatitudinem (*requiei* enim nomine æterna beatitudo hic denotatur. Vide num. 47). Beatitudinem porro fuisse promissam iis qui misericordes in pauperes fuerint, ea ostendunt, quæ numero 151, et subsequentibus tradidi. Vide quæ scribit Hilarius in caput Matthæi XXVII (*f*).

158. A divitibus transit ad pauperes, quos conquisitis optimis argumentis consolatur. *Et primo quidem quod a Deo sit pauperi utiliter provisum*, respiciens, ut puto, ad illa Apostoli Pauli verba : *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti* (*Rom.* VIII, 28). Aut si vis ad illud Petri monitum (I *Petri* V, 7) : *Ipsi* (Deo) *cura est de vobis.*

159. Objectionem prævenit, quam pauperes facere consueverunt, illamque dissolvit. Fortasse intelligendum est : *Quæ frequenter corpori contraria est;* fovet enim affluentia luxuriem, ebrietatem, et reliqua hujus generis vitia, quæ corporis vires imminuunt. Nolui tamen suspicioni meæ ita fidere, ut vocem illam *corpori* adjungerem. Reliqua perspicua sunt et elegantissima.

160. In codice legitur *Vitam gerere* : manifesto utique errore, sed qui manifesto doceat, emendatione interdum egere codicem nostrum.

161. Innuit verbis illis, *non desit etiam ab ipso*, nisi plane fallor, monitum illud Tobiæ senioris, cujus antea memini (*Num.* 151) : *Quomodo potueris, ita esto misericors.* Nolo autem dissimulare, sic deinceps in codice legi : *quia sicut justus efficitur de frugalitate, si inferioribus, et non habentibus erogarit. Non vereatur*, etc., vitiosa procul dubio lectione, quam emandavi, ut novi, paucissima substituendo, nimirum hæc verba, *dives liberalitate, ita pauper :*

(*a*) I *Timot.* VI, 17, *Sperare in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.*

(*b*) *Tob.* IV, 7, 8, et 12. *Proverb.* XXVIII, 27; XXIX, 27. *Ecclesiastici* XXIX, 13. *Psal.* XXXVI, 25. II *Corin.* IX, 9 et 10 : *Qui autem administrat semen seminanti*, etc.

(*c*) *Della Carita Cristiana*, etc. cap. 7.

(*d*) *In Psal.* CXXXI, n. 25, pag. 515 tom. I, *Deinde ait : Pauperes*, etc.

(*e*) *Vers.* 11 *et* 17 : Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum... Discite benefacere, etc.

(*f*) *Num.* 4. *pag.* 794 : Vendentes sunt ii, etc.

quæ in codice non reperiuntur. Quod attinet ad epitheton *gloriosi* tributum Apostolo Paulo, consule num. 2.

162. Jam notavi in calce ipsius Epistolæ, verbis illis : *Si vera fide, et propter salutem credere optavit, cœlestes sibi divitias cooptet, et comparet*, etc., fortasse respicere Hilarium ad locum Isaiæ XXXIII, 6 : *Divitiæ salutis sapientia, et scientia : timor Domini ipse est thesaurus ejus.* Addo, fortasse etiam respicere ad locum illum Psalmi CXVIII : *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis.* Sane hæc verba ita explicat, et commentario illustrat Hilarius (*in Psal.* CVXIII, *litt.* 2 *Beth.*, *n.* 9, *pag.* 286 *tom.* 1) : « Sunt opes in auro, sunt in argento, sunt in pecuniis, sunt in vestibus, sunt in domibus, sunt in agris ; eorumque aut vitibus, aut oleis, aut frugibus : sed Domini propheta doctrinarum fruge perfectus est, et legis, ac prophetalium institutionum facultatibus dives est : et anteriore licet tempore, non tamen evangelicorum et Apostolicorum præceptorum ignarus est. Novit enim et has divitias Paulus ad Corinthios loquens : *Gratias ago Deo meo semper pro vobis super gratiam Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu : quoniam in omnibus ditati estis in ipso, in omni verbo, et in omni scientia.* In his ergo dives est, et in his delectatur propheta. Cæterum non est existimandus sæcularium opum comparatione delectatus esse, qui nisi cum contemptu, atque inopia sæculi, dives in Domino esse non potuit. »

163. Partem alteram moralis instructionis, quam explicandam suscepit Hilarius (*Vide* num. 148), nunc aggreditur, eamque ad diversam sexuum conditionem erudiendam dirigit. In codice porro nonnulla exstant, quæ emendationis indigent : sunt vero ista : *omni gerere uni animo*, quæ si ita legas, uti sunt scripta, sensu carent. Aut itaque ad eum modum legere debes, quo ego emendavi : id est, *omnia gerere uno animo concordes.* Vel, si vis, *omni genere unanimes esse, et concordes.* Facilior, et verisimilior prima est emendatio, quam propterea posui. De manuum porro elatione in oratione cum adhuc multi agant, ii præsertim, qui locum illum epistolæ Pauli ad Timotheum illustrant : *Volo ergo viros orare in omni loco levantes manus puras sine ira et disceptatione* (I *Tim.* II, 8) ; tum certe agit Tertullianus in Tractatu de Oratione (*a*), ubi Orationis nomine (quod Hilarius ipse expresse ait) integram, ut ita loquar, completamque orationem intelligit, publicam nempe, et quæ sacramentorum susceptionem, id est, pœnitentiæ integræ, et communionis susceptionem complectitur. Tum porro a conjugali opere abstinendum jubet. Vide, obsecro, interpretes in hæc Pauli verba (I *Corinth.* VII, 5) : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* : Nec Orthodoxos tantum, sed et exteros, veluti Hugonem Grotium, aliosque ex Protestantium communione valde doctos.

164. In eum locum incidimus, qui explicationem fortasse non levem exposcit. Etenim vocabula hæc, cum et varias subierint significationes, et multos denotent sacros ritus, ut in iis illustrandis tantisper consisteremus, operæ pretium esset, si hoc ferret illa adnotationum brevitas, quam mihi proposui. Indico tamen locos eos, ex quibus intelligi hæc penitissime possint. Interpretes omnes ad versiculum 1 capitis II Epistolæ I ad Timotheum de *obsecrationibus, orationibus, postulationibus, et gratiarum actionibus* agunt. Eos consulat Lector. Sed in primis Augustinum consulat in eo loco, quem in paginæ calce allego (*b*) : quippe tum noscet, quid sit deprecatio, adoratio, et interpellatio, de qua hic Hilarius loquitur. Locum hunc Augustini, lectorem obsecro, ne prætereat ; copiosissime quippe, et luculentissime ea de re disputat. Atque ex hoc ipso Augustini loco assequetur, quid *voti* nomine intelligatur, cum jungitur *precationi*, sive *orationi*, sive *interpellationi*, seu *postulationi.* « Voventur autem omnia, inquit Augustinus (*c*), quæ offeruntur Deo, maxime Sancti Altaris oblatis, quo Sacramento prædicatur nostrum illud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi. Cujus rei sacramentum est, quod unum corpus multi sumus. Ideo in hujus sanctificationis præparatione existimo Apostolum jussisse proprie fieri προσευχάς, id est, *orationes*, vel (ut nonnulli minus perite interpretati sunt) *adorationes* ; hoc est enim ad votum, quod usitatius in Scripturis nuncupatur εὐχή. » Atque in hac significatione censetur sumere Ecclesia vocem hanc, cum sæpissime in Missæ precibus *Votorum, votivorum munerum* mentionem facit. Restat exomologesis. Porro de exomologesi agunt multi, sed unum hic indico, quem adire possumus, Lectorem minime compellens, ut illius sententiam amplectatur, deprecans tamen, ut Patrum loca ab eo allegata consulat, expendatque. Albaspinæus is est observatione 26 et 27 libri II *Observationum.*

165. Ea Scripturarum loca, quæ in calce epistolæ ipsius noto, adeat Lector, eaque, quæ Hilarius tradit, fortasse per se assequetur. Aliqua tamen, quæ peculiarem animadversionem mereri videntur, hic exhibeo. Verba illa, *Viro enim omni competit sacerdotare Deo*, duobus modis intelligi facile possunt. Et quod talem agere debeant vitam viri omnes, qui Christianam fidem profitentur, ut eligi possint, tametsi uxorati, ad Sacerdotium. (Et sane Hilarius ipse ex uxorato ad Episcopatum promotus est.) Et quod talis debet esse exterior cultus, et tam modesta vestis, qualis Sacerdotem decet. An vero etiam indicet hic Hilarius, exemplo ac monitis familiæ suæ præesse debere Christianum virum, item ut exemplo ac monitis præest Ecclesiæ Sacerdos, judicaverit Lector. Verba illa, *sed et cæteris speciem vitæ suæ præstet* ; illa quoque, *ut si tempor : munere atque officio Sacerdotali non fungitur, vitæ tamen similitudine Sacerdoti coæquetur*, postremis duabus explicationibus favere videntur. Sed antequam finem huic adnotationi pono, monitum Lectorem volo, verba ea, *ut si tempor : munere*, etc., re vera ita in codice legi, uti ego edi jussi. Tum porro ambiguitas aliqua his verbis inest, non ea tamen ut superiores explicationes labefactet. An verbum aliquod hic deest, quo scilicet compleatur sententia ? Vel legendum est *tempore* ; id est si per aliquod tempus, seu, si eo tempore, quo matrimonio jungitur, *munere atque officio sacerdotali non fungitur*, aliquando fortasse functurus ; si scilicet moriatur uxor, aut is ab illius contubernio, eadem consentiente, se amoveat. Hujus sane rei in veteribus ecclesiasticis monumentis non pauca habemus exempla.

166. Si junxeris ea, quæ traduntur Levit. XII, 2, et XV, 19, 20 et 24, fortasse assequeris, cur hæc tradiderit Hilarius : *vel cum post partum*, etc. Noluit enim christianis continentiores esse veteres Hebræos. Scripturarum loca, quæ respicit Hilarius, in epistolæ calce notavi. Accommodat autem interdum fœminis, quæ præpositis omnibus dicta sunt.

167. Nonnullam verborum transpositionem in epistolam ipsam irrepsisse arbitror : ad eum quippe modum legendum esse videtur, quo ego emendavi : *Sed et incessu pudicam, non fucata forma procedere ; aut*

(*a*) Cap. XIV : *Nos vero non attollimus tantum*, etc. Cap. XVII : *Atqui cum modestia*, etc. Vide annotationem Muratorii in caput istud.

(*b*) Epistola ad Paulinum olim L, nunc CXLIX. c. 2 ad quæst. de I ad Timoth., num. 12, 13, 14, 15, 16 et 17.

(*c*) Ibidem, n. 16.

circumdatam auro, aut veste pretiosa: non studere capillorum incrispationibus: sed ut decet fœminas christianas, etc., cum in codice legatur: *Sed et incessu pudicam, non fucata forma procedere; non studere capillorum incrispationibus: aut circumdatam auro, aut veste pretiosa; sed ut decet*, etc. Si quis Scripturæ loca, quæ in epistolæ calce innuo, et locum Cypriani, quem deinceps afferam, adverterit, mihi, ut arbitror, assentietur.

168. Quod indicat Petrus verbis notatis in ipsius epistolæ calce: *Quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem*, etc., id fortasse illustrat, quod his verbis ait Hilarius: *Neque ulli se præponere viro contemplatione sexus*. Scilicet tenuia quædam honoris argumenta, quibus mulieres vetustis ipsis temporibus afficiebantur, leves eorum animos in superbiam erigebant. Nimirum ad dexteram virorum sedere permittebantur, quod summæ honorificentiæ loco habebatur. Hoc modo ad dexteram suam matris thronum collocari jussit Salomon (*a*). Imo ad dexteram regis sedere dicitur illius uxor regina (*b*). Dexter porro locus præstantior apud Hebræos habebatur; quod quidem discimus ex versiculis 13 et 14 capitis XLVIII Genesis. Matronis quoque Romanis vestibus purpureis, aureisque ornamentis uti licebat (*c*). Carpentis etiam festis profestisque diebus vehi. Quo de argumento cum alii multi agant, copiose sane, et luculenter agit Titus Livius (*Lib.* V *Histor. rom.*, *num.* 25). Num alia delata feminis honoris argumenta, atque iis præsertim, quæ cæteris præstant, innuat, judicet lector.

169. Ne suspiceris, favere hic Hilarium illorum opinioni, qui putarunt sanctarum feminarum corpora in extremo judicio esse immutanda, cujus quidem opinionis patronus fuisse censetur Hilarius (*d*). Scilicet hic *vir perfectus* sumi videtur pro persona Christianis virtutibus undique instructa.

170. Perspicuum est Hilarium imitari Tertullianum hæc tradentem (*De Baptismo, cap.* 18): «Cæterum baptismum non temere credendum esse sciant, quorum officium est. . . . Imo illud potius perspiciendum: Nolite dare sanctum canibus, et porcis projicere margaritâ vestra, et manus ne facile imposueris, ne participes aliena delicta. Si Philippus tam facile tinxit eunuchum, recogitemus, manifestam, et exertam dignationem Domini intercessisse. Spiritus Philippo præceperat in eam viam pertendere; spado et ipse inventus est non otiosus, nec qui subito tingui concupisceret: sed ad templum orandi gratia profectus Scripturæ divinæ impressus, sic oportebat deprehendi, cui ultro Deus Apostolum miserat, ad quem rursus Spiritus, ut se curriculo eunuchi adjungeret, jussit; Scriptura ipsius fidei occurrit; in tempore exhortatus adsumitur, Dominus ostenditur; fides non moratur; aqua non expectatur; apostolus perfecto negotio eripitur. Sed et Paulus revera cito tinctus est. Cito enim cognoverat Simon hospes, vas eum esse electionis constitutum. Dei dignatio suas præmittit prærogativas; omnis petitio et decipere, et decipi potest. Itaque pro cujusque personæ conditione, ac dispositione, etiam ætate, cunctatio Baptismi utilior est: præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse est, si sponsores etiam periculo ingeri? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malæ indolis falli. Ait quidem Dominus: Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo, dum adolescunt; veniant, dum discunt; dum, quo veniant, docentur; fiant Christiani, quum Christum nosse potuerint: quid festinat innocens ætas ad remissionem peccatorum? Cautius agetur in sæcularibus, ut cui substantia terrena non creditur, divina credatur. Norint petere salutem, ut petenti dedisse videaris. Non minori de causa innupti quoque procrastinandi, in quibus tentatio præparata est tam virginibus per maturitatem, quam viduis per vacationem, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur.»

Cupiebant scilicet Tertullianus et noster Scriptor, quoniam persecutio sæpe vexabat Ecclesiam (et en quid, me judice, significent verba illa, *qualitate temporis*), cupiebant, inquam, ut tyrannorum artibus sive blandis, sive asperis Christiani obsisterent; cupiebant etiam mysteria nostra non prodi, sanctaque canibus dari vetabant. Pueri autem plerumque aut blanditiis, aut minis, aut certe cruciatibus cedere consueverant, Christianamque religionem deserere: manifestabant quoque quæcumque noverant: hanc ob rem Christianis annumerari pueros nolebant. Ætas etiam ipsa minus apta esse solet ad sublimia percipienda mysteria: qualia procul dubio christiana sunt. Et his quidem de causis, ut dixi, pueros Christianam religionem plerumque doceri prohibebant. Dixi *plerumque*: etenim si eos et ingeniosos noverant, et valde probos, constantesque, hos ipsos mysteriis nostris imbuere non recusabant. Hinc S. Babylas duos eos pueros instruxit, quos martyrii postea consortes habuit. Agnes tredecim annorum martyrium passa indicat procul dubio, pueros interdum in sinum suum recepisse ecclesiam, quibus tamen amoto persecutionis periculo baptismum in pueritia ipsa conferri optavit.

171. *Ætatis defectu* legendum statui: etenim tametsi vox hæc *defectu* desit in codice, subtitui tamen ea debet, exposcente sensu ipso verborum, alioquin deficiente. Deinceps porro monet Hilarius, instruendos esse a parentibus ipsis pueros: etenim in publicis concionibus præcepta eorum ætati, atque ingenio congruentia proponi non possunt. Id vero exsequetur Ecclesia, cum maturior ætas aptos percipiendis Ecclesiasticis instructionibus reddet. Sensim tamen, non confertim edocendi pueri sunt, ne scilicet aut instructionum multitudine opprimantur, aut propter obscuritatem ea minime discant, quæ tamen discenda sunt.

172. Num legendum sit *fidei donum*, respiciendo ad locum illum Scripturæ (*Sap.* III, 14): *dabitur illi fidei donum electum*; an retinenda ipsa Codicis lectio *fidei bonum;* dijudicet Lector. Retineri sane commode potest lectio ipsa codicis. *Deifici muneris* nomine baptismus intelligi rectissime potest, confirmatio quoque apto tempore suscipienda: quamquam ea verba explicatio quædam uberior esse possunt superiorum verborum, *fidei bonum*, denotareque *fidei bonum* deificum munus esse: quod deinceps Pelagiani, et Semipelagiani impugnarunt. Verba porro illa, *et non naturæ*, sic emendavi ex ingenio: in codice enim habetur, *et naturæ*: tum vero nullum in eis perspexi sensum: perspicuus porro est, et probabilis, si adjunxeris particulam *non*, legasque, *et non naturæ*. Scilicet in innocentia et sanctitate perseverantes ostendant in se regnare non veterem, sed novum Adamum. Ea, quæ tradit Paulus capite V et VI Epi-

(*a*) III Reg. II, 19: *Positusque est thronus matri regis, quæ sedit ad dexteram regis.*

(*b*) Psal. XLIV, 10: *Adstitit Regina a dextris tuis.*

(*c*) Vide quæ tradit Ferrarius *de re vestiaria* part. I, lib. III, cap. 22. Tertullianus tamen in lib. *de Idololatria*, cap. 17, *purpuram, et aurum cervicis ornamentum, insignia fuisse dignitatis* affirmat. Atque id quidem confirmari facile potest ex iis quæ traduntur lib. I Machab., cap. VIII, 14; quibus ea adde, quæ habentur cap. X ejusdem libri I Machab., 20 et 62.

(*d*) Numero 10 Commentariorum in caput V Matthæi pag. 693 tomi I: *Cum enim universorum corporum, quæ vitam hauserint, diversitatem in unum consummatum virum perfectumque sit excitaturus*, etc. Et multo clarius num. 4 Comment. in caput XXIII Matthæi pag. 781: *Quia igitur eas angelis*, etc. Vide etiam annotationem valde doctam a Patribus S. Mauri postremo huic loco appositam.

stolæ ad Romanos (*a*) interpretationem hanc meam comprobant.

175. Pro *confirmandi* in codice legitur *affirmandi*. Si lectionem hanc retinere vis, ego minime obsistam, dummodo probabilia exempla significationis hujus afferas. Confirmantur porro pueri *in fidei bono*, *et deifico munere*, dum per instructiones in Ecclesia factas insinuantur eis recta præcepta, iisque indicitur, quid agendum Christiano sit, ut Deo gratus suaque vocatione sit dignus.

174. Ea, quæ ex Tertulliano num. 170 (*Non minore de causa innupti*, etc.) allegavimus locum hunc satis, ut arbitror, illustrabunt. *Puerorum* nomine eos sane non modo intelligit, qui tenella adhuc sunt in ætate, verum etiam eos, qui juventutem attigerunt. Pueris enim a fornicatione cavendum esse minime dixisset, si puerorum nomine eos tantum intellexisset, qui tenella adhuc in ætate sunt. Quamquam *fornicationis* nomine interdum omnis *immunditia carnis* denotatur.

175. Ne miretur Lector, si reliqui vocem *idolatriæ*, uti in nostro codice habetur : etenim in codicibus fere omnibus tam Cypriani, quam reliquorum veterum Patrum *idolatria* legitur, ubi in editis legitur *idololatria*. Id ante me notarunt Baluzius, aliique Critici : id tamen minime omittendum hic duxi. Venio jam ad sententiam ipsam. Sæpissime fornicatio in Scripturis interdicitur. Ut in iis me contineam, quæ ex Novo Testamento desumuntur, aliqua in paginæ calce indico, quæ id, quod aio, comprobant (*b*). Sed difficilius est explicare, cur *initium idolatriæ* habere dicatur fornicatio. Si id excipias, quod egregius Calmetus monet (*c*) *avaritiæ* nomine fornicationem ipsam intelligi, seu omne libidinum genus, responderi commode potest, Hilarium ad verba Pauli, quibus id ipsum inculcatur, respexisse. Porro Paulus, qui, si id tradidit, temere sane non tradidit, expressissime ait (*d*), *concupiscentiam malam et avaritiam* (id est, effrenem libidinem cupientem immundis voluptatibus exsaturari) *esse simulacrorum servitutem*. Quod si dicti hujus penitiorem rationem exquiras, ideoque etiam exquiras cur hæc Hilarius tradiderit : *Et necesse est utrumque noverit, qui secutus fuerit alterum*, id exquires, quod haud ita facile explicaverim. An quia cum inter Christianos meretrices nullæ essent, is qui fornicarius esset cupiebat, ad meretrices Gentilium confugere compellebatur, quæ mercaturam sui corporis numinibus impudicis devoverant, et Veneri in primis? sic ut *interpretativa* idololatriæ approbatio, et participatio esset eorum temporum fornicatio? An quia eædem mulieres amasiorum suorum affectibus potitæ, atque animo, ad earum numina colenda certo deducebant? Hujus quidem rei miseranda exempla nobis reliquit populus Israel (*Num.* xxv, 1), qui, *dum morabatur in Settim, fornicatus est cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, et adoraverunt Deos earum : initiatusque est Israel Beelphegor*. Eam ob causam vetuit Dominus, ne filii Israel (*Exodi cap.* xxxiv, *vers.* 16) mulieres Amorrhæas, et Chananæas, et Hethæas et Pherezæas, et Hevæas, et Jebusæas uxores ducerent : subjungens, *ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ* (cum diis suis), *fornicari faciant et filios tuos in Deos suos*. Quod quidem monitum negligens Salomon (III *Reg.* xi, 2, 4, etc.), *cum jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos*.

Quamquam ad depravandos animos, atque a recta fide alienandos necesse non erat, ut falsorum numinum cultrices mulierculæ perquirerentur. Libido ipsa excæcat animum, ac corporeis et sensibilibus voluptatibus irretitum a spiritualibus et incorporeis abducit, ideoque a desiderio ac studio præmiorum eorum, quæ nobis Christiana fides proponit. Hinc ea contemnere studet, rationesque perquirit blandulas, quibus persuadeatur, imprudenter præsentia sensibusque subjecta despici, ut incorporea et vitæ alteri servata bona perquirantur. An temere hæc dico? an non potius hæc intemperantium ac libidini deditorum sensa in libro Sapientiæ expressa invenimus (*cap.* II, *v.* 5)? « Umbræ enim transitus est tempus nostrum, et non est reversio finis nostri : quoniam consignata est, et nemo revertitur. Venite ergo, et fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso et unguentis nos impleamus : et non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant : nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ : ubique relinquamus signa lætitiæ : quoniam hæc est pars nostra, et hæc est sors. »

Quapropter ne in summam hanc calamitatem inciderent, ut a gentilium libidini deditorum exemplis caveant, Fideles monet Paulus, cujus verba referre hic placet (*Ephes.* IV, 17) : *Hoc igitur dico, et testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui ; tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam* (affectatam et vincibilem, ut cum Theologis loquar) *quæ est illis, propter cæcitatem corporis ipsorum, qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam*. Quod attinet ad vocem *initiat*, vide quæ diximus num. 21.

176. A pueris et adolescentibus transit ad juvenes, quorum ætatem aliquantulum confirmatam egregiis monitis instruit.

Prioribus illis verbis : *Ergo quomodo*, etc., innuit Evangelicum illud monitum (*Matth.* VII, 16) : *A fructibus eorum cognoscetis eos*. Notissima quoque sunt Jacobi verba (*cap.* II, *v.* 18), et ad confirmandam eam, quam illustramus, sententiam aptissima. *Sed dicet aliquis : tu fidem habes, et ego opera habeo. Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Verba illa, *quæ designant Gentiles*, sic interpretor, ut ex impudica vita Gentiles dignoscerentur, ex casta Christiani. Interpretationem hanc meam comprobant in primis illa Petri Apostoli monita (*Epist.* I, *cap.* IV, *v.* 3 *et* 4) : *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, et illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confusionem, blasphemantes*. Comprobant pariter ea Pauli dicta (*Coloss.* III, 5 *et seqq.*) : *Mortificate ergo membra vestra*, etc. Et alibi (*Eph.* V, 3 *et seqq.*) : *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia* (id est, ut antea diximus, cupiditas voluptatum) *nec nominetur in vobis*, etc. Affinia tradiderat in epistola Romanis scripta (*e*). Subsequentia porro : *si tamen eorum monita, et oratio nihil legitimi afferet impedimenti*, ad eum modum intelligo, quo Gregorius Magnus (*homil.* 37 *in Evangelia n.* 2) verba illa Christi (*Luc.* XIV, 26) : *Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres*, etc. Scilicet : « Si vim præcepti perpendimus (inquit Gregorius), utrumque agere per discretionem valemus, ut eos qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, et quos proximos novimus, diligamus, et quos adversarios in via Dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. » Postrema hæc : *et ipsam* (uxorem) *deifice comparatam*, matrimonium Ecclesiæ ministerio peractum

(*a*) Versic. præsertim 18 et sequent. capitis V; secundo vero, et sequentibus capitis VI.

(*b*) Act. XV, 20 et 29; et rursus cap. XX, 25; et I Corinth. V, 13; et Galat. V, 19; et I Thessal. IV, 3.

(*c*) Eph. IV, 19, et V, 5; et Coloss. III, 5.

(*d*) Coloss, III, 5 : *Concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus*.

(*e*) Cap. VI, vers. 19 : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ*.

procul dubio innuunt. Præclarissimum istud eo super argumento Hilarii testimonium æstimabit quicumque sapit.

177. In libertate cujusque sinit, ut uxorem, si placuerit, ducat, ideoque eos redarguit hæreticos, qui Christianos nubere prohibebant. Tum eos reprehendit, qui, ne abstinere compellerentur ab *immunditia*, quam Christiana lex suis interdicebat, baptismum differebant. Peccare scilicet eos ait in hac ipsa dilatione. Monitum porro Lectorem volo, me substituisse vocem *amplectenda*, quandoquidem in codice legitur *consideranda* (*consideranda continentia*), prava utique, aut aliqua verborum intercapedine deficiente lectione. Si melius emendaverit Lector, rem gratam faciet.

178. At magis illaudabiles eos esse ait, qui suscepto baptismo *immunditiæ* se dedunt, et operibus carnis : quippe *illuminati prolabuntur* (*Hebr.* VI, 4, 6). Quæ n. 175 tradidi, referri huc commode possunt. Reliqua is facile per se intelliget, qui loca Scripturæ in calce epistolæ ipsius notata consulet. Addidi, *inter senes*. Legendum scilicet putavi ad hunc modum : *et apud interiorem hominem juvenes, inter senes Deo judice collocentur* : hanc quippe lectionem videtur sensus ipse exposcere : legitur enim in codice : *et apud interiorem hominem juvenes Deo judice collocentur*. Conjecturam vero hanc meam confirmant sequentia haud multo intervallo verba : *in tentationibus juvenes : in consiliis et cogitationibus senes graves*.

179. Decrat porro post vocem *flagitiorum* vox aliqua, quæ dæmonem eorumdem flagitiorum *auctorem* denotaret. Hanc posui, id quoque exposcente sententia. Quis porro neget flagitiorum omnium auctorem dæmonem? quando quidem ipse *ab initio peccat* (I *Joan.* III, 8) : et per ejus astutiam mors introivit in orbem terrarum (*Sap.* II, 24). Et merito eumdem dæmonem errorum omnium hæresumque auctorem describunt Augustinus (*de Utilit. Jejun.* n. 10, alias cap. 8 : *Hostem quippe*, etc.), et Leo Magnus (Serm. VII *de Nativit.* cap. 3, *non enim desinit hostis*, etc.), quatenus scilicet tentationibus, et impulsibus suis affectus pravos in nobis excitat, et ad pessima quævis committenda hortatur.

180. Quædam verba ex superiori loco hunc transtuli. Scilicet in codice ipso post voces, *crediderint*, *inveniri*, sequuntur ea, quæ ad hunc modum incipiunt : *Et hos omnes monendos esse existimo*, usque dum ad ea pervenias, quæ ad hunc modum terminantur : *quæ crediderimus, tradiderimus*. Tum sequuntur alia : *Considerandum juvenibus*, etc. Ideo vero huc transtuli, quia ad senes potius, quam ad juvenes pertinere ista putavi. Ad senes porro si ista non referas, omissam fuisse senum institutionem dicere debes, cum tamen ad ætates omnes se sermonem directurum antea promisisset Hilarius. *Jam ætatum* (inquit) *sermo habeatur in manibus* (parag. 12). Num intercapedo aliqua exstet post verba illa, *senes graves*, an non, minime definierim. Fortasse se senes alloqui satis innuere putavit, cum post verba illa, *Senes graves*, hæc statim subjicit : *Et hos* (scilicet senes graves) *monendos esse existimo*, etc.

Sed placet hic, claritatis causa, totum hunc locum, uti in codice legitur, apponere : *Itaque aut illis ducenda est uxor, aut consideranda continentia. Sane ne territi fidem differant, sciant malum esse propter immunditiam non credere; deterius esse, impudicos, postquam crediderint, inveniri Et hos omnes monendos esse existimo, ut omnibus propter Deum obsequantur. Domum suam bene regere discant. Si filios habent, pie tractent, et instruant rebus deificis : hæc enim signa sunt fidei nostræ : si non solum crediderimus, verum etiam aliis quæ crediderimus, tradiderimus. Considerandum juvenibus, ut in omnibus factis ætatem superent : animo et virtute fortes, et apud interiorem hominem juvenes Deo judice collocentur. Gratulandum etiam, quod non omni ætate consummata, sed in ipso ætatum calore, et in ipsa adolescentia flagitiorum diabolo, et immundis factis renuntiaverint, et renovati exhibeant se Deo puros in malitia, in tentationibus juvenes; in consiliis et cogitationibus senes graves. Milites Christi sciant*, etc.

181. Generatim Christianos omnes adhortatur, ut vocationi respondeant suæ, eaque agant, quæ sanctitas fidei nostræ ab iis exposcit. Eos vero *milites Christi* appellat, usi atissimo (*a*) per ea tempora vocabulo, non modo quia *militia est vita hominis super terram* (*Job.* VII, 1); verum etiam quia Christiani hominis vitam militiæ sæpissime similem dixere Canonici scriptores, Paulus vero præ cæteris, qui allegoria hac sæpe Christianos alloquitur indicatque. Loca aliqua in paginæ calce noto, quæ per se Lector consulat (*b*). Donativa porro et stipendia (*c*) dum hic commemorat, et eamdem allegoriam retinet, et ea innuit, quæ de corona immarcescibili alibi dicit; neque enim solum in *agone certantibus* coronæ dabantur, verum etiam militibus, atque his sane civicæ, triumphales, aliæque hujus generis coronæ pro præmio tribuebantur : innuit quoque celebratissimum illum Pauli locum : *stipendia peccati mors* (*Rom.* VI, 23). Si enim stipendia peccati mors, stipendia Christianæ vitæ erit *vita æterna* (*Ibid.*), quæ alibi expressius dicitur *corona vitæ*. Vide num. 47.

182. Duo persecutionum genera Christianis imminere apertissime ait : scilicet ab invisibilibus hostibus, de quibus ait Apostolus Paulus (*Eph.* VI, 11) : *Induite vos armaturam fidei, ut possitis stare adversus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ*, etc. Et a visibilibus, seu Tyrannis, seu aliis Christianæ fidei, aut, si vis, Catholicæ veritati obsistentibus. Vide quæ diximus in præfatione (cap. 1, num. 4). Nolui porro voci *circa* (*circa diabolum*) quam habet Codex, substituere vocem *contra;* quia ferri utcumque potest prior illa lectio. Cæterum ego quidem legi mallem *contra diabolum*.

183. Plurima hoc super argumento eloquentia, aptaque ad persuadendum reperies in Martyrum Actis, in libro *ad Martyras* Tertulliani, et in epistolis aliisque opusculis Cypriani.

184. Recole tradita numero superiore. Eadem sane tradit Cyprianus. Verbum *expugnatur* hic accipio pro pugna vehementissima, quæ gloriosissime terminetur. Zelus Hilarii postremis his verbis : *aptandus omnis sermo ad destructionem idolatriæ, et martyrii coronam laudandam*, mirifice emicat.

185. Suspicatus sum, fateor, legendum esse : *is qui evangelizat* (evangelizatum), *interroget quid agat* : aut, si vis, *is qui evangelizatur, interrogetur quid agat*. Nolui tamen quidquam immutare : fortasse enim vox *Evangelizat* hic eum denotat, qui Evangelicam legem suscipere cupit. Aliqua deesse hic arbitror, quibus monitum ad unumquodque vitæ genus pertinens terminetur. Sed quænam ea fuerint, divinare quis audeat? *Officialis* nomine ministrum magistratus intellige. Ad hunc certe modum in Lexico Facciolati (ad verbum *Officialis*) sumitur; et duo afferuntur exempla, primum ex Apuleio (*d*), alterum ex vetusta in-

(*a*) In Actis S. Cæciliæ : *Eia milites Christi*, etc.

(*b*) I Timoth. I, 18, et II Timoth. II, 3, et II Corinth. X, 3 et 4.

(*c*) De *donativis* et *stipendiis* vide quæ notant PP. S. Mauri pag. 742 tomi I Oper. S. Ambrosii, ad Enarrat. in ps. I.

(*d*) *Ædilis jubet officialem suum insuper pisces inscendere, et pedibus suis totos obterere*. Lib. V Metam.

scriptione Gruteri (*a*). Verbum *moderari* videtur sumi pro *moderatum esse*.

186. Ea, quæ in epistolæ calce notavi, Scripturæ loca perspicue indicant, ad quæ Hilarius perspexit. Ad alia etiam respexisse arbitror : sed cum ea expresse non allegarit, Lector ea per se perquirat. *Fidem plenam* (*fide plena*) haud temere eam intelligo, quæ opera habet : vacuam seu mortuam esse eam, quæ *sine operibus* sit, assequimur ex Jacobo (Cap. I, 17 et 26).

187. Ad expressam illam, solemnemque renunciationem respicit Hilarius, quam adversus dæmonem profitemur, cum baptisma suscipimus.

188. Legendum suspicor, *spes eorum, quæ videntur, non est spes ;* nam antea *spem* de rebus futuris esse ait : futura porro non videntur. Quia tamen ferri utcumque poterat codicis nostri lectio, eam reliqui. Lector si vult, eam emendet. Delevi porro vocem *quid* positam post vocem *quis* (*quis quid sperat*?), qua manifestum amanuensis errorem ea præse ferebat. Ubi vulgata legit in Ps. XVIII ab Hilario allegato *Timor sanctus*, vetustissima alia versio legit, *timor castus*. Hanc Hilarius, nec temere, sequitur. Reliqua per se patent. Delevi post vocem *judices*, vocem *putes*, quæ in codice habetur ; facile quippe intelligis, ab imperito amanuensi eam in epistolam ipsam inductam esse. Vereor ne in definitione continentiæ desit vox aliqua, veluti *complexio*, aut, si vis, *desiderium*, *amor*, *cupiditas*, aut aliquid affine. Vide caput 17 proxime sequens (*In bonis aviditas exigenda est*, etc.). Ferri tamen potest hic quoque codicis nostri lectio.

189. Præclarissima sane sunt ista Hilarii verba : *Malorum sane substantiam ab initio nullam esse comperimus : quippe in obedientia... juxta bonum, malum est.* In priori porro hujus sententiæ parte indicatur pariter, et refellitur impium dogma Manichæorum, qui mali originem a principio malo repetebant. Dum hæc subjicit : *quippe inobedientia*, etc., indubitate Adami inobedientiam innuit, per quam mors, atque eoque mala omnia in mundum sunt introducta. Utinam reliqua exstarent in codice, quæ de eadem Adami inobedientia Hilarius tradidit ! Ea sane haberemus, quibus non modo Manichæi, verum etiam ii omnes revincerentur, qui circa peccati originem erraverunt. Sed intercapedo fortasse non modica, et subsequentium obscuritas ab amanuensium insciția, ut puto, proveniens, emolumentum hoc nobis demunt. Duo tamen notare opere pretium reor : scilicet sententiam illam : *juxta bonum malum est*, ipsissimam esse (nisi plane fallimur) atque eam, quæ legitur in Ecclesiastico (Cap. XXIII, 15) : *Contra bonum malum est, et contra mortem vita : Sic et contra virum justum peccator.* Alterum : nesciri, ad quem finem afferatur. At eorum, quæ sequuntur, non modo metam, verum etiam sensum plane ignoramus : quin etiam, quoniam vitiosa procul dubio eorum lectio est, nescimus plane, quanam ratione emendari ea possint. Quis enim recte emendet hujus modi verba : *Et quæ* (vel, *et quod*, vel, *et quam*) *si nusquam comparentur sibi, boni tutela servatur*? quamquam subodoramur, tradidisse hic Hilarium non compelli quam quam ad malum, sed in nostra esse potestate probitatem amplecti, et in ea persistere, vindicante nimirum nos ab illecebris, et tentationibus divina gratia, qua quidem protecti, *bona tutela servamur :* seu, si vis, boni tutelam servamus : id est, non relinquimus bonum quod amplexi jam fuimus.

190. Continentiam hic latissime sumit Hilarius. Aviditatem vero pro desiderio ardentissimo operandi bona accipit. De continentia copiose mox disserit.

191. Post vocem *conferre* fortasse deest vox *sermonem*. Hinc in Evangelio : *sermones, quos confertis ad invicem.* Quamquam suspicor, ita re vera scripsisse Hilarium, uti habet noster codex ; ita scilicet, ut nulla expressa sermonis mentio habeatur. Nam simpliciter *Collationes* a Cassiano appellati sunt pii Monachorum sermones et mutuæ exhortationes.

192. Proxime post vocem hanc, *tantummodo*, hæc habentur in nostro codice : *quia contemplatione Deus judicat conscientiam singulorum :* manifesto utique errore. An vero glossa quædam est olim in margine apposita verbis illis, *juxta conjunctionem conjugalem continentes*? an in autographo conscripta ea sunt post illa verba, quæ deinceps habentur : *non uniformem mandavit Deus continentiam :* aut etiam post illa, quæ deinceps etiam, sed longiori intervallo pariter habentur : *Deus solus intima, et secreta conspicit*, et casu aliquo in epistola ipsa ab antiquo amanuensi omissa, et conjecta in marginem, nota apposita, quæ locum indicaret, ubi ea collocari debuissent, a posteriori amanuensi, quem sæpe imperitum diximus, posita hic sunt ? Alienum judicium esto.

193. Sic porro interpretor verba illa : *Et ex forma veluti continentiæ magis inflati.* Ex hac specie, et, ut fere dicimus, apparentia, et larva continentiæ : vera enim, et solida continentia non est, quippe continentia, si Hilario credimus eam paulo ante definienti, *appetendarum omnium rerum malarum est refrenatio :* ex hac, inquam, continentiæ specie inflati despiciunt alios, quibus a Deo concessum non est donum istud, percutiuntque, maledicta in eos conjiciunt, etc.

194. Ubi posui *continentiam* in codice habetur *conscientiam*. Sed procul dubio legendum est *continentiam* : quippe de iis loquitur, qui *proferunt*, id est jactitant se habere continentiam : cum tamen ea ipsa continentia, quam habent, tantum absit, ut eos vere continentes, ut potius vitiosos efficiat ; sic ut fomitem et materiam *criminum* videatur ea, quam habent continentia, subministrare. Addidi vocem *criminum :* deest enim in codice, cujus rei materiam subministret larva hæc et species continentiæ. Sed ex sensu utique constat, vitiorum criminumque materiam ab ea subministrari.

195. Ubi posui : *cum utique hæc præsecanda sint*, in codice legitur, *cum utique hæc perseveranda sint.* Sed quis id ferat? Si probabilius emendet Lector, illius emendationem equidem approbabo.

196. In priori illa sententia : *multos vel plurimos sic flagrare cupiditate.... sicut exitus docet*, nonnulla procul dubio desunt. Sed quanam ratione ea reparem, plane ignoro. Sensus tamen omissorum verborum hic fuisse videtur : *Multos vel potius plurimos sic flagrare cupiditate comperimus ; ut a virginibus, quibuscum familiarissime vivunt, avelli nulla ratione possint : atque id quidem eventus docet : etenim universa pœnarum genera*, etc. In codice legitur, *aut sub uno cubent tecto.* Si in typos irrepsit vox *et*, eam emendet Lector.

197. *Interdictum majorum natu ;* id est, sacerdotum, quos *presbyterorum*, seu *majorum natu* vocabulo honestatos ex sacris ipsis bibliis novimus : aut seniorum ætate, quorum utpote prudentia, et rerum experientia præstantium auctoritas in Ecclesia non levis erat : hi enim, quibus licentia ab Hilario hic descripta jure meritoque displicebat, quantum poterant, cavebant, ne Virgines Christo dicatæ viris cohabitarent, multoque magis ne uno lectulo cum iis degerent. Hoc sane non leve malum vetustis ipsis temporibus vidit, et reprobavit, summisque viribus evellere Ecclesia studuit. Pauca ad exemplum innuo. Consule itaque LXII Cypriani epistolam, quæ in editione Baluzii inscribitur *de Virginibus ad Pomponium* (pag. 219 edition. Venet.), in qua quidem epistola hæc præsertim notes velim : « Primo igitur in loco, frater carissime, et præpositis, et plebi nihil aliud

(*a*) *Officiales ejus* (consulis) *Provinciæ Aquitaniæ*. Inscript. Grut. pag. 422, n. 7.

elaborandum est, quam ut qui Deum timemus, cum omni observatione disciplinæ divina præcepta teneamus, nec patiamur errare fratres nostros.... nec pati virgines cum masculis habitare, non dico simul dormire, sed nec simul vivere, quando et sexus infirmus, et ætas adhuc lubrica per omnia frenari, a nobis, et regi debeat, ne diabolo insidianti, et sævire cupienti ad nocendum detur occasio, quando et Apostolus dicat : Nolite locum dare diabolo. Liberanda est vigilanter de periculosis locis navis, ne inter scopulos et saxa frangatur. » Consule Hieronymi pariter epistolam ad *Paulum Concordiensem* (Olim CCXIII; in Neron. edit., X), homiliam Chrysostomi *adversus eos, qui apud se Virgines subintroductas habent;* ejusdem quoque Doctoris homiliam alteram, quæ inscribi solet : *Quod regulares feminæ viris cohabitare non debeant* (*a*). Exstat ea de re Theodosii Junioris constitutio lib. XVI Cod. Theodos. titul. II, lege XLIV, quam legas obsecro. Multa porro in eam notavit Gothofredus, ad quem te allego.

198. *Quid hoc mali est?* etc. Verba hæc sunt excusantium eos, qui cum virginibus nulla cognatione sibi devinctis, familiariter tamen sub uno tecto habitant, atque adeo uno dormiunt lecto. Atque eos quidem vehementer redarguit Hilarius, monens, ab osculis eos certe non cavere, quod tamen ferri omnino non poterat : id enim non leve est argumentum animi jam a dæmone correpti. Hos sane pœnitentiæ legibus ab Ecclesia subjici declarat Cyprianus, cum hæc ait (Epist. LII, pag. 220) : « Et idcirco consulte et cum vigore fecisti, frater carissime, abstinendo Diaconum, qui cum virgine sæpe mansit, sed et cæteros, qui cum virginibus dormire consueverant. Quod si pœnitentiam hujus illiciti concubitus sui egerint, et a se invicem recesserint.... accepta communicatione ad ecclesiam admittantur, hac tamen interminatione, ut, si ad eosdem masculos postmodum reversæ fuerint, aut si cum eisdem in una domo et sub eodem tecto simul habitaverint, graviore censura ejiciantur, nec in Ecclesiam postmodum tales facile recipiantur. » Vide etiam, obsecro, epistolam, quam Hieronymus ad Sabinianum diaconum scripsit (in Veron. editione est 147; olim. erat 48). *Serpentem* dæmonem intelige; est enim serpens antiquus, qui vocatur diabolus (*Apocalyp.* XII, 9, 14 *et* 15), et ea sub forma expressum novimus a Constantino magno (*Euseb. de vita Constant. lib.* III, *cap.* 3).

199. Alteram excusationem idem Hilarius ex eorumdem virginibus cohabitantium sententia profert. Atque ea ipsa, qualiscumque sit, Cypriani tempore afferebatur. Eam autem rejicit idem Cyprianus his sane præstantissimis monitis (*in eadem epist.* LII, *p.* 220) : « Nec aliqua putet se posse hac excusatione defendi, quod et inspici et probari possit, an virgo sit, cum et manus obstetricum et oculi sæpe fallantur, et si incorrupta inventa fuerit virgo ea parte sui, qua mulier potest esse, potuerit tamen ex alia corporis parte peccasse, quæ corrumpi potest, et tamen inspici non potest. Certe ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, et inosculatio, et conjacentium duorum turpis et fœda dormitio quantum dedecoris et criminis confitetur! Si superveniens maritus sponsam suam jacentem cum altero videat, nonne indignatur, et fremit, et per zeli dolorem fortassis et gladium in manum sumit? Quid Christus et Dominus, et Judex noster, cum virginem sibi dicatam, et sanctitati suæ destinatam jacere cum altero cernit! quam indignatur, et irascitur, et quas pœnas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur! cujus ut gladium spiritalem, et venturum judicii diem unusquisque fratrum possit evadere, omni consilio providere, et elaborare debemus. » Notare autem libet. Cyprianum quidem, aliosque, quos Baluzius decima nona in eam, quam attulimus, epistolam annotatione allegat, non reprobasse experimentum ab obstetricibus in virginum corporibus factum: Sed certe illum reprehendit Hilarius, cujus exemplum secutus est Ambrosius Mediolanensis, vir sane egregius (*b*).

200. Obscuriora sunt, quæ hic traduntur : assequeris tamen, propterea ardentius dilectas fuisse eas, de quibus antea locutus fuerat, virgines, quod se virgines profiterentur, quamquam nomine tantum et professione virgines essent. Temere porro eæ se virgines jactitabant, laudem hanc ab hominibus perquirentes, cum eam a solo Domino exspectare debuissent, præmium scilicet pudicitiæ iis reddituro.

201. Præcepisse Apostolum Paulum mulieribus, ut tecto capite orarent, indubitata res est. Vide locum epistolæ ad Corinthios, quem in calce paginæ indico (*c*). Hæ porro Virgines, de quibus loquitur hic Hilarius, detecto capite orabant : fortasse ut capillorum et capitis ornatus omnibus appareret, faventibus *corruptoribus suis*, quos antea reprehenderat. Appellat autem eos *virginum corruptores*, quia si non corporis, animi certe morumque corruptores erant. Num voces illæ, *cohibentibus corruptoribus suis*, apto loco sint positæ, anceps hæreo. Si suo tamen loco sunt positæ, ita illas explico, ut hi *cohibeant* (id est restringant) Apostoli præceptum, quod ad fœminas omnes extensum fuerat, ad eas solas, quæ matrimonio junctæ erant. Quod quidem Hilarii ætate novum non erat : et enim hæc apud Tertullianum legimus (*d*) : « Sed quid promiscue observetur per Ecclesias, quasi incertum, id retractandum est, velari ne debeant virgines, an non. Qui enim virginibus indulgent capitis immunitatem, hoc uiti videntur, quod Apostolus non virgines nominatim, sed mulieres designaverit velandas esse; nec sexum, ut diceret *feminas*, sed gradum sexus, dicendo *mulieres*. Nam si sexum nominasset *feminas* dicendo, absolute definisset de omni muliere. Aut quum unum gradum sexus nominat, alium tacendo secernit. Potuit enim, inquiunt, aut et Virgines nominare specialiter, aut compendio generaliter feminas. Qui ita concedunt, recogitare debent de statu vocabuli ipsius, quid est mulier a primis quidem litteris sanctorum commentariorum; nam inveniunt sexus esse nomen, non gradum sexus. Siquidem Hevam nondum virum expertam Deus *mulierem*, et *feminam* cognominavit: feminam, qua sexus generaliter, mulierem, qua gradus sexus specialiter. Itaque jam tunc innupta adhuc Heva mulieris vocabulo fuit, commune id vocabulum et virgini factum est. Nec mirum, si Apostolus eodem utique spiritu actus, quo cum omnis Scriptura divinitatum, et illa Genesis digesta est, eadem voce usus est, mulierem ponendo; quæ exemplo Hevæ innuptæ et virgini competat. Cætera denique non sonant. Nam et hoc ipso, quod virgines non nominavit, sicut alio in loco, ubi de nubendo docet, satis prædicat de omni muliere, et de toto sexu dictum, nec distinctum esse inter virginem, omnino non nominat. Qui enim alibi distinguere meminit, ubi scilicet differentia postulat (distinguit autem utramque speciem suis vocabulis designans); ubi non dis-

(*a*) Harum prima exstat pag. 227, altera 248, tomi editionis Montfauconii. Vide ibidem monitum hisce homiliis præpositum.

(*b*) Vide obsecro, quæ hac super re ex Epistolis ejusdem Ambrosii eruit Tillemontius, tom. X *Hist. Ecclesias.*, de Ambros., cap. 85 et 86, pag. 280 edit. Venetæ. Epistolæ XLVI et XLVII, quæ a Tillemontio citantur, in editione PP. Benedictinorum sunt V et VI Classis I, *Syagrio : Prospiciendum*, etc. Et, *Quæ sunt in nostro judicio decursa*, etc.

(*c*) I Corinth. X, 5, etc.: *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite*, etc.

(*d*) *De Oratione* cap. 31, tom. III anecdot. Muratorii, pag. 40.

tinguit, dum utramque non nominat, nullam vult differentiam *intelligi*. » Neque porro ab hac sententia Tertullianus recessit, cum ab Ecclesia ipsa recessit, adhæsitque Montano. Etenim librum *de Velandis Virginibus*, postquam Montano adhæserat, conscripsisse traditur : et tamen etiam capite 4 ejusdem libri eadem, quæ hic, docet. Vehementer autem eos redarguit, qui Virgines capite minime velato orare posse in Ecclesia aiebant, toto capite 22 libri *de Oratione :* quod quidem caput integrum legas, rogo. Cæterum *mulieris* vocabulo interdum denotari subjectam viro, non virginem, ea veterum latinorum exempla ostendent, quæ annotatione 12 in epistolam Cypriani ad Pomponium in Baluzii editione LXII idem Baluzius collegit (*Pag.* 223 *editionis Venetæ*). Eam pariter Lector adeat rogo. Vox illa *initiantur* (*intecto capite initiantur*) vel ad oblationem illam refertur, qua se Deo sistunt, virginitatem illi in ecclesia devoventes, vel, si vis, ad publicas preces. Reliqua per se patent, constituta præsertim definitione illa continentiæ, quam antea posuerat.

202. Delibata videtur ex variis Scripturæ locis ea patientiæ definitio, quæ hic affertur : sed potissimum ex versiculis primo et secundo capitis IV epistolæ ad Ephesios : etenim ad hunc modum locus ille se habet : *Obsecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate, et mansuetudine, cum patientia, supportantes invicem in charitate :* quippe patientiæ in primis tribuitur, ut sufferat (*supportantes invicem*). Duas porro hic Hilarius illi adsignat partes, quarum una est *tolerantia injuriarum, et passionum ;* altera *sufferentia omnium exspectationum.* Ac de prima quidem facile assentieris : sæpe enim in Scripturis admonemur, ut charitatem exerceamus, *patientiam, et mansuetudinem* (I *Timoth.* VI, 11) : quæ quidem tolerantiam injuriarum ac passionum exposcunt. At de secunda etiam nullum nobis inesse potest dubium : etenim, ut reliqua omittam, eo spectant monita illa Jacobi (*Cap.* V, 7) : *Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini : Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, et serotinum. Patientes igitur estote et vos, et confirmate corda vestra, quoniam adventus Domini appropinquavit.* Hujus modi patientiæ genus si quis possederit, an non feret (*bajulat*) *contraria vitæ?* an non etiam *bona* omnia possidebit? Profecto hæc habebit, qui exspectationes omnes sine præcipitatione sufferet.

203. Innuit, ut puto, illa Apostoli verba (*Rom.* V, 3) : *Scientes, quod tribulatio patientiam operatur : patientia autem probationem : probatio vero spem.*

204. Perspicua ea sunt, quæ tradit Hilarius, si eas definitiones recolueris, quas supra posuit. Verba illa *superius comprehendi*, idem hic sunt, ac *supra monui.*

205. Omnino legendum est, *quando :* etenim quando nihil speratur, id quod speratur, impatienter fertur. Sed in nostro codice legitur *quia* ob postremi amanuensis, ut puto, imperitiam.

206. Verba hæc : *omni autem virtute patientia perfert, quod spe pereunte dignoscitur*, perspicua quidem sunt, et cum prioribus plane continuantur. At obscuriora sunt, quæ sequuntur : *At si spem fructus patientiæ subsequatur, hæc matre gaudet fide, gubernaculum habet Dei, continentia genus, propinquitatem.* Sic autem ea interpretor : Si spem sequatur patientia, quæ spei fructus est (legendum est quippe *spem*, tametsi codex habeat *spes*), hæc, vel, si vis, *et hac* (spes) gaudet matre fide ; spes vero præsidium Dei peculiare habet : nam *sperantes in Domino misericordia circumdabit* (*Ps.* XXXI, 70) : continentia vero (quæ harum virtutum genus est, id est eas omnes complectitur, vel, si explicari ita jubes, primaria earum parens est, et veluti radix) propinquitatem Dei habet : efficimur enim per continentiam veluti propinqui Dei, vel quia *divinæ consortes naturæ* per eam efficimur (II *Petr.* I, 4); vel quia per eam *appropinquamus Deo :* cui si appropinquamus, ipse appropinquabit nobis (*Jacob.* IV, 8); vel, si vis, quia potiti cœlesti beatitudine *similes Deo erimus.* Id autem probat Hilarius, tum exemplo martyrum, qui fide, et spe corroborati cruciatus quoslibet, et tormenta patienter et fortiter pertulerunt (Deo scilicet eos præsidio, ac gratia sua adjuvante), tum reliquorum Christianorum, qui usque ad mortem *patientiæ virtutibus*, seu, si vis, certaminibus (*a*) Christum imitati *cohæredes Christi* efficiuntur. Si quis probabiliora proposuerit, mihi utique rem gratissimam faciet. Illud porro notare hic libet, ad plura Scripturarum loca respexisse quidem Hilarium, sed quæ certo designare vix possumus, præsertim cum vetustiorem Vulgata nostra interpretationem sequatur.

B Ne quid dissimulem, verba hæc : *inde justi, dum omnia patienter operantur*, in codice nostro habentur post voces illas *patientiæ virtutibus* (aut potius *certaminibus*) *imitantur.* Et post vocem *propinquitatem*, legitur ibi : *inde gloriosi Dei testes*, etc. Sensus tamen, et distributio sententiæ videtur exposcere, ut ita concludatur periodus, ac sententia ipsa : *deinde* (id est extremo loco) *cohæredes Christi, dum illum usque ad mortem patientiæ certaminibus imitantur.* Si quis tamen codicis lectionem retinere velit, putetque ab illa desumpsisse Hilarium occasionem, ut de justitia dissereret, per me quidem licet. Quod attinet ad vocem *gloriosi*, recole num. 2.

207. In codice ita legitur : *quam si quis obtinens, et cui quis adhærens vitæ suæ dispositæ, et sine conturbatione conservat.* Quæ quidem verba implicita manifesto sunt, et nitido sensu carent. Emendavi porro, ut probabilius duxi. Si quis aliter emendare cupit, quod libuerit, faciat. Post voces, *cum esset omnium dominus, a Joanne*, additur in codice, *qui major in natis mulierum :* sed manifestum glossema, quod respicit ad versiculum 43 capitis V Matthæi, jure meritoque sustuli.

208. Arbitror, Hilarium respicere ad locum illum, quem in epistolæ ipsius calce notavi, scilicet ad versiculum 2 epistolæ Judæ Apostoli. Nimirum hæc scribit Judas : *His qui sunt in Deo Patre, dilectis, et Christo Jesu conservatis, et vocatis, misericordia vobis, et pax, et charitas adimpleatur.* Neque enim ad Paulum referas necesse est locum hunc; nam voces hæ *alio item loco*, commode designant locum alium Scripturæ, neque cogimur, ut locum alium Pauli indicari putemus. Porro Christus *misericordia, et pax, et charitas*, seu *dilectio* nostra dici potest, tum quia horum auctor est et origo, tum quia gratia sua has in nobis efficit. Suspicor etiam, aliter olim in aliquibus codicibus fuisse lectum, et expresse dictum : *in Christo Jesu, qui nobis misericordia est, pax, et charitas*, seu *dilectio.* Si locum alium indicatum vis ab Hilario, ego quidem minime obsistam, dummodo probabilem indices.

209. Ecclesiastici Scriptores non modo dilectionem ipsam *agapen* vocant, verum etiam illius fructus (ut ita dicam), et opera ex charitate provenientia *agapes* appellant. Hinc Augustinus (*b*) : *agapes nostræ*, inquit, *pauperes pascunt, sive frugibus, sive carnibus.* Si quis multa hac de re nosse cupit, eos Scriptores consulat, quos allegat Ducangius (*c*).

210. Vulgata hic habet *charitas.* Sed Hilarius vetustam aliam secutus interpretationem, legit *dilectio*, quam proxime post distinguit a *charitate.*

211. Porro ex superioribus duabus definitionibus

(*a*) Legitur quidem in codice *virtutibus;* sed vox *certaminibus* ad id, de quo agimus, significandum aptior esse videtur.

(*b*) Lib. XX contra Faustum cap. 20. Vide etiam cap. 4 ejusdem libri.

(*c*) In *Glossario mediæ et infimæ latinitatis*, ad vocem *agape.*

constat, Hilario judice, dilectionem a charitate distingui. Is porro qui vere diligit Deum, virtutes reliquas habet, et præcepta omnia observat : Quis enim illius præcepta non observet, quem vere amat? Patres si afferam, atque adeo ipsa Scripturarum loca id confirmantia, infinitus propemodum ero : quippe tam Scripturæ, quam Patres sæpissime id ipsum docent, quod hic Hilarius, qui dum hæc ait : *Charitas est consummatio omnium mandatorum*, videtur respicere ad locum illum epistolæ Pauli ad Romanos (*Cap.* XIII, 10), qui in Vulgata sic se habet : *Plenitudo ergo legis est dilectio.*

212. Simillima sunt Hilarii monitis ea, quæ docet Gregorius Magnus (*Homilia* XXVII *in Evangel.*, *n.* 1), cujus verba adducere hic placet : « Cum cuncta sacra eloquia plena sint Dominicis præceptis, quid est, quod de sola dilectione, quasi de singulari mandato, Dominus dicit : Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem? nisi quia omne mandatum de sola dilectione est : et omnia unum præceptum sunt : quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. »

213. Inter veteres querelas, quas adversus Hilarium effudit Erasmus, non postrema hæc fuit, Hilarium magna contentione defendere, nos quoque cum Patre, et Filio unum esse natura. Auxisset sane querelas suas rigidus ille Criticus, si epistolam hanc habuisset in manibus, in qua scilicet *Deus*, *et Dei Filius* sine ulla limitatione appellatur quisquis charitatem habet. Præproperam tamen, atque injuriosam adversus Hilarium Erasmi censuram refellit egregius Pater Constantius, cui debemus Hilarii editionem, quem rogo consulas (*a*). Illud sane constat, quemlibet nostrum, charitate supernaturali ornatum, dici utcumque posse *Deum*. Nonne Christus ipse hominibus pietate præstantibus tribui posse docuit sublimem hunc titulum, cum ad refellendos Judæos, quibus displicebat, quod se *Deum*, et *Dei Filium* appellaret, hæc reposuit (*Joan.* x, 34) : *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi : dii estis?* (Quæ quidem verba desumpta sunt ex Psalmi LXXXI versiculo 6, qui sic se habet : *Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes*) : quasi diceret : Cur vos me reprehenditis, quod me Deum, Deique filium appellem, quandoquidem hominibus rectis communis jam pridem factus est titulus iste? Nonne etiam Petrus homines eos, qui in adoptionem filiorum Dei per charitatem assumerentur, *divinæ consortes naturæ effici* dixit (II *Petr.* I, 4)? Et en cur non modo Hilarius, sed et Patres alii Deum, aut certe Dei filium, aut divinum eum appellarent, qui charitate imbueretur. Audi, obsecro, quid tradat Ambrosius (*Lib.* I *de Virginibus*, *cap.* 3, *alias*, *n.* 11) : *Verbum caro factum est, ut caro fieret Deus.* Audi pariter quid Augustinus scribat (*In epist.* I *Joan. tractat.* II, *n.* 14, *id est postremo*) : « Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam, Deus eris? Non audeo dicere ex me. Scripturas audiamus : *Ego dixi, Dii estis, et filii Altissimi omnes.* Si ergo vultis esse Dii, et filii Altissimi, nolite diligere mundum, nec ea quæ sunt in mundo. » Si quis affinia in Bernardi scriptis reperire cupit, adeat ea loca, quæ ad paginæ calcem adnota (*b*).

214. Sexcenti sunt Scripturarum loci, quibus docemur nos diligi a Deo, cujus proinde similes efficimur, si eum amamus, nullo scilicet timore permoti, sicut et nos ab eo nullo timore ad nos diligendos permoto diligimur. Quamquam hæc similitudo potest etiam ad eum modum explicari, quem exposuit Augustinus nuper allegatus. Quin etiam per anticipationem dici potest, nos similes esse Deo, quatenus similes ei erimus in beatitudine, cujus *semen* dicitur *gratia* a Theologis.

215. Vereor, ne post illa verba : *numquid fidit? Non*, aliqua verba desint, quibus scilicet in nostro codice omissis objectio antea proposita dissolvatur. Tamen persistere adhuc possunt sine ulla intercapedine Hilarii verba. Etenim charitas *expresse* non sperat, *expresse* non fidit (nam certe aliqua ratione sperare, et credere docet Apostolus Paulus (I *Cor.* XIII, 7). *Charitas*, inquiens, *omnia credit, omnia sperat*), nec ullo timet modo, si de timore, quem *servilem* Theologi appellant, sermo sit; tametsi eo timore timeat, qui timor *filialis*, aut *reverentialis* a Theologis appellatur. Profecto in cœlis charitas perstat, et Deum amamus, nec tamen credimus, aut speramus. Multa hoc super argumento tradunt Theologi, atque interpretes Scripturarum, ad ea præsertim Pauli verba (I *Corinth.* XIII, 8) : *Charitas numquam excidit.* Et ad alia (I *Cor.* XIII, 10) : *Evacuabitur quod ex parte est*, etc. Hos consule.

216. In eo epistolæ ad Romanos loco, quem hic allegat Hilarius, desunt verba : *cum dilexisset mundum* (Deus) : deest quoque epitheton *unicum*, quod quidem epitheton tribuitur *filio*. Ea porro, quæ hic desunt, desumpta sunt ex loco illo Evangelii Joannis (*cap.* III, *vers.* 16) : *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* An id referendum in Hilarium ipsum, qui hæc, quæ allegat, a Paulo tradi putavit? An potius hæc a Paulo tradi ait, quia majorem horum partem tradit? An referendum id est in codicem, quo usus est, in quo scilicet ea scripta erant, quæ ipse allegat? An in amanuensem, qui ex duobus Scripturæ locis ab Hilario allegatis unum conflavit? Judicaverit lector.

217. Ubi ego posui : *Ergo qui hanc veluti speciem*, etc., codex habet : *ergo qui hanc veluti spem*, etc. At post verbum *veluti* aliqua vox esse deberet, quæ nisi fallor, charitatem reliquis virtutibus præstantiorem denotaret. Porro vox illa *veluti* hyperbolem aliquam innuit, qua Hilarius in extollenda charitatis excellentia usus sit, et quam lenivit præposito adverbio *veluti*, quod sæpe imminuendi vim habet. *Speciei* nomine virtutem indicari quis neget, postquam hæc ab eo scripta noverit : *Et quamvis omnes, quas supra tractavimus, species* (id est virtutes); et infra : *decet jam finem specierum*, etc. Verba illa, *Deus dilectio est*, perspicue ostendunt, *dilectionem* hic pro charitate accipi : sed non eo sensu, quo eam paulo ante exposuerat Hilarius : quis enim dicat, Deum *consummare* (id est implere) *mandata omnia*? An Deo mandatum imponi potest, quod ipse adimpleat? De Deo porro non licere multum disputare, sed obsequio potius illa esse excipienda, quæ fides de ipso tradit, ea docent, quæ Deum *ineffabilem*, et *inmvestigabilem* tradunt, expressissima sane, et plurima tum Scripturarum, tum Patrum monita. Vide n. 33 et subsequentes.

218. Aliqua profecto in hac sententia desunt, pauca illa tamen. Si conjecturis fidimus, sic supplere quæ desunt, possumus : *et alienum a temeritate. Id ipsum de dilectione sentiendum : tanta enim de ipsa* (id est de dilectione), *quanta de Deo, cognitio est, quoniam Deus dilectio est.* Si vis loco vocum istarum, *et alienum*, legendum esse, *id ipsum*, per me quidem licebit.

219. An hic innuit Hilarius, quod olim præcepit Apostolus Paulus iis verbis (I *Cor.* XI, 31) : *Quod si nosmet ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur?* An potius celebratissimum illud veterum philosophorum adagium : *Nosce te ipsum*, a Patribus ipsis sæpe laudatum? Judicium alienum esto.

(*a*) In præfatione præposita Operibus Hilarii, n. 76, et subseq., pag. 25 tomi I.

(*b*) *Serm.* 8 in *Cant.* n. 9 : *Ipsa ipsa paterno se diligi præsumat affectu*, etc. *Serm.* 46 pariter in Cantic., n. 4 : *Nam quod ait noster, et nostrarum*, etc. Et *Serm.* 71 itidem in *Cantic.*, n. 10.

220. Id est : convenit (seu æquum reor) virtutum tractationem in plenitudine dilectionis, et omnium rerum bonarum desinere. Hanc plenitudinem dilectionis, atque adeo rerum omnium in Deo esse, antea dixerat.

221. Verba ista : *aut si quid prætermissum est, in mundi plenitudine, videatur esse conclusum*, obscurissima, meo quidem judicio, sunt. An error aliquis in vocem illam *mundi* irrepsit, ita ut aliud quodpiam substitui debeat? Sed quid substitui debeat, ego quidem ignoro. An retenta voce illa *mundi*, ad Verbum Divinum omnium conditorem hæc verba referes? adeo ut verborum istorum hic sensus sit : Si quid forte in rerum enumeratione omisimus, illud expresse non commemorantes, omnino tamen non est omissum : Siquidem cum dixerimus, omnia a Deo fuisse condita, hæc ipsa, quæ a nobis prætermissa putabuntur, minime omissa sunt. Sed quanto intervallo distant hæc, quæ nunc dicit, ab iis quæ antea de Deo, de Verbo, et mundi creatione dixerat? et tamen continuatum, conjunctumque sensum ubique retinere videtur Hilarius. An desunt aliqua, quibus ab amanuensi omissis interruptus apparet sensus? In tanta rerum obscuritate, id quod magis probabile duxerit, eligat lector. Quod attinet ad rationem præstitam fidei, et æmulos, quorum hic meminit, recole, quæ numero postremo capitis 2 præfationis diximus.

222. Obscura sunt quoque verba illa : *Et magis mysterium sumant* (æmuli scilicet fidei meæ). An legendum est potius, *momentum* (id est occasionem) *sumant?* An aliud aliquid occasioni affine? Quod si omnino vocem *mysterium* retinere vis, sic explicare (mea quidem opinione) hæc possumus : Ipsi quoque fidei meæ æmuli confessionem excipiant meam, fateanturque me plane cum Ecclesia convenire, et jam denique rationem noverint, ob quam in libris meis nonnulla obscurius tradidi, involucro quodam ea obtegens : ne scilicet infirmiores offenderem. Jam enim cum sensa mea explicandi facultas se obtulit, ea plane explicavi. Vel, si vis, *mysterii* nomine *formulam fidei* intellige, et tum dic, optare Hilarium, ut æmuli fidei suæ *mysterium* sumant, id est eamdem *fidei formulam*, in qua tum ipse, tum iidem æmuli plane conveniant; quæ quidem fidei formula apertissime declaret, orthodoxe credere Hilarium : *proderit* autem et *inimicis*, et *credentibus*, quatenus omnes in unam eamdemque apertissime mysteria religionis nostræ declarantem formulam convenient.

DISSERTATIONES
IN EPISTOLAM SEU LIBELLUM
SANCTI HILARII.

DISSERTATIO PRIMA.

Ad hæc epistolæ Hilarii verba (*a*): UT ETIAM QUOD PROPTER NOS POSTMODUM FUERIT FABRICATUM.

Num hominis causa sensibilia omnia, a Moyse descripta, condita sint.

1. Adnotationibus, quas Hilarii Epistolæ adjeci, nunc demum dissertationes adjungo, quibus scilicet nonnulla quæstionum capita pertractantur, quæ brevibus illis monitis, quæ adnotationes exposcunt, comprehendi nequeunt. In prima porro dissertatione explanabo verba illa : *Ut etiam quod propter nos postmodum fuerit fabricatum;* et inquiram, num (quod verba illa indicant) *hominis causa sensibilia omnia a Moyse descripta, condita sint.*

2. Vetustissima hæc quæstio est, quæque Græcos inter philosophos quoque agitata fuit. Stoici scilicet *omnia nostri causa fecisse Deum* asserebant (*b*), obsistentibus Epicureis, et Academicis, ac primis quidem, quia Dei erga nos providentiam irridebant, Academicis vero, quia id minus certum esse putabant, quam dicerent Stoici.

Horum tamen opinio et aliis philosophis placuit, veluti Aristoteli (*c*) monenti, *hominem esse finem, propter quem reliqua omnia in natura sunt facta :* vetustis quoque Hebræorum doctoribus et Patribus arrisit. Ex vetustis Hebræorum doctoribus Philonem seligo; quippe in libro, quem *de mundi opificio* inscripsit, hæc ait (*d*) : « Quæret hic aliquis causam, cur ultimum operum sit homo in mundi creatione? Nam post omnia eum conditor ac Pater fecit, ut docent sacræ litteræ. Qui legem rimantur profundius, eamque quam maxime fieri potest excutiunt summa diligentia, dicunt, quod postquam Deus hominem in suam cognationem admisit ratione donatum dono longe optimo, ne cætera quidem ei invidit : sed ut animali familiarissimo amicissimoque omnia quæ mundo continentur, præparavit, volens, ut recens creatus nulla re careret, quæ ad vitam, atque adeo bene vivendum conferat. Quorum alterum præstat copia ubertasque rerum ad fruendum paratarum : alterum contemplatio cœlestium, qua quidem perculsa mens amorem ac desiderium scientiæ rerum hujusmodi concipit. »

3. Eam, de qua agimus, Christianis omnibus inhæsisse opinionem, ex eo patet, quod Celsus eam ob rem Christianos irrideat, redarguatque (*e*). *Addit Celsus* (inquit Origenes) *nos dicere : Omnia nobis servire jussa sunt.* Nec tamen id negat ipse Origenes Celsum refutans, sed tantum ait, fortasse id minime

(*a*) Cap. 3, p. 39.
(*b*) Lactant. *de divino præmio* (qui quidem liber septimus est *Instit.*) cap 7.
(*c*) Lib. II Physic. cap. 2. Et lib. I Metaph. cap. 2. Et Polit. cap. 5.
(*d*) Interprete Gelenio, pag. 15 edit. Lugd. anni 1561.
(*e*) Contra Celsum, lib. IV, n. 20, pag. 525 tomi I editionis Caroli de la Rue.

verum esse (et sane si *rigorose* loquimur, angeli nobis, et cœli minime inserviunt; saxa quoque, et metalla, et inanima quævis nobis non inserviunt, tametsi iis utamur, et nostri causa sint condita). Addit, id ipsum, quod in Christianis Celsus redarguit, a Græcis fuisse traditum, nec tamen eam ob rem fuisse reprehensos. Perperam itaque id in Christianis condemnari a Celso. Sed præstat ipsa Origenis verba, prout in editione doctissimi Caroli de la Rue latinitate donata sunt, allegare : « Addit Celsus nos dicere : *Omnia nobis servire jussa sunt*. Fortasse neminem e nostris sapientibus talia dicere audivit... Deinde cum Græci dicunt (*Eurip. in Phœniss.*) :

Sol, nox, uterque serviunt mortalibus,

dictum laudant, et commentariis illustrant. Idem nos sive non dicamus, sive aliis verbis dicamus, perinde est Celso, ut nobis intendat litem. » Notatur autem in margine, *Græcorum* nomine designatum fuisse ab Origine Euripidem, cujus in Phœnissis versiculus ille est. In calce porro paginæ affertur integer Euripidis locus tum Græce, tum latinitate donatus : sic porro ille se habet :

Obscuramque palpebram noctis, et lumen solis,
Ut æqualiter circuirent annuum circulum (*constituit*).
Et neutrum horum duorum victum invidet alteri,
Atque ita sol, et nox serviunt hominibus, etc.

4. Origenem subsequatur Augustinus. Etenim proposita sibi ad solvendum hac quæstione (*a*) : *Utrum omnia in utilitatem hominum creata sint*, affirmantem partem amplectitur, et ad hunc modum quæstionem concludit : *Omnia ergo, quæ facta sunt, in usum hominis facta sunt, quia omnibus utitur judicando ratio, quæ homini data est.*

5. Lactantium Augustino adjungamus ; Quippe hæc ait (*De ira Dei, cap.* 13) : « Omnia quibus constat, quæque generat ex se Mundus, ad utilitatem solius hominis accommodata sunt. Homo utitur igne ad usum calefaciendi, et luminis et coquendorum ciborum, ferrique fabricandi. Utitur fontibus ad potum, et ad lavacra : fluminibus ad agros irrigandos, terminandasque regiones. Utitur terra ad percipiendam frugum varietatem, collibus ad conserenda vineta, montibus ad usum arborum atque lignorum, planis ad segetem. Utitur mari non solum ad commercia, et copias ex longinquis regionibus ferendas, verum etiam ad ubertatem omnis generis piscium. Quod si his elementis utitur, quibus est proximus, non est dubium, quin et cœlo ; quoniam et cœlestium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua vivimus, temperata sunt. »

Subinde vero postquam varios tum cœlestium, tum aereorum meteororum usus descripsit, hæc demum subjicit : « Num etiam mutorum causa Deus laboravit ? Minime : quia sunt rationis expertia. Sed intelligimus et ipsa eodem modo ad usum hominis a Deo facta, partim ad cibos, partim ad vestitum, partim ad operis auxilia, ut clarum sit, divinam providentiam rerum et copiarum abundantia hominum vitam instruere atque ornare voluisse, ob eamque causam et aerem volucribus, et mare piscibus, et terram quadrupedibus implevit. » Et rursus (*Cap.* 14) : « Sequitur, ut ostendam, cur fecerit hominem ipsum Deus ; sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tanquam divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque cœlestium. »

6. Sed omittendus non est Gregorius ; quippe expressissime id de quo agimus, tradit (*Hom.* XXIX *in Evang. n.* 2) : *Ille videlicet* (inquit) *docetur, propter quem in terra cuncta creata sunt* (de homine porro ille loquitur). Adde, si vis, Bernardum (*Serm.* I *de divers.* n. 6), et scriptorem libelli, qui *instructio sacerdotum* inscriptus est, exstatque inter Bernardi opera (*Exstat p.* 583 *tom.* III *edit. Venet. Mab. an.* 1727.)

7. Et id sane quod hi tradunt, valde probabilis ratio nobis persuadere videtur. Etenim et præstantissima creaturarum omnium esse videtur homo, cui merito cuncta inserviunt, ut subsequenti dissertatione haud indiligenter ostendam ; et nihil indicare ex iis, quæ facta sunt, quisquam poterit, quod homini utile aliqua ratione non sit.

8. Novi equidem, hæc in dubium vocari ab Academicis, irriderique ab Epicureis. Sed immerito utrumque fieri is fatebitur, qui eorum expenderit argumenta : quæ propterea audiamus oportet. Sic porro ii disputant : An si hominis causa reliqua essent condita, omnium animantium miserrimum hominem natura effecisset ? Porro effecit miserrimum, idque adeo, ut palam constet despectum prorsus fuisse a Deo, sive, ut veteres dicere consueverant, a natura. Sed præstat hanc ipsam, qualiscumque ea sit, argumentationem iis ipsis proponere verbis, quibus veteres proposuere. Lucretii sane notissima sunt illa carmina (*lib.* V, 223 *et seqq.*), quibus quam sæva adversus hominem natura fuerit, docet :

Tum porro puer, ut sævis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitali (*alii* Vitai) auxilio, cum primum in luminis auras
Nixibus ex alvo matris natura profudit ;
Vagituque locum lugubri complet, ut æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

9. Sed et id ipsum copiosius Plinius hæc scribens (*lib.* VII *in præfat.*) : « Hominis causa videtur cuncta alia genuisse natura, magna, et sæva mercede contra tanta sua munera : ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior novercа fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum, aliena alienis velat opibus : cæteris varie tegumenta tribuit, testas, cortices, coria, spinas, villos, setas, pilos, plumam, pennas, squammas, vellera. Truncos etiam, arboresque cortice interdum gemino a frigoribus, et calore tutata est. Hominem tantum nudum, et in humo, natali die abjicit ad vagitus statim, et ploratum ; nullumque tot animalium aliud ad lacrymas et has protinus vitæ principio. At, hercule, risus præcox illi ac celerrimus, ante quadragesimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem

(*a*) Libro *de diversis quæstionibus octoginta tribus*, quæst. XXX.

inter nos genitas vincula excipiunt, et omnium membrorum nexus; atque infeliciter natum jacet, manibus pedibusque devinctis flens animal cæteris imperaturum : et a suppliciis vitam auspicatur unam tantum ob culpam, quia natum est. Heu dementiam ab iis initiis existimantium ad superbiam se genitos! » Tum alia multa prosequitur, quibus quidem apertissime ostendit, aut deteriorem animantibus cunctis hominem esse, aut certe iis æqualem, ideoque eum, cujus causa reliqua non sint condita.

10. Et sane reliquas res homini minime inservire et idem Plinius, et philosophi alii palam evincunt. Ut a stellis, cœlisque, eorumque motibus ac conversionibus exordiamur, hæc de iis pronuntiat Plinius (*lib.* II, *c.* 8) : « Non tanta cœlo societas nobiscum est, ut nostro fato mortalis sit ille quoque siderum fulgor. » Et eodem fine Seneca (*lib.* II *de Ira*, *c.* 27) : «Nihil horum, quæ nobis nocent, prosuntque, ad nos proprie dirigitur : non enim nos causa mundo sumus hyemem æstatemque referendi. Suas ista leges habent, quibus divina exercentur. Nimis nos suspicimus, si digni nobis videmur, propter quos tanta moveantur. »

Et profecto quis sibi persuadeat, immensa cœlorum atque ætheris spatia hominis causa fuisse condita? cum tantum absit, ut iis utatur, ut ne ea noscat quidem. Quis enim, ut de usu aliqua dicamus, quis, inquam, utitur stellis, et immensis iis, quæ diximus, cœli spatiis? Cui prodest Sirius Canis, aliaque sidera? Ii certe longe melius videntur sapere, qui alium prorsus in finem, quem nos ignorare fatendum est, ea esse creata censent, quam hominis causa. Quid? quod ii minime errare videntur, qui cœlestes orbes incolis vacuos esse non putant : et horum causa asseverant, eosdem orbes esse creatos. An hæc irrides, et Fontenellio per jocum hæc proponenti tribuis? Lege, obsecro, quæ hoc de argumento non per jocum, sed serio disserit clariss. Derham, et palam videbis, valde probabilem eorum esse sententiam, qui hæc tradunt (*a*).

11. An vero, ut de argumento altero, deducto scilicet ex nostra inscitia, etiam dicam, an, inquam, si nostri causa essent conditi cœli, cœlestesque orbes, tanta eorum ignorantia nos laborare permisisset Deus, ut (quod jam diximus) ne eorum quidem aut magnitudinem, aut distantiam, aut numerum nosse possimus? *Numera stella, si potes*, dixit olim Deus Abrahamum alloquens (*Gen.* XV, 5), veluti rem, quæ fieri non posset omnino, illi proponens. Ad hæc, sibi reservatum prorsus astrorum usum, notitiamque, atque adeo numerum ipsum, haud obscure Job et David indicant, cum hæc de Deo aiunt (*Job.* IX, 9) : *Qui facit Arcturum, et Oriona, et Hyadas, et interiora austri. Qui facit magna, et incomprehensibilia, et mirabilia, quorum non est numerus.* Et (*Psal.* CXLVI, 4 *et* 5) : *Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocat.* Atque ex ea re divinæ sapientiæ magnitudinem eruit David hæc subjiciens : *Magnus Dominus noster, et magna virtus ejus : et sapientiæ ejus non est numerus.* Quin et Deus ipse hisce verbis Jobum alloquitur (*Job. cap.* XXXVIII, 18 *et* 19) : *Indica mihi, si nosti omnia : in qua via lux habitet, et tenebrarum quis locus sit..... per quam viam spargitur lux, dividitur æstus super terram* (*v.* 24). *Numquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra* (*v.* 35)?

12. Sed cœlos omittamus, et, si vis, ad ea ipsa descendamus, quæ obvia habemus, nostrisque oculis sæpe subjecta. An animalia nostri causa dicemus condita, cum ea noxia plerumque experiamur, aut certe inutilia? An non noxias experimur feras, imo minutissimas eas animantes, quæ æstivo præsertim tempore nostra corpora infestant, magnamque nobis molestiam facessunt? Notissimi sunt illi Lucretii versus (*lib.* V, *vers.* 219) :

> Præterea genus horriferum natura ferarum,
> Humano generi infestum, terraque, marique,
> Cur alit, atque auget?

atque in eamdem sententiam hæc apud Tullium legimus (*lib.* IV *Academ. quæst.*) : «Cur Deus omnia nostri causa cum faceret (sic enim vultis), tantam vim natricum, viperarumque fecerit? Cur mortifera perniciosa tam multa, terra marique disperserit? » Ad quem Tullii locum respicere videtur Lactantius, cum hæc scribit (*in libro de Ira Dei*, *cap.* 13) : « Sed Academici contra Stoicos disserentes solent quærere, cur si Deus omnia hominum causa fecerit, etiam multa contraria, et inimica et pestifera nobis reperiantur tam in mari, quam in terra. Quod Stoici veritatem non respicientes ineptissime repulerunt. Aiunt enim multa esse in gignentibus, et in numero animalium, quorum adhuc lateat utilitas, sed eam processu temporis inveniri, sicut jam plura prioribus sæculis incognita necessitas, et usus invenerit. »

13. Vehementius hæc porro urget Theodoretus (*Quæst.* XX *in Genesim*) explicans illa Scripturæ verba : *Et dominetur piscibus maris, et volatilibus cœli, et jumentis, atque universæ terræ, et omnibus reptilibus repentibus super terram.* « Animadvertendum est (inquit) quod silentio prætermissum est, non universa animalia propter hominem creata esse, sed ea demum, quibus dominari dicitur, nempe pisces maris, volucres cœli, et pecora terræ, fortasse etiam et reptilia terræ, propter necessarium usum pharmacorum, quæ ex iis conficiuntur : non tamen propter hominem cete illa grandia, et feræ terrestres : alioquin cum data est homini hæc potestas, earum quoque nomina addita fuissent. Atqui non reperimus in Scriptura serpentium genus inter reptilia collocatum, sed inter feras. Serpens enim, inquit, erat callidissimus omnium bestiarum. Et in actis Apostolorum, etc...., Non dominatur igitur homo cete illis grandibus, neque bestiis, quæ fortasse ab initio non propter ipsum creata sunt. Et simile quidpiam his, quæ describuntur hic, sub hominis esse dominio, in octavo dicitur

(*a*) Theolog. Astronom. præfat., pag. 26 et 30 editionis Italicæ.

psalmo : *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*, etc..... Nam et hic cete, et feræ prætermissæ sunt.» Quibus positis, mirum non est, si ad serpentium ac ferarum aspectum formidemus, fugamque capiamus. Ostendit id scilicet, prævalere illas nobis, non illis nos.

14. Sed neque argumentum hoc dissimulavit Bernardus, quippe hæc tradidit (*Serm.* 1 *de diversis*, *num.* 6) : «Sed adhuc multa, inquies, graviter inquietant, multa evidentius adversantur : et miror, quomodo omnia data memores, quibus fere nulla famulantur ad votum. Servire nobis videntur aliqua, sed cum labore nostro; nec nisi prius servierimus eis. Jumenta ipsa, nisi fuerint a nobis nutrita, nisi domita, nisi fuerint pabulo sustentata, non adjuvant. Terra ipsa, quæ debuerat nobis esse germanior, non sine sudore vultus nostri panem nobis ministrat : imo et cum coluerimus eam, spinas, et tribulos germinat nobis. Et cætera omnia denique, si diligenter consideremus, servitium a nobis magis exigunt, quam exhibent nobis : ut ea interim sileam, quæ sunt parata nocere, ut est ignis ad exurendum, aqua ad submergendum, fera ad lacerandum. Et hæc quidem ita se habent.»

15. Sed minori fortasse numero noxia homini sunt, quam sint inutilia. Quod emolumentum, obsecro, dic, percipit homo ab innumero culicum, aliorumque exillimorum insectorum exercitu, quo nos obsitos, æstivo præsertim tempore, cernimus? Antiqua est hæc quidem, sed tamen nondum dissoluta difficultas, quam adversus Stoicos intorserunt vetusti Academici. «Quæ tanta utilitas, inquiebant illi (*Referente Lactantio in lib. de Ira Dei*, *cap.* 13), potest in muribus, in blattis, in serpentibus reperiri?... An medicina in his aliqua latet, quæ si est, inveniretur aliquando?»

16. Sed bestias, et animantes quaslibet omittamus. Quodnam emolumentum ex præruptis, atque inaccessis, iisque saxeis montibus homo percipit? Quodnam ab herbis, quas nec ipse comedit, nec comedunt pariter bestiæ? Hactenus qui secus sentiunt.

17. Magnam porro habent, fateor, hæc, et affinia alia apud Veteres verisimilitudinis speciem; veritatem tamen minime habent. In eo quod primum ex Lucretio, et Plinio desumptum est, levissimæ insunt vires. Ac statim notandum est, eam ipsam, quam nos asserimus, opinionem Plinio ipsi minime displicuisse, dum hæc scripsit (*in præfatione lib.* VII) : «Si quidem cum omnia exsequi humanus nequeat animus, principium jure tribuetur homini, cujus causa videtur cuncta alia genuisse natura Sed tamen quidquid ille senserit, indubitata res est, ab iis, quæ subjicit, et antea objecta sunt (*recole num.* 9), minime sententiam nostram infirmari. Scilicet, nisi hominem natura fecisset inermem, nisi quoque alienæ opis indigum constituisset; paratiorem illum fecisset ad faciendam, quam ad repellendam injuriam : nec ea in puerulum parentum charitas exerceretur; qua quidem dum eximius parentum amor erga filios tam certis argumentis declaratur, filii erga parentes grati animi, amoris, atque obsequii vinculis arctissime devinciuntur. Ex qua sane re, plurima, eaque præclarissima humano generi commoda, atque emolumenta proveniunt. Cæterum ad abigendum frigus, et reliquas hujus generis molestias, necesse non est hominem pellibus amictum, aut pluma protectum enasci (quibus sane ea præstantissima species deformaretur, qua ornatum hominem esse voluit supremus artifex), cum illum intellectu, ac ratione ditaverit, quibus profecto incommoda quævis arcere facile potest, sibique commoda plurima comparare.» Pulcre Lactantius (*de Opific.*, *cap.* 7) : «Ubi autem ratio, et manus est, tam non est id necessarium, quam indumentum pilorum; adeo in suo quoque genere aptissime congruunt, ut neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari quidquam turpius posset.»

18. Fletus, a quo vitæ exordium sumere videtur homo, inutilis, atque adeo etiam noxii humoris naturalis quædam expressio est, quæque nullum vel levissimum habet incommodum. At fac habere. Nonne illud matris, nutricisque cura tollitur? Quid? quod hominem ab innocentiæ, ideoque felicitatis summæ statu, ac sublimitate prolapsum, multorum Patrum judicio, fletus ille indicat, ideoque hominem monet, ut Deo de reparatione recepta gratias agat, et ad eum per preces suas, auxilii opisque assequendæ causa, confugiat.

19. Vincula, quæ commemorat Plinius, homini non officiunt, sed illum juvant, et, ut de emolumentis cæteris ex ea re provenientibus sileam, corpus illius firmant roborantque. et quam illi Deus dignitatem tribuit, cum *os homini sublime dedit*, *cælumque tueri*, ut retineat ac servet, efficiunt : etenim si vinculis fasciisque in pueritiæ exordiis (quibus scilicet erectum, rigidumque puerile corpusculum detinetur) minime devinciretur, pedibus ipse quoque homo reptaret, illique adimeretur eximia illa Boethii commendatio (*de Consol.* v, 5, 8) :

> Unica gens hominum levat altius cacumen,
> Æque levis recto stat corpore, despicitque
> Terras.

20. At ad alteram objectionem nos convertamus oportet n. 10 propositam. Dicat porro quisque quod libet : ego quidem facilius, et obsequentius credam Scripturæ, in qua nos docet Deus, quam hominibus, tametsi doctrina præstantibus, qui secus sentiant. Porro hæc in Scriptura legimus (*Genes.* 1, 14, 15, 16 *et* 17) : *Dixit autem Deus : fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos : ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram*, etc. Et alibi (*Ps.* CXXXV, 7, 8, 9) : *Qui fecit luminaria magna .. solem in potestatem diei... lunam, et stellas in potestatem noctis*, etc. Et rursus (*Deut.* XV, 19) : *Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas solem, et lunam, et omnia astra cœli, et errore deceptus adores ea, et colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Si creavit in ministerium,

quæ sub cœlo sunt, nostri sane causa ea condidit.

21. Postrema Plinii verba, *Non nos causa Mundo sumus*, etc., nihil habent quod nostræ sententiæ officiat. Etenim in eo capite irridet, rejicitque vulgi sententiam, quod quidem existimabat, *sidera singulis attributa nobis, clara divitibus, minora pauperibus, obscura defectis, et pro sorte cujusque lucentia, et attributa mortalibus.* Horum scilicet a vero remotissimam opinionem his verbis statim repellit: *quia nec cum suo quæque homine orta moriuntur, nec aliquid extingui decidua significant:* tum illa subjicit, quæ sunt objecta: *Non tanta cœli societas nobiscum est, ut nostro fato mortalis sit ille quoque siderum fulgor.* Quæ quidem monita quam præclara sunt ad eam refutandam, quam perstringit ille, sententiam; tam inepta sunt, si adversus id, de quo agimus, adducantur.

22. Senecæ porro opinio tanto in pretio habenda non est, ut Lactantii, Augustini, atque adeo Scripturæ ipsius monitis præponatur.

23. Pleraque eorum, quæ immensis cœlorum spatiis comprehenduntur, ignorari a nobis, haud invitus fateor. Sed quot nobis prosunt, imo etiam inserviunt, quorum naturam, et numerum prorsus nescimus? An aeris, an ignis, aliorumque, quibus quotidie utimur, naturam novimus, aut multitudinem? Deo credimus, cujus testimonio discimus, *omnia astra cœli* ab eo creata fuisse *in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Alios ob fines condita ea fuisse, minime nego; sed neque affirmare id possumus, cum id prorsus lateat. Nec contemnendum ob finem ea erunt condita, si propterea condita erunt, ut ex eorum specie exsurgamus ad divinam omnipotentiam agnoscendam, ac commendandam, præsertim quum tam præstantia eximiaque, atque immensa, pene dixerim, corpora *in ministerium nostrum* esse voluerit.

24. Feras porro, atque inmites bestias, venenosasque et animantes, et herbas condidit quidem Deus, non propterea tamen hæc hominis causa non condidit. Si hominem innocentia adhuc potitum inspicis, hæc, et alia quævis, quantumvis pessima fingas, minime nocere illi poterant (*a*). Si ab innocentia prolapsum; ad terrendum hominem, eumque admonendum ea posuit, ne ab illius jussionibus deficiat, qui *armavit creaturam ad ultionem inimicorum suorum* (*Sap.* v, 18). Ea consule Scripturarum loca, quæ in paginæ calce noto (*Levit.* xxvi, 22; *Deuteron.* xxxii, 24, *et lib.* IV *Reg.* ii, 24). Quid? quod ipsa leonum feritas divinam omnipotentiam mirum in modum non raro commendavit. Quid inusitatius, ideoque quid ad divinam omnipotentiam celebrandam aptius eo portento, quod tum contigit, quum ne Danielem vorarent, *Deus conclusit ora leonum* (*Daniel.* vi, 27 *et* 22), *nec nocuerunt ei* (Danieli), *et nulla læsio inventa est in eo, quia credidit Deo suo.* Et, ut in Daniele consistam, quid admirabilius, ideoque quid ad Dei providentiam erga probos viros declarandam aptius eo, quod de eodem Daniele discimus? atque id quidem ipsis Scripturæ verbis referre libet (*Daniel.* xiv, 29, *etc.*): *Vidit ergo rex, quod irruerent in eum vehementer* (Babylonii), *et necessitate compulsus tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum, et erat ibi diebus sex. Porro in lacu erant leones septem, et dabantur eis duo corpora quotidie, et duæ oves, et tunc non data sunt, ut devorarent Danielem....* (*v.*39). *Venit ergo rex die septimo, ut lugeret Danielem, et venit ad lacum, et introspexit, et ecce Daniel sedens in medio leonum. Et exclamavit voce magna rex dicens: Magnus es, Domine, Deus Danielis* (*v.* 42)... *Paveant omnes habitantes in universa terra Deum Danielis, quia ipse Salvator, faciens signa, et mirabilia in terra: qui liberavit Danielem de lacu leonum.* An non etiam divinam omnipotentiam testificatus est leo ille, qui prophetæ, Dei jussibus haud obsequenti, morsu necem intulit, illius tamen cadaver minime attigit (III *Reg.* xiii, 24, 25)?

25. Quod porro tum contigit, id deinceps etiam haud rare evenisse novimus, id testificantibus Ecclesiasticis monumentis; ex quibus discimus, impeditas fuisse aliquando feras, ne expositos eorum morsibus martyres tangerent (*b*), neve eorum cadavera vorarent (*c*).

26. Sed hæc, si vis, omittamus, consistamusque in exemplis iis, quæ quotidie conspicimus. An non venenosis ipsis animantibus utimur, earumque carnes, et venenum ipsum in medicinam vertimus? Quis nescit nos ursorum, et reliquarum ferarum pellibus uti ad frigus abigendum, easque in nostrum ipsum emolumentum convertere? Hæc sane si serio attendamus, haud inviti fatebimur, quod ab initio positum est, corpora scilicet quævis, tametsi præstantissima, tametsi interdum noxia, hominis causa fuisse condita.

27. Ea porro rationis vis, intelligentia, ac consilium, quibus præditus homo a Deo est, si illum juvant, ut noxias ipsas animantes in utilitatem convertat suam, multo magis juvant, ut earum impetus, ac ferociam evitet, eludatque; aut si forte eludere non potest, et evitare, remedia illi, ac medicamina præstet adversus earum venena, ac morsus: sic ut rarissimi sint, quos ferarum, ac serpentium morsibus interfectos conspiciamus, atque inter hos ipsos multos reperies, qui feras ipsas, ac serpentes in perniciem suam temere irritarunt. Quis porro, ut Scripturæ verbis utar (*Eccles.* xii, 13), *miserebitur omnibus, qui appropinquant bestiis?*

(*a*) Vide obsecro quæ hoc super argumento docet Augustinus l. i de Gen. adversus Manich. c. 18, n. 29.

(*b*) Ignatius Martyr in Epistola ad Rom. n. 4; Euseb. hist. lib. viii, cap. 7; Acta S. S. Tarachi, Probi, etc., n. 10, apud Ruinart, pag. 392 editionis Veronensis.

(*c*) Euseb. *de Martyribus Palestinæ*, cap. xi (apud Ruinart n. 42: *Quorum sacrosancta cadavera*, etc.) Acta S Vincentii, cap. x (apud Ruinart., edit Veron., pag. 328). Atque id ipsum, quod in Actis, legitur etiam in Prudentii Hymno *de S. Vincentii Martyrio* inscripto, strophe 99, 100, etc.

28. Atque ad ea, quæ ex multitudine ferarum, ac serpentium a Deo conditorum objecta sunt, vulgata quidem, sed non improbanda responsio hæc est, quam, si vis, confirmare commode potes iis, quæ ex Theodoreti quæstione XVIII in Genesim deinceps adducemus.

29. Venio nunc ad ea Theodoreti verba, quæ ex quæstione XX in Genesim excerpserunt, atque adversus nos urserunt. Fateor porro statim, me cum hæc in veteribus editionibus legi, nonnihil fuisse commotum : adversantur enim ista non modo Patribus iis, quos allegavi, verum etiam Theodoreto ipsi, qui et in Commentariis in Epistolam II ad Corinthios, quæ Dissertatione III afferam, et in ea ipsa, quam allegarunt, quæstione XX in Genesim (si vetustam Pici editionem sequimur), id ipsum, quod nos B traditimus, docet, hæc scriptis prodens : « Si ergo qui non debet velare caput, imago Dei est, profecto quæ velatur, non est imago Dei, quamvis ejusdem animæ sit particeps. Quomodo ergo homo est imago Dei? secundum imperium et potestatem. Quod perhibere videtur etiam vox divina, quæ dicit : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Et modum subjungens ait : *Et dominetur piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis terræ*, et reliqua. Quemadmodum enim Deus omnibus imperat, sic homo iis, quæ sunt super terram. At quamobrem mulier non dominatur prædictis, sed virum habet pro capite, quæ tamen reliqua sub potestate tenet : vir autem non subjectus est mulieri? » Verum dubium omne deposui, quum didici ex Sirmondo, cujus edi- C tionem postea consului, veterem editionem esse corruptam. Etenim in præfatione idem Sirmondus monet, in codicem eum, quo usus est Picus, ut quæstiones has latinitate donaret, et præsertim in eam, de qua agimus, quæstionem XX multa irrepsisse ex antiquis Catenis, quarum auctoritas, uti omnes norunt, non admodum gravis est. Addit permixtas fuisse in Pici editione cum sententia Theodoreti eas ipsas, quas ille rejicit, Origenis nempe, Diodori, et Theodori. Adjicere etiam alias poterat, ideoque eam, de qua disserimus, cum hujus opinionis, ut mox dicam, nullum appareat in Sirmondi editione vestigium. Atque ea quidem Sirmondi editio super probatissimo regio codice elaborata est. Ubi vero quæstionem ipsam XX edit, nihil eorum tradit, quæ D objecta sunt, quæ propterea additicia esse constat. Ad hæc (ut reliqua etiam omittam), ea tradiderat Theodoretus quæstione XVIII in Genesim, quæ uti mirum in modum sententiam nostram comprobant, ita manifesto iis adversantur, quæ objecta sunt. An Theodoretum virum gravem, et apud veteres laudatissimum hic tam futilem censes, ut levi intervallo contraria proponat? Sed operæ pretium reor ipsam, quam dixi, XVIII Theodereti quæstionem *in Genesim* lectoris oculis subjicere, ut ex ea apertissime me vera proposuisse dignoscat : « Interrogatio XVIII. Ad quid Deus creavit bestias, et reptilia? Pueri tum terriculamentis, tum etiam loris, et virgis indigent. Et A per illa quidem ipsos terremus, per hæc autem erudimus; utraque vero facimus, honestatem omnem eis procurantes. Cum igitur Dominus Deus animadvertisset, nos ad ignaviam proclives, bestias, et reptilia prius condidit, veluti lora quædam, et terriculamenta : ut per ea nos terrens ad se traheret, atque ejus auxilium imploraremus. At quemadmodum qui perfectam ætatem attigerunt, terriculamenta hujusmodi, et lora contemnunt : sic qui in virtute educati sunt, bestiarum incursus minime formidant. Siquidem Adæ, prius quam peccasset, assistebant bestiæ obsequium deferentes. Et rursum, ipsum Noe ingredientem Arcam, leo, pardus, et reptilia atrocissima quæque, ovium more sequebantur. Et Danieli aderant leones, qui, alioqui famelici, accedere tamen ad eum non audebant, eo quod in illo specimen quoddam divinam imaginem præ se ferens conspicerent. Itidem vipera, quæ dentes injecerat in manum Apostoli, cum nihil peccati tenerum, aut molle in eo reperisset; mox resiliit, et in ignem se conjecit, supplicium quodammodo de se ipsa sumens, quod corpus sibi nullatenus conveniens adorta esset. Nos autem ideo bestias formidamus, quia virtute præditis moribus non sumus. Et ob id Deus socordium etiam hominum curam agens, eas in remotiora loca relegavit, et iis nocturnum tempus ad escam quærendam largitus est : *In ipsa enim nocte,* ait, *pertransibunt omnes bestiæ silvæ.* Reptilibus vero antra terræ præbuit, ut in eis latentia humano generi non noceant. At ne bestias, velut ab his prorsus illæsi, contemnamus, quasi nobis minime nocere possint, nonnunquam duos aut tres e multis millibus vel a scorpionibus pungi, aut a serpentibus morderi permittit is, qui sapienter res nostras gubernat; ut nos veriti, ne quid simile patiamur, Deum creatorem in auxilium invocemus, obsecrantes ut illa omnium malorum depultrice providentia nos tueatur. Præterea et ad alia, bestiæ non sunt nobis inutiles. Nam ex eis Medici pharmaca non pauca componunt ad morbos propulsandos. Nemo igitur bestiis per se consideratis de creatore conqueratur, sed utilitatem investiget. Siquidem ipsum etiam corpus humanum quamvis formosum, temperatum, et varia partium utilitate præditum, muco tamen, et sputo, ac fœtido stercore, quod excernit, non caret... Ad hunc ergo modum et aliorum unumquodque examinamus, non ipsum per se considerantes, noxiumne sit, an commodum; sed an aliquam universo utilitatem conferat. Nam et feræ hominem reverentur propter attributam illi ab initio in ipsas potestatem. Interdum tamen illum velut divinæ legis prævaricatorem contemnunt, quemadmodum improbi servi despicere illos solent, qui eos regere a Dominis jussi sunt, si eos viderint admissis criminibus auctoritatem amisisse. » Et de Theodoreto hactenus. Cætera prosequamur.

30. Si interdum feræ, serpentesque nos terrent, atque eos effugimus, id nec ubique, nec constanter fit, nec quum fit, ostendit, re vera homines anima-

libus brutis ferisque inservire : terrent enim nos etiam latrones, atque eos effugimus, nec propterea latronibus inservire dicimur. Sed præstat præclarissimis Chrysostomi verbis rem totam exponere : « Verum hic Gentiles (inquit ille) (*Homil.* IX *Gen. n.* 3) in nos insurgunt, et dicunt : Compertum est, hoc non esse verum : non enim dominamur feris, quemadmodum pollicitus est, sed ipsæ nobis potius. Imo non verum est quod hi objiciunt. Nam mox ut apparuerit homo, feræ fugam faciunt. Quod si aliquando vel fame urgente, vel nobis illas lacessentibus, ab eis damnum accipimus, hoc non fit ideo, quod illis in nos sit imperium, sed ob culpam nostram. Nam cum latrones nos invadunt, si non negligamus, sed in illos arma sumamus, id non ideo fit, quod imperium in nos obtineant, sed quod nostræ saluti prospiciamus. » Eadem ipsissimis fere verbis alibi repetit (*Serm.* III *in Genes.* n. 5, *pag.* 66 *tom.* IV *editionis Montfauconii*).

51. Eamdem difficultatem evitat Augustinus, dum fatetur aliqua ex parte amisisse nos dignitatem, qua facti sumus ad imaginem Dei, quando amisimus innocentiam ; ita tamen nos amisisse fatetur ea, quæ amisimus, ut neget, prorsus amisisse, contendatque perseverare adhuc in homine potestatem in feras ipsas, et belluas, dum ipsas edomamus, nec tamen ab iis domari nos sinimus. Sed præstat ipsa Augustini monita audire (*Lib.* I *de Genes. contra Manich. cap.* 18, *alias n.* 29) : « Aliquando etiam solent dicere (Manichæi) : quomodo accepit homo potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et ferarum, cum videamus a multis feris homines occidi, et a multis volatilibus nobis noceri, quæ volumus vel vitare, vel capere, et plerumque non possumus? Quomodo ergo in hæc accepimus potestatem? Hic illis primo dicendum est, quod multum errent, qui post peccatum considerent hominem, cum in hujus vitæ mortalitatem damnatus est, et amisit perfectionem illam, qua factus est ad imaginem Dei. Sed si damnatio ejus tantum valet, ut tam multis pecoribus imperet, quamvis enim a multis feris propter fragilitatem corporis possit occidi, a nullis tamen domari potest, cum ipse tam multas, et prope omnes domet. »

32. Sed quoniam Bernardi auctoritate, non Theodoreti tantummodo, adversus nos disputarunt, audiant, obsecro, quomodo Bernardus ipse istam, qualiscumque ea est, difficultatem dissolvat (*n.* 6 *sermonis* I de Diversis) : « Et hæc quidem ita se habent : sed tamen non mentitur Apostolus, etiam alio loco manifestius asseverans, scire se, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Verumtamen solerter attende, quod non ad libitum famulari, sed cooperari dicit ad bonum. Neque enim ad voluntatem serviunt, sed ad utilitatem ; non ad voluptatem, sed ad salutem ; non ad votum, sed ad commodum nostrum. Usque adeo siquidem in hunc modum omnia nobis cooperantur in bonum, ut inter hæc omnia etiam ea, quæ nihil sunt, numerentur, molestia, morbus et ipsa mors etiam, et peccatum. »

33. Perstitimus hactenus in iis, quæ homini noxia creduntur. Quod ad ea attinet, quæ inutilia ; difficultatem hanc prævenerunt, ac prorsus dissolvere se posse sperarunt Stoici, monentes magnam partem eorum, quæ homini inutilia vulgus censet, revera esse utilissima, tametsi eorum utilitas statim non constet. Aiunt enim, ut verbis eorum Lactantio referente (*de Ira Dei cap.* 13) utar, « Multa esse in gignentibus, et in numero animalium, quorum adhuc lateat utilitas, sed eam processu temporis inveniri ; sicut jam plura prioribus sæculis incognita, necessitas, et usus invenerit. »

34. Quamquam necesse non est, ut ad solutionem hanc, quæ cæteroqui valde probabilis est, confugiamus. Ea quippe, quæ homini inutilia dixerunt, utilissima esse novimus ; atque, ut prætereamus utilissima declarari, quatenus iis aliquando utitur Deus, ut omnipotentiam suam, ac robustam manum ostendat ; qua de re consule quæ liber Exodi copiosissime docet (*Exod.* VIII, 17, etc., 24, etc.) : ut id, *inquam*, prætereamus, an non minutissima insecta homini utilissima sunt, quandoquidem eorum et multitudine, et genere, ac varietate Divinus artifex se se prodit? Si quis ad ea quæ clarissimi Redius (*De' Viventi ne' viventi*), ac Valisnerius, et deinceps multo copiosius Reaumurius *de insectis* docuit, animum attenderit, manifesto conspiciet, utilissima ea esse homini, tum aliis quidem de causis, tum præsertim quia divinam manum, potentiam, ac bonitatem in eorum creatione, ac diverso vitæ instituto facile agnoscet. An non etiam insectis vescuntur animantes eæ, quibus præsertim oblectatur ac vestitur homo?

35. Montes porro inaccessos, ac saxeos utilissimos homini is docebit, qui metalli, ac marmoris fodinas in iis delitescentes noverit ; is quoque qui receptacula nivium, atque aquarum, ex quibus fontes derivantur æstivo præsertim tempore, in iisdem inaccessis, atque asperrimis montibus inesse scieverit. Consule, ne cunctos excitem, hoc super argumento clarissimum Valisnerium (*Origine delle Fontane*).

36. Nonnullæ sunt, fateor, herbæ, quibus non vescitur homo. Nullæ sunt tamen, quibus avis aliqua non vescatur. Cornix sane cicuta vescitur, venefica nobis herba. Quis autem nescit, aves hominum usui inservire? Cæterum iis, quibus non vescitur homo, et raræ vescuntur aves, idem homo utitur. Quod si alios ob fines inutiles putas, propterea tamen utiles erunt, quod seriem illam nobis manifestius sub oculos ponant, quam aliquando memorant Aristoteles (*a*), et Tullius, et inculcavit deinceps Valisnerius (*Peculiari opusculo ea de re edito*) ; et facile id quis-

(*a*) Lib. VIII de Histor. animal. cap. 1 : *Sed adeo de inanimatis paulatim, sensimque ad animata natura transit ut continuatione ipsa lateat eorum confinium, et medium utriusque sit extremum.*

que deleget, si naturæ opera diligentius, accuratiusque observabit.

DISSERTATIO SECUNDA.

Ad illa capitis v (*col.* 736, *n.* 87) : DEI FILIUS DEUS ARTIFEX PATRE JUBENTE MODERATUS EST. *Item ad illa ejusdem capitis* (*col.* 737, *n.* 91) : DEUS PATER JUSSERAT : FILIUS VIRTUS IPSA SINE RECRASTINATIONE IMPERIUM CAPESSEBAT : NAM CUM JUSSIONE ET OPUS ASTABAT. *Demum ad ista* (*col.* 737, *n.* 97) : ET CUM OMNIA JUSSIONE PATRIS SERMONE OBSEQUENTE FORMATA SINT.

1. Ante Hilarium multi, alibi Hilarius ipse, post Hilarium itidem multi aut ipsissima, aut certe affini aliqua locutione usi sunt, sic ut displicere Lectori utique non possit Epistolæ nostræ auctor, quod ea usus sit. Sed ne temere hæc dixisse videar, eorum loca hic subjicio, qui, uti dixi, aut ipsissima, aut certe affini aliqua locutione usi sunt. Porro ad tria capita eas locutiones revoco. Primum scilicet eos complectetur veteres Patres, qui expressissime aiunt, *jussisse Patrem*. Secundum, *obedisse Filium*. Tertium, *ministerium* aliquod, qualecumque sit illud, Patri præbuisse Filium : atque hæc quidem omnia, antequam carnem assumeret. His recensitis subjiciemus postea, quid de harum, et affinium locutionum significatione dicendum sit.

2. Ad primum caput hæc pertinent. Irenæus (*lib.* IV, *cap. olim* 75, *nunc* 58, *n.* 3) hæc litteris consignata reliquit : « Factus, et plasmatus homo secundum imaginem, et similitudinem constituitur infecti Dei : Patre quidem bene sentiente, et jubente : Filio vero ministrante, et formante, Spiritu vero nutriente, et augente. »

3. Hippolytus quoque valde vetustus scriptor (*In libro contra Noet.*), *Dei jubentis, et Dei facientis* expressissimam mentionem facit.

4. Tertullianus similiter (*adversus Praxeam cap.* 12) : *Etsi* (inquiens) *ubique teneo unam substantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex necessitate sensus, eum qui jubet, et eum qui facit.*

5. Id ipsum traditur ab Origene; quippe is non modo *Deum jubentem*, et *Deum facientem* memorat (*tom.* II *in Joan. pag.* 61 *edit. Huetii*), verum etiam hæc ipsa docet (*a*) : « Asserimus enim, Patrem in creatione a Moyse descripta jubendo illi dixisse, *fiat lux*, et *fiat firmamentum*, et quæcumque Deus alia fieri imperavit : eidem illi dixisse : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram* : Verbum autem, ut jussum illi fuerat, fecisse omnia, quæ illum Pater facere jussit. Atque hæc diximus non quasi conjectura dicti, sed ipsismet prophetarum testimoniis etiam apud Judæos receptis nitimur, in quibus de Deo, rebusque ab illo conditis hæc dicitur conceptis verbis : *Ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt.* Si enim Deus jussit, et res creatæ sunt : quem juxta mentem prophetici spiritus putabimus tale Patris imperium exsequi potuisse, præter eum, qui Verbum est, ut ita loquar, animatum, et Veritas? »

6. Quid? quod sex illi Episcopi, qui ad Paulum Samosatenum, antequam in ordinem redigerctur, scripserunt, inter cætera, quæ ad eum refellendum afferunt, hoc expressissime aiunt (*b*), « Filium in procreando mundo paternam implevisse voluntatem, eique, ut id faceret, præcepisse Patrem. »

7. Hilarius quoque eam, quam antea dixi, distinctionem *Dei jubentis*, et *Dei facientis* (seu *exsequentis*) palam approbat, dum hæc ait (*lib.* IV de Trinitate, *n.* 16) : « Sed videamus, in quem profectum hæc distinctio jubentis Dei, et facientis angeatur. »

8. Novatianus (si is est auctor libri *de Trinitate*, qui Tertulliani libris adjungitur); Novatianus, inquam, in eamdem sententiam hæc ait (*cap.* 25) : « Moyses autem introducit præcipientem Deum, ut lux fiat in primis, cœlum firmetur, aquæ congregentur, arida ostendantur, fructus secundum semina provocentur, animalia producantur, luminaria in cœlo atque astra ponantur, non alium ostendit tunc adfuisse Deo, cui præciperentur hæc opera, ut fierent, nisi eum, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil. Ac si hic Verbum Dei est, nam *eructavit cor meum verbum bonum*, ostendit in principio Verbum fuisse, et Verbum hoc apud Patrem fuisse, Deum præterea Verbum fuisse : omnia per ipsum facta esse : sed enim hoc *Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis*, Christus scilicet filius Dei, quem dum et postmodum secundum carnem hominem accipimus, et ante Mundi institutionem Dei Verbum, et Deum videmus, etc. »

9. Cyrillus Hierosolymitanus Hilarii æqualis, fortasse etiam eo antiquior, « Patrem mandantem Filio creationem, illique subministrantem rerum efficiendarum exemplar; filium vero exsequentem, creantemque res ad exemplar, quod a Patre habuerat, » describere minime dubitat (*Cathech.* XI, n. 22 *et* 23).

10. Basilius Magnus, Hilarii fere æqualis, *mandantem* (seu imperantem) *Dominum*, et δημιοῦργον τὸ λόγον, seu *verbum efficiens* agnoscere non veretur (*lib.* I *de Spiritu sancto*, *cap.* 16).

11. Marius Victorinus, seu, ut alii appellant, Fabius marius Victor, eadem ætate vixisse creditur. Hujus porro Scriptoris in rem nostram hæc monita (*c*) allegata vidi :

> Qui mandante Deo cum plenus mente parentis
> Filius omnipotens faceret.

12. Augustinus eidem locutioni favere visus est, cum hæc ait (*Serm.* 140, *n.* 6) : « Non a tempore

(*a*) Contra Celsum lib. II, n. 9, pag. 393 tomi I edit. p. Caroli de la Rue.

(*b*) Tom. I edit. Venet. Concilior. Labbei pag. 867.

(*c*) De Rerum creatione. Perquisivi diu locum istum, nec tamen inveni. At Petavius, lib. II *de Trin.* 77, aliique eum allegant. Quis porro hos temere id fecisse putabit?

datum : sed mandatum natum. Quomodo enim non est mandatum Patris, quod est Verbum Patris? » Rursus cum hæc protulit (*a*) : « Formant sibi in phantasmate cordis sui quasi duos aliquos quasi juxta invicem, in suis tamen locis constitutos, unum jubentem, et alterum obtemperantem : nec intelligunt ipsam *jussionem* Patris, ut fierent omnia, non esse nisi Verbum Patris, per quod facta sunt omnia. »

13. His adjungendi sunt Patres illi, qui verba psalmi CXLVIII (*v.* 5) : *Ipse mandavit, et creata sunt*, ita exponunt, ut Patrem describant rerum creationem Filio præcipientem ; in quorum numero Irenæus eminet, cujus hæc notissima quidem, sed quæ tamen referre hic placet, verba sunt (*lib.* III, *c.* 8) : *Cui ergo præcepit? Verbo scilicet, per quod cœli firmati sunt.*

14. Irenæum sequuntur Patres concilii Antiocheni (*Tom.* I *Concil. Labbei pag.* 867) contra Paulum Samosatenum celebrati, Athanasius (*In libro de Decretis*), Cyrillus Alexandrinus (*lib.* XXIX *Thesauri, pag.* 255), et Prosper (*In comment. in locum hunc psalmi* CXLVIII : ipse mandavit, et creata sunt). Atque hujus quidem postremi Patris, ut pote qui diu post Nicænum, atque adeo post Constantinopolitanum concilium vixit, verba ipsa referre hic libet : « Quod enim Deus dicit, Verbo dicit. Et Verbum, per quod facta sunt omnia, mandatum dicentis exsequitur (*Ibidem*). »

15. Ad secundum porro caput (id est ad ea Patrum loca, in quibus dicitur obedisse Filius, antequam etiam humanam carnem assumeret) pertinent non pauca eorum, quæ modo retulimus, atque expressissime postremum istud Prosperi : *Mandatum dicentis exsequitur ;* ea quoque quæ ex concilio Antiocheno adversus Paulum Samosatenum excitata sunt. Adde subsequentia. Hilarius monet (*Lib* IV *de Trinit. n.* 16), Filium in creando Mundo obedientem dictis Dei (*Patris*) exstitisse. Atque in eumdem sensum Gregorius Nazianzenus (*Carm. arcano* VIII, *pag.* 171, 6) hæc ait : « Fuit aliquando, cum Mundum constituit, magnum mentis Verbum obsequens magni Patris menti. » Paulinus Nolanus etiam (*Poemat.* 32, *v.* 83) :

> Paruit ille (*Unigenitus Filius Dei*) libens, Deus omnia [cum Patre concors,
> Communem curans rem pietate pari.

16. Tertium caput ista complectitur. Ministerium divini Verbi a Patre acceptum, ideoque quod merito referatur ad eumdem Patrem, veluti verum auctorem ejusdem ministerii, expressissime docent *Constitutiones*, quas *Apostolicas* appellant (*Vide Cotelerii præfationem* in has constitutiones) ; quippe ea similitudine interdum utuntur, quæ defensoribus consubstantialitatis Verbi valde aspera visa est. Scilicet docent, « Diaconum referre debere omnia ad Episcopum, sicut Christus refert omnia ad Patrem. » Et ne quis ea dicta de potestate, quam Christus in humana natura assumpta habet, accipiat, potestatem *creandi* et *providendi* commemorant, quam procul dubio habet ex natura divina, et in natura divina, minime vero ex humana. En quæ ibi traduntur : « Quæcumque tamen potest (Diaconus), moderetur per sese, accepta ab Episcopo potestate, sicut Christus potestatem creandi, et providendi accepit a Patre. » Vide, obsecro, integrum caput 26 libri II earumdem *Constitutionum* : in quo quidem loco hæc inter cætera leguntur : « Diaconissam repræsentare Spiritum Sanctum, quæ nihil sine Diacono facere debeat, aut loqui, quem ad modum neque Paraclitus a se ipso aliquid loquitur, aut facit, sed Christum glorificans, voluntatem illius exspectat.

17. Irenæus (*Lib.* IV, c. 17; *in nova editione, cap.* 7, *n.* 4) negat, Deum Patrem in Mundo condendo indiguisse Angelorum opera ; quippe illi egregius minister Verbum præsto est : « ministrat enim, inquit, ad omnia sua progenies, et figuratio sua, id est filius, et Spiritus Sanctus, Verbum, et sapientia, quibus serviunt, et subjecti sunt Angeli. » Eum etiam hic recole locum, quem num. 2 allegavi : «Filio vero ministrante,» etc.

18. Doctores hos sequitur is, cui debemus librum *de Incarnatione*, qui inter Augustini opera exstat : quippe ait (*Lib.* I, *cap.* 2), « Filium in omni conditione Patri ministrasse, quia per ipsum omnia facta sunt. » Si in omni conditione Patri ministravit, Patri etiam ministravit diu antequam incarnaretur.

19. Fateor porro, nonnulla ex iis, quæ allegavimus, eludi fortasse posse, vel si moneas appositas eis, quos excitavimus, Patribus, asperiores has locutiones : etenim voces has, *jubente Patre*, a probatissimis Irenæi codicibus, quibus Erasmus, aliique vetustiores Irenæi editores usi sunt, abesse docet Renatus Massuet, cui debemus postremam Irenæi editionem (et jubente *desunt in Erasm. et Gall.* (*p.* 285 *tom.* I *edit. Venetæ*). Desunt quoque in editione Amstelodamensi anni 1724 *Constitutionum Apostolicarum*, quæ de potestate *creandi*, et *conservandi* ex nonnullis vetustioribus editionibus objecta sunt. Vel etiam si moneas, summo in pretio non habendos eos omnes, quos adduximus, Doctores, adeo ut ab eorum auctoritate commoti ab usitatissimis, ac probatissimis loquendi formulis recedamus. Cur enim id adhibere nobis non licet quod Gennadio proferre licuit (*De Eccles. Dogmat. cap.* 4)? « Nihil creatum, aut serviens in Trinitate credamus, ut vult Dionysius fons Arii. » De quo quidem Dionysio, tametsi vetustissimo, et cæteroqui laudabili viro, hæc etiam litteris consignavit Basilius (*Epist.* XLI, *in editione Patr. S. Mauri* IX, *n.* 2) : « Non omnia illius hominis admiramur : nonnulla vero prorsus rejicimus. Propemodum enim istius, quæ nunc divulgatur, impietatis Anomœorum, quantum scimus, primus iste humano generi semina præbuit. » Quamquam illum statim excusare aliquantisper studeat, hæc subjiciens : « Causam vero hujus

(*a*) In lib. contra Sermon. Arianor. cap. 3, alias n. 4.

rei non puto improbitatem animi fuisse, sed quod Sabellio vehementius obluctari cuperet. » Sed certe omnia eludi non possunt. Quis enim dicere audeat, corrupta esse omnia, quæ antea protulimus, Patrum loca, cum pauca ea non sint, et pleraque horum certo incorrupta sint? Alio igitur confugiamus oportet.

20. Inveni autem apud probabiles Scriptores duo solutionum capita, quorum primum eo vertitur, ut moneat asperioribus hisce locutionibus mitiorem sensum inesse. *Rigorose* excipit easdem locutiones solutio altera, sed eas de *Verbo*, quatenus *Verbum* est, et *increatum*, minime accipit. Utramque solutionem, obsecro, expendamus.

21. Aiunt itaque qui primam proponunt solutionem, hanc inesse tum profanis, tum sacris Scriptoribus consuetudinem, ut asperioribus quibusdam vocabulis mitiorem sensum, ac significationem tribuant, *minus intelligi volentes* (ut et vulgatum fert adagium) *quam in speciem appareat*. Omitto exteros profanosque Scriptores, in quibus frequentia admodum sunt hæc exempla, ut in sacris auctoribus consistam. Hæc sane Paulus Colossensibus scribit (*Coloss.* IV, 10) : *Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus, de quo accepistis mandata*. Porro eo vocabulo *præcepta rigorose accepta* minime denotari interpretes plerique tradunt. Hæc etiam in libro Josue Habemus (*Josue*, X, 14) *Obediente Domino voci hominis*. Sed quis hæc rigorose accipiat? An Deus voci hominis se submittit, illique paret? Alibi Deus ipse hæc de se ait (*Isai.*, *cap.* XLIII, 24) : *Servire me fecistis in peccatis vestris. Præbuistis mihi laborem*. An Deus, dum peccamus, nobis inservit, illique laborem imponimus?

22. Morem hunc profecto sequitur Hilarius hæc elocutus (*lib.* II *de Trinit.*, *n.* 24) : « Humani enim generis causa Dei filius natus ex Virgine est, et Spiritu Sancto ipso sibi in hac operatione famulante, et sua (Dei *videlicet*) inumbrante virtute, corporis sibi initia consevit. » An Divinum Verbum (etenim Spiritus Sancti nomine hic *Divinum Verbum* (*Vide annotationem appositam huic loco, littera g*) intelligit) sibimetipsi famulatur?

23. Similes aliæ locutiones haud infrequentes in Sanctis Patribus sunt. Sed superiores retulisse sit satis.

24. His constitutis, monent Theologi, eas, de quibus disserimus, locutiones, commodam aliquam explicationem excipere procul dubio debere : tametsi eamdem explicationem non omnes excipiant, et difficile valde sit certam aliquam indicare.

25. In eo plerique conveniunt, ut his, et similibus phrasibus non aliud denotetur, nisi Patrem principium esse *operationum*, non modo *ad intra*, qua de re nemo disputat, nisi Arianus is sit; verum etiam *operationum ad extra*, quatenus ab eo ut *fonte* (hac enim similitudine Patres ipsi utuntur) cuncta procedunt.

26. Augustinus, quem numero 12 allegavi, id indicare videtur : sed certe eam explicationem innuit Basilius verba illa Christi explicans : *Mandatum accepi a Patre, quid dicam*, etc. Etenim hæc docet ille (*a*) : « Attamen ne forte ex magnitudine eorum quæ fiunt, rapiamur in imaginationem, ut putemus Dominum principio carere, quid ait is, qui per se vita est? *Ego vivo propter Patrem*. Et Dei virtus : *Non potest Filius a se facere quicquam*. Rursus is qui ex perfecta est sapientia : *Mandatum accepi, quid dicam, et quid loquar* : per hæc omnia ducens nos ad Patris cognitionem, et admirationem eorum quæ gerebat, ad illum referens, ut per ipsum cognoscamus Patrem. Non enim ex operum differentia Pater conspicitur, quasi peculiarem, atque separatam actionem exhibeat (quæcumque enim videt Patrem facientem, hæc et Filius similiter facit); verum ex gloria, quæ ei ab Unigenito defertur, operum miraculum carpit, dum præter operum magnitudinem, de ipso etiam auctore operum gloriatur, et exaltatur ab iis, qui agnoscunt eum Patrem Domini nostri Jesu Christi : *Per quem omnia, et propter quem omnia*. Ideo dicit Dominus : *Omnia mea tua sunt*, ut ad ipsum originem rerum conditarum referens : *Et tua mea*, ut inde principia creandi accipiens, non quod auxiliis utatur ad operandum, neque quod ex particularibus mandatis uniuscujusque operis ministerium concredatur; nam istud quidem servile, et a divina dignitate immenso semotum intervallo : sed quod Verbum paternis bonis plenum resplendens a Patre, omnia facit ad similitudinem ejus, qui ipsum genuit : Nam si juxta essentiam nihil differt a Patre, nec potentia, etiam a Patre differt. Porro quorum æqualis est potentia, horum omnino æqualis est et operatio. Christus siquidem Dei virtus est, et Dei sapientia : et sic omnia per ipsum facta sunt, omniaque per ipsum, et in ipsum condita sunt, non quod instrumentali quodam ac servili ministerio fungatur : sed quod tanquam conditor paternam impleat voluntatem. »

27. Posumus etiam, si volumus, verbo *jubeo* tribuere explicationem affinem illi quam verbo *doceo* tribuit, teste Petavio, Gregorius Nazianzenus : scilicet ut communicationem idearum denotet. Porro S. Doctoris verba, quæ etiam ad explicandum tertium genus locutionum mirifice juvant, hic adducere operæ pretium reor. « Quoniam, inquit ille (*Oratione* 36), rerum earumdem formas veluti in ipso imprimit Pater : exsequitur autem Verbum non imperite, sed scienter, et, ut aptius loquar, paterne. » Quibus Nazianzeni verbis recitatis hæc Petavius subjicit (*lib.* II de Trinitate, *cap.* 4, *num.* 6) : « Quibus in verbis vox ἐνσημαίνει non est simpliciter *designare*, ut vertit interpres, sed in alio velut imprimere : unde constet, Patrem indicare Filio, vel eum docere, quid faciendum sit, et quasi monstrando præire, nihil aliud esse, nisi eidem una cum natura et essentia rerum faciendarum intelligentiam, et earum formas, atque ideas communicare gignendo. »

Perstitimus hactenus in prima solutione in eo po-

(*a*) Ex interpretatione editionis Patr. S. Mauri, lib. *de Spiritu Sancto*, ad Amphilochium, cap. 8, n. 19.

sita, quod asperioribus hisce locutionibus mitior sensus inhæreat.

28. Aggredi debemus nunc solutionem alteram, quæ easdem locutiones, aut certe magnam earum partem (etenim Paulini locus postrema hac explicatione se explanari non sinit) *rigorose* quidem accipit, sed negat eas de *Verbo* quatenus *Verbum* est, et increatum, accipi posse. Scilicet Verbum, inquiunt, in rerum mundanarum creatione corpoream quamdam speciem, eamque humanæ simillimam, seu potius humanam ipsam, sed forma, et pulchritudine egregia assumpsit : atque in ea cuncta condidit, ideoque hominem, cui in eadem, quam diximus, forma se visendum præbuit, eumque allocutus est. Neque vero Adamo solum se in ea visendum obtulit, verum etiam cæteris Patriarchis, sæpe etiam Prophetis ipsis, adeo ut iis crebro apparuerit eadem forma indutus, quam in creatione assumpserat, aut certe simillima aliqua, eaque constanter humana. Petavius plurimos eam in rem affert Patres, quos, si vis, consule in eo loco, quem ad paginæ calcem cito, expresse allegatos (*a*). Ego paucissimos seligam, Lectorem ad eumdem Petavium amandans.

29. Tertullianus adversus Praxeam disputans (*cap.* 7) de Sermone ac Verbo divino rerum creationem exsequente (*b*) hæc ait : « Tunc igitur etiam ipse Sermo speciem, et ornatum suum sumit, sonum, et vocem, cum dicit Deus : *Fiat lux*... At ego nihil dico de Deo inane, et vacuum prodire potuisse, ut non de inani, et vacuo prolatum ; nec carere substantia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit ; fecit enim et ipse quæ facta sunt per illum. Quale est, ut nihil sit ipse, sine quo nihil factum est ? Ut inanis solida, et vacuus plena, et incorporalis corporalia sit operatus ? Nam etsi potest aliquando quid fieri diversum ejus, per quod fit, nihil tamen potest fieri, per id quod vacuum, et inane est. Vacua et inanis res est Sermo Dei, qui Filius dictus est, qui ipse Deus cognominatus est : *Et Sermo erat apud Deum, et Deus erat Sermo ?* Scriptum est : *Non sumes nomen Dei in vanum.* Hic certe est, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit esse se æqualem Deo. In qua effigie Dei ? Utique in alia, non tamen in nulla... Quæcumque ergo substantia Sermonis fuit, illam dico personam, et illi nomen Filii vindico, et dum Filium agnosco, secundum a Patre defendo. »

Judice itaque Tertulliano, Verbum divinum cum res creavit, *speciem* et *ornatum* sumpsit, id est exteriorem quamdam, et visibilem, eamque elegantissimam speciem, et formam. Quam quidem speciem, et formam humanam fuisse indicat ille et hic (*in qua effigie* : *utique in alia* (id est alterius generis, neque enim *carnem natam assumpserat*), *non tamen in nulla*) : et sæpe alibi. Sed apertissime id docet adversus Marcionem disputans : etenim hæc eloquitur (*lib.* II, *cap.* 27) : « Nam et profitemur Christum semper egisse in Dei Patris nomine, ipsum ab initio conversatum, ipsum congressum cum Patriarchis, et prophetis, filium creatoris, sermonem ejus, quem ex semetipso proferendo filium fecit... in hæc quoque dispositus est a patre, quæ ut humana reprehenditis, *Edicens jam inde a primordio jam inde hominem, quod erat futurus in fine.* Ille est qui descendit, ille qui interrogat, ille qui postulat, ille qui jurat, etc. » Si ab initio conversatus est, si a primordio jam inde homo, quod erat futurus in fine ; in creatione utique ipsa Mundi (si Tertullianum audis) homo erat. At homo propterea dici non potest, quod a primordio humanam carnem assumpserit : etenim eam sumpsit in fine temporum, Maria Sanctissima illi carnem ministrante ; ergo propterea homo dici potest, quod a primordio in humana forma seu specie apparuit, in qua etiam deinceps, si Tertullianum audis, apparuit : Abrahamo scilicet, Jacobo, et patriarchis reliquis, Moysi quoque, et cæteris prophetis.

30. In eumdem sensum Prudentius generatim hæc docet (*c*) :

Sed tamen et Patris specimen, quo cernere fas sit
Humanis aliquando oculis concurrere promptum,
Quod quamvis hebes intuitus speculamine glauco,
Humentique acie potuit nebulosus adire,
Quisque hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit natum, nam Filius hoc est,
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum,
Per species, quas posset homo comprehendere visu :
Nam mera majestas est infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo ni se moderamine formet.

Deinceps vero (*d*) :

Quin potius scrutare Dei signacula in ipso
Fonte vetustatis, percurras scrinia primi
Scriptoris, quem non bardus Pater, aut Avus Augur,
Fabula nec veteris famæ, nec garrula nutrix,
Nec sago clangore loquax, et stridula cornix
Rem docuere Dei, sed coram proditus ipse,
Ipse Deus trepidum mortalem mitis amico
Imbuit alloquio, seque, ac sua summa retexit.
Nimirum meminit Scriptor doctissimus illo
Orbis principio non solum, nec sine Christo
Informasse Patrem facturæ plasma novellæ.
Fecit, ait, condens hominem Deus, et dedit olli
Ora Dei, quidnam est aliud, quam dicere, solus
Non erat ? atque Deo Deus adsistebat agenti ;
Quum Dominus faceret Domini sub imagine plasma.
Christus forma Patris, nos Christi forma et imago :
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in nostram faciem post sæcula Christo.

31. An vero ad hæc respicit Ecclesia, cum hymnum hunc canendum præcipit (*e*) ?

Rex sempiterne Cœlitum,
Rerum creator omnium,
Æqualis ante sæcula
Semper Parenti Filius.
Nascente qui Mundo Faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo jugasti spiritum.

(*a*) Lib. VIII *de Trinitate*, cap. 2, n. 5, et seq. toto capite.

(*b*) Quod de Verbo divino res mundanas creante sermonem habeat Tertullianus, hæc paulo præcedentia ejusdem Tertulliani verba declarant : *Ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophiæ ratione et sermone disposuerat, intra se in substantias, et species suas edere* (cap. 6 ejusdem libri).

(*c*) In Apotheos. *Contra hæresim, quæ Patrem passum affirmat*, poemat. I, v. 18, etc.

(*d*) Contra *Unionitas*, id est *Sabellianos hæreticos*, poemat. II, v. 117.

(*e*) Ad Matut. Domini : tempore Pasch.

Seu, ut olim expressius legebatur :

Rex sempiterne Domine,
Rerum creator omnium,
Qui eras ante sæcula
Semper cum Patre Filius.
Qui Mundi in primordio
Adam plasmasti hominem,
Cui tuæ imagini
Vultum dedisti similem.

32. Sed cum de his agimus, cur Leonem Magnum prætermittimus, qui generatim docet, Christum antiquissimis Patribus, ideoque Adamo Patriarcharum antiquissimo, in specie humana apparuisse, et hujus ipsius rei rationem affert elegantem? « Potuerat, inquit ille (*Epist.* XIII, *in edit. Quesnellii* XXVII, *cap.* 2), omnipotentia Dei sic ad docendos, justificandosque homines apparere, quomodo et Patriarchis, et Prophetis in specie carnis apparuit, quum aut luctamen iniit, aut sermonem conseruit, cumve officia hospitalitatis non abnuit, vel etiam appositum cibum sumpsit. Sed illæ imagines hujus hominis erant indices, cujus veritatem ex præcedentium Patrum stirpe sumendam, significationes mysticæ nuntiabant. Et ideo Sacramentum reconciliationis nostræ ante tempora æterna dispositum nullæ implebant figuræ; quia nondum supervenerat Spiritus Sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei, ut intra intemerata viscera ædificante sibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, et forma Dei, ac forma servi in unam conveniente personam, creator temporum nasceretur in tempore, et per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. »

33. Leoni adjungamus Cassianum hæc tradentem (*lib.* IV, De incarn. *cap.* 9) : « Hic ergo unus est ad Patriarchas loquens, in Prophetis manens, ex Spiritu conceptus, natus ex Virgine Maria, in Mundo visus, inter homines conversatus, affigens ligno Crucis chirographum peccatorum, triumphans in semetipso, adversarias nobis inimicasque virtutes morte occidens, resurgendi fidem omnibus tribuens, gloria sui corporis corruptionem humanæ carnis interimens. »

34. Horum Patrum, atque in primis Prudentii vestigia premere videtur Steuchus noster Eugubinus, quem summi nominis virum norunt omnes, cum hæc ait (*in Cosmop. edit. Ven. Nicoli pag.* 159) : « Accessit ergo Filius, ac Verbum Dei ad creationem humanam in forma, imagine, habituque humano, gerens speciosissimam divinissimamque formam, et jucundissimam, omnium humanarum formarum pulchritudinem superantem. Quam videntem, et intuentem generis nostri principem censendum est amore insanisse, creatoremque omnibus fœminis speciosiorem pene deperisse. Hanc speciem, divinamque pulchritudinem, clementissimus, formosissimusque assumens, quam erat post multa tempora usque ad carnem et ossa assumpturus, creabat hominem largiens ei speciem hanc tantam ipse primus archetypus, speciosissimus ipse, speciosissimæ prolis creator. Quam, qualemve credas fuisse primi hominis illius venustatem? quantum in ore decus, quas gratias insedisse? »

35. Quid de horum opinione sentiendum sit, meum non est nunc definire. Illud certe constat, alterutra harum solutionum dissolvi quæcumque ex asperioribus illis locutionibus, quas in titulo ipso præposui, desumuntur.

36. Dum tamen hæc moneo, nolo quemquam nostris temporibus iis uti. Etenim si quis iis uteretur, is suspicionem præberet, ne *servum* putaret eum, qui *jubetur*, ut monitis utar vetusti illius Scriptoris, qui a multis *Gregorius Thaumaturgus* dicitur (*a*). Hinc Nyssenus (*in lib.* X) Eunomium reprehendit, quod dixerit, « Filium jussione Patris fecisse quæ facta sunt; dum ea pro potestate creavit. »

37. Augustinus quoque dici vetat (*in lib.* II de Gen. ad lit. *cap.* 6) « juberi Filium a Patre, cum ipse sit principale Verbum Patris, per quod facta sunt omnia. Deinde quia non convenit, ut Filius quasi jussus fecisse intelligatur. » Alibi etiam hæc protulit (*in lib. contra Sermon. Arian. cap.* 38) : « Jussum vero obaudisse Filium, antequam acciperet carnem, unde isti existiment, nescio. »

38. Similiter Idatius (*lib.* III *contra* Varimundum) Nyssenum, cujus nuper meminimus, plane secutus, negat Filium *jubente Patre* fecisse quæ facta sunt, cum *pro potestate creaverit*.

DISSERTATIO III.

Ad verba illa cap. V (*num.* 100, etc.) : CONCESSIT ETIAM, UT HOMO DEI IMAGINEM PORTARET IN TERRIS, DATURUS POSTEA SIMILITUDINEM, SI IMAGO SERVARETUR ILLÆSA. AD IMAGINEM NON PUTES ESSE FORMAM HANC HOMINIS EXTERIOREM FACTAM, etc.

1. Sæpissime hoc de argumento agunt veteres, neque ii tantum, qui divinas Scripturas norunt, sed ii quoque, quos falsorum numinum cultores novimus.

An non hæc expressissime Ovidius protulit (*lib.* I *Metam.*) ?

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset.
Natus homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum Mundi melioris origo,
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat semina cœli,
Quam satus Japeto mixtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

2. Et in hac quidem significatione videtur locutus Cicero, cum Paulum induxit *Dei* vocabulo hominem honestantem. « Deum igitur, inquit Paulus (in *Somn. Scip.*), te esse scito : si quidem est Deus, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, et moderatur, et movet id corpus, cui præpositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus. »

3. Nos ut ordine progrediamur, ad suprema quædam capita quæstionis summam revocabimus. Primo scilicet inquiremus, an ea imago ac similitudo, quam

(*a*) *In exposit. fidei* : quam tamen a Thaumaturgo abjudicant Petavius lib. II de Trinit. cap. 7, n. 8, Tillemontius, tom. IV *Histor. Eccl.* in Gregor. Thaumat. art. 2, et alii etiam.

sui nobis indidit Deus, sint duo quædam a se diversa, an unum tantum. Quæremus secundo, in quo posita sit hæc imago et similitudo. Quibus constitutis, sequetur veluti corollarium solutio tertiæ quæstionis, in *qua hominis* parte posita sit imago hæc, et similitudo; an scilicet in corpore, an in anima. Sequetur quoque solutio quartæ quæstionis, an soli homini, seu, ut expressius dicam, an soli viro, an fœminæ etiam imaginem, de qua disserimus, et similitudinem indiderit Deus. Sequetur denique solutio quintæ, an Angelus etiam ad similitudinem, et imaginem Dei factus sit.

QUÆSTIO PRIMA.

An ea imago, et similitudo, quam nobis indidit Deus, sint duo quædam a se diversa, an unum tantum.

4. Ii, quibus placet unicam tantum modo rem hic indicari, non duas, ad hunc modum disputant. Recitemus, obsecro, statim verba ea, super quibus constituitur quæstio. Genes. I Deus Adamum creaturus hæc ait (*v.* 26, 27) : *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram : et præsit piscibus maris... Et creavit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum : masculum, et fœminam fecit eos.* Porro, cum hæc narratio recolitur, aut similitudinis tantum, aut imaginis mentio fit, nec deinceps ea junguntur, seu repetuntur. Cur porro? nisi quia necesse non erat expressam utriusque mentionem fieri, cum unica tantummodo res sit. An de antecedente, seu assumpto dubitas? Illud statim ostendimus. *Similitudinis* tantummodo mentio fit versiculo I capitis V; in quo quidem loco recoluntur ea, quæ versiculis 27 et 28 cap. I dicta erant. Scilicet hæc in eo, quem diximus, capitis V versiculo legimus : *Hic est liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum: masculum, et fœminam creavit eos, et benedixit illis.* Contra Genes. cap. IX, 6, Ecclesiastici cap. XVII, et alibi etiam imago tantummodo memoratur. Sic porro habet is, quem primum allegavi, Scripturæ locus, videlicet versiculus sextus capitis IX Genesis : *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius : ad imaginem quippe Dei factus est homo.* En autem ea, quæ dixi, Ecclesiastici verba (*cap.* XVII, 1, 2) : *Deus creavit de terra hominem, et secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipsam, et secundum se vestivit illum virtute.* Similiter epist. I ad Corinthios (*cap.* XI, 7) : *Vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, et gloria Dei est.* Rursus in Epist. ad Coloss. cap. III (*v.* 10) : *et induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum.*

5. Quid? quod expressissime in Scripturis tametsi imago, et similitudo jungantur, non aliud tamen iis vocabulis denotatur, nisi præstans quædam similitudo. Audi, num vera eloquar. *Vixit autem Adam* (en quæ habemus in Genesi) *centum triginta annis, et genuit ad imaginem et similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth* (*Gen.* V, 3).

6. Quod si Patres adjungi vis, libenter adjungimus. Præeat Augustinus hæc tradens (*Quæst.* IV *in Deuter.*) : « Quid intersit inter similitudinem, et imaginem, quæri solet. Sed hic non video, quid interesse voluerit, nisi aut duobus istis vocabulis unam rem significaverit, etc. »

Alibi etiam eam imaginem Dei pro eo usurpat, quod vulgo similitudini imputant, ut deinceps dicam; hæc quippe ait (*in tract. in ps.* LVII, *n.* 1) : « Omnes facti ad imaginem Dei, nisi terrenis cupiditatibus conterant, quod ille formavit..... (*num.* 3). Et quare imaginem Cæsaris creatori vestro ostendebatis, et ejus imaginem in vestris cordibus delebatis? »

7. Severianus quoque Gabalitanus in eumdem sensum : « Quid est, inquit, (*a*) secundum imaginem? Deus est sanctus. Si nos sancti sumus, ad imaginem sumus Dei. Sancti enim, inquit, estote, quia ego sanctus sum. Deus est justus. Si justitiam persequimur, imago Dei sumus. »

8. Similiter Ambrosius imaginem, et similitudinem Dei nobis inditam in supernaturalibus, ac moralibus virtutibus collocat (*In Ps.* CXVIII *octon.* 22), sed ita ut similitudo ab imagine minime differat.

9. Petrus item Chrysologus (*Serm.* 120) : « Ubi, inquit, delictorum morbis imago ipsa ablata conditoris..... Apostolus Paulus ad similitudinem revocat Christi, et totam (*formam*) reducit ad imaginem conditoris : » idque probat ex Apostolo dicente (*Rom.* XII, 2) : *Nolite configurari huic sæculo*, etc. Alios si optas ejusdem sententiæ Patres, eos tibi præbebit Petavius (*De Opif.* II, 2, 10, 13) a quo sane Cyrillus Alexandrinus in eamdem sententiam affertur (*b*). Joannes item Philoponus, et Origenes (*De opificio sex dierum lib.* II, *cap.* 2, n. 13). Quibus positis concludit, « probabilius esse Mosem ambo ista nomina pro uno eodemque sumpsisse, atque ἐκ παραλλήλου, ut posterior prioris sit explicatio. »

10. Præiverat horum monita Philo (*De Opific.*, *p.* 14, *edit. Lugdun. ann.* 1561) : quippe hæc ait : « Sed quoniam non quævis imago refert exemplar archetypum, suntque multæ dissimiles ; post hæc verba, *juxta imaginem*, additum est significantius, *et similitudinem*, ut intelligatur exactum sigillum formam habens evidentissimam. »

11. Contra sentiunt alii, monentque hoc inter eam, de qua agimus, imaginem, et similitudinem apparere discrimen : vel quod expressiorem atque exactiorem similitudinem exposcat imago, id innuente Augustino (*c*), et expressissime tradente Hieronymo Areno (*d*) :

(*a*) Orat. V de Mundi Opificio n. 4, pag. 284 tomi VI Oper. Chrysost. editionis Montfauconii.

(*b*) Ex lib. contra Anthropomorphitas, et ex Catena manuscripta.

(*c*) *Ubi imago, continuo et similitudo est. Non autem si fit similitudo, continuo fit et imago*, etc., quæst. IV in Deuteron.

(*d*) In iis Sermonibus, quos nondum editos exscribi jussi ex vetusto codice : hæc enim docet in sermone in Dominican. XX post Pentecostem. « Sacra

vel quod imago corpus spectet, similitudo animam, ut opinatur Irenæus (*Lib.* v, *cap.* 6) : vel quod naturalia dona Adamo collata imago indicet, similitudo vero supernaturalia. Hinc imaginem, si hos audimus, retinuit admisso peccato ; at similitudinem Adamus amisit. Ut in veteribus Patribus consistamus, Chrysostomum, Severianum Gabalitanum, Cyrillum Alexandrinum, Augustinum denique libro VI de Gen. ad litteram cap. 27 allegat Calmetus (*In locum hunc Geneseos*). Addere poterat tum alios multos, tum certe Origenem, et Scriptorem nostrum, quos deinceps adducemus; Paulinum quoque Nolanum, Nyssenum, Maximum Martyrem, aliosque non paucos, quos recenset, eorum loca allegans Petavius (*De Opif., lib.* II, *cap.* 2, *n.* 13). In primis id copiosissime exsequitur auctor libri *de Spiritu et Anima* (*a*), qui exstat inter opera Augustini. Nec prætercas volo Alchuvinum, qui luculenter ipse quoque ea de re agit (*b*).

QUÆSTIO SECUNDA.

In quo posita sit hæc, de qua agimus, imago, et similitudo.

12. Quam vetusta sit quæstio hæc, pariterque quam difficilis sit ad solvendum, ex iis, quæ tradit Epiphanius, facile assequimur. Scilicet tam in libro, in quo adversus hæreses disputat (*c*), quam in Ancorato ea de re agit, et doctorum sententias ea super controversia summatim exponit, illud concludens, « non esse ullo modo definiendum, aut affirmandum, quanam in parte imago illa consistat : sed tamen fatendum esse inesse in homine, ne divinum beneficium tollamus e medio, ac Dei auctoritati diffidamus (*Hæres.* 70 *n.* 2). » Hinc, eo judice, Audiani eam, de qua agimus, imaginem in corpore collocantes, « cum in hac parte majore, quam par sit, contentionis studio ducantur, ab Ecclesiastica traditione ac doctrina recedunt. Quæ cum omnes homines, Dei ad imaginem creatos esse fateatur, nullam tamen partem definit, in qua istius modi imaginis ratio collocanda videatur. » Rejicit deinde eos, « quibus placet, nec in anima, nec in corpore sitam imaginem, sed sola virtute contineri : » eos quoque, « qui non virtutem, sed baptismum, et quæ in ea confertur gratiam esse aiunt. » Et hæc demum statuit : « Ita porro quoque Scriptura narrat, *Deum fecisse hominem ad imaginem, et similitudinem suam.* Plus autem est imago, quam similitudo. Est enim imago expressa rei similitudo, et dicitur imago, quasi vera imitago. Similitudo est rerum aliqua repræsentatio, velut illud : *Videbam homines velut arbores ambulantes.* Filius itaque Dei imago est Patris, quia per omnia Patri similis, et in nullo Patri dissimilis. Sicut Paulus ait : *qui est Imago Dei invisibilis. Nam qualis Pater, talis Filius.* Omnipotens Pater, omnipotens Filius, et sic de reliquis, quæ prædicantur in substantia. Est ergo Filius vere imago, id est expressa Dei Patris similitudo. Unde dictum est : *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Sed hominem ad imaginem, quia solus Christus est imago, sed homo ad imaginem, id est ut tendat ad imaginem. » Porro Hieronymum Aretinum ne ignotum putes. Ea consule, quæ Ughellus, tomo I *Italiæ Sacræ* pag. 467, et ex eo Cave ad annum 1144 pag. 222 tomi II tradunt.

A credendum est, imaginem in homine reperiri, ut in toto maxime, nec simpliciter resideat. Cæterum ubinam illa maxime sit, et qua parte compleatur, quod dictum est, *ad imaginem*, Deus novit, qui singulari hoc imaginis suæ beneficio hominum genus afficere voluit. »

13. Epiphanii opinio paucis placuit, ideoque diligentius exquisierunt, in quo consultius videretur imaginem eam, et similitudinem collocare. In superiore quæstione diximus, nonnullos Patres eamdem imaginem in donis naturalibus nobis tributis constituisse, similitudinem vero in supernaturalibus. His adjungite non modo eum, quem illustramus, Scriptorem ; etenim manifesto id tradit in iis, quæ dissertationi huic præposui, verbis : « Concessit etiam, ut homo Dei imaginem portaret in terris, daturus post ea similitudinem, si imago servaretur illæsa, » etc. ; verum etiam Origenem, quem plane sequi videtur scriptor noster ; quippe hæc litterarum monumentis tradidit (*d*) : « Hoc namque indicat Moyses ante omnes, cum primam conditionem hominis enarrat dicens : *et dixit Deus : Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram.* Tunc deinde addit : *Et fecit Deus hominem, ad Dei imaginem fecit illum, masculum et fœminam fecit eos, et benedixit eos.* Hoc ergo quod dixit, *ad imaginem Dei fecit eum*, et de similitudine siluit, non aliud indicat, nisi quod imaginis quidem dignitatem in prima conditione percepit, similitudinis vero perfectio in consummatione servata est : scilicet ut ipse sibi eam propriæ industriæ studiis ex Dei imitatione conciscceret, cum possibilitate sibi perfectionis in initiis data per imaginis dignitatem, in fine demum per operum expletionem perfectam sibi ipse similitudinem consummaret. Sed apertius hæc, et evidentius ita se habere, Joannes Apostolus definit hoc modo pronuntians : *Filioli, nondum scimus, quid futuri simus : si vero revelatum nobis fuerit de Salvatore, sine dubio dicetis : similes ei erimus.* Per quod certissime indicat et finem omnium, quem adhuc sibi dicit ignotum, et similitudinem Dei sperandam, quæ promeritorum perfectione præstabitur. Ipse quoque Dominus in Evangelio hæc eadem non solum futura, verum etiam sui intercessione futura, designat, dum ipse hoc a Patre discipulis suis impetrare dignatur dicens : *Pater, volo, ut ubi ego*

(*a*) Cap. 35. Porro hunc librum in editione Patrum S. Mauri invenies pag. 35 et seq. appendicis tomi IV.

(*b*) In eo opusculo, quod ad hunc modum inscribitur : *dicta B. Albini Levitæ super illud Geneseos :* faciamus hominem, etc., pag. 54 Operum Alchuvini. Atque (ut obiter notem, licet id ante me adverterint PP. S. Mauri pag. 611 Appendicis tom. II Ambrosii) eadem plane exstant cap. tertio libri qui inscribitur *de dignitate conditionis humanæ*, qui liber olim tribuebatur Ambrosio.

(*c*) Hæresi LXX, quæ est Audianorum, n. 2 et 3, et in Ancor. n. 55.

(*d*) Lib. III *Peri archon*, seu *de Principiis*, n. 1, pag. 152 tomi I editionis P. Caroli de la Rue.

sum, et isti sint mecum, et sicut ego, et tu unum sumus, ita et isti in nobis unum sint. In quo jam videtur ipsa similitudo (si dici potest) proficere; et ex simili unum jam fieri, pro eo sine dubio quod in consummatione, vel fine omnia, et in omnibus Deus est. »

14. Volunt itaque hi duo Scriptores, similitudinem, de qua loquimur, esse beatitudinem per virtutum exsecutionem in cœlis obtinendam, qua quidem, si jus spectes, se privavit peccando Adam; quamquam divina pietate excitatus, illud ipsum jus deinceps recuperavit.

15. Alii porro (quod jam dixi (*Quæstione* I, *n.* 11)) hanc ipsam similitudinem, non in beatitudinis post mortem assecutione, verum in virtutibus, quas in hac ipsa possidemus, collocant: quod rigidior Scholasticus suorum vocabulorum libertate usus his verbis facile exprimeret: «Similitudinem Dei nobis inditam non consistere in beatitudine ultimata, et in patria: sed inchoata, et in via; seu, si vis, in semine cœlestis beatitudinis» (sic enim virtutes appellant), non in ipsa beatitudine, veluti in fructu. Sed hi ipsi non omnino conveniunt: aliqui enim (quod ante ex Epiphanio notavimus) in *virtute* (id est in morali, et naturali virtute (*a*)), alii in baptismo, et in gratia in eo collata, ideoque in supernaturali virtute, collocant (*b*). Quin etiam nonnulli similitudinem hanc angustioribus limitibus coarctare videntur, dum eam restringunt ad virtutum genus, quod *negativum* Scholastici appellant, id est ad illud, quod malorum fugam sibi statuit pro objecto; illud vero virtutum genus, quod bona prosequitur, *imagini* vindicant. Ad hunc certe modum interpretantur nonnulli verba illa Ambrosii (*De bono mortis cap.* 5, *n.* 17): « Fugiamus ergo hæc mala, et transformemus animam nostram ad illam imaginem Dei, et similitudinem. Fuga malorum similitudo Dei est, et virtutibus imago Dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit, quasi auctor pinxit virtutum coloribus. »

16. In virtutibus quoque supernaturalibus eamdem similitudinem statuit Chrysostomus, cujus locum in paginæ calce noto (*c*). Severianus quoque (*d*), et auctor libelli, qui *instructio Sacerdotis* inscribitur, sive Bernardus is sit, sive alius probatissimus sane auctor: etenim hæc litteris commendavit (*e*): « Creavit te, cum non esses; recreavit, cum perditus esses: creavit, ut esses particeps beatitudinis suæ; recreavit, ne post lapsum permaneres exsors patriæ, et exsors felicitatis æternæ: creavit te ad imaginem, et similitudinem suam; ad imaginem, conferens tibi naturalia; ad similitudinem, largiens gratuita, ut mente excelleres, et omnia irrationalia ratione vinceres:

> Pronaque cum spectent animantia cætera terram,
> Os homini sublime dedit, cœlumque videre
> Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus;

« Ut semper respiciens sursum, creatorem tuum in mente haberes, et originem tuam incessanter ad animum revocares. Fecit enim te, ut dictum est, ad imaginem suam, et similitudinem Deus: ad imaginem, ut haberes memoriam, intellectum, discretionem, et cætera naturalia; ad similitudinem, ut haberes innocentiam, justitiam, et alia gratuita; ad imaginem in cognitione veritatis, ad similitudinem in amore virtutis. Vel certe factus es ad imaginem Dei collatis tibi omnibus istis; ad similitudinem secundum essentiam deitatis factus es immortalis, et indivisibilis. »

17. Ex quibus postremis verbis palam assequeris, approbare illum quidem sententiam eorum, qui imaginem Dei homini impressam in naturalibus donis collocant, similitudinem vero in supernaturali virtute; non eorum tamen improbare sententiam, qui in alia re statuunt. At priorem illam sententiam apertissime Bernardus excipit (si tamen Bernardo *Meditationum* librum tribuis), dum hæc ait (*f*): « Utere igitur te ipso velut Dei templo propter illud, quod in te est simile Deo. Honor siquidem Deo summus est, illum venerari, et imitari. Imitaris, si pius es, » etc.

18. Allegatos videbis in hanc sententiam nonnullos Scripturæ locos, veluti illum Levitici (*Cap.* XI, 44): *Sancti estote, quoniam ego Sanctus sum*, alios- que etiam. Sed præstare mihi videtur locus ille Matthæi (*cap.* V, 44, 45): *Diligite inimicos vestros; benefacite his, qui oderunt vos: et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos; ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est;* id est, ut recte interpretatur Petavius (*De Opific. lib.* II, 2, 10), « ut sitis similes Patris vestri, qui in cœlis est. »

Et in hanc quidem opinionem ii omnes fere consentiunt, qui similitudinem ab imagine Dei nobis impressa separant.

19. Ut ad imaginem Dei nobis inditam veniam, sex ea de re opinionum genera, et veluti suprema capita video. Nonnulli scilicet in corporeo aliquo eam imaginem positam voluere. Alii in attributo aliquo spirituali, quo homo cum Deo conveniat, eaque de causa ad imaginem illius sit. Id designare dum student, explicareque, in varias sententias abeunt, e quibus potissimas deinceps expendam. Alii in similitudine expressiori collocant, quam hominem inter, et Deum sive in sua natura inspectum, sive quatenus trinus est, aut quatenus expers peccati est, aut demum quatenus beatus est, statuunt. Alii in eo, quod sicut Deus perfectissimum ens est, ita homo perfectissima creatura. Alii imaginem hanc in Christo perquirunt; monentque, ideo Adamum Deo *similem*, et *ad illius imaginem* fuisse dictum,

(*a*) Afferri solet Plato *de legibus* post medium, et in Theæteto. Vide ejus loca apud Petavium de Opific. lib. II, 2, 10.

(*b*) Paulinus Nolanus sane, ut reliquos omittam, in supernaturali virtute collocat epist. ad Sever. olim 2, nunc 24, n. 9, *nam idcirco*, etc.

(*c*) Numero 3 homiliæ in illud: *Domine, non est in homine*, tom. VI editionis Montfauc., pag. 163.

(*d*) De mundi Creatione hom. V, n. 4, pag. 484 tom. VI Chrysost.

(*e*) Part. I, cap. 1, pag. 585 tomi III Editionis Venetæ Oper. S. Bernardi anni 1727.

(*f*) Meditat. *de cognitione humanæ conditionis* cap. 6, pag. 571 tomi II editionis Ven. anni 1727.

quia conditus est similis Christo, ideoque Deo non in sua natura spirituali inspecto, sed quatenus carnem assumpsit, aut apparentem, quum hominem condidit, illique deinceps, et Patriarchis, et prophetis apparuit; aut realem, ac substantialem, cum in purissimo Mariæ Virginis utero *incarnatus est*. Alii demum hanc imaginem fatentur quidem in homine esse, sed in quo posita sit, se ignorare asserunt.

20. Ut a primo sententiarum capite exordiamur, Audiani, referente Epiphanio (*Hæres.* 70 *num.* 2), «quod ad imaginem Dei creatus Adamus dicitur, præfracte referendum ad corpus existimabant. Cum enim scriptum sit: Faciamus hominem ad imaginem nostram, et similitudinem, statim illud subjicitur: Deum sumpto de terra pulvere hominem fabricasse. Cum igitur hominem de terra formatum asserat, vides totum illud e terra conflatum verissime hominem vocari. Ex quo sequitur de terreno illo prædictum, fore, ut ad imaginem Dei conderetur.

Audianos hac in re secuti sunt Anthropomorphitæ ea similitudine innixi, quam divinum inter, et humanum corpus inesse fingebant.

21. Sed hæc quis ferat? An Deus in humano corpore sui imaginem imprimet, qui prorsus spiritualis est, et corporea quavis mole carens? Ea quæ adversus Anthropomorphitas Theologi disputant, sententiam hanc tam vehementer evertunt, ut in ea refellenda consistere non sit opus. Tantummodo itaque hic Augustinum afferam, ne videar Optimi Doctoris auctoritatem contemnere: «Vos autem fratres, inquit ille (*Enarrat. in ps.* XLVIII, *n.* 11), considerate vos homines factos ad imaginem, et similitudinem Dei. Imago Dei intus est, non est in corpore, non est in auribus istis, quas videtis, et oculis, et naribus, et palato, et manibus, et pedibus; sed est facta tamen; ubi est intellectus, ubi est mens, ubi ratio investigandæ veritatis, ubi est fides, ubi est spes vestra, ubi charitas vestra, ibi habet Deus imaginem suam.»

Et alibi (*Enarrat. in ps.* LIV, *n.* 3): «Porro autem, Charissimi, meminisse debemus, ad imaginem Dei nos esse factos, nec alibi quam in ipso intellectu. Nam in multis rebus a bestiis superamur: ubi autem homo ad imaginem Dei factum se novit, ibi aliquid in se agnoscit amplius esse, quam datum est pecoribus. Consideratis vero omnibus rebus, quas habet homo, invenit se eo proprie discretum a pecore, quod ipse habeat intellectum.» Sed et illam opinionem adversus Audianos disserens Epiphanius a verisimilitudine remotissimam ostendit (*Hæres.* 70, *n.* 2). Id quoque peragit Theodoretus (*Quæst.* 20 in Genes.), et brevissime Zeno (*lib.* II, *tract.* 19, 20, *pag.* 206, 207 *Edit. Veron. Ballerin.*). Posse tamen aliquo modo etiam corpus humanum ad imaginem Dei factum videri, docet Petavius (*De Opif. lib.* II, 2, 3), et vadem Augustinum affert, cujus verba deinceps adducam (*n.* 47), ac Damascenum (*Eclog. litter. A*, *n.* 72).

22. Ut ad eos gradum faciam, qui eamdem imaginem in attributo aliquo spirituali, quo homo cum Deo conveniat, eaque de causa illi similis sit, sitam volunt, eam in virtute non pauci collocant, atque in hanc opinionem facile eos deduces Patres, quos allegat Petavius, numero 10 et 11 capitis 2 libri II *de opificio sex dierum*. Sunt porro Ambrosius (*De bono mortis cap.* 5, *n.* 17) tum in eo, quem jam allegavi (*n.* 15), loco, tum etiam alibi hæc tradens (*In cap.* XII *Lucæ lib.* X): «Solus enim Christus est plena imago Dei, propter expressam in se paternæ claritudinis unitatem. Justus autem homo ad imaginem Dei est, si propter imitandam divinæ conversationis similitudinem, mundum hunc Dei cognitione contemnat; voluntatesque terrenas verbi perceptione despiciat, quo alimur in vitam; unde et corpus Christi edimus, ut vitæ æternæ possimus esse participes:» Chrysostomus, Severianus Gabalitanus (*Orat.* V *de mundi creatione n.* 4, *pag.* 484 *tom.* VI *edition. Montfaucon.*), auctor homiliæ, quæ sic inscribitur: *quod homo imaginem Dei per peccatum abjecit*, Cyrillus Alexandrinus, et Gelasius historiæ Nicæni Concilii auctor (*a*). Diligentissime porro, et copiose eamdem sententiam exponit, et approbat Theodoretus, quem legas opto (*Quæst.* XX *in Genesim*).

23. His adjunge Hieronymum Aretinum, quem antea etiam allegavi. En vero quæ tradit (*b*) hic auctor, ut nobis persuadeat, imaginem Dei in remotione a peccatis, et, ut ipsis hujusce auctoris verbis utar, in *munditia* esse positam. Explicans verba illa Christi: *beati mundi corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; hæc de imagine Dei homini impressa docet: «Munditia cordis sexto loco ponitur, quia sexto die homo conditus est ad imaginem Dei; hæc enim munditia est imago Dei, qua clare Deum omnibus perturbationibus remotis, et omni caligine vitiorum remota videmus; quoniam illi dicuntur mundo corde, qui exutis omnibus medullis (*c*) secularium rerum, intuitum mentis in solo Deo contemplando figunt. Hæc imago obtenebrata erat in homine per culpam, sed modo reformata est per gratiam Dei. Et nunc in sexta die, id est in sexta ætate iterum factus est homo ad imaginem Dei. Hæc contemplatio, Dei imago est, quia per eam nobis Deum imaginamur, et quasi per imaginem videmus Deum, quando merito plus aliis sequimur; quia nisi præcedat mundum cor in homine, non creatur (*imago*).» Sententiam hanc minime improbo: etenim in iis quæstionibus, in quibus multum ambiguitatis in voce ipsa, illiusque usurpatione inest, significationes valde dissitas eidem voci tribuere possumus. Hoc tamen videtur explicatio illa habere incommodi, quod *imagini* tribuit, quod Viri clarissimi, adeoque ipse Hieronymus Aretinus, *Similitudini* tri-

(*a*) In locis ab eodem Petavio allegatis, cap. 2 lib. II *de Opific.*, n. 10, 11.

(*b*) In Sermone *in festivitatem omnium Sanctorum.*

(*c*) In codice: *midull.*, quæ quidem vox quid denotet, prorsus ignoro: sed fortasse sordes denotat.

homine. Tamen num Angelo impressa sit ea, de qua agimus, Dei imago, merito dubitatur. Quid? quod, si de æternitate disputamus, non ea est hujusmodi, ut per se sola Dei similem faciat. An non materiam, qua empyreum constat, æternum duraturam facimus? Quis tamen Dei similem illam dicat, aut Dei imaginem in ea collocet? Dæmones ipsi, et animæ quæ in inferis cruciantur, perpetuo perstabunt. An similes propterea Deo?

Atque hæc quidem ipsa adhibe, si vis, si forte quispiam Fausti Regiensis, et Maximi martyris auctoritate suffultus (*a*), eam, quam dicimus, Dei imaginem in æternitate collocet.

36. In potentia construendi stabiliendique ædificia alii collocarunt : quorum sententiam et expositam, descriptamque, et rejectam pariter vidi ad hunc modum (*b*) : « Reperiuntur et alia, in quibus homo Deum imitatur. Siquidem ad imitationem Dei Creatoris homo construit domos, parietes, civitates, portus, naves, navalia, currus, et alia infinita, veluti imagines, et figuras cœli, solis, lunæ, et stellarum, item hominum, et animalium irrationalium formas ; infinita tamen est in ratione condendi diversitas. Nam Deus omnium ex iis, quæ sunt, et non sunt, creat, idque sine labore, et tempore ; quia simul atque voluerit, producit quod ei placuerit. Homo vero materia opus habet, indiget instrumentis, consilio, tempore, et labore, ac solidis artibus ad opus construendum. Siquidem architectus indiget fabro ærario, faber autem ærarius metallis, et carbonibus : similiter et omnes qui ligna cædunt, iis qui plantas, aut terram excolunt. Atque hoc pacto ars unaquæque ab aliis artibus usum earum mutuatur : verumtamen homo, dum ita quippiam construit, imitatur quodammodo creatorem, velut imago archetypum. Imago enim archetypi figuram habet : verum quum membrorum speciem habeat, actiones tamen non habet. Caret enim anima, per quam movetur corpus. »

37. Collocant alii in similitudine cum Trinitate Sanctissima. At quum eamdem similitudinem studiosius designare contendunt, aliquantum dissident. Nonnulli qui Damascenum allegant (*c*) (quam recte, viderint alii), alias quidem rationes afferunt, sed hanc pariter, quod divinas processiones Adam sit imitatus ; et quod ipse non sit genitus, Abel genitus, Heva processerit. Auctor vero libri *de Spiritu, et Anima*, quem antea etiam allegavi, paulo aliter rem proponit, monetque duas imagines Sanctæ Trinitatis posse in anima considerari : primam in eo, quod sicut Deus est, vivit, et sapit, ita anima secundum suum modum est, vivit, et sapit. (Qua in re convenit prorsus auctor libelli *de Dignitate conditionis humanæ*, hæc expressissime docens : *Sicut Deus est, vivit, et sapit, ita anima secundum suum modum est, vivit, et sapit.*) Secundam in variis convenientiis, quas habet anima cum Trinitate Sanctissima. Postremum hoc, quod fusius auctor ille prosequitur, iisdem verbis exponere placet, quibus ille enarrat (*cap.* 35) : « Quamdam etiam sanctæ Trinitatis habet imaginem : primo in eo quod sicut Deus est, vivit, et sapit, ita anima secundum suum modum est, vivit, et sapit. Est quoque et alia Trinitas in ea ; quia ad imaginem perfectæ quidem, et summæ Trinitatis, quæ est in Patre, et Filio, et Spiritu Sancto, condita est. Et licet unius sit naturæ anima, tres tamen in se vires habet, id est intellectum, voluntatem, et memoriam ; quod idem, licet aliis verbis, in Evangelio designatur, cum dicitur : *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua* ; id est ex toto intellectu tuo, et ex tota voluntate tua, et ex tota memoria tua. Nam sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre, Filioque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, et ex his ambobus procedit memoria, sicut facile a sapiente quolibet potest intelligi. Nec enim anima perfecta potest esse sine his tribus, nec horum trium aliquod sine aliis duobus integrum constat, quantum ad suam pertinet habitudinem. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus ; non tamen tres Dii, sed unus Deus, et tres personæ ; ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, sed anima una, et tres vires. Atque in his tribus divinam imaginem gerit mirabiliter in sua natura noster interior homo, et ex his quasi excellentioribus animæ viribus jubemur diligere Conditorem, ut in quantum intelligitur, diligatur, et in quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solum sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas. Imo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis, et diligentis maneat Deus : Ut sicut nullum potest esse momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate, et misericordia ; ita nullum sit momentum, quo præsentem non habeat eum in memoria. Et ideo mihi juste videtur dictum, nostrum interiorem hominem esse imaginem Dei. » In hac ipsa postrema descriptione congruit auctor libelli, qui *de Dignitate hominis* inscribitur, et aliquando Ambrosio (quod jam diximus) tribuitus est. De cujus quidem libelli auctore vide quæ ad num. 34 tradidimus.

38. Augustinus autem, et Theodoretus diu ante hos Scriptores idem ipsum argumentum persequuntur. In eo vero illam, de qua agimus, animæ cum Trinitate Sanctissima similitudinem collocat Augustinus (*d*), ut divinis Personis hæc tria respondeant, mens, amor, et notitia, seu cognitio. Vel memoria, intelligentia, voluntas.

39. Eam, de qua agimus, similitudinem, per similitudinem, quam habet homo cum Trinitate Sanc-

(*a*) Lege Petav. *de Opif.*, lib. II, 2, 14.

(*b*) Theodoret. quæst. XX in Genesim, Joanne Pico interprete.

(*c*) Ex eo libro, quem inscripsit : *quomodo ad imaginem facti Dei sumus*. Tomo I editionis le Quien, pag. 573.

(*d*) Lib. IX de Trinit., cap. 4, et seq. Rursus, lib. XII, et capite postremo lib. XIV.

tissima, pariter explicat Hieronymus Aretinus (*a*), et eadem fere, atque Augustinus, proponit. Ea quæ tradit ille (*In serm. in Domin.* XX post Pentecost.) : « Cum autem dixit *similitudinem*, hic addit *nostram*, referens similitudinem ad Trinitatem, quoniam in homine est quædam similitudo Trinitatis : creavit namque Deus tria in homine, memoriam, intellectum, voluntatem, per quam cum Trinitate individuam quamdam habet similitudinem. Patri namque per memoriam assimilatur : Filio per intellectum conformatur : Spiritui Sancto per voluntatem compaginatur. Nam sicut Pater a nullo est, sed ab eo est Filius, sic memoria cum sit vis animæ, a nulla earum est, sed ab ea est intellectus. Sicut vero Spiritus Sanctus a Patre procedit, et a Filio; sic voluntas a memoria, et intellectu : nisi enim memoria rem prius attingeret, nec intellectus eam caperet, nec eam voluntas consequenter appeteret. Ecce quomodo factus est homo *ad similitudinem* Dei. »

Non absimilis est Theodoreti sententia; hæc quippe ait (*Quæst.* XX *in Genesim*) : « Habet enim ipsa (*anima humana*) facultatem rationalem, et vitalem in se : et mens quidem producit sermonem, concurrit autem cum sermone spiritus, non generatus quidem, quemadmodum sermo, sed perpetuo consequens sermonem, et cum eo, dum editur, concurrens. »

Damascenus porro aliam invenit inter humanam animam, et Trinitatem Sanctissimam convenientiam : et hæc est (*Orat.* III de Imagin., n. 20) : « Sicuti Pater, qui est mens, et Filius Verbum, et Spiritus Sanctus unus Deus sunt : sic mens verbum, et Spiritus unus homo. » Atque hæc quidem, quæ, uti notavi, desumuntur ex oratione III *de Imaginibus*, fere repetuntur in Opusculo inscripto : *Quomodo imago Dei impressa sit homini.*

40. An hæc rigorose sumimus? Nihil minus. Enim vero si primam explicationem inquisitioni subjicimus, aliqua occurrunt, quæ difficultati non levi subsunt. Profecto quæcumque ea fuerit, sive imago, sive similitudo, sive utrumque horum, non ea erat desitura in Adamo, sed ad illius posteros producenda, si innocens perstitisset. Non ergo in eo collocari illa poterit, quod ipse non sit genitus. Quod si rigorose sumimus nomen genitus, quis genitum a Deo dicet Adamum? Profecto vox illa rigorose sumpta consubstantialem indicat. An consubstantialis Deo Adamus est? Ad hæc : si animam spectas, a Deo creatus dicitur Adam, non genitus : si vero corpus, non genitus, sed formatus Adamus dicitur, quippe ex corpore constat, quo non constat Deus, ipsaque illius anima spiritus est Deo longe inferior, utpote creatus, et mutabilis, et a divina substantia infinito intervallo distans. An itaque Adamus divini Verbi generationem exprimit? Quam si tamen omnino adhuc vis exprimere, advertas, obsecro, quam pulchre exprimat. An non Filium Adamus habuit, postquam ex illius costa formata est Heva? An vero Filium A habet Pater, postquam Spiritus Sanctus processit? Cujus quidem processionem per eductionem Hevæ ex costa Adami indicari vis; quamquam, ut cætera omittam, formata est Heva ex costa Adami; Spiritus Sanctus vero formatus non est, sed *ineffabili modo*, et plane divino procedit. III. Adamus filium habet ex muliere, non ex se tantum. An id exprimit divini Filii generationem? IV. Filios plurimos habuit Adam, eosque et mares, et fœminas, et probos, et improbos. An imago ea est generationis Unigeniti Dei? V. filium habuit Adamus ex Heva, quæ ex eo formata est, atque hujus quidem formatio Spiritus Sancti processionem innuere dicitur. An filium habet Pater ex Spiritu Sancto? Hactenus in filii generatione perstitimus.

41. Processio porro Spiritus Sancti felicius non exprimitur per processionem, seu productionem Hevæ ex Adami costa. Etenim, ut id omittam, quod ante de eadem processione dixi, sane Spiritus Sanctus per spirationem procedit, nec ex solo Patre, verum etiam ex Filio procedit, atque ex amore Patris, et Filii procedit. An hæc similitudinem, seu imaginem aliquam in processione, seu potius in formatione Hevæ ex costa Adami habent? Restat itaque (quod jam dixi) ut *latissime* accipiatur, non *rigorose* similitudo, atque imago illa Trinitatis, quam n. 37, ex aliena sententia descripsimus. Neque vero hæc in Damasceno, quem in hanc explicationem allegatum vidi, expresse invenis. Num id ex eo fiat, quod codices alios ab iis, quos habuit le Quien, cujus editione utor, diversos ii citent, nescio : Sed hæc tantum in eo leguntur, quæ recitare hic libet (*Et Orat.* III de Imagin. *n.* 20) : « Tertium genus imaginum est eorum, quæ per imitationem a Deo facta sunt : puta homo.... Nam veluti Pater, qui mens est, et Filius item verbum, et Spiritus Sanctus unus Deus sunt; sic mens, verbum, et spiritus unus homo sunt. Tum etiam propter arbitrii libertatem, et imperandi auctoritatem Deum imitatur : ait quippe : Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram : subditque : Et dominamini piscibus maris, » etc. In opusculo vero, quod inscripsit : *quomodo ad imaginem Dei homo sit*, magnam partem eorum repetit, quæ modo attulimus, tum hæc subjicit (*Pag.* 573 *tomi* I *edit. Venet.*) : « Quando de Deo sermo est, unus Deus celebratur, et adoratur in tribus hypostasibus, unaque deitas, una natura, una vis, et potentia, voluntas una : tres personæ, et tres hypostases, unaquæque cum sua proprietate. Nam proprietas Patris est innascibilitas : proprietas Filii, nativitas : et proprietas Spiritus, processio. Deus est Pater, qui caret initio : Deus est Filius, qui perinde initium non habuit, quamlibet sit ex Patre : Deus Spiritus Sanctus, utriusque coæternus, simulque initii expers : ex Patre prodiens, non Filii more, ut genitus sit, uti Filius, sed processione. Unum tria est deitate, inque tribus hypostasibus. »

(*a*) Vide quæ de eo diximus ad num. 11.

bunt. Et paucos sane invenies, qui Dei imaginem ab initio homini impressam, per peccatum abolitam affirment.

Hinc Augustinus quod in capite 27 et 28 lib. VI *de Genesi ad litteram* de imagine Dei per peccatum deperdita dixerat, ad hunc modum imminuit, et veluti emendat (*lib.* II retract. *c.* 24) : « In sexto libro quod dixi, *Adam imaginem Dei, secundum quam factus est, perdidisse peccato*, non sic accipiendum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis ut reformatione opus haberet. »

Rationem vero hujusce suæ persuasionis adducit, cum monet in aliquo perenni, et semper duraturo eam, de qua agimus, imaginem esse collocandam (*lib.* XIV de Trinit. *cap.* 3, *num.* 4) : « Absit autem, inquit, ut cum animæ natura sit immortalis, nec ab initio quo creata est, unquam deinceps esse desistat, id quo nihil melius habet, non cum ejus immortalitate perduret. Quid vero melius in ejus natura creatum est, quam quod ad sui Creatoris imaginem facta est? Non igitur in fidei retentione, contemplatione, dilectione, quæ non erit semper, sed in eo quod semper erit, invenienda est, quam dici oporteat, imaginem Dei. »

24. Sed alii non in accidentalibus, ut ita appellem, qualitatibus his collocant, sed in essentialibus; differunt autem, dum hoc ipsum definire student, et stabilire. Atque in spiritu ipso, seu anima hominis non pauci eam imaginem statuunt. At minime conveniunt, num in intelligentia, num in voluntate, num in utroque eadem imago sit collocanda.

Hæc docet, Gelenio interprete, Philo (*De opific. pag.* 13 *edit. Lugdun. anni* 1561) : « Dicitur imago juxta mentem rectricem animæ : ad illud enim singulare, ceu archetypum in unoquoque mens effigiata, est quodammodo Deus ejus, qui ipsam circumfert. » Philonem sequi videtur Clemens Alexandrinus (*lib.* VI *Strom.*) « hominem monens ad Dei imaginem esse factum, non propter structuræ suæ figuram, sed quoniam uti Deus ratione molitur omnia, sic homo qui perfecta cogitatione præditus est, ex rationali facultate bonas, et honestas actiones exsequitur. » Affinia tradit Zeno (*lib.* II, *tra.* 19, 20).

25. Eidem opinioni accedit Augustinus (*lib.* XII de Civitate *cap.* 23) ; quippe posiquam retulit verba illa : « fecit ergo Deus hominem ad imaginem, et similitudinem suam, » hæc subjicit : « talem quippe illi animam creavit, qua per rationem atque intelligentiam omnibus esset præstantior animalibus terrestribus, et natatilibus, et volatilibus, quæ mentem hujusmodi non haberent.

Alibi brevius, sed non minus expresse (*Tract.* III *in Joan.*) : « Non distas a pecore, nisi intellectu : noli aliunde gloriari.... Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu. »

26. Prudentium, quem deinceps allegabimus, in eamdem sententiam merito adduces; Theodoretum quoque, seu, ut aptius loquar, eos, quos Theodoretus allegat, qui collocabant *in potestate judicandi* homini tributa, eam, de qua disputamus, imaginem. Nimirum si penitus eorum sensa perpendas, facile ad intelligentiam, seu ad intelligendi, discernendique potestatem ac vim opinio ea deducitur. Quod si pronuntiat Theodoretus, non esse plane similem Divinæ intelligentiæ humanam intelligentiam (*a*), quis ea de re ambigat? Sed aliud est esse utcumque Deo similem in intelligentia ipsa hominem, aliud esse prorsus similem. Postremum hoc, quod merito rejicit Theodoretus, et nos rejicimus; primum facile admittimus. Sed quæcumque senserit Theodoretus, eam sane, quam hic proposuimus opinionem si quis alterius, nec recentis, nec contemnendi Scriptoris auctoritate confirmare cupiat, atque illustrare, adeat, obsecro, quæ auctor libri *de Spiritu, et Anima* ea de re tradit (*cap.* 36). Consulat autem rogo editionem Patrum S. Mauri (*In append. tomi* VI *Augustin. pag.* 35) ; nam in margine capitis 36, quod allego, citata inveniet nonnulla Bernardi loca, ex quibus Scriptor iste exscripsisse videtur quæ ea de re docet.

27. In Voluntate porro constituunt eamdem imaginem qui in libertate collocant. Atque his favet Tertullianus hæc docens (*lib.* II contra Marcion. *cap.* 5) : « Liberum, et sui arbitrii, et suæ potestatis invenio hominem a Deo institutum : nullam magis imaginem, et similitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status formam. » Et deinceps (*cap.* 6) : « Oportebat imaginem, et similitudinem Dei liberi arbitrii, et suæ potestatis institui, in qua hoc ipsum imago, et similitudo Dei deputaretur ; arbitrii scilicet libertas, et potestas. »

28. Hieronymus quoque hæc scribens (*b*) : « Solus Deus est, in quem peccatum non cadit. Cætera cum sint liberi arbitrii (juxta quod et homo ad imaginem, et similitudinem Dei factus est), in utramque partem, suam possunt flectere voluntatem. »

Titus Bostrensis similiter hæc elocutus (*lib.* II *contra Manich.*) : « Hominem Deus honoravit, fabricans eum ad imaginem suam : ut sicut ipse libertate naturæ bonus est, sic homo libertate propositi imitator Dei esset, non abstinens a peccato, quia desit naturæ ipsi potestas, sed libertate propositi virtutem honorans. »

29. An non vero imaginem Dei, de qua disserimus, in libertate statuit Macarius, quando hæc docet (*Hom.* 15)? « Tu vero propterea es ad imaginem, et similitudinem Dei, quoniam uti Deus sui juris, ac potestatis est, et quod vult facit ..... ita etiam tu potestatis es tuæ, » etc.

(*a*) Rursum ad instar Dei omnium conditoris, regnat homo, et judicat. Verum Deus accusatoribus, aut testibus minime indiget, quando judicat. Sic enim Cain condemnavit tanquam sceleris ejus inspector. Homo vero in judicando testibus opus habet, et accusatoribus, quum ignoret ea, quæ perpetrata sunt.

(*b*) In epist. olim 146. In editione Veronensi Ep. 21 ad Damasum n. 40.

30. Marius Victor horum numero sociandus est : quippe hæc Deum loquentem inducit :

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et sit imago Dei : similem decet esse creanti
Liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis.

31. Hos sequuntur Damascenus, et Bernardus. Horum primus hæc ait (*Lib.* III de fide Orthod. *cap.* 12) : « Cum ad imaginem beatæ, et supersubstantialis divinitatis homo sit factus, sit autem divina natura per se libera, suique juris, ac voluntate prædita, consequens est hominem velut ipsius imaginem liberum esse natura sua, et voluntate præditum. » Bernardus vero (*de Grat. et Lib. arbitrio cap.* 9, *num.* 18) monet, *in libertate arbitrii imaginem Dei* esse positam.

32. In intelligentia porro potissimum ; sed et in libertate etiam eamdem imaginem ponere videtur Ambrosius hæc scriptis mandans (*Hexam. cap.* 8, *alias n.* 45) : « Non ergo caro potest esse ad imaginem Dei, sed anima nostra, quæ libera est, et diffusis cogitationibus, atque consiliis huc atque illuc vagatur, quæ considerando spectat omnia. Ecce nunc sumus in Italia, et cogitamus ea, quæ ad Orientales, aut Occidentales partes spectare videntur, et cum illis versari videmur, qui in Perside sunt constituti, et illos videmus, qui degunt in Africa, si quos cognitos nobis ea terra susceperit : sequimur proficiscentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur absentibus, alloquimur separatos, defunctos quoque ad colloquium resuscitamus, eosque, ut viventes, complectimur, et tenemus, et vitæ officia his, usumque deferimus. Ea igitur est *ad imaginem Dei*, quæ non corporeo æstimatur, sed mentis vigore : quæ absentes videt, transmarina visu obit, percurrit adspectu, scrutatur abdita, huc, atque illuc uno momento sensus suos per totius Orbis fines, et mundi secreta circumfert : quæ Deo jungitur, Christo adhæret, descendit in Infernum, atque adscendit, libera versatur in cœlo. Denique audi dicentem : *nostra autem conversatio in cœlis est.* »

In eamdem opinionem facile deduces auctorem *instructionis sacerdotis*, sive Bernardus is sit, sive alius quispiam, quem num. 16 allegavi. *Ad imaginem, ut haberes memoriam*, etc.

33. In eximia exsistendi in corpore, illudque animandi, et præclarissime agendi ratione eamdem imaginem invenit auctor libri *de Spiritu, et Anima*, qui pridem Augustino tribuebatur. Atque illius quidem ingeniosa monita referre placet, ut ea scilicet expendat lector, conferatque cum iis scriptoribus, quos in hujus opusculi margine PP. S. Mauri allegant (*Cap.* 55). « Nec ob hoc solum quidem, quod ad consilium sanctæ Trinitatis sic excellenter a Conditore conditus *homo* est, sed etiam quod ad imaginem, et similitudinem A suam Creator omnium eum creavit, quod nulli alteri ex creaturis donavit. Quæ imago diligentius in interioris hominis dignitate, et nobilitate est consideranda. Primo quidem quod sicuti Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens, et gubernans, sicut Apostolus ait (*Actor. cap.* XVII, 28), quod *in eo vivimus, movemur, et sumus*, sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans illud, movens, et gubernans. Nec enim in majoribus corporis sui membris major est, et in minoribus minor ; sed in minimis tota est, et in maximis tota. Sic infusa est corpori, ut non per membrorum partes partibus sit divisa. Nam in quolibet loco pars corporis percutitur, tota dolet. Miro autem modo una eademque vivificatione membris præsidens, cum ipsa per naturam non B sit diversa, per corpus tamen agit diversa. Ipsa quippe est, quæ per oculos videt, audit per aures, per nares odoratur, per os gustat, per membra omnia tangit ; et tangendo, lene ab aspero discernit ; et cum non sit diversa, per sensus tamen operatur diversa. Ex qua re intelligitur, quod ita est anima secundum suum modum in suo corpore, sicut Deus est in suo Mundo. Interius siquidem, et exterius ; superius, et inferius est : regendo superior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior. Sic est intus, ut extra sit ; sic circumdat, ut penetret ; sic præsidet, ut portet ; sic portat, ut præsideat. Et sicut Deus nec crescentibus creaturis crescit, nec decrescentibus decrescit : sic anima nec minutis membris minuitur, nec adauctis augetur. Hæc est imago, sive C similitudo omnipotentis Dei, quam anima habet in se. »

34. Eadem prorsus monuit auctor libri *de dignitate conditionis humanæ*, qui diu Ambrosius creditus est, dum hæc scriptis tradidit (*a*) : « Sicut Deus unus semper ubique totus est, omnia vivificans, omnia movens, et gubernans : sic anima in suo corpore ubique tota viget, vivificans, movens illud, et gubernans. »

35. Æternitatem animæ, dum alios recenset titulos, aut ipsissimos scilicet, quos antea descripsimus, aut iis prorsus affines, in quibus etiam eam quam dicimus, imaginem statuit, commemorat Prudentius, hæc scriptis mandans (*b*) :

Est similis sæclis quod non consumitur ullis,
Quod sapiens, justique capax, reginaque rerum
Imperat, antevidet, perpendit, præcavet, instat,
Verborum, morumque opifex, instructaque mille
Artibus, et cœlum sensu percurrere docta :
His animam similem sibi conditor effigiavit.

Atque cum laude quidem, ac merito hæc junxit Prudentius. Etenim si unumquodque horum attributorum seorsum sumpseris, minime videntur idonea, ut Dei imaginem in anima constituant. Et sane si hæc attendas, Deo similiorem Angelum præ homine dices, quippe clarius elucent ista in Angelo, quam in

(*a*) In libro *de Dignit. condit. humanæ*, cap. 2. Vide, obsecro, quæ de hoc Scriptore docent PP. S. Mauri, pag. 612 appendic. tomi II Ambrosii. Illud certum est, hæc, aliaque hujus opusculi verba eodem spectantia exstare in opusculo illo Alchuvini, qui inscribitur : *dicta B. Albini Levitæ super illud Genesis : Faciamus hominem*, etc., adeo ut constet opusculum *de Dignitate hominis* inscriptum, esse potissimum ex Alchuvino consarcinatum.

(*b*) In Apotheos, sub titulo *de natura animæ*, v. 21.

42. Aliæ explicationes, quas præbent auctor libri *de Spiritu et Anima*, auctor quoque libelli *de Dignitate conditionis humanæ*, Augustinus, ac Theodoretus, eæ minus latæ videntur, et excipi commode possunt, dummodo primo ad hominem minime coarctes, sed Angelo communes facias : secundo fatearis processionum ordinem minutius servatum minime fuisse aliquando a præclarissimis his doctoribus. Tertio, ex duabus, quas explicavimus ex Augustino, et Theodoreto, similitudinibus, minus latam esse eam, quæ in mente, notitia, et amore, quam quæ in intelligentia, voluntate, et amore collocatur, aut in affini alio. Et sane Theodoretus ipse de illa, quam num. 38 attulimus, opinione judicium hoc profert : « Sed hujusmodi adsunt homini tanquam imagini : quam ob rem nec sermo, nec spiritus per se subsistit. At in Sanctissima Trinitate tres intelligimus hypostases, easque sine confusione unitas, et per se subsistentes. Nam ante secula genitus est a Patre Deus Verbum, inseparabilis autem est a genitore : Et proficiscitur a Deo et Patre Spiritus Sanctus, qui et intelligitur in propria hypostasi. » Ea porro, quam ex Hieronymo Aretino subjecimus, explicatio hoc insuper habet incommodi, quod dum memoriam reliquis duabus potentiis anteriorem facit, a communi philosophorum omnium, et Theologorum persuasione recedit (statuunt enim omnes intellectum memoria priorem esse), et plus æquo veterum Platonicorum, aliorumque Ethnicorum philosophorum placitis accedit, qui scilicet statuebant memoria animam, antequam corpori infunderetur, præditam esse, et luculenta, multarum rerum, quas jam didicerat, notitia prædivitem. An Catholicus hæc proponet?

43. An vero imaginem Dei homini impressam dices, quod sicut Pater, qui mens est, et Filius Verbum, et Spiritus Sanctus unus Deus sunt, sic mens, verbum, et spiritus sint unus homo? An hæc, quæ in homine agnoscimus, seu, ut expressius loquamur, in anima hominis, tres hypostases sunt, et una substantia, seu essentia, sicut Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus tres hypostases sunt, et unus Deus? Si hujusmodi convenientia sufficeret ad imaginem Dei in homine stabiliendam, haud ægre utique in humano corpore eam collocares. Scilicet corpus ad essentiam hominis pertinet, nec sine corpore percipi homo potest, sicut nec sine tribus divinis personis Sanctissima Trinitas. Quis tamen in corpore humano eam imaginem collocet? Constat itaque hujusmodi similitudines, seu, si appellare ita vis, *imagines*, minime *rigorosas* esse, sed latissimas : quod si tibi satis est, ego utique Sanctissimæ Trinitatis imaginem in anima impressam esse fatebor, propter eam etiam, quam ex Damasceno attulisti, rationem.

44. Qui imaginem, de qua agimus, in beatitudine collocant, qua demum potiturus est homo, cum in cœlis Deum videbit *facie ad faciem* (*a*), hæc Ambrosii verba afferunt (*Hexaem. lib.* VI *cap.* 8, *n.* 45). « Non est ergo ad imaginem Dei, in qua Deus semper est? sed audi, quia ad imaginem est Dei : dicit enim Apostolus (II *Corinth.* III, 18) : Nos itaque omnes revelata facie gloriam Dei speculantes, ad eamdem imaginem reformamur a gloria in gloriam, sicut a Domini spiritu. »

45. Ego porro minime vereor fateri, in beatitudine collocari posse imaginem aliquam; quam tamen similitudinem potius, quam imaginem appellare libuit Origeni, et Scriptori, quem illustramus (*Recole* n. 13). Sed præter eam, quam vitæ alteri servavit Deus, aliam adhuc in hac, quam vivimus, vita, imaginem homini impressam fuisse a Deo, plerique sentiunt. Quamobrem si concedam, id quo contendunt, Ambrosii verbis (tametsi nonnihil obscura ea sint) significari, non continuo fateor ad aliam, quæ mortem nostram subsecutura est, vitam, eam, de qua agimus, imaginem protrahi debere. Et revera ut in Ambrosio ipso consistam, paulo ante Ambrosii sententiam allegavi ex eo ipso, quem citaverunt, numero 45 desumptam, in qua quidem animæ nostræ, *quæ libera est, et diffusis cogitationibus, atque consiliis huc atque illuc vagatur*, imaginem, de qua hic disserimus, inditam docet.

46. Estne porro aliud, in quo eamdem imaginem colloces? Est utique. Quodnam porro si exposcas, statim indicabo.

Ac primum quidem imago Dei dici utcumque poterit homo, quatenus sicut Deus entium omnium, causarumque perfectiones, atque excellentias in se complectitur; quam ob rem *causa causarum* appellatus est a philosophis : ita homo perfectiones, atque excellentias creaturarum omnium in se complectitur; quam ob rem *microcosmus*, seu parvus Mundus, et creatura omnium perfectissima est appellatus. Et de Deo quidem id, quod dixi, indubitatum est. Restat itaque, ut quod de homine tradidi, paucis ostendam. Spectemus primo hominem, ut ita loquar, particulatim. Humanum corpus quam præstans sit, et brutorum animantium speciem, ac formam quanto intervallo superet, viri præstantissimi jam pridem ostenderunt, e quibus hic indico Lactantium, quem legas opto (*lib.* I *de Opificio*). Diu porro ante Lactantium Cicero (*lib.* I *de Offic.*) : « Nobis, inquit, personam imposuit ipsa natura cum excellentia, præstantiaque animantium reliquarum, » Et ipse profecto aspectus ac vultus hominis, quantum ille reliquas animantes excellentia vincat, ac dignitate, manifesto ostendit. Scilicet si easdem animantes intueris (*Boet. de Consolat. lib.* V, 5) :

> ..... Variis videas licet omnia discrepare formis,
> Prona tamen facies hebetes valet ingravare sensus.
> Unica gens hominum celsum levat altius cacumen,
> Atque levis recto stat corpore, despicitque terras.

47. Pertractat hoc argumentum Augustinus (*lib.* I *de Genesi contra Manich. cap.* 17, *n.* 28), quippe qui innuere non veretur, posse aliquo modo etiam corpus humanum ad imaginem Dei factum videri,

(*a*) Hanc imaginem in similitudine expressiori collocant, quam hominem inter, et Deum, quatenus beatus est, statuunt. Recole n. 19.

quod indicet nos meliores esse, quam bestias : « Omnium enim animalium corpora, sive quæ in aquis, sive quæ in terra vivunt, sive quæ in aere volitant, inclinata sunt ad terram, et non sunt erecta, sicut hominis corpus. Quo significatur etiam animum nostrum in superna sua, id est in æterna spiritualia erectum esse debere. Ita intelligitur per animum maxime, adtestante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem, et similitudinem Dei. »

Idem alibi his verbis repetit (*lib.* LXXXIII *quæstionum, quæst.* 51, *n.* 2, 3) : « Quomodo autem non sit incongruum, quod dicitur etiam corpus factum ad similitudinem Dei, facile intelligit, qui diligenter attendit quod dictum est : Et fecit Deus omnia bona valde (*Gen.* III, 1). Nemo enim dubitat, quin ipse primitus sit bonus. Corpus quoque hominis, quia solum inter animalium terrenorum corpora non pronum in alium prostratum est, cum sit visibile, sed ad intuendum cœlum erectum... etiam quia tale est, ut ad contemplandum cœlum sit aptius, magis in hoc ad imaginem, et similitudinem Dei, quam cætera corpora animalium, factum videri potest. »

48. Quin et Potho Prumiensis (*lib.* I de statu domus Dei, *sub finem tom.* IX *Biblioth. Patr. edit. Paris. pag.* 569) id ipsum innuit, quatenus pulcritudinem corporis ita commendat, ut testetur opus sapientiæ per officia corporis diversa monstrari.

49. Sed cur Damascenum non allegamus? quippe ex antiquo Scriptore, quem Methodium in libro *de resurrectione*, esse ait P. le Quien, hæc docet (*a*) : « Quis duram ossium substantiam compegit? quis membra colligavit, ut nervis tenderentur, et circa juncturas inflexa laxarentur? Quis humores, mollemque ex humo carnem, sanguine eam perfundendo fermentavit? Solus plane præstantissimus artifex Deus, qui hominem, id est ratione præditam, et *animatam imaginem suam*, nos, inquam, fabricavit, et ex humido, et perexiguo semine in vulva matris, velut e cera conformavit. Ecquis enim est, qui providet, ne fœtus humoris copia, et compressione vasorum obrutus, intus præfocetur? Aut quis, postquam gestatus utero est, et tandem in lucem editus, ex imbecillo, et pusillo magnum, pulchrum, et robustum reddidit, nisi idem ipse, quem modo dicebam, præstantissimus conditor Deus, qui potentiæ suæ efficacitate, instar pictoris cujusdam, formas in diversum mutat? Deus immortalitatis est, vita, et incorruptio : opus autem Dei, homo... At de homine non item dixit, *Producat;* sed : *Faciamus hominem ad imaginem nostram, et similitudinem.* Et assumpsit Deus pulverem de terra, et effinxit eum. » Affinia tradit in *parallelis* in eo loco, quem in calce paginæ allego (*b*), quem Lector consulat opto.

50. Quod si animum hominis attendis, inter hominem (ut rursus verbis Ciceronis utar) (de Officiis *lib.* IV, 11) « et belluam, hoc maxime interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum, aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus præsentibus adjungit, atque annectit futuras : facile totius vitæ cursum videt, ad eamque regendam præparat res necessarias. Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini ad orationis, et ad vitæ societatem : ingeneratque in primis præcipuum quemdam amorem in eos, qui procreati sunt : impellitque, ut hominum cœtus, et celebrationes et esse, et a se obiri velit. »

51. His adde, ne multos afferam, quæ docet hoc super argumento Augustinus (*de diversis quæstion.* LXXXIII, *quæst.* 51, n. 3). Pauca seligo : « Non immerito, inquit ille, et iste homo particeps dicitur similitudinis Dei, non solum quia vivit, quod etiam in bestiis apparet; sed amplius quod ad mentem convertitur se regentem, quam illustrat sapientia, quod in bestiis non potest ratione carentibus. » Recole quæ ex Philone, Clemente Alexandrino, aliisque Patribus, n. 24 et 26, et rursus n. 32 ex Ambrosio attulimus.

52. Conjunctio porro ipsa animæ et corporis, quamquam homini, postquam in peccatum decidit, ideoque postquam a præclarissimo illo innocentiæ statu, in quo conditus est, corruit, nonnihil incommoda sit, quoniam *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam,* cum utilissima futura fuisset, si in antiqua dignitate, Deo obediens, perstitisset : suis tamen adhuc non caret emolumentis. Scilicet beatitudinis cumulatissimæ participem tandem aliquando faciet hominem, qua nimirum ille potietur, si corpore ad eum usum utetur, propter quem conditus homo est; ut scilicet divinis jussibus obsequatur, et pareat. An non istud corpus, *quod seminatur in corruptione, surget in incorruptione?... Et quod seminatur animale, surget corpus spirituale* (I *Corinth.* XV, 42, 44)? Effundetur scilicet in corpus ipsum egregia quædam, et vere cœlestis voluptas, ac suavitas, qua illud imbutum, ac veluti absorptum, non modo nihil ex mole ipsa, ac, si vocare ita sinis, *corpulentia* sua patietur incommodi, verum etiam jucundissimam ac plane mirificam ex ea percipiet oblectationem. Hoc de argumento cum alii multi, tum præsertim disserit egregius vir Cardinalis Bellarminus in eo libello, quem *de Sanctorum felicitate* inscribit, de quo quidem libello pronuntiat Vindelinus (*in* præfat. ad physic. particularem) (eruditus, fateor, ingeniosusque philosophus, sed Bellarmini, atque adeo Catholicorum omnium acerrimus hostis) *plus eum veritatis continere, quam grandes illos controversiarum libros :* quo quidem judicio dum malevolum adversus Catholicos animum profert, eum tamen, de quo agimus, libellum mirifice commendat.

(*a*) In Eclog. seu parall. litt. *A*, titul. VIII, edit. *le Quien*, tom. II, pag. 310.

(*b*) Pag. 760 (per errorem 748) tomi II editionis P. *le Quien*.

53. His constitutis, mirum non est primo, si homini amplæ ac magnificæ laudes tribuantur, dicaturque aliquando à Scriptoribus (*a*), quod antea dixi, *parvus mundus*, aliquando creaturarum omnium perfectissima, aliquando totius creaturæ epilogus, aliquando etiam creatura omnis, quod ita postea explicant, quod vel creaturarum omnium perfectiones *formaliter* habeat, vel saltem *eminenter*. Nimirum *parvus mundus* propterea dicitur, quod quiquid per reliquas creaturas diffusum est, complecti in se unus videtur, eamque ob causam *omnis creaturæ epilogus* etiam dicitur. Perfectissimam vero creaturarum omnium propterea appellari volunt, quia inanimas sane sua præstantia, ac spiritu, quo vivificatur, superat; Angelo vero præstat ea ipsa de re, quam modo exposuimus, conjunctione scilicet animæ, et corporis; qua quidem de causa ampliorem in cœlis beatitudinem assequetur.

54. Quod vero de perfectionibus vel *formaliter*, vel *eminenter* ab eo possessis dixi, ita explicant, ut sicut Deus perfectiones omnes vel *formaliter* habet (eas scilicet quæ statim suam præstantiam produnt, nec in eis aliquid imperfectionis involvitur), vel *eminenter* (eas quippe perfectiones eminenter possidere dicitur, quæ conjunctum in sua notione habent aliquid imperfectionis, cujusmodi est perfectio Creaturarum ; nam has omnes possidet, sed seposita, qualibet imperfectione) : ita homo perfectiones omnes, quas Creatura assequi potest, vel re ipsa, ac *formaliter* habet, uti animam spiritualem, eximium, ac nobile corpus; vel *eminenter*, id est ita habet, ut superet, vel certe involvat perfectionem illam, quam in cæteris creaturis admiraris, vel illi saltem æquivaleat. Hinc bonitatem, seu perfectionem sibi convenientem habet *formaliter* (id est expresse, atque ipsam), reliquarum autem animantium *eminenter*. Perfectior nimirum, et excellentior ob ingenii, et animi vires est animantibus, quas ingenio, ut diximus, et arte superat, si fortitudine superatur : hinc multo melius est hominem esse, quam leonem, ursum, aut aliam quamlibet animantem brutam. Habet pariter egregiam generi suo convenientem pulchritudinem, ut si eam diligentius perpendas, illam ipsam superet, quam habet ager, et si qua sunt alia egregia specie prædita. Hæc quæ Scholasticorum more hactenus sum prosecutus, vetusti Patres interdum indicant: veluti Augustinus (de quantit. animæ *cap.* 33, n. 70), Damascenus (*in libello inscripto* : quomodo homo ad imaginem Dei), et copiosius Gregorius Magnus, cujus verba referre hic placet (*b*) : «Numquid, fratres mei, Sanctum Evangelium vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur : *prædicate omni creaturæ?* Sed omnis creaturæ nomine signatur homo. Sunt namque lapides, sed nec vivunt, nec sentiunt : sunt herbæ, et arbusta ; vivunt quidem, sed non sentiunt.... Angeli etenim sunt, vivunt, sentiunt, et discernunt. Omnis autem creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creatura homo, juxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, quum soli homini prædicatur, quia ille videlicet docetur, propter quem in terra cuncta creata sunt, et a quo omnia per quamdam similitudinem aliena non sunt. »

55. Id ipsum porro ante doctores nostros Christiana fide instructos subodorati sunt veteres Philosophi, ac poetæ. Ovidium omitto, cujus notissimi versiculi (*lib.* XV *metamorph.*),

> Nos quoque pars Mundi, quoniam non corpora solum,
> Verum etiam volucres animæ sumus;

id ipsum, quod diximus; comprobare creduntur; quatenus innuunt hominem (*nos*) præstantissimam, et partes reliquas complectentem Mundi esse partem. Ovidium, inquam, omitto, ut expressiora vetustorum Scriptorum loca afferam. An non perspicue tibi videtur locutus Cicero, dum hæc ait (*De universitate*) : « Deus animal unum spectabile hominem, in quo omnia animalia continerentur, effecit. »

56. Quid vero clarius his Manilii monitis (*Lib.* IV *Astronom.*) :

> ..... Quid mirum noscere mundum
> Si possunt homines, quibus est et mundus in ipsis,
> Exemplumque Dei quisque est in imagine parva?

quibus quidem versibus haud obscure indicat, imaginem Dei, ratione duce, ac veluti doctrice, in ea, de qua agimus, hominis excellentia, et perfectionum omnium complexione jure ac merito collocari.

An non etiam, ut ad præclarissimos Hebræorum scriptores sermonem quoque convertamus, id ipsum tradit Philo, quem Judæorum disertissimum appellat Hieronymus (*De Viris illustrib.* cap. 2), dum ea hoc super argumento tradit, quæ cum alibi retulerim, hic repetere non est necesse? Ea tamen recolat Lector.

57. His constitutis mirum non est, si cuncta homini subdiderit, aut certe obsequentes, subsidiumque, atque opem familiarem (pene dixeram) deferentes creaturas reliquas esse jusserit, atque ea ipsa in re sui similem esse voluerit. An ea de re dubitas? Audi Dominum ipsum hæc eloquentem (*Genes.* I, 26). « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris, et volatilibus cœli, et bestiis, universæque terræ, omnique reptili, quod movetur in terra. » Ad quæ verba Chrysostomus (*Homil.* 8 *in Gen. n.* 3) hæc scribit : « Neque enim cum dicit : *Faciamus hominem secundum imaginem nostram, et secundum similitudinem*, hic sermonem finivit, sed per ea, quæ adjungit, manifestum nobis facit, quo sensu nomen *imaginis* posuerit. Quid enim dicit? *Et dominetur piscibus maris, et vo-*

(*a*) *Si possent homines, quibus est et mundus in ipsis. Exemplumque Dei quisque est in imagine parva.* Manil. IV *Astron.*

(*b*) Homil. 29 in Evangelia, ad verba illa : *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. XVI.

latilibus cœli, omnibus reptilibus super terrram. Imaginem ergo dixit de principatu, et dominio, non de aliquo alio : Quia Deus fecit hominem principem omnium, quæ sunt super terram, et nihil super terram homine majus est, et omnia sub potestate illius sunt. »

Et rursus (*Homil.* 10, *n.* 4) : « Postquam nos docuit per præcedentia, quid sit *secundum imaginem Dei fecit eum :* et ut ne impudentem quidem defensionis prætextum relinquat Ecclesiæ dogmata impugnare volentibus, paululum progressus idem iterum docet, quod ideo imaginis nomine usus sit, quod imperaturus, et sub se creaturas omnes habiturus esset. »

Et paucis interpositis (*n.* 5) : « Vidisti inenarrabilem potestatem? Vidisti principatus magnitudinem? Vidisti condita omnia sub hujus potestatem redacta? Nihil posthac mediocre de rationali hoc animali imagineris, sed cogita honoris magnitudinem, et Domini erga illud benevolentiam, obstupescens illius immensam, et inenarrabilem benignitatem. »

Atque id ipsum alibi repetit (*lib.* I *ad Stagir.*), monens « voluisse Deum hoc esse in terris hominem, quod ipse erat in cœlis. » Vide etiam quæ eam in rem tradit homilia II in Epistolam ad Hebræos (*n.* 2).

58. Nyssenus Chrysostomum ea in explicatione præcesserat ; subsequuntur autem Severianus Gabalitanus, et Theodoretus. Nyssenus scilicet tum alibi (*Dialog.* III, *tom.* I *Biblioth. Pat. Græco latinæ, cap.* 4), tum etiam in libro *de hominis opificio* uberi oratione hoc, de quo agimus, persequitur, hæc præsertim monens : « Ut in hac vita artifices instrumentum ea forma moliuntur, quæ usui sit apta : ita tanquam vas quoddam ad regni administrationem idoneum naturam nostram præstantissimus fabricavit artifex : ac tum animæ dotibus, tum figura ipsa corporis talem designavit hominem, ut ad regnum esset aptissimus. » Atque id ipsum, quod hic attingit, copiosa, uti diximus, deinceps, atque eleganti ratione persequitur. Quod attinet ad Severianum Gabalitanum, eum consule, quem in calce paginæ designo, locum, idque, de quo agimus, traditum invenies (*a*).

59. Theodoretus vero in eamdem sententiam hæc tradit (*In Caput* XI *Epistolæ* I *ad Corinth.*) : « Homo est Dei imago, neque quoad corpus, neque quoad animam, sed tantum quod attinet ad principatum et imperium : ut cui ergo omnium, quæ sunt in terra, imperium est creditum, Dei imago appellatur; mulier autem, ut quæ sit in potestate viri, *est viri gloria*, et veluti imago imaginis : nam ipsa etiam aliis imperat, sed viro subjecta esse, et ei parere jussa est. »

60. Sed ne Græcos tantum videamur afferre, ecce tibi Ambrosium hæc de homine tradentem (*b*) : « Hoc mentis vigore et externa subigit, et separata, ac distantia videt, et validiora viribus animalia subjicit, et tantam cæteris venerationem sui infundit, ut certatim quasi regi obediant, et voci ejus obsecundent : et cum sint irrationabilia, rationem agnoscant, et disciplinam eam imprimant, quam natura non tribuit. Denique videntes feræ ejus mansuetudinem, ejus imperio mansuescunt. Sæpe suspenderunt morsus suos, revocante sono vocis humanæ. Videmus innoxio canum dente lepores sine vulnere capi : leones quoque ipsos, si vox hominis resultaverit, prædam dimittere : pardos, atque ursos incitari, ac revocari vocibus : equos plausu hominum fremere, silentio mollire cursum : denique sæpe sine verbere præteunt verberatos : ita vehementius illos incitat linguæ flagellum. »

61. Ecce item Marium Victorem, latinum scilicet, et vetustum Patrem. Hæc nempe loquentem in hominis creatione Deum inducit (*De Origine mundi*):

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et sit imago Dei : similem decet esse creanti, etc.

Et deinceps :

Ergo hunc præpositum rebus cum conjuge jussit
Crescere per sobolem, terrasque replere vacantes.

Rursus quoque :

Primus enim meritis, postremus in ordine toto
Factus homo, ut sese rebus præstare creatis
Nosset, et hinc laudes Domino persolveret æquas.

62. In eamdem sententiam Alcimus Avitus ipse quoque hæc de homine loquentem Deum facit :

Nunc formetur homo, summi quem tangit imago
Numinis, et nostram celso donatus honore
Induat interius formosa mente figuram.
Hunc libet erectis sublimem incedere plantis,
Qui regat æterno subjectum pondere mundum,
Bruta domet, legem cunctis, ac nomina ponat,
Astra notet, cœlique vias, et sidera norit,
Discat et inspectis discernere tempora signis ;
Subjiciat pelagus sævum, ingenioque tenaci
Possideat quæcumque videt : cui bestia frendens
Serviat, et posito discant mansueta furore
Imperium jumenta pati, jussique ligari
Festinent trepidi consueta in vincla juvenci.
Quoque etiam natura hominis sublimior exstet,
Incipiat rectos in cœlum tollere vultus,
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longævo in tempore vitam.

63. Sed quis Augustinum non referat, qui hæc ait (De Genesi contra Manich., *lib.* I, *cap.* 17, *n.* 28) : « Quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundum interiorem hominem dicitur, ubi est ratio, et intellectus : unde etiam habet potestatem piscium maris, et volatilium cœli, et omnium pecorum, et ferarum, et omnis terræ, et omnium repentium, quæ sunt super terram : cum enim dixisset, *faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*, addidit continuo : *Et habeat potestatem piscium maris, et volatilium cœli*, et cætera : ut intelligeremus, non propter corpus dici hominem factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem, qua omnia pecora superat. Omnia enim animalia cætera subjecta sunt homini non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, et illa non habent. »

(*a*) Orat. V *de mundi Creatione* n. 4, pag. 484, tom. VI Op. Chrysost. edit. Montfauconii. *In quo est ratio imaginis? in potestate*, etc.

(*b*) Lib. VI, epist. XXXVIII, alias classe I, epist. XLIII, *Horontiano*.

64. Hic recense, si vis, Patres eos qui peccatum Dæmonis in eo collocant, quod inviderit homini summam eam in res omnes potestatem ac dominatum, quem sibi conferendum fuisse putarat. Hos porro nec contemnendos sane, nec paucos equidem recenserem, nisi laborem meum anticipasset præclarissimus Petavius, cujus locum in calce paginæ a me indicatum obsecro consulas (*De Angelis* III, 2, 8). Adde, si vis, auctoritatem Rabbi Saadiæ, collocantis scilicet eam, de qua agimus, imaginem in imperio, et dominatione (*Refert ex Aben Hezra Petav. de Opific.* II, 3, 2).

65. Quamquam necesse non est hac in re in Patrum, et Hebræorum testimoniis diu laborare, adeo scilicet id perspicuum est, ut illud quoque vetustis ipsis et inter idololatriæ tenebras positis Scriptoribus innotuerit. Id porro multorum quidem opinione denotant illa Tullii monita (*lib.* II *de finibus*) : « Eadem (*hominis*) ratio habet in se quiddam amplum, atque magnificum, ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum. Expressius porro Ovidius (I *Metamorph.*) :

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset.
Natus homo est, etc.

66. Hinc edomitas ab homine videmus crudeles belluas : atque id cum cæteri eleganter describant, descripsit sane Martialis nobili illo epigrammate (*fere habetur lib.* I, *n.* 104), quod ad hunc modum incipit :

Picto quod juga delicata collo
Pardus sustinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello.

quod quidem epigramma integrum legas velim : elegans quippe valde est, venustissimum, et id, de quo agimus, mirifice comprobat.

67. Ante Martialem argumentum hoc copiosissime pertractarat Philo : cujus verba si referam, vereor ne æquo sim longior : locum ubi jacent consulat lector (*de Opific. Gelen. interprete pag.* 16 *et* 17 *editionis Gryph. anni* 1561).

68. Quid ? quod pisces ipsi, tametsi ab hominum consortio remotissimi, non raro

Et norunt dominum, manumque lambunt
..... Et ad magistri
Vocem quisque sui venit citatus.

quod ego ipse sæpe vidi, dum virum pietate, et comitate præstantem D. Fulgentium Musianum ex ordine Carthusiensium, quique Bononiensium Religiosorum familiæ nunc præest, Deo et hominibus dilectus, convenirem : familiarissimos enim habebat pisces, quique voce illius acciti statim accurrebant, ut cibum ex illius manu sumerent.

69. Hic, si vis, recole quæ dissertatione I statuimus ; nimirum hominis causa sensibilia cuncta creata esse. Homini quoque Angelos ipsos ministerium præstare is fatebitur, qui assentitur D. Thomæ et Scholasticis pene omnibus docentibus, cœlorum astrorumque cursum ab iisdem Angelis dirigi perficique. Etenim cum cursus iste homini inserviat, homini sane ministerium præstabunt, qui ipsum dirigunt perficiuntque. Quid ? quod iidem Angeli nobis tutelæ ac præsidio sunt, sicut ab Apostolo Paulo (*Hebræ.* I, 14) « Ministratorii spiritus appellentur propter eos missi, qui hæreditatem capiunt salutis. » Quo de argumento plura hic dicerem, nisi peculiari libello ea de re copiose disputassem (Degli Angeli custodi). Consule, si vis, Petavium (*de Angel.* II, 6, 7 *et seq.*).

70. Eam ob rem non verentur multi inditam homini Dei imaginem in eo ponere, quod sicut Deus rerum omnium finis est, seu causa finalis, ita et homo, eo tantummodo hac in re Deum inter et hominem discrimine posito, quod Deus rerum omnium finis ultimus sit, homo vero ad Deum ipsum dirigi debeat, et ad eum contendere, in quo quiescat, et ad cujus gloriam ipse quoque sit conditus. Sed hoc de argumento cum luculentius alibi egerim (*Dissert.* I), eum locum recolat lector.

71. At jam vertendus est sermo ad eorum opinionem, qui censent eam, de qua disserimus, imaginem, sic explicandam esse, ut propterea dictus sit Adam ad Dei imaginem, quod homo donatus sit natura ea, cujus speciem induerat Deus, ut hominem conderet ; qua etiam specie tum eidem Adamo apparuit, tum reliquis Patriarchis et Prophetis. Sed de hoc quoque argumento cum satis alibi disseruerimus, in secunda scilicet dissertatione, ad eum locum lectorem allego.

72. Sed quid de illorum opinione dicendum est, qui putant propterea ad Dei imaginem appellatum fuisse Adam, quod eam naturam, ac formam a Deo receperit, quam habiturus erat Unigenitus Dei, cum ad homines eorum caput, Dominus ac redemptor venturus erat. Id sane proposuit Tertullianus tum in libro contra Praxeam (*a*), tum etiam in libro *de resurrectione carnis* hæc scribens (*cap.* VI) : « Quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod et limus, et caro sermo, quod et terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad filium : Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit hominem Deus : id utique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi. Et sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantum Dei opus erat, sed et pignus. »

73. Eadem tradit Prudentius, hæc elocutus (*in Apotheosi*) :

Christus forma Patris, nos Christi forma et imago,
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturi in nostram faciem post sæcula Christi.

Adde quæ alibi hoc de argumento diximus (*Disserta.* II, *n.* 29 *et seqq.*).

74. At Petavius (*De Opific.* II, 2, 4) opinionem hanc propterea rejicit, quod si vera esset, Deus Pater, qui hæc elocutus esse censetur : *Faciamus hominem*

(*a*) Cap. XII. *Erat autem ad cujus imaginem faciebat ; ad filii scilicet, qui homo futurus certior ac verior.*

ad imaginem et similitudinem nostram ; *nostram utique non dixisset*, *sed tuam* (o Fili). Num hæc animadversio opinionem eam satis refutet, alii viderint. Consule, obsecro, Petavium ipsum cap. VII libri II de Trinitate (*n.* 4).

Ex hactenus dictis dijudicet Lector, quid de postrema opinione sentiendum sit, eorum scilicet, qui fatentur in homine quidem extare eam, de qua agimus, *similitudinem et imaginem* : sed in quo posita ea sit, minime apparere. Si quid scilicet probabile hactenus diximus, tam et si stabilire certo non possimus, in quo hæc posita sit ; tamen Patrum ea in disquisitione posita studia effecerunt, ut verisimile aliquid invenerimus, in quo hanc collocemus. Ea de re minime dubitabis, si ea expenderis, quæ a numero decimo tertio ad hunc usque locum copiose tradidimus.

QUÆSTIO III et IV.

In qua hominis parte posita sit hæc, de qua agimus, imago et similitudo. Et : *An soli viro, an etiam fœminæ eamdem imaginem et similitudinem indiderit Deus.*

75. Si ea expendimus, quæ in superiori quæstione diximus, facile constabit, in corpore poni minime posse eam, de qua agimus, Dei imaginem, nisi forte in ea significatione id dicatur, quam præeunte Augustino n. 47 proposuimus. In anima vero poni posse, minime dubito. At num in animæ substantia, num in illius potentiis, num alia quapiam ratione, tum demum asseres, cum aliquam ex antea explicatis opinionibus amplecteris. Qui enim in spiritu eam imaginem collocant, in animæ substantia collocant. Qui in intellectu, voluntate, libertate, aliisque hujus modi, in potentiis ponunt. Qui vero in eximia hominis perfectione, et excellentia, atque in dominio, quod supra creaturas exercet, aliisque affinibus sitam volunt, alia addant necesse est, tametsi in anima (si loqui ita volumus) *fundamentum* habeant, et, uti scholastici fere aiunt, *adhæsionem* et *subjectum*. Et de III quæstione hactenus.

76. Quod itaque ad quartam attinet, desumitur illius solutio a solutione primæ, ac secundæ quæstionis, sed secundæ præsertim. Etenim si in anima, illiusque potentiis, ac qualitatibus, aut, si vis, in virtutibus collocas, quis ab ea dignitate fœminas arceat? Alcimus Avitus fœminas hujusce excellentiæ compotes profecto facit, cum hæc ait (*Ad Fuscinam sororem lib.* I) :

> Ecce vides sexu ut careat cœlestis imago,
> Interior sortitus homo quam mente retentat,
> Nec sexum acceptat.

77. Marius item Victor fœminas ejusdem præstantiæ participes videtur facere, cum Deum hæc eloquentem inducit (*lib.* I *in Genesim*) :

> Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
> Et sit imago Dei : similem decet esse creanti,
> Liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis.

78. Si vero in perfectione eximia, quam supra cæteras creaturas habet homo, eam similitudinem colloces ; fœminam ad Dei imaginem factam neges necesse est. Etenim mulieri præstat vir, illiusque caput est. Expressissime Chrysostomus (*a*) : « Ut enim scias humana forma præditum non esse numen, audi Paulum dicentem : *Vir quidem non debet velari, cum sit imago et gloria Dei : Mulier autem gloria viri est, propterea debet*, inquit, *velum habere supra caput.* Enimvero si hoc loco imaginem id appellavit, æqualem divinæ omni ex parte formæ similitudinem significans, et idcirco Dei imago vocatur homo, quia Deus hoc pacto figuratus est. Igitur secundum illos non virum tantum ad imaginem factum dici oportebat, sed etiam mulierem ; mulieris enim virique figura, et forma, et similitudo est una. Quam igitur ob causam imago Dei vir dicitur, mulier vero non item? Quia nimirum non de imagine mentionem facit, quæ in forma sita sit, sed de imagine, quæ in dominatu, quam solus homo habet, non autem mulier. Nam hic quidem nemini subditus est, illa huic subdita, quemadmodum inquit Deus : *Ad virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur.* Idcirco Dei quidem imago est vir, quia sublimiorem nullum habet, quemadmodum Deo sublimior est nullus, sed omnibus dominatur. Mulier vero gloria viri est, quia viro subjecta est. »

79. Imitatur, et tantum non totum exscribit Chrysostomum Theodoretus (*b*) hæc docens : « Homo est Dei imago, neque quoad corpus, neque quoad animam, sed tantum quod attinet ad principatum et imperium : ut cui ergo omnium, quæ sunt in terra, imperium est creditum, Dei imago appellatur. Mulier autem ut quæ sit in potestate viri, est viri gloria et velut imago imaginis : nam ipsa etiam aliis imperat : sed viro subjecta esse, et ei parere jussa est. » Deinde aliam rationem adjungit, ut hujusce præstantiæ fœminam exortem faciat : « Non enim vir, inquit, ex muliere est, sed mulier ex viro. Ergo etiam ratione creationis viri primas partes obtinent. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Hoc etiam sufficit ad ostendendum, virum jure principatum tenere : non enim hic propter illius usum, sed ipsa propter ejus usum producta est. » Eadem tradiderat quæstione XX in Genesim (*in veteri editione, interprete Joanne Pico*). Et de duabus his quæstionibus satis.

QUÆSTIO QUINTA.

An Angelus ad similitudinem et imaginem Dei factus sit.

80. Hujus quoque quæstionis solutio a I et II quæstionis ac secundæ præsertim solutione derivatur. Si enim similitudinem et imaginem in gratiæ donis colloces, quis ad similitudinem et imaginem Dei factos esse Angelos neget, cum hi in ipsa creatione

(*a*) Sermon. II *in Genesim* n. 2, pag. 653 Tomi IV editionis Montfauconii.

(*b*) In Commenta. in Episto. Pauli I ad Cor. cap. XI, ad verba illa : *Vir non debet velare caput suum* (interprete Gentiano Herveto).

uberrimis amplissimisque gratiæ donis ditati sint : et ea de causa *Filii Dei* appellati (*a*) ? Ad imaginem Dei pariter factos dices, si imaginem in spiritu, illiusque potentiis, ac sublimibus qualitatibus pones. Nam hæc procul dubio non modo in Angelis sunt, verum etiam in his excellunt, et præstant. Hac, ut arbitror, de causa non modo Angelum ad imaginem Dei factum, verum etiam excellentiori quadam ratione ad eamdem imaginem factum docet Gregorius Magnus, cujus verba referre hic placet (*lib.* XXXII *Moral. cap.* 18). Scilicet ad diabolum referens quod Ezechiel de rege Tyrio ait : *Tu signaculum similitudinis Dei*, hæc subjicit : « De sigillo quippe anuli talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in sigillo eodem essentialiter habetur. Et licet homo ad Dei similitudinem creatus sit, Angelo tamen quasi majus aliquod tribuens, non eum ad similitudinem Dei conditum, sed ipsum signaculum Dei similitudinis dici, ut quo subtilior est natura, eo in illo similitudo Dei plenius credatur expressa. »

(*a*) *Factum est autem, cum quadam die venissent filii Dei, et starent coram Domino.* Job. II, 1. *Cum jubilarent astra matutina, et me laudarent omnes filii Dei.* Job. XXXVIII, 7. Ad hæc, Paulus hæc scribit, I Cor. VIII, 5 : *Nam etsi sunt, qui dicantur filii Dei, sive in cœlo, sive in terra :* quo quidem in loco Angelos innuere videtur. Qui enim sunt *filii Dei in cœlo*, si Angeli non sunt ? Tamen quia Jobi loca aliter a nonnullis vertuntur, et Pauli locus accipi secus potest, mirum non est, si Chrysostomus palam neget, *filios Dei* Angelos aliquando appellari. *Homines quidem*, inquit ille, *filii Dei dicti sunt, Angeli autem nunquam.* Homil. XXII in Genes. n. 2, pag. 195 Tomi IV editionis Montfaucon.

A 81. At si vel in ea perfectione, et excellentia collocas, quam numero 46, et subsequentibus exposui, vel expresse in dominio supra cæteras creaturas, procul dubio ab Angelis ea arcenda est, ideoque imago Dei, de qua agimus.

Sane Theodoretus (*quæst.* XX *in Gen.*) in eo totus est, ut eam imaginem ab Angelis arceat, et in solo homine statuat. Ad quem quidem finem cum alias rationes afferat, tum hanc sane, quod Angelus in creaturas reliquas nullam exercet potestatem, quam tamen maximam exercet homo. Sed ipsa Theodoreti verba referre præstat, ex quibus scilicet ea, quæ diximus, lector per se percipiat, « Quidam ad imaginem Dei hominem creatum esse arbitrantur secundum potentiam animæ invisibilem, non intelligentes, quod et B Angelus invisibilis est, sicut et Dæmon .... Quod si solus homo ex omnibus creaturis imago Dei est, peculiarem quamdam rationem hujusce denominationis oportet esse, etc. »

Atque hic III dissertationi finis sit.

JOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI IN SEQUENTEM SERMONEM PRÆFATIO.

Reliquis humanitatis ac benevolentiæ officiis, C quibus RR. PP. DD. Joannes Gualbertus Beccari, et Philippus a Turre, Cassinensis Congregationis amplissimi Præsules, me apud eos Florentiæ degentem cumularunt, hoc etiam addi voluere, ut, cum scirent me inedita Patrum scripta perquirere, ut ea pervulgarem, Sermonem in Codice complectente S. Hilarii Pictaviensis Opera eidem Hilario tributum, in celeberrima sui Monasterii Bibliotheca inventum, ad me mitterent diligentissime exscriptum manu doctissimi Patris D. Petri Aloysii Galletti Philosophiæ Lectoris, et de veteri litteratura, cui summo studio etiam incumbit, præclare meriti. Novi statim, Hilario Pictaviensi adscribi Sermonem hunc minime posse, reclamante scilicet locutione ipsa, ab ea quam Hilarius Pictaviensis persequitur, valde remota. At cuinam adscriberem, ignorabam. Porro dum *Concionatoriam Combefisii Bibliothecam* ad eum finem revolvo, ut perquiram num is Sermo evulgatus sit, an non, comperio evulgatum eum esse quidem, et Bedæ adscriptum (*a*), sed additis immutatisque nonnullis periodis; vel scilicet ut sermo accommodaretur loco illi Evangelii, qui eidem Sermoni in ea editione præponitur (*b*), vel ut uberius analogia, quæ Judaicum inter templum et Christianam Ecclesiam interest, explicetur : qua quidem re ejusdem Sermonis puritati ac venustati nonnihil detrahi videtur (*c*). Eum itaque, ut habet Florentinus, quem diximus,

(*a*) Inter æstivales Bedæ sermones (pag. 169 Tomi VII editionis Coloniensis anni 1612) eum invenies. At dubitatur a multis, num omnes, qui in hac editione Bedæ tribuuntur Sermones, a Beda compositi sint; eorum enim nonnulli alium videntur habuisse auctorem.

(*b*) In iis, quos consului, vetustis libris jam evulgatis (Vide paginam 718 Tomi II Martene *de antiquis Ecclesiæ Ritibus*, editionis Antuerpiensis, seu potius Mediolanensis anni 1736); in iis quoque, quos apud nos servamus, sæculi XI et XII codicibus ea Evangelii portio, quæ in dedicatione Ecclesiæ legebatur, et adhuc legitur, desumpta est ex Capite XIX Lucæ : *Ingressus Jesus perambulabat Jericho.* Sed in Galliis videtur per ea tempora fuisse lecta portio desumpta ex Matth. VII, 17 : *Omnis arbor bona*, etc., et huic lectioni sese etiam accommodat Beda, si is est ejus sermonis auctor, quem secundo loco apponimus. Aliud etiam Evangelium fuisse nonnunquam in dedicatione lectum, indicat Beda in Homilia in dedicatione Ecclesiæ. *In illo tempore facta sunt Eucænia in Hierusalem, et hyems erat*, etc., pag. 174 Tomi VII Operum Bedæ : qua in re prorsus congruit antiquissimum *Lectionarium Gallicanum* Mabillonii. Vide lib. II de Liturgia Gallicana, pag. 168.

(*c*) In sermone jam edito hæc præ cæteris habentur : « Columnæ stant ante ostium Templi; quia adventum Redemptoris nostri, qui ait : *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur*, præcesserunt doctores egregii, de quibus dicit Apostolus : *Jacobus*,

Codex, evulgandum censui. At quoniam Pictaviensi Hilario abjudico, si Hilario alteri tribuere vis (quod per me quidem licet), Arelatensi Hilario tribue, quem certo novimus et sacra templa erexisse (*a*), ideoque dedicasse, et sermones ad populum recitasse non paucos (*b*); ex vulgata quoque interpretatione, qua sane utitur hujusce Sermonis auctor, Scriptura-

et Cephas, et Jounnes, qui videbantur columnæ essa, qui eidem adventui ejus testimonium perhiberent » An vero adventum Domini præcesserunt, et eam ob causam «columnæ stantes ante ostium templi» fuerunt Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui Christum non prænuntiarunt, sed illius fuere discipuli? Profecto columnas eos propterea vocat Paulus, quod stabiles, columnarum instar, in fide essent, et veluti præcipua christianæ Religionis fulcimina.

(*a*) In cap. 8 Vitæ S. Hilarii Arelatensis hæc habentur : *In mediatore jugiter permanere... instituere monasteria, ædificare templa, confirmare Monachos institutione sua.*

(*b*) Cap. 11 ejusdem Vitæ hæc leguntur : « Si peritorum turba defuisset, simplici sermone rusticorum corda nutriebat : at ubi instructos supervenisse vidisset, sermone ac vultu pariter in quadam gratia insolita excitabatur, se ipso celsior apparebat, ut ejusdem prolati auctore temporis, qui suis scriptis merito claruerunt, Silvius, Eusebius, Domnolus admiratione succensi, in hæc verba proruperint : Non doctrinam, non eloquentiam, sed nescio quid super homines consecutum.... Et licet gratia ejus ex his operibus, quæ eadem dicendi impetu concepit, genuit, ornavit, protulit, possit absque hæsitatione dignosci; vita scilicet antistitis Honorati, homiliæ in totius anni festivitatibus expeditæ, etc. » Hac fortasse conjectura, et eo etiam quod idem stylus, ac phrasis appareat, atque ea quæ in vita S. Honorati ab Hilario Arelatensi conscripta eminet, Combefisius aliique permoti non modicam partem eorum sermonum, qui Eusebio Emisseno aut Eucherio tribui consuevere, Hilario Arelatensi tribuunt. Vide Combefisii biblioth. Conciona. in Resurr. Domini.

(*c*) Sane in iis sermonibus, quos in resurrectionis Dominicæ solemnitate recitasse Hilarium Combefisius censet, Eusebio Emisseno utique adscriptis, Vulgata Scripturæ interpretatio plerumque eminet. Sed et in Arum loca allegare consuevisse (*c*). Atque huic quidem conjecturæ ac suspicioni meæ ipsa Hilarii Arelatensis scriptio hujusce Sermonis scriptioni haud absimilis plurimum favet. At cuicumque tandem sermo hic tribuatur, laudabilis est utique, et procul dubio vetustus, ideoque is, qui antiquam formam ac candorem pristinum recipere mereretur.

Vita S. Honorati, quæ procul dubio ab Hilario Arelatensi composita est, ad hunc modum Scripturæ loca allegantur, *n.* 3.» «Ne laudes hominem in vita sua, et iterum : » Ante mortem ne laudes quempiam, *n.* 8. Ordinate in me charitatem, *n.* 10. In multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in verbo veritatis, in virtute Dei, *n.* 14. Euge serve bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui, *n.* 15. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. = Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, *n.* 20. Vende omnia tua, et da pauperibus, et veni, et sequere me, *n.* 26. Omnibus omnia factus, n. 37. Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur. = Quid enim habes quod non accepisti? aut si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » Porro hæc in Vulgata sic se habent : « Ante mortem ne laudes hominem quempiam (*Eccles.* XI, 30). Ordinavit in me charitatem (*Cantic.* III, 4). In multa patientia, in tribulatione, in necessitatibus, in angustiis..., in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei (II *Cor.* VI, 4, 5, 6). Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui (*Matth.* XXV, 21). Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem (*Ps.* XC, 13). Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones (*Luc.* X, 19). Vende quod habes, et da pauperibus..., et veni, sequere me (*Matth.* XIX, 21). Qui timent te, videbunt me, et lætabuntur (*Ps.* CXVIII, 74). Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? » (I *Cor.* IV, 7.) Qua quidem locorum collatione plane assequeris, aut ipsissimam, quam nunc sequimur, ab Hilario Arelatensi fuisse allegatam, aut certe tam affinem Vulgatæ interpretationem, ut pro Vulgata haberi possit.

SERMO B. HILARII

DE DEDICATIONE ECCLESIÆ CUMPTUS (*a*) PICTAVIS

IN ECCLESIA IPSIUS IBIDEM CONSECRATA.

Quia propitia Deitate, Fratres Charissimi, solemnia dedicationis Ecclesiæ celebramus, debemus congruere solemnitati, quam colimus, ut sicut ornatis studiosius ejusdem Ecclesiæ parietibus, pluribus accensis luminibus, ampliato numero lectionum, addita Psalmorum melodia, lætis noctem vigiliis ex more transegimus; ita etiam penetralia cordium nostrorum semper necessariis bonorum operum decoremus ornatibus. Semper in nobis flamma divinæ pietatis et fraternæ caritatis augescat; semper in sanctuario pectoris nostri cœlestium memoria præceptorum et angelicæ laudationis dulcedo sancta resonet. Hi sunt enim fructus bonæ arboris, hic boni cordis thesaurus, hæc fundamenta sapientis Architecti, quæ nobis hodierna Sancti Evangelii lectio commendat, nos non formam solummodo, sed virtutem potius habere pietatis : quod etiam mystica veteris instrumenti historia diligenter insinuat, cum vel Moyses tabernaculum, vel templum Domino Salomon in Sanctæ Ecclesiæ typum condidit; utraque enim domus firmiter fundata esse refertur : Tabernaculum quidem, quod compactos de tabulis habebat parietes super bases argenteas, templum autem super lapides quadros in fundamento suppositos. Li-

(*a*) Nullius significationis est vox *cumptus*, quam habet codex. Fortasse legendum est *compositus*.

gna quoque erant imputribilia, e quibus et Tabernaculum omne factum, et Templum intus ornatum, ac desuper tectum fulgebat. Aurum etiam de thesauro bono optimum proferebant, de quo parietes intus et foris vestiti, Templi non tantum parietes, verum etiam laquearia, trabes, ostia, postes, et pavimenta erant cooperta. Sed et vasa, vel utensilia domus utriusque cuncta pene aurum, neque hæc, nisi de auro purissimo, fieri licebat. Fructus etiam arborum, qui in domo Domini offerebantur, purissimi et exquisiti esse jubebantur. Hoc est, Vitis, Olivæ, Thuris, Myrrhæ, vel Stactis, et cæterarum hujusmodi : quæ videlicet cuncta spiritaliter intellecta veram nostræ Fidei et operationis sinceritatem denuntiant. Domus namque utraque, ut diximus, Universalis Ecclesiæ figuram præmonstrat. Neque incongruum quis arbitretur, quod duæ sunt domus Domini in mysterio factæ, cum unam Christi domum esse Ecclesiam nullus fidelis ambigat. Duæ etenim sunt conditæ domus ob significationem utriusque populi in eamdem Fidem venturi, Judæi scilicet atque gentilis. Unde bene Tabernaculum sola plebs Judæa condidit in eremo. Templi autem structuram Proselyti, et advenæ de Gentibus quotquot in populo tunc inveniri poterant, devota fide compleverunt. Sed et Rex potentissimus, Tyri conductus a Salomone commodatis artificibus, et lignis gratantissime juvit, quia nimirum ante incarnationem Dominicam *notus erat* tantum *in Judæa Deus*. At postquam ille in ea, qua natus, et passus est, carne resuscitatus a mortuis, et exaltatus est super cœlos Deus, super omnem continuo terram nominis ejus gloria refulsit, orbisque universus ad ædificationem domus illius accurrit, et accepit ab eo promissionem donorum cœlestium. Narrat ergo Scriptura, quia præcepit Rex Salomon, *ut tollerent lapides grandes in fundamentis Templi, et quadrarent eos*. Lapides autem grandes pretiosi, qui in fundamento locati totum onus Templi sibi superpositum portant, eximios sanctæ Ecclesiæ Doctores insinuant, grandes nimirum excellentia meritorum, pretiosos claritate signorum, qui ab ipso Domino verbum audientes totam crescentis Ecclesiæ fabricam sua prædicatione genuerunt. Quos videlicet lapides Rex quadrare præcepit, ut magistros Ecclesiæ compositos moribus, et immobiles animo esse debere signaret. Sicut vero quadratum, quocumque vertitur, stabit, ita nimirum vita perfectorum quæ ad veritatis lineam sollicite directa est, nullis tentationum impulsibus a sua novit stabilitate dejici. Erat autem Templum Dei marmore pario, quod est, lapide albo extructum, ut candorem Ecclesiasticæ castitatis exprimeret, de quo in amoris Cantico Dominus ait : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*. Habebat idem LX cubitos in longitudinem, XXX cubitos in latitudinem, XXXX cubitos in altitudinem. Longitudo ergo Templi fidem sanctæ Ecclesiæ designat, per quam longanimiter inter opera sua bona pravorum adversa tollat : latitudo charitatem, qua ipsa intus per viscera pietatis spatiatur : altitudo spem, qua propter bona opera, quæ per charitatem operantur, cœlestis vitæ præmia exA pectant. Et bene longitudo LX cubitorum est. Senario etenim numero bonorum operum solet perfectio designari, quia etiam Deus sex diebus mundi ornamentum fecit; et sex sunt hujus sæculi ætates, in quibus sancta Ecclesia pro æterna requie piis actibus instat. Bene XX sunt cubiti latitudinis, quia geminum est præceptum charitatis, quoniam Ecclesia in tribulatione dilatatur, cum perfectus quisque etiam conditorem ex toto corde, tota anima, tota virtute, et proximum tanquam se ipsum diligere debet. Bene XXX in altitudine sunt cubiti, quia omnis Electorum spes ad visionem sanctæ Trinitatis, quantum valet, se exercendo et purificando properat. Notandum sane est, quod XXX cubiti altitudinis non usque ad B supremum templi fastigium, sed usque ad laquearia templi pertinebant, deinde ad laquearia medii tabernaculi alii XXX cubiti altitudinis assurgebant. Porro terrenum cœnaculum, quod supererat, LX habebat in latitudinem, ac sic omnis altitudo domus in CXX cubitis erat extenta. Prior igitur domus XXX cubitis in altitudine surgit, quia præsens Ecclesia ad videndam speciem Sanctæ Trinitatis tota intentione suspenditur. Superior domus XXX æque cubitis se in altum attollit, quia solutæ corporibus animæ perfectorum usque ad diem universalis Judicii ejusdem beatæ et individuæ Trinitatis præsenti visione fruuntur. Suprema domus bis tricenis alta est cubitis, quia resuscitati a mortuis omnes electi contemplatione ejusC dem sui conditoris, qui in tribus personis unus est Deus, æterna spiritus simul, et carnis immortalitate gaudebunt. Factus est medius paries in templo de tabulis cedrinis XX cubitorum altitudinis, qui divideret oraculum in Sanctum Sanctorum ; a priore parte templi habebat XX cubitos longitudinis, et XX cubitos latitudinis, et XX cubitos altitudinis. Porro ipsum templum præ foribus oraculi XV cubitorum erat, in quo erant mensæ, et candelabrum de auro. Sed et altare aureum prope ostium Oraculi, quatenus incenso in eo thymiamate vapor fumi ascendens operiret oraculum, ubi erat arca Testamenti, super qua erant Cherubim gloriæ obumbrantia Propiciatorium. Prior ergo domus prioris Ecclesiæ statum : interior vitæ cœlestis ingressum designat. Unde recte priori mensæ et candelabra sunt facta, quia nimirum in hac D vita lumine sanctarum Scripturarum, et Sacramentorum cœlestium refectione opus habemus : In futuro autem talibus non egebimus subsidiis, ubi juxta Psalmistæ vocem *quicumque apparuerint cum justitia, satiabuntur manifesta gloria Domini*. In hac ergo vita corda justorum, quasi altare incensi aureum, splendida fulgent per munditiam sanctitatis. Aromatibus sunt referta desideriorum spiritualium, incendio flagrant amoris continui, et quasi cœlestis introitus posita suavissimum suæ orationis vaporem inter sancta sanctorum superna emittunt, *ubi Christus est in dextera Dei sedens*, quem apertissime arca Testamenti, quæ erat intra velum, designat; in qua *Urna erat aurea habens Manna, et Virga Aaron, quæ fron-*

ducrat, et Tabulæ testamenti. Ipsa namque Arca naturam humanitatis ejus; Urna mannæ plenitudinem divinitatis: Virga Aaron potentiam sacerdotii ejus inviolabilem; Tabulæ testamenti designant, quia ipse est qui legem condidit, quique etiam benedictionem his, qui legem faciunt, dabit. Bene autem Templum præ foribus Oraculi XV erat cubitorum longitudinis, quoniam adhuc in hac vita jejuniis et continentia castigari oportet, ut ad internæ dulcedinis satietatem pervenire videamur; nam hoc numero castigationem vitæ præsentis signari intelligit omnis, qui quadragenarium Moysi, vel Heliæ, vel ipsius Domini jejunium recte intelligere vult. Bene ipsum Oraculum, in quo Arca, quæ per Cherubin gloriæ tegebatur, XX cubitos longitudinis, latitudinis, altitudinis habebat, qui numerus perfectionem, ut diximus, geminæ dilectionis insinuat, quia quidquid in hac peregrinatione pro Deo geritur, totum hoc in illa mansione patriæ perennis, ubi magnificentia ejus continua bonorum spirituum laudatione sustollitur, in sola dilectionis amplitudine perficitur. Hæc nos, charissimi, in præsentis festi nostri gaudium de factura templi pauca ex pluribus fraternitati vestræ exposuisse libuit, quatenus et miranda terrestris domus fabrica delectaret audientes, et hæc eadem spiritualiter intellecta mentes nostras ardentius ad amorem supernæ habitationis erigeret. Sed etiam hac modo exposita dedicatione, ac festivitate subsecuta, ita Scriptura conclusit (III *Reg.* VIII, 66) : *Et dimisit Salomon populos, qui benedicentes Regi profecti sunt in tabernacula sua, lætantes, et alacri corde super omnibus bonis quæ fecerat Dominus David puero suo, et Israel populo suo :* Dimittet enim Dominus peracto redemptionis munere electos suos in æterna tabernacula lætantes; non eos utique ulterius a sua præsentia removebit, sed a discrimine judicii, quod in aere faciendum, docente Apostolo, novimus (I *Thess.* IV, 16), in habitationem Patriæ cœlestis immittens, ut pro suis quisque meritis promissam regni cœlestis sedem percipiant. Bene autem dicitur, quod *benedicentes Regi profecti sunt in tabernacula sua*, quia hæc est nimirum sola occupatio quietissima ac fidelissima civium supernorum, hymnos gratiarum suo dicere conditori : hinc enim scriptum est (*Ps.* LXXXIII, 5) : *Beati qui habitant in domo tua, in sæculum sæculi laudabunt te :* lætantes in tempore, et alacri corde super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David servo suo, et Israel populo suo. Lætantes quippe justi super bonis, quæ a Domino accipiunt, tabernacula introeunt cœlestium mansionum, quia quamvis graves hujus sæculi, quamvis longi fuerint labores, breve nimirum et leve quidquid æterna beatitudine finitur. Unde oportet, Carissimi, ut in ædificatione Domus Dei unusquisque nostrum exhortando, obsecrando, increpando, ipse piis actibus desudando, quantum valet, insistat, ne si quempiam Rex cœlestis nunc desidere in opere sui templi conspexerit, hunc in tempore futuræ dedicationis, magnæ suæ solemnitatis reddat exortem. Satagamus mutuo charitatis auxilio, ut omnes vos alacri corde, et indefessos in operibus, quæ ipse præcepit, inveniens, omnes ad præmia, quæ promisit, perpetuæ suæ visionis introducat Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat cum Patre Deus in unitate Spiritus Sancti per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

MONITUM EDITORIS.

In editione Veronensi eo loci interseritur opusculum cui titulus : *Metrum in Genesim, ad Leonem papam.* Quod quidem carmen, cum ad Hilarium nostrum non pertinere nemo eruditorum inficias eat, ad Opera sancti papæ cui nuncupatur relegandum duximus.

LIBER DE PATRIS ET FILII UNITATE,

ET ALIQUOT LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ INTERPRETATIO.

Qui hunc librum anno 1535 *typis Frobenianis edi curaverunt, vix illum e prelo subduxerant, cum compererunt illum non novum Hilarii opus, sed rhapsodiam esse studiosi cujuspiam, tum e secundo libro de Trinitate, tum maxime ex nono consarcinatam, cui aliunde adtexta est appendix de variis Christi cognominibus. Hæc porro appendix descripta est ex cap.* 6 *libri de fide orthodoxa, apud Ambrosium et apud Gregorium Naz. vulgati, quem Gregorii Bœtici esse plurimi arbitrantur. Ex eodem additamento conficitur sermo in appendice Augustini nunc* 115.

Deus qui ubique est (*Ex lib.* II *Hilarii de Trinit.*, num. 6), et ubique totus est, ita regimen intelligentiæ excedit, extra quem nihil est, cui semper sit, ut hoc modo se velit in veritate sacramenti intelligi. Hoc imperspicabilis naturæ est nomen in Patre, quod Deus invisibilis, ineffabilis, infinitus, ad quem et eloquendum sermo sileat, et investigandum sensus hebetetur, et complectendum intelligentia coarctetur. Deficit ergo (*Ex num.* 7) in nuncupatione confessio, et quidquid illi sermonum aptabitur, Deum ut est, quantusque est, non loquetur. Perfecta scientia est, sic Deum scire, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem scias. Credendus est, intelligendus, adorandus est, et iis officiis eloquendus.

Est autem Filius progenies ingeniti (*Ex num.* 3),

unus ex uno, verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, sapientiæ sapientia, gloria gloriæ, imago invisibilis Dei, forma patris ingeniti : habet igitur nativitatis hujus utique secretum (*Ex num.* 9). Et si quis forte intelligentiæ suæ imputaverit, generationis hujus sacramentum non posse consequi, cum tamen et Pater sit absolute intellectus, et Filius nec major eo, nec minor ; sine dolore a me audiet, Ignoro, ego nescio, non requiro. Consolabor me tamen : Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, Propheta non sensit, Apostolus interrogavit, Filius ipse non edidit. Cesset dolor querelarum. Non te, quisquis es qui hæc quæris, revoco in excelsum, non in amplitudinem tendo, non deduco in profundum.

Hæc de natura divinitatis attigimus (*Ex num.* 11 *et* 12), non summam intelligentiæ comprehendentes, sed intelligentes incomprehensibilia esse quæ loquimur. Nullum ergo, dicis, officium fidei est, si nil poterit comprehendi. Immo hoc officium fides profiteatur, id unde quæritur incomprehensibile sibi esse scire. Superest de inenarrabili generatione Filii adhuc aliquid : immo aliquid illud adhuc totum est. Æstuo, differor, hebesco, et unde incipiam nescio. Nescio enim quando natus sit Filius : et nefas est mihi scire quando natus sit Filius. Quem imprecer ? quem implorem ? ex quibus libris ad tantarum difficultatum narrationem verba præsumam ? Evolvam omnem Græciæ scholam ? Sed legi, ubi sapiens ? ubi scriba ? ubi conquisitor sæculi ? In hoc ergo mundo sophistæ multi et sapientes sunt : sapientiam autem Dei reprobaverunt. Scribam legis consulam ? Sed ignorat, et crux Christi scandalum est. Hortabor forte vos connivere et tacere : quia ad venerationem ejus satis sit, quod in Evangeliis prædicatur tanta inter homines fecisse stupenda prodigia.

Ex num. 13. — Consistit enim meum in patrocinium meditatarum difficultatum piscator egens, ignotus, indoctus, manibus lino occupatis, veste humida, pedibus limo oblitis, totus e navi. Quærite et invenite, utrum mirabilius fuerit mortuos suscitasse, an imperito scientiam istius doctrinæ intimasse? Ait enim, In principio erat Verbum. Transeuntur tempora, transmittuntur sæcula, tolluntur ætates : piscator meus illitteratus liber a tempore est, vicit omne principium.

Principium lib. IX. — Tractantes ante paucos dies de indifferenti natura Dei patris et Dei filii, etc., *usque ad hæc num.* 44. Ac sic perfectam fidem docuit, cum id quod modo est, ejusdem temporis opus sit ; et id quod operatur Pater operatur et Filius extra singularis sit unionem.

Ex capit. 6 *Tractatus de fide orthodoxa.* — Denique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur Deus quid sit : et videamus an illi possit aliquid comparari. Certe hoc est Deus, quod et cum dicitur, non potest dici ; cum æstimatur, non potest æstimari ; cum comparatur, non potest comparari : cum definitur, ipsa definitione sua crescit : qui cœlum manu sua operit, pugno omnem mundum claudit, quem totum omnia nesciunt, et metuendo sciunt, cujus nomini et virtuti famulantur, hunc orbis ex ipsa elementorum sibi succedentium momentanea vicissitudine testatur.

Ratio quædam est, quæ apud Græcos λόγος appellatur, quæ inter Patrem et Filium personas vel vocabula distinguit : quia ipse Filius ratio dicitur, quæ tamen ratio multis nominibus appellatur. Modo enim verbum, modo virtus, modo sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via, modo veritas, modo vita, cum sit Deus omnia et in omnibus. Et per hæc vocabula divinarum dispensationum mysteria cognoscuntur.

Nam et ob hoc Verbum nuncupatur : quia et proprie divino ore processit, et nihil Pater sine eo aut jussit, aut fecit. Virtus dicitur : quia vere de Deo, et semper cum Deo, et omnis potestas Patris in ipso consistit. Sapientia appellatur : quia de corde Patris adveniens arcana in cœlestibus (*Apud Ambr.* cœlestia credentibus) reseravit. Dextera nuncupatur : quod per eum omnia opera divina perfecta sunt. Brachium dicitur : quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur : quia nihil illo pretiosius invenitur. Thesaurus dicitur : ut in ipso omnes divitiæ regnorum cœlestium, quæ reconditæ sunt, agnoscantur. (*Ambr.* conditæ agnosc.) Retia dicitur : quia per ipsum, et in ipso de mari sæculi, gentium quasi multitudo piscium in Ecclesia congregantur, ubi bonorum malorumque discrimina cognoscuntur. Aratrum nuncupatur : quia signo crucis suæ gentium pectora subiguntur, ut necessario semini præparentur. Fons aquæ appellatur : quia ex eo sitientium corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur : quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiem præstat. Lapis dicitur angularis : quia utrosque parietes veteris ac novi Testamenti unus mediator in semetipso continens copulavit. Agnus appellatur : ut innocentia Christi et passio demonstretur. Homo ditur : quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur : quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila dicitur : quia post venerabilem resurrectionem, quasi remis alitum, ad Patrem revolavit (rex alitum ad Patris revolat sedem). Idem leo dictus est : quia ipse est rex regum, qui mortem ac diabolum virtutis suæ potestate comminuit. Via est : quia per ipsum accessum habemus (adscensus est) ad Deum patrem. Veritas est : quia mendacium nescit. Vita est : quia ipse universa vivificat. Vides ergo, quia per hæc vocabula significationes dispositionum et operum divinorum præostensæ sunt : non tamen ipse Deus per hæc proprie definitus est.

Ex cap. 8 *prædicti Tractatus.* — Est ergo Pater Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est et Filius ejus Dominus noster tantus,

quantus est Pater ; sed non aliunde, sed de Patre : quia inquit, *De Patre exivi*, hoc est, lumen de lumine. Quod si filium (*Apud Ambros.* huc accedit quod sic filium) Dei, ut jam dictum est, visum a patribus approbamus, ut non totum in illo quod Dei est videretur : sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant, in ipso per A imaginem cernerentur. Nam Filium quis videre potuit antequam conspicabilem materiam cum placuit assumpsit, vel ipsum hominem induere dignatus est? Quia et si Abrahæ visus est, sed in forma humani corporis visus est, qua de ejus fuerat carne (*Apud Ambros.* quo scil. postremis temporibus in homine venturus esse ostenderetur).

DE ESSENTIA PATRIS ET FILII

CONTRA HÆRETICOS LIBER UNUS.

Hunc quoque librum a Ludovico Miræo ex Victorina bibliotheca vulgatum, e libris de Trinitate conflatum esse primus observavit Gillotius : qui locis, e quibus centones quique distracti sunt, notatis, cætera suppressit. Et vero quis rivulos quæritet fæculentos, cum purum fontem ad manum habeat?

Loquitur Evangelium, qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum. Conclusa sunt omnia adversus hæretici furoris ingenia, etc., *ex lib.* VII *de Trin. a num.* 21 *post medium*, *ad hæc ejusdem libri num.* 31. Et quia calumnia dicti tamquam insolentis exsisteret, ut conscientiam (potentiam) potius naturæ demonstraret. *Quibus subnectit auctor hæc num.* 33. Et audiamus eum omnem fidei hujus cognitionem Apostolis revelantem : ait enim, Ego sum via et veritas et vita, *nisi quod pro* Et audiamus, *ponit* audi : *ac prosequitur usque isthæc num.* 39, ut hic Domini sermo sequeretur, Non creditis quoniam ego in Patre, et Pater in me? *Hinc* C *transit ad lib.* VIII, *unde primum præmissis vocabulis*, Fratres mei, *exscribit hæc num.* 14. Quæ scripta sunt legamus, et quæ legerimus intelligamus : *et ubi pervenit ad verba num.* 20. Omnia quæ habet Pater, Filii sunt : et omnia quæ Filii sunt, Patris sunt. Ipse enim ait, Et mea omnia tua sunt, et tua mea ; *omittit quæ ab hinc ad medium num.* 21 *intercedunt : unde rursum exscribit :* Vivificamur ergo propter inhabitantem in nobis Spiritum Christi, etc., *ad hæc usque num.* 26. Habitat enim in nobis Christus : et habitante Christo habitat Deus. *Demum reliquis hujus numeri verbis omissis, comparet initium numeri* 27, *quo toto ac subsequente fere toto descripto, clauditur liber his verbis :* Si vero per adoptivum nomen hic dominus est, Spiritu sancto carens spiritu erroris animaris ; quia nemo nisi in Spiritu sancto Dominum Jesum potest dicere : *quibus auctor adjecit dumtaxat*, quia ipse operatur omnia in omnibus. B

MONITUM EDITORIS.

Hic in editione Veronensi, quam recudimus, mentione facta de duabus epistolis *Hilarii ad Augustinum* inscriptis, sequitur fragmentum titulum habens præfixum *Fides Alcuini*. Horum vero monumentorum neutrum eo loci recudere debuimus, quandoquidem nec supradictæ epistolæ ad Auctorem nostrum pertineant aut pertinere possint, ut cuique patebit sive chronologiam sive etiam illarum textum attendenti (*Vid. Opp. Aug. t.* II *pp.* 673 *et* 1007 *nost. edit.*) ; nec *Fides Alcuini* alii quam percelebri monacho cujus nomine insignitur, salvis criticæ regulis, adjudicari queat, aut alias quam inter ipsius Opera convenienter collocari.

NICOLAI FABRI

IN FRAGMENTA SANCTI HILARII

PRÆFATIO.

Huic Operi tantum adjecimus notulas ad imam paginam ascriptas. Cum autem auctorum verba excerpere satis habuisset Faber, nec curasset notare quo ex libro ea excerpsisset, commodius visum est historicorum sacrorum locos secundum editiones Valesii, quamvis Fabro posteriores indicare.

Clarissimo viro JAC. AUGUSTO THUANO Sacri consistorii Consiliario, Senatusque Parisiensis Præsidi doctissimo atque prudentissimo, NICOLAUS FABER. S.

1. *Quale hoc Opus.* — Ecce tibi restituo, PRÆSES D AMPLISSIME, beati Hilarii Pictavensis episcopi librum a viro doctrina, prudentia, morumque integritate maximo, P. Pithœo suprema voluntate relictum, meæque fidei, ut solidus ad te perveniret, id est sine ulla deductione et quam optimo jure apud testatorem, fuit commissum. Munus est, si folia numeres, non valde magnum, sed si auctoris dignitatem, si fatum libri, si rei de qua tractat gravitatem consideres, ejusmodi, ut non acceptissimum esse nequeat. Tibi enim omnium disciplinarum genere instructissimo, Gallicæ salutis ac laudis amantissimo, et

antiquæ pietatis ac constantiæ studiosissimo, non A potest non gratissimum esse antiqui scriptoris Galli, Theologorum qui in Occidente floruerunt celeberrimi ac disertissimi, excelsæque arboris, ut eum vocat B. Hieronymus (*Comm. in Esai c.* LX), qua ædificata est ecclesia Dei, ad hæc etiam fortissimi confessoris librum, de gravissima omnium quæ unquam in Ecclesia fuerunt controversia scriptum, post tot annos e tenebris erutum clarissimi tui nominis auspiciis lucem aspicere. Hæc etsi satis ad commendationem muneris valeant, apud te præcipue qui pro tuo erga litteras religionemque studio, erectoque atque infracto adversus divitias famosque aulicos, ad quæ sola nunc concurritur, animo semper id genus reliquias Attalicis conditionibus prætulisti : Passieni tamen sententiæ si bene te novi, accedes, plurisque B in eo facies judicium eruditissimi cordatissimique viri, qui te dum vixit, ob egregiam doctrinam, prudentiam, studiumque ac pietatem in Rem. in quibus tecum conspirabat, unice amavit et coluit, moriensque suæ erga te propensæ voluntatis publice hoc testimonium posteritati exstare voluit.

2. *Quod Hilarii sit.* — De auctore vero istius libri nemo codici manu scripto, qui B. Hilario eum adscribit, fidem detrahet, virique potentis titulum alienæ possessioni affixum controversiam movebit, qui styli vel ingenii tanti doctoris aliquem gustum habuerit ; si quidem longas et involutas et Gallici Rhodani, ut violenti ac prærapidi, sic etiam aliquantum limi secum trahentis, quo charactere naris emunctissimæ scriptor ipse Hieronymus scripta Hilarii signavit, deprehendere licet (*Hieron præfat. in epist. ad Gal.* 9. *epist.* 13 *ad Paulin.*). Sed quid verbis in re aperta opus est? Si cui ea in re aqua hæreat, hunc librum cum iis quæ omnium calculo pro Hilarianis recepta sunt contendat; nec aquam aquæ, nec lac lacti similius inveniet. Nec sane historicum istud Opus antiquis ignotum fuit : si quidem illud ipsum esse, quod idem ipse Hieronymus contra Ursacium et Valentem, continens narrationem Ariminensis Concilii, Hilarium scripsisse tradidit, huic libro præfixa inscriptio fidem facit.

3. *Ursacius et Valens, qui.* — Ipsi enim Ursacius et Valens, alter Singiduni superioris Mysiæ, alter Mursæ Pannoniæ (quamvis non uno loco Athana- D sius Alexandriæ episcopus utrumque Pannonem vocet) episcopi cum Caio æque Pannone, et Germinio Cyzici primum deinde Sirmii episcopo, totius Ariomanorum Tragœdiæ choragi, atque adeo hypocritæ extiterunt ad quos cum, ut ait noster Hilarius (*Cont. Auxenti.*, *n.* 4), Ariani nominis hæreditas et successio defluxisset, non ausi aperto Marte fidei Nicænæ bellum indicere stante ipso Athanasio, quem strenuum robustumque ejus propugnatorem, ac plane, ut eum indigitat Nazianzenus (*Or.* XXI, *n.* 55), στύλον τῆς ἐκκλησίας verebantur, cuniculis id agere statuerunt, ipsumque Athanasium in primis tollendum evertendumque susceperunt. Hinc illæ de Arsenio interfecto, et confracto calice sacris mysteriis destinato calumniæ : quarum prætextu cum a factiosis depositus, Imperatorisque decreto in exilium missus esset, totus orbis tanti viri casu concussus est. Quin etiam cum synodis Alexandrinæ, Romanæ, et œcumenicæ Sardicensi Athanasius suam innocentiam approbasset, calumniatores vero non solum tot sententiis convicti atque damnati, sed etiam libellis oblatis eidem (*a*) Sardicensi synodo, Julioque Pontifici Rom. criminis admissi hæreseosque veniam deprecati, Ecclesiæ communioni fuissent redditi; iterum tamen canes ad vomitum reversi, fœdas illas et Ecclesiam Dei, quæ domus pacis est, parum decentes discordias, episcoporum discursationes Mediolanum, Sirmium, Seleuciam asperam, Ariminum, Constantinopolim, Nicæam Thraciæ, (et quo non terrarum?) præterea proscriptiones, exilia et cædes excitarunt, quæ quamdiu in vivis exstitit Constantius, catholicos episcopos exercuerunt. Tandemque detracta persona Nicænam regulam oppugnantes, Imperatorem ipsum, cujus potestate nitebantur, impulerunt ut episcopos Arimini congregatos ad subscriptionem novæ formulæ fidei subdolis verbis conceptæ adigeret, quæ contra trecentorum et octodecim patrum decretum, οὐσίας καὶ ὁμοουσίου vocabulis indicto silentio, Filium Patri similem secundum C Scripturas profitebatur, dicentibusque illum creaturam sicut aliæ sunt creaturæ anathema infligebat. Nec tamen ibi consistendum esse duxerunt, (Nam quis peccandi finem posuit sibi?) verum felicitate successus audaciores facti, non jam de vocibus οὐσίας καὶ ὁμοουσίου tamquam discordiæ pomo quæstionem haberi significarunt, sed inoperto capite purum putumque seu potius impurum putidumque Arii dogma Concilio Antiochiæ professi, Filium Patri dissimilem penitus καὶ ἐξ οὐκ ὄντων creaturam (*b*) statuerunt. Cujus impietatis ipsum Imperatorem auctorem ac vindicem exstitisse, Athanasius asserit.

4. Igitur Ursacius et Valens illi ipsi sunt : « quibus instantibus sub imperatore Constantio factum est Ariminense concilium contra formellam Nicæni tra- D ctatus, qua universæ hæreses comprehensæ erant : » in quos hoc opus scriptum est. Quamquam, ut quod sentio dicam, hæc libri inscriptio multo plus in fronte spondeat, quam præstet in recessu (*c*); nisi quod operis longioris pluribus fortasse comprehensi libris, et narrationis exactæ eorum quæ Ariminensi concilio gesta sunt, vel quæ ipsum præcesserunt, aut postea secuta sunt, initium tantum ac divulsa quædam fragmenta, non autem integrum opus vel librum hic exhiberi censeo. Et sane auctor hujus libri statim in

(*a*) Quæ hic confuse narrantur, errandi locum præbent. Famosi sunt Ursacii et Valentis libelli, quos Sardicensi synodo non obtulerunt a qua cum aliis præfractis hæreticis damnati sunt.

(*b*) Aut potius statuere tentarunt : at objecta diluere non valentes, formula quæ Constantinopoli edita erat, recitata, abierunt. (*Socr. l.* II, *c.* 45.)

(*c*) Titulus hujus libri plura spondet quam præstat.

ipsius initio scribit, narrationem ducturum se ab Arelatensi concilio, quo Paulinus Trevirorum episcopus Galliarumque, ut eum Græci vocant, Metropolitanus anno Christi 353, Saturnini cæterorumque Arianorum factione depositus, et in exilium actus est : de quo tamen deinceps altum est silentium. Quicumque enim hæc excerpsit, *Κορυφὰς ἑτέρας ἑτέραις προσάπτων μύθων*, huic propositioni continuo synodales epistolas Sardicensis concilii sex ante annis habiti, alteram ad omnes Ecclesias, alteram ad Julium P. R. innocentiam Athanasii compertam ac contestatam indicantes subjecit : de quibus plura dicere, (quandoquidem hanc doctis, Jupiter, et laboriosis suis annalibus vir illustrissimi nominis ac dignitatis Cardinalis Baronius inseruit, omissis subscribentium episcoporum nominibus, quæ ab ejus codice aberant ; illa vero non uno loco apud antiquos exstat,) superfluum existimo. Idem etiam perspicere est ad calcem fragmenti II, ubi cum B. Hilarius lucem narrationi suæ allaturam dixisset illam orationem, quam eadem Sardicensis synodus per Vincentium Capuæ et (*a*) Euphatem Coloniæ Agrippinæ episcopos Antiochiam usque ad Constantium missos habuit ; magno tamen historiæ detrimento nulla hic exstat, sed ejus loco quædam Liberii P. R. (*b*) et aliorum epistolæ nullo temporis, vel rerum ordine servato velut in fasciculum congestæ leguntur.

5. Nam quæ prima occurrit, a Liberio circa sui pontificatus initium, quod in annum salutis 353 incidit, scripta videtur. Par est enim ipsum accusationem coram Julio præcessore suo inchoatam non diu protraxisse, sed statim ut pontifex renuntiatus est, legatos illos suos ad Athanasium misisse Alexandriam, detractantemque judicium condemnasse. In quo tamen nodus Deo vindice, id est, ornatissimo illo doctissimoque Annalium ecclesiasticorum scriptore dignus subest. Cum enim auctorum omnium scriptis constet, Athanasium jam olim ante Liberium adversariorum artes versutiasque detexisse, manifestoque mendacio traduxisse ; quis potuit esse tot synodis confixorum accusationi, aut tot sententiis absoluti condamnationi locus ? aut quomodo communione sua potuit Athanasio Liberius interdicere, cujus condemnationem ab Orientalibus aliquot episcopis factam, et ad se pontificatus sui initio missam, si ratam eam haberet, quemadmodum idem ipse Liberius in epistola ad Constantium, quæ hic edita habetur (*Fragm.* V, *n.* 2), testis est, accepta eodem tempore septuaginta quinque episcoporum Ægyptiorum Athanasii innocentiam testante sententia comprobare noluit ? Omitto quod hujusce condemnationis nec Athanasius ipse, qui res suas diligentissime non uno libro complexus est, nec quisquam alius quod sciam veterum usquam meminit. Falsam autem aut subditiam esse stylus negat, et præterea cui bono ? Adeo verum est illud Tragici,

> Ἅπανθ' ὁ μακρὸς καὶ ἀναρίθμητος χρόνος
> Φύει τ' ἄδηλα, καὶ φανέντα κρύπτεται.
> (*Sophoc. in Ajace*, *p.* 39.)

6. *Sequens epistola nunc Frag.* XII *an.* 363 *scripta.* — Sequentis ejusdem Pontificis epistolæ, quamvis ipsa connexionem cum præcedentibus aptiorem non habeat, certior tamen est historia. Quantum enim ex ejus ubique corruptissimæ lectione datur assequi, post imperatoris Constantii obitum, reversumque ab exsilio Eusebium Vercellarum episcopum, cum nostro Hilario et Athanasio divina providentia, quæ suis tempori numquam non adest, Reip. Christianæ constituendæ restaurandæque Triumvirum præstitutum, conservatum atque alitum, hoc est, circa annum Christi 363 scripta est : nempe quo tempore in Occidente pariter, ac ante synodo Alexandrina in Oriente (anni 362), concordiæ pacisque studio ac bono a tribus illis, *ὡς ἀληθῶς ἀνθρώποις τοῦ Θεοῦ καὶ μεγίστοις τῶν ψυχῶν οἰκονόμοις*, ex XII *Senatibus ac fortibus siremps lex* dicta est, Arianorumque communione fœdatos, exceptis hæreseos auctoribus, perfidiæ renuntiantes : « Ecclesia catholica » inquit Augustinus, « materno recepit sinu, tamquam Petrum post fletum negationis per galli cantum admonitum, aut tamquam eumdem post pravam simulationem Pauli voce correctum » (*Augustinus de Agone Christ. c.* 30). Lucifer solus Calararum Sardiniæ episcopus, constantia fidei, scriptorumque libertate, si labem istam excipias, inter Ecclesiæ lumina recensendus, paucique alii nimia sanctitate dicam, an pervicacia : « Hanc matris charitatem superbe accipientes et impie reprehendentes, quia post galli cantum surgenti non gratulati, cum lucifero qui mane oriebatur cadere meruerunt » (*Augustinus*, *ib.*, *c.* 30). Adeo in omnibus rebus ut optimum, ita et difficillimum est modum servare.

7. *Ariminensis concilii casus incautus.* — Ursacio enim et Valente, ut scelera diu latere non possunt, ulcus Ariminensis fidei ab omnibus fere episcopis pro orthodoxa suceptæ ac comprobatæ detegentibus, Filiumque similem Patri dictum interpretantibus *οὐχ ἁπλῶς*, verum *κατά τι*, id est, *secundum Scripturas*, et quatenus Scripturis sacris ea similitudo conformis est, ex iisque nec æqualem Patri Filium, nec unum cum eo (semper enim a vero similitudo abest,) conficientibus, creaturam etiam negatum sicut sunt aliæ creaturæ ; præstantiorem enim esse, sed creaturam tamen eludentibus : *Ingemuit totus orbis*, inquit Hieronymus (*adversus Luciferianos*), *e se Arianum miratus est.* Et sane τὸ, Ὅμοιος κατὰ τὰς Γραφὰς, τοῖς ἁπλουστέροις, inquit magnus ille Gregorius (*Nazianz. Or.* 21, *n.* 26), δέλεαρ ἦν τὸ τῆς ἀσεβείας χαλκῷ περικείμενον, ἢ πρὸς πάντας ὁρῶσα τοὺς παριόντας εἰκών, ἢ κατὰ πάντα ἄνεμον λίκμησις.

(*a*) Euphratem seu Euphratam ex Theodoreto l. II, c. 7. Ex quo quidem constat duos illos episcopos a Sardicensi concilio reversos, a Constante delectos fuisse, quo epistolas suas ad Constantium perferrent. An vero prius ad idem munus obeundum a concilio ad eumdem imperatorem destinati fuerint, non ita constat.

(*b*) Liberii epistola prima dubia (*Frag* IV).

Tunc ergo *concurrebant episcopi*, *qui ejusmodi dolis irretiti*, διανοίᾳ quidem, ut cum eodem Nazianzeno (*Or.* 21., *n.* 30) loquar, οὐ πεσόντες, γράμματι δὲ παραχθέντες, καὶ τοῦ καπνοῦ γε εἰ καὶ μὴ τοῦ πυρὸς μεταισχόντες, *sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini* (eam enim sacramenti formulam multo ante hæc tempora usurpatam in Ecclesia fuisse probat jusjurandum, quod impie Novatianum (*seu*, Novatum) a suis exegisse scribit apud Eusebium Cornelius [*Euseb.*, *lib.* VI *Hist. c.* 43; *Hieron. contra Lucif.*]) *et quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus*, *aiebant*, *sensum congruere cum verbis : nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde, aliud in labiis proferri eimuimus.* Et sane, ἀφύλακτον, inquit idem ille Gregorius, ἡ ἁπλότης, καὶ μετὰ τοῦ σαθροῦ τὴν φιλάνθρωπον, καὶ ἥκιστα τὴν κακίαν ὑφορᾶται τὸ κακίας ἐλεύθερον. « Interrogo istos, » subjungit idem Hieronymus [*adversus Lucif.*], « nimis religiosos, quid confessoribus » (sic enim locus ille scribi debet) « agendum putaverunt? Ita hac mansuetudine et clementia fides Nicæna reparata atque stabilita est, et a tribus confessoribus Satanæ faucibus mundus ereptus. » Cum quibus etiam Liberium P. R. memorem verborum Domini : « Et tu conversus confirma fratres tuos » (*Luc.* XXII, 25), non solum cadenti Petro, sed etiam sibi dictorum, qui sedis Petri infirmitatisque successor exstiterat, egregiam quoque navasse operam historiæ produnt.

8. Plane quod hic obtestatur Liberius (*Frag.* XII), episcopos omnes Italiæ Ariminensi perfidia deceptos, ut pestiferum illud dogma condemnent, vehementius in ejus auctores insæviant, quos in se violentos et subdolos experti sunt, totosque se fidei Nicænæ de integro mancipent; tam pii voti ipsum compotem non multo post factum, cum ex ejus epistola quam exhibet Socrates (*Lib.* IV, *c.* 12) ad Orientales missa, qua omnes episcopos Italiæ Ariminensi formulæ anathema dixisse, Nicenæ fidei subscripsisse, maximoque æstu in Arii dogma ejusque discipulos exardescere significat, tum etiam ex ea, quæ hic proxime sequitur (in eodem Fragmento), episcoporum Italiæ ad episcopos Illyrici missa discimus. Hæc autem posterior epistola apparet scripta (*a*) post synodum Illyricam circa annum Christi 365 habitam; quæ Nicæna fides in Illyrico, unde vi dejecta fuerat, velut ex Prætoris edicto restituta est. Cujus restitutionis noster Hilarius primum, deinde Eusebius Vercellarum episcopus ab exilio redeuntes, non levia fundamenta jecerant.

9. *Germinii a Valente et Ursacio defectio.* — Epistola autem Ursacii (nunc Fragm. XIV), Valentis Caii et aliorum Singiduni coactorum ad Germinium consules adscriptos habet, Gratianum N. P. et Dagalaiphum, quos gessisse consulatum salutis anno 366 chronologorum diligentissimi tradunt. Male illos hæreticos habebat vetus illud in se experiri, Cito improborum facta in perniciem cadere : nec ex Ariminensi fraude jam sibi quidquam, præter odium publicum, invidiam ac infamiam superesse; fidem vero Nicænam ubique locorum pristinam auctoritatem dignitatemque recuperare. Sed præcipue angebat Germinii veteris sui sodalis ac congerronis individui, sine quo Theseo nihil huc usque tentaverant, defectio. Is enim confessioni Semiarianæ adhærens, Patri Filium per omnia similem dicebat : a qua professione nec Ariminensis fides post vim illatam susceptа dissidebat. Quamvis enim, ut supra dictum est, eas voces *per omnia* non habuerit, satis tamen ipsæ clausula illa *secundum Scripturas*, quia Filium Patris imaginem dicunt Scripturæ, intelligi atque exprimi censebantur. At Ursacius, Valens, cæterique de grege illo contra, Filium quidem dici Patri similem, *sed non secundum substantiam*, inquiunt hac epistola, *aut per omnia seu absolute :* (ita enim hic locus emendandus est :) vel enim subjungunt, *Basilii* Anquiritani episcopi inter Semiarianos præcipui, quem Ariani concilio (an. 360) Constantinopolitano deposuerant, cujusque opinionem (*b*) deinde Antiocheno damnaverant, *perfida assertio reparabitur*. Non adeo scelerate igitur atque impie Germinius, qui hac epistola provocatus eam suæ fidei professionem conscripsit, quæ inter hæc fragmenta nunc primum vulgata (*modo Frag.* XIII) Christum Dei filium ac Deum agnoscit, *divinitate*, *charitate*, *majestate*, *virtute*, *claritate*, *vita*, *sapientia*, *scientia*, *Patri per omnia similem;* cujus etiam pleniorem uberioremque interpretationem epistola ad Rufianum, Palladium, Severinum missa edidit (*Frag.* XV).

10. *Formula a Marco Areth. dictata, quæ.* — Ex qua quidem epistola præterea discimus, quænam sit illa fidei formula, cui dictandæ Marcus Arethusæ episcopus *electus est;* (sic enim scribendum esse, non *ejectum* ex Socrate [*lib.* II, *c.* 30] constat) et quibus auctoribus concepta, quibuscumque auspiciis emissa fuerit. Vereor enim ne frustra (*Ibid.*) sit Socrates, cum fidei regulam a Marco Arethusio scriptam eam asserit, quæ contra Photinum in concilio Sirmiensi provulgata est; et non potius illam, quam idem auctor ait, ut primum in eadem synodo publicata est, velut male natum fetum ex XII tabulis (*c*) suppressam, postea Ursacium et Valentem patribus Arimini congregatis subscribendam obtulisse. Sola enim hæc ipsa non tantum ex tribus formulis, quas ea synodo aiunt emissas, verum etiam ex novem præcipuis, quas Socrates (nisus labyrinthum, ut ipse vocat, formularum fidei extricare, quem tamen magis involvit) ab Arianis publicatas spatio novemdecim annorum enumerat (*lib.* II, *c.* 41) id est, ab anno

(*a*) Ante scriptam esse probavimus.

(*b*) Non quidem per se; sed adversam suscipiendo apud Athanas. de Synod. p. 906, et Socrat. lib. II, c. 45.

(*c*) Probabilius est eam suppressam esse, postquam Arimini lecta, ob annotatos consules omnium risum provocavit.

Christi 312 (cum synodo Antiochena in Encæniis post fidem Nicænam novam aliam condere primum ausi sunt) ad Eusebii et Hypatii consulatum, quo Ariminensis consuta est perfidia, (adeo est τὸ ψεῦδος πολύμορφον) : ipsa sola, inquam habet hæc verba : *Filium similem Patri per omnia, ut sanctæ dicunt et docent Scripturæ*, quæ extitisse in regula fidei a Marco dictata, testis est hac epistola Germinius, unde etiam ab Epiphanio (*Hær.* LXXIII, 22) : πίστις περὶ τοῦ ὅμοιον εἶναι τὸν υἱὸν πατρὶ κατὰ πάντα nuncupata est. Hæc eadem est, ut ex Athanasio in epistola de Synodis constat, quæ contra morem ecclesiasticum Consules additos habuit, propter quod patribus Arimini congregatis non magis bilem ob impietatem, quam ob novitatem risum movit.

11. *Quibus episcopis constabat Sirmiensis ille conventus.* — Porro Georgius, quem Alexandriæ vocat episcopum, ille est genere Cilix, si Ammiano (*lib.* XXII) credimus, vel Cappadox si Athanasio et cæteris (*ad Solit. p.* 861 ; *Tit.* I, 12) : atque etiam si mores ejus attendas, plane Cretensis, ἀεὶ ψεύστης, κακὸν θηρίον, καὶ γαστὴρ ἀργός, ut non pessimus esse nequiverit, in quem τριὰ κάππα κάκιστα concurrerint. Iis enim illum depingit coloribus Nazianzenus (*Orat.* XXI, *n.* 19), qui plane τέρας τι καππαδόκιον, non hominem effigient, nimirum πονηρὸν τὸ γένος, πονηρότερον τὴν διάνοιαν, οὐδὲ παντελῶς ἐλεύθερον, ἀλλ' ἐπίμικτον, οἷον τὸ τῶν ἡμιόνων, τὰ μὲν πρῶτα τραπέζης ἀλλοτρίας δοῦλον, καὶ μάζης ὄνιον, qui ex ærarii Constantinopolitani depeculatore, ejusque criminis reo ac profugo militari manu κατασκόπως Alexandrinæ ecclesiæ contra ipsum Athanasium Gregorio prædoni substitutus fuerat. Basilium ne suis quidem probatum exstitisse supra diximus. Pelusiorum vero episcopus, cujus hic nomen obliteratum est, Pancratius a Socrate dicitur (*lib.* II, *c.* 29), inter Arianorum antesignanos recensitus. Marcus autem ille est Arethusæ Syriæ, non Macedoniæ, ut volunt centuriatores, episcopus, qui antea cum Narcisso Neropolis (*Athanas. l. de Synod. p.* 894), Mare Chalcedonis, et Theodoro Heracleæ Thraciæ episcopis ad omnem impietatem projectissimis, ad Constantem in Gallias post synodum Antiochenam in Encæniis ab Arianis contra Athanasium missus fuerat, tam hæresos professione subscriptione- que supposititii Sardicensis decreti infamis, quam postea (*Theodoret. l.* III *Hist. Eccl. c.* 7 ; *Sozom. lib.* V, *c.* 10) confessionis, vel etiam martyrii gloria (variant enim in hoc auctores) sub Juliano clarus ac celebris.

12. *Quo tempore celebratus.* — Verum, quando quidem qui semel verecundiæ fines transierit, eum bene et naviter impudentem esse oportet, inquit ille ; quid vetat, quemadmodum in indicanda illa fidei regula, quæ a Marco Arethusio dictata est, hallucinatos ecclesiasticæ historiæ scriptores probare tentavimus, non idem iis acciderit in tempore designando, quo scriptam et editam produnt, disquirere? Εἰς Τροίην πειρώμενοι ἦλθον Ἀχαιοί, ait Theocritus.

Nam quod dicunt Sirmii editam, valde probo, quod Sirmiensi concilio ἐπέχω. Tradunt (*Socr. lib.* II, *c.* 20 ; *Sozom. lib.* IV, *c.* 6) in ea synodo tres fidei regulas editas : primam illam contra Photinum, alteram quam dicimus a Marco scriptam, tertiam et ultimam eam, quam noster Hilarius Osii et Potamii blasphemiam vocat. At idem ipse Hilarius et Athanasius, qui de Synodis ex professo scripserunt, quorumque auctoritatem nemo sanus defugere, atque etiam non præponere cuivis alii in ea re potest, in qua primas egerunt, duarum tantum, primæ scilicet et ultimæ, Sirmiensi concilio scriptarum meminere. Quin etiam hic disertis verbis post illam Osii blasphemiam, conscriptam fuisse fidei regulam quæ consules habet, quam a Marco dictatam probavimus, tradit. Cum enim ipsam Osii formulam suo de Synodis operi inseruisset, continuo ista subjecit : « Hæc ubi misissent, denuo mutata sententia composuerunt eam fidem, quam quia cum consulibus edidissent, multo pudore et probro confusi sunt, ejusque exemplaria curavere ut cum suo more sententiam mutassent, ab iis qui ea tenebant per notarium Martianum subriperentur, et persuaso Constantio ut contra eam fidem edicta promulgaret, aliam rursum fidem constituerunt, additisque ut solent quibusdam dictis. Isauriæ igitur ista conscripserunt, etc. » (*Lib de Synod. p.* 904). Ex istis Athanasii verbis duo illa conficiuntur : alterum, fidem illam Osii, quæ Filium Patre minorem ac plane dissimilem asserit, velut ultimam consilii Sirmiensis definitionem ac sententiam habitam fuisse, atque eo nomine ad Ecclesias pro more transmissam a synodo : quod etiam Hilarius initio libri de synodis (*num.* 2) perspicuum his verbis facit : « Gratulatus sum, inquit, in Domino, incontaminatos vos et illæsos ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisse, et missam proxime vobis ex Sirmiensi oppido infidelis fidei impietatem non modo non suscepisse, sed nuntiatam et significatam damnasse. » Ita igitur non solum missam, sed etiam auctoritate publica provulgatam atque indictam populis, ut in eam jurarent, apparet. Alterum, fidem quæ consules adscriptos habuit, post Sirmiense concilium, nec multo ante Seleuciensem synodum compositam ac vulgatam. Verum si ea fides, quæ Patri Filium per omnia similem profitetur, a Marco scripta diem et consulem quibus edita est Sirmii habet ; unde certius tempus promulgationis ejus, quam a consulibus quibus edita dicitur, repeti potest? De ea autem sic Theodoretus (*leg. hic et infra* Sozomenus, *scil. lib.* IV, *c.* 16, *ex edi. Christophors. vel cap.* 17 *ex edit. Vales.*) : « Quin etiam absurdum putabant, ut huic formulæ talis præponeretur titulus, qualem habuit cum Sirmii edita est, præsente Constantio æterno, magno, Augusto, Eusebio et Hypatio coss. quemadmodum Athanasius quoque scribit. » Hæc Theodoretus. Nec aliter Socrates (*lib.* II, *c.* 37, *Athanas. l. de Synod. p.* 874), a quo tamen cœptus, et sumptus error. Quid ipse Athanasius? « Postquam, inquit, divisio facta est : et

alii Seleuciam cognomento Asperam abiissent, alii Ariminum se contulissent, ubi fuere quinquaginta et eo plures episcopi, » (error est in numero, sed de eo nunc non laboramus) « venit etiam ad eum locum Germinius, Auxentius, Valens, Ursacius, Demophilus, Caius. Ibi cum cæteri episcopi ex sacris litteris verba sua formarent, illi chartulam exhibuerunt, recitatisque consulibus quibus scripta erat, postulabant, ut ea omnibus synodis anteponeretur. Omissa enim de hæreticis quæstione, nullaque habita percunctatione quo animo aut qua sententia essent, scriptis chartulæ solummodo contentos esse debere. Scripta autem eorum ejusmodi fuere. Edita est catholica fides in præsentia D. N. religiosissimi præclarique victoris imperatoris Constantii Augusti, æterni, Coss. VV. CC. Eusebio et Hypatio Sirmii » (ita enim legendum ex Socrate et Theodoreto (*Sozomeno*) ante nos alii docuerunt) XI *cal. junias. Credimus in unum*, etc. Si cum Sirmii edita est præsente Constantio XI cal. jun. consules habuit Eusebium et Hypatium præfixos, qui potuit edi Sirmiensi concilio, quod qui minus, triennio ante istos consules fuisse coactum asseverant? Cui non igitur tot testimoniis constet, nisi qui meridie lucere neget, illam fidem, quæ Patri Filium per omnia similem profitebatur, Eusebio demum et Hypatio consulibus Sirmii quidem, sed longe post Sirmiense concilium compositam fuisse, nec multo postquam scripta est, Ariminensibus patribus oblatam?

13. *Conventus Sirmiensis occasio.* — Ut autem quid de ea re mihi venerit in mentem, in medium proferam; certum est imperatorem Constantium omnem movisse lapidem, quo dissidentes in religione opiniones componeret. Verum dum se facilis nimis hæreticis præbens, quæ Dei sunt Cæsar ipse tractare audet. « in simplici et absoluta religione, » inquit Ammianus (*Lib.* XXI) « scrutanda perplexior, quam componenda gravior, ipsa aluit adauxitque dissidia. » Quibus ut remedium tandem aliquod adhiberet, œcumenicam synodum cogere decrevit (*Sozom. l.* IV, *c.* 16). Litteris igitur ad Basilium Anquiritanum episcopum missis, Orientales episcopos jubet, ut locum celebrandæ synodo aptum et commodum perspicerent. Verum cum inter eos convenire non posset, aliis alium præferentibus, Basilius ad imperatorem, qui tum Sirmii forte degebat, profectus est, ibique cum alios quosdam privatis negotiis in comitatu detentos, tum Marcum Arethusium, Georgium Alexandriæ episcopum et Valentem cum suis offendit. Tunc igitur illi Arianorum coryphæi inter se quo pacto fidem Nicænam subverterent capita conferentes, ab imperatore impetrant ut synodus universalis Nicææ Bithyniæ indicta, propterque ejus urbis cladem terræ motu acceptam dilata divideretur : Orientalesque episcopos Seleuciam Isauriæ, Occidentales vero Ariminum convocari procurant. Hunc episcoporum Arianorum in comitatu congressum Eusebio et Hypatio consulibus contigisse, id est, eo ipso anno quo illæ synodi actæ sunt, nemo A in dubium revocabit, qui hujus narrationis auctorem Sozomenum legerit (*lib.* IV, *c.* 15): quo anno Constantium hibernasse Sirmii, melioremque ejus anni partem ibi transegisse, cum Ammianus ipse testis est, tum etiam plurimæ leges iis consulibus editæ sua subscriptione probant. In eo congressu quæstionem istam coram imperatore agitatam de fide quam recitat hac epistola Germinius, fidemque compositam, cui dictandæ Marcus electus est, ut conjiciam multa faciunt. Primum, Personæ; iidem nempe episcopi, inter quos de fide quæsitum, in hac recensentur epistola, qui a Sozomeno (*Ibidem*) in comitatu fuisse memorantur, deinde fortuita utrobique occasio; non enim hic ait Germinius istos episcopos convocatos ut de fide disputarent; sed orta disputatione coram B imperatore, atque in multam noctem protracta, ad eam formulam tandem esse deductos : denique locus et tempus; Sirmii enim ipsam fidem, quæ Patri Filium per omnia similem dicit, Eusebio et Hypatio Coss. scriptam docuimus. Nec ad aliam fidem, quæ apud Epiphanium leguntur hæresi LXXIII (*num.* 22), de fide *περὶ τοῦ ὅμοιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατὰ πάντα*, referri posse arbitror : cui subscribens ipse Valens cum in subscriptione Filium Patri similem repetiisset, duasque illas voculas *per omnia* subticuisset; eas ab imperatore Constantio, quo præsente res agebatur, coactus est addere. Idem enim ipse Valens subscripsisse se ei testatum voluit (*apud Epiphan. hær.* LXXIII, *n.* 22), *τῇ νυκτὶ ἐπιφωσκούσης τῆς πεντεκόστης* : subditque Epiphanius, Valentem C statim atque a se subscripta est, correptam eam fidem Ariminum secum ad synodum detulisse. Scripta est ergo ea fides, quæ per omnia Filium similem Patri asserit, eo tempore quo synodus Ariminensis acta est, id est, Eusebio et Hypatio Coss. in vigilia pentecostes, id est XI cal. jun. Siquidem iis coss. qui Christi 359 annus est, luna XIV, in IV cal. apr. incidente, veneranda Resurrectionis dominicæ dies prid. non. ejusdem mensis, missionis sancti Spiritus X cal. jun. littera C., diei Dominicæ nota, si tunc usu recepta exstitisset, celebratæ sunt.

14. *Epilogus.*— Videtur ergo, ut tota hæc concludatur disputatio, fides quæ Filium Patri per omnia similem profitetur, scripta Sirmii, non habita disD quisitione in celebri episcoporum concilio, sed in fortuito paucorum congressu coram imperatore disputatione orta; non in aliqua basilica aut publico loco in quo solerent synodi haberi, sed in privato imperatoris cubiculo; non Sergio et Nigriano, vel Constantio IX et Juliano XI consulibus, quo tempore Sirmiensis synodus habita dicitur, sed XI calend. jun. Eusebio et Hypatio coss. quo etiam die idem ipse imperator Sirmio leges XIV et XV de Præt. et Quæst. Cod. Th. ad Senatum misit. Quare non mirum est si Athanasius (*lib. de Synod. p.* 873) eorum, qui ejusmodi fidem scripserunt, temeritatem exagitet : « qui cum non nisi tres aut quatuor, » inquit, « essent, » (in quo quidem rem extenuat;

septem enim vel octo (*a*) aderant) « ausi sunt tamen regulæ fidei consules addere, quod trecenti et octodecim patres Nicæni non fecerant. » Sed hæc fortasse fusius quam epistolæ vel præfationis modus patiatur : reliqua nobis breviter percurrenda sunt.

15. Epistolæ (*quæ nunc conficiunt fragmentum* VI) Liberii P. R. quæ huic Germinii subjunctæ sunt, cum præcedentibus nec argumento, nec tempore connectuntur. Ad quam tamen Arianorum historiæ partem spectent, quia exactissimis illis ecclesiasticis Annalibus intextæ sunt, si dicere supersedeo, temporis et chartæ compendium fecero. Hoc unum addere sufficiet ex verbis Hilarii quæ Liberii epistolæ ad Orientales episcopos adtexta sunt (*Fragm.* VI, *n.* 6, *cui formulæ subscripserit Liberius*), videri regulam fidei, quam Sirmio a synodo ad ecclesias missam supra diximus, ab eodem Liberio tædio exilii desiderioque sedis suæ præfracto, quemadmodum a cæteris qui imperatoris Constantii violentiæ cesserant, subscriptione probatam fuisse : ut non omnino vanus exstiterit rumor, quem Arianos disseminasse Sozomenus (*l.* IV, *c.* 14) scriptum reliquit, Pont. R. in opinionem Anomœanorum defecisse. Quo nomine noster Hilarius æstu fidei abreptus ipsi Liberio velut apostatæ ac prævaricatori Anathema impingit. Et sane non alia potuit esse illa fides, quam Narcissus, Theodorus, Eudoxius, Demophilus, et cæteri illi temeritate atque perfidia inter Arianos conspicui, ut infra videbimus, dictaverint. Hinc etiam discimus, cujus sint auctoris, et quo pertineant nomina illa hæreticorum, quæ huic Liberii ad Orientales epistolæ subnexa esse in suo codice nobilissimus annalium scriptor notavit (*ad an.* 357, *n.* 34) : ut et illa verba in calce sequentis ejusdem pontificis epistolæ ad Ursacium, Valentem et Germinium : «Prævaricatori anathema cum Arianis a me dictum.

16. Superest ultima hujus collectionis (*b*) epistola ad legatos Ariminensis concilii. Ipsa autem est Semiarianorum episcoporum, et majore ex parte Palæstinorum contra Ætium cognomento Impium atque Atheum. Ariani enim etsi numquam ipsis inter se bene convenerit (qui mos omnium hæreticorum est, nisi in eo ut Ecclesiam Christi oppugnent), succedente tamen ex animi sententia Ariminensis perfidiæ dolo, confectum sibi cum catholicis negotium arbitrati, multo apertius opinionibus, animis, nominibusque divisi acrius inter se digladiari cœperunt. Hinc factionum sectarumque nomina mille, mille nocendi artifices. « Plura nomina (inquit Ambrosius lib. I *de fide* n. 44) sed una perfidia : infirmitate non dissonans, communione discordans; non dissimilis fraude, sed cogitatione discreta. » Et hæc quidem de iis quæ hic sub nomine libri B. Hilarii de Ariminensi concilio edita continentur.

17. *Altera collectionis pars.* — Cætera, quæ alteram veluti collectionem facere videntur, quamvis in codice manu scripto, ex quo ista transcripta sunt, illis quæ explicuimus præposita legantur, ex eodem tamen B. Hilarii opere excerpta esse, vel hinc conjicere licet, quod verba auctoris unde sumpta sunt, aliquot locis ipsis actis immixta, ejusdem sanctissimi confessoris phrasin exhibeant, et omnia fere ad synodum Ariminensem, de qua præcipue in eo ipso tractabatur opere, spectent, in quibus tamen digerendis non exactior ordo rerum vel temporis, quam in superioribus, observatus est.

18. *Parisiaca synodus nunc frag.* XI.—Porro fidem illam quæ *apud Fariseam civitatem* exposita dicitur, Lutetiæ Parisiorum scriptam fuisse arbitror, atque in ejus epigraphe, *apud Parisiam civitatem* legi debere conjicio. Jam enim tunc obsoleta fere Lutetiæ appellatione hoc nomen illa civitas audiebat. Zosimus (*c*) ea ætate non multo inferior de Juliano loquens Lutetiæ hiemante sic scribit, Ἰουλιανοῦ δὲ ἐν τῷ Παρισίῳ, Γερμανίας δὲ αὕτη πολίχνη, διατρίβοντος. Quamvis enim ejus urbis tunc non ea fuerit amplitudo vel nominis claritas, in quam postea regum Christianissimorum frequentatione studiorumque celebritate evecta est, immo vero πολίχνην, et ab Ammiano (*lib.* XV, *c.* 11) castellum ambitu insulari circumclusum tantum dici videamus; ut quæ insulæ fluvii Sequanæ ambitu comprehensa, et utrimque subliciis pontibus continenti juncta, vix mediam partem ejus regionis complecteretur, quæ civitatis nomen sibi peculiare fecit : cœli tamen temperie, quod etiam ficus aleret, fluviique placidissimi nitidissimique amœnitate adeo grata et commoda Juliano in Galliis agenti visa est, ut ibi libentissime hiberna duxerit (*Ammian. lib.* XVII, *c.* 7, 8); et imperator ab exercitu in ea salutatus, postea festivissimo ad Antiochenses scripto (*in Misopog.*) φιλτάτην πολίχνην vocitarit, elegantiamque sui ingenii in ipsa describenda ostentare voluerit. Et sane longe ante, Julio Cæsari, concilio Galliarum indicto, locus ille huic habendo visus fuerat idoneus, Lutetiamque Parisiorum concilium transtulerat. Ubi ubi hæc habita fuerit synodus, non dubium est unam (*d*) ex illis esse, quas ipse Hilarius Constantii Imperatoris, paulo antequam ex vivis decederet, edicto ad episcopatum redire permissus, *ubi permensus est*, inquit Severus (*lib.* II *Hist. Sacr.*), *orbem pene terrarum malo perfidiæ infectum, vir natura lenis et placidus, simul ad persuadendum aptus*, quo elogio ipsum ornavit Rufinus (*lib.* I *Hist. Eccl.*, *c.* 31), *optimum factu arbitratus revocare cunctos ad pœnitentiam*, frequentes in Gallia coegit (*Sulpic. p.* 262). Quibus effectum est ut omnibus episcopis de errore profitentibus apud Ariminum gesta damnarent, pristinamque Ecclesiis

(*a*) At non in illos respicit, sed in Ursacium, Valentem, Germinium, Acacium et Eudoxium, ut liquet ex pag. 869.

(*b*) Nunc frag. X, contra Ætium, vel potius contra partes Acacii.

(*c*) *Cæsar hiemem apud Parisios agens memoratur.*

(*d*) Ante Hilarii in Gallias reditum coactam esse ostendimus.

fidem restituerent. His etiam et Victorinum Parisiensem episcopum, quem synodo Sardicensi interfuisse testis est Athanasius (*Apolog. ad Constant.*, p. 767), et ad Agrippinensem contra Euphratem delegasse, ipsius Agrippinensis concilii acta probant, si ad hæc tempora pervenit, symbolam suam contulisse verisimile est. Ad eas synodos Hieronymus in Eusebiano chronico respicit, cum ad annum vitæ Constantii extremum (nam qui in eo chronico notati habentur Christi anni, nec Eusebii nec Hieronymi sunt), Galliam *per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolum* (sic enim legunt veteres libri) damnasse notat, quod et hac fidei formula præstitum videmus. Quamvis non nisi defuncto Constantio, rerumque potiente Juliano, illæ synodi celebratæ fuerint, id est, circa annum Christi CCCLXII.

19. *Osius quando vivere desierit.* — Epistola (*a*) autem Eusebii Vercellarum episcopi ad Gregorium Eliberi civitatis Hispaniæ antistitem, licet Constantio imperatore adhuc in vivis agente (ipsum enim intelligit, cum spem Ariomanitarum, *non in sua vi aut unito consensu*; sic enim hic locus emendandus videtur : *sed in protectione regis sæcularis pendere* dicit, quippe qui, ut Athanasii verbis utar, « suas spes humi et inferne haberent, in Cæsare nimirum et in ejus eunuchis, » post Osii tamen prævaricationem atque etiam Ariminense concilium scripta est. In qua tamen observatione dignum est sermonem haberi de Osio velut adhuc vivente, et cui non multo ante pro Arianis aliquid molienti Gregorius animose et intrepide restiterit. Quod si est, ad annum Constantii XXIV, qui Christi IX est post trecentesimum, Osium pervenisse necesse est, quo anno missam hanc epistolam ipsumque Osium paulo post e vivis sublatum oportuit : quando quidem Athanasius oratione prima contra Arianos anno post Nicænam synodum trigesimo sexto, id est anno Christi 361 habita, Osii ut vita functi meminit. Hinc fortasse Marcellino cæterisque Luciferianis oblata occasio (*Marcellin. et Faustin. lib. ad imperat.*) (ut mos est hæreticis, quæ suo fato accidunt interpolando, verbisque in majus tollendo, quia veris destituuntur, in ficta miracula trahere), horrendæ illius tragœdiæ de ejus morte diris ejusdem Gregorii accersita confingendæ; cujus falsitatem vel hic unus locus detegit. Nam si in ea contentione Osius adeo misere animam projecisset, tam mirandum miserandumque maximi viri interitum, tamque præsentem divini numinis vindictam haud ita levi pede Eusebius in hac Epistola transegisset.

20. Formulam (*nunc Fray.* XIII) autem fidei a Germinio conceptam, quæ proxime hanc epistolam sequitur, multo posteriorem esse ea epistola ex iis quæ supra diximus, cum de epistola Valentis, Ursacii aliorumque ad Germinium disseruimus, quæ huic causam dedit (*aut potius causam ab hac accepit*), clarum est. Plane hæc Germinii formula conformis est regulæ fidei cum Consulibus editæ, quæ *Patri similem per omnia Filium* dicebat, et velut ex diametro opposita Sirmiensis concilii infidelis fidei, ut eam vocat noster Hilarius (*lib. de Synod.*, *n.* 2), impietati quæ Patrem *honore*, *dignitate*, *claritate*, *majestate* Filio majorem definiebat.

21. Quæ sequitur Sardicensis concilii ad Gregorium episcopum Alexandriæ cæterosque epistola (*b*), præcedentibus multo prior est, et argumento penitus diversa. Continet enim decretum Sardicensis concilii nomine ab Arianis confictum, cujus Socrates meminit, Sozomenus etiam suæ Historiæ summam intexuit (*Socr. lib.* II, 20; *Soz. lib.* III, 11), ultimum sane hæreticæ temeritatis ac audaciæ exemplum. Illi namque se patribus anno Christi 348 Sardicæ congregatis ut sisterent præsente Athanasio, quem impudenter adeo criminati calumniatique fuerant, satis firmam frontem non habentes, Philippopoli, quæ Thraciæ est urbs, coacti, hoc quod in manu est decretum, sub nomine patrum Sardicæ collectorum, quorum fama jam per populos pervagata fuerat, commenti sunt : quo non solum Athanasium velut gravium scelerum convictum deposuerunt, verum etiam Julium P. R. Osium, Protogenem, Gaudentium, et Maximinum, fidei Nicænæ columina, de gradu communioneque ecclesiastica dimotos judicarunt. Nec contenti in tantos viros injurii exstitisse, nisi etiam, ut cum Propheta loquar (*Esai* VII, 13), molesti essent et Deo nostro, ipsum Christum de Patris dextra, id est, τῆς ὁμοουσίας καὶ ὁμοτιμίας gradu, nova fidei formula conscripta, in qua οὐσίας καὶ ὁμοουσίου voces prætermiserunt, deturbare nisi sunt.

22. Mirum tamen est, vel nostrum Hilarium eam ipsam fidei regulam pro legitima (*c*) synodi Sardicensis suo operi de Synodis inseruisse, ac velut catholicam exposuisse, vel ipsum Athanasium in epistola de Ariminensi et Seleuciæ synodis, et post eum Socratem novem et verbis et sensu diversis Arianorum recensitis formulis, hanc decimam non addidisse. Idem enim ipse Athanasius (*epist. ad Antioch.*, p. 576), non uno loco testis est locupletissimus, certis hominibus nonnulla quasi quæ deessent Nicænæ formulæ adscribere volentibus, Sardicenses patres se contentos Nicæna fide respondisse, decretoque sanxisse, ne quid ulterius scriberetur : « Ne illis, quibus libido erat semper nova statuere, occasio ejusmodi suppeteret, ut iterum atque iterum nova de fide definirent. » Quo certe manifesti erroris convincitur Sozomenus, cum scribit (*Lib.* III, *cap.* 12), catholicos patres Sardicæ fidei formulam edidisse, sensu quidem cum Nicæna eamdem, pluribus tamen verbis conceptam : cujus nomine Osius et Protogenes apud Julium. P. R. sese excusarint. Plane videtur noster Hilarius in eo de Synodis libro, non solum formula pseudo-Sardi-

(*a*) Fragmenti XI pars secunda, quando scripta.
(*b*) Pseudo-Sardicensis epistola, quæ nunc Frag. III.
(*c*) Si pro legitima habita ab eo fuisset an inscripta esset, *Fides secundum Orientis Synodum?* Aliud est autem excusasse, aliud catholicam eam censuisse.

censi, sed nec Antiochena in Encæniis, nec Sirmiensi contra Photinum, quas tres Semiariani in Synodo Anquiritana maxime probarunt, ita minime offensus, ut eas (*a*) exposuerit, et his verbis excusare conatus sit : « Nihil mirum, » ait (*Lib. de Synod. num.* 63), « vobis videri debet, fratres charissimi, quod tam frequenter exponi fides cœptæ sunt; necessitatem hanc furor hæreticus imponit, » et paulo post (*Ibid.*) : « Sed necessitas consuetudinem intulit exponi fides, et expositis subscribi. Ubi enim sensus conscientiæ periclitatur, illic littera postulatur : nec sane scribi impedit, quod salutare est confiteri. » Postea tamen experientia doctus non solum Camarinam non movendam, ut in proverbio est, sed multo minus quæ a Patribus recte statuta sunt, ullo aliquo prætextu convellenda, quamque periculosum ac miserabile esset, « diversas fides habere, quæ dum plures fiunt, » ut idem ipse ait (*Lib.* II *ad Const. n.* 4), « id incipiunt esse ne ulla sit; » in libro ad Constantium omnes præter Nicænam uno elogio damnavit. « Nam etiam si his, inquit (*Lib. in Const., n.* 24), nihil vitiosum subjacere affirmetur, non tamen causa religiosæ voluntatis inest, quia mali meditatio est. »

23. *Qualibus episcopis directa epistola Philippop. synodi.* — Porro nemini dubium est, præclaros illos novæ fidei architectores synodicam hanc epistolam iis maxime inscripsisse episcopis, quibus facile imponere, vel ejusmodi imposturam non ingratam fore sperabant. Inter quos optimo jure familiam ducit Gregorius ille Cappadox Alexandrinæ ecclesiæ prædo, qui longe ante propter hæresim Arianam Ecclesiæ communione submotus, Sardicensi etiam concilio ne pro christiano quidem haberi jussus, non multo post ab Alexandrinis tumultu populari occisus, convenientem effrenatæ suæ violentiæ finem sortitus est (*Frag.* II, n. 8). Nec multo sanctior Donatus, qui Carthaginis episcopus nominatur. Ille enim est Donatus, qui Majorino succedens, perniciosissimam sectam in Africa diu altare contra altare Dei Carthagine erigens aluit ac fovit : eoque superbiæ ac vesaniæ evectus est, ut veluti Pythagoreos aiunt per præceptorem solitos (*Optat. lib.* III, *cont. Parmen.*), ita suos per se ipsum jurare tamquam per Deum, eosdemque ipsos se partis Donati vel Donatistas pro Christianis nuncupare permiserit ac ipse etiam nominarit. Arianæ etiam opinioni congruentem librum scripsisse testis est Hieronymus (*Lib. de Scrip. Eccl.*). Inter hos duos tamen insignes hæreticos, Amphionem eximium Christi confessorem, canitie vitæque sanctitate venerandum, ad exemplum Magistri cum iniquis deputatum agnoscimus. Siquidem is est Amphion Epiphaniæ Ciliciæ primum episcopus, qui ante fere quadraginta annos Christum sub Maximino intrepide professus, deinde in Nicæna synodo, deposito propter hæresim Eusebio Nicomediæ episcopo, in ejus locum suffectus fuerat (*Sozomen. lib.* I, *c.* 10 *et* 21). Ejus meritum est, ut testimonium sanctitatis apostolicæ ac confessionis ab Athanasio ei in Oratione prima contra Arianos perhibitum (*Pag.* 291), a doctissimo interprete tamen vitio codicis Græci quo usus est, corruptum restituamus. Siquidem quo loco in ea Oratione catholicos monet, ut formulas fidei Ursacii, Valentis, Demophili, Germinii, cæterorumque ejus farinæ hominum licet verbis ex sacra Scriptura desumptis scriptas, nihilo magis tamen admittant, quam Christus diabolum ex iisdem Scripturis loquentem, *quia impiorum sermones dolosi sunt :* lumina ecclesiæ sui sæculi recensens, et apostolicos viros in quorum scriptis nihil mali suspicari licet, hæc verba latina versio exhibet : *vel Lupi et Appiani Ciliciæ*, Græcus codex manuscriptus sic legit, ἢ Λούπου καὶ Ἀμφίωνος τοῦ ὁμολογητοῦ καὶ ἐπισκόπου τῆς κιλικίας; utrumque enim vocabatur, et Ciliciæ, et Nicomediæ episcopus. Nec est quod quis suspicetur, illum a recta fide post hæc deflexisse : nam in catholica pace perseverasse testis est Ecclesia, quæ natalem ejus prid. Id. Junias celebrat. Quare sceleratis istis immixtum conjicere est, ut vir virtutis fama celebris apud omnes et clarus, tenebrionibus illis sanctitatis aliquam opinionem conciliaret.

24. *Augustino incomperta Sardicensia decreta.* — Mirum tamen est, cum B. Augustinus Donatistis ex hoc decreto fucum facere, et se pro catholicis a Sardicensi concilio agnitos probare nitentibus, non satis hujus fraudis gnarus contra Cresconium non uno loco excipiat (*Lib.* III, *c.* 34; *et lib.* IV, *c.* 44), nomina civitatum, quarum episcopi dicebantur, apposita non fuisse, unde constaret Donatum, cujus nomen in hac synodali epistola ostentabant, illum fuisse, qui se pro Carthaginensi episcopo gesserat; plus etiam addat, nec moris esse ecclesiastici, quando episcopi episcopis scribunt, nomen civitatis adjungere : unde huc illa civitatum nomina irrepserint? nisi fortasse a Donatistis sunt addita; hujus enim rei videtur suspicionem injicere ipse Augustinus, cum scribit : *Miror nescio quis iste Donatus, si non in vestris litteris, Carthaginensis factus est* (*lib.* IV *cont. Cresc. c.* 44).

25. Nimis longum esset, in omnes qui huic epistolæ subscripserunt inquirere, nec fortasse operæ pretium. Plane ab hæreticis scriptam esse Menophantus ab Epheso, Acacius a Cæsarea, Theodorus ab Heraclea, Marcus ab Arethusa, (operarum enim erratum est, quod hic *ab Aretiis* legitur), Eudoxius a Germanicia, Narcissus ab Neropoli vel Irenopoli (utrumque nomen enim audiebat), Demophilus a Beroea, et qui claudit agmen, Valens a Mursa velut Mysorum ultimus, celebres Athanasii, Hilarii, Epiphanii, auctorumque ecclesiasticæ historiæ testimoniis, Arianorum antesignani ac duces, inter eos qui huic decreto subscripserunt recensiti fidem faciunt. Et hæc quidem de supposititio illo decreto nimis fortasse multa.

26. *Eam anno* 354, *consignamus* V *Frag.* — Quæ

(*a*) Hoc prudenter egit, ut Orientales hac benevolentia ad veram fidem adduceret.

superant, licet pleraque omnia, si Liberii P. R. epistolam ad Constantium anno Salutis 354, per Luciferum Calaritanum episcopum, Pancratium presbyterum (si quidem corrupte apud Athanasium in epistola ad solitariam vitam agentes Eutropius nominatur (*pag.* 836),) et Hilarium diaconum Romanos missam excipias, ad Ariminensem pertineant synodum, perturbata nihilo minus inter se, nec ullo digesta ordine exsistunt. De Liberii epistola qui plura desiderat, numquam satis laudatos illos Annales (*Baron. an.* 354, *n.* 1) consulat; ibi enim unde suam sitim extinguat, uberrime inveniet. Cætera fere omnia nunc primum in lucem eduntur. Quonam autem disponenda sint ordine, rei gestæ narratione perspicuum fiet.

27. *Ariminensis concilii historica series.* — Diximus supra, fidem Sirmii Consulibus additis coram Imperatore scriptam, quæ Filium Patri per omnia similem continebat, factionibus Arianorum procuratam ac scriptam fuisse, indictamque synodum universalem Nicææ Bithyniæ, divisam; et Orientalibus Seleuciam Isauriæ, Occidentalibus vero episcopis Ariminum quo convenirent dictas. Cui fini, nisi ut fallerent ac circumvenirent? Certi enim quantum sua factione in Oriente pollerent, veteratoriam et captiosam illam fidei regulam Orientalibus episcopis facile approbaturos se pro comperto habentes, Occidentales coactos tandem fore ei subscribere crediderunt, quam Oriens probasset, et imperator inexorabilis, ut eum Ammianus describit (*lib.* XIV, *c.* 5), suæ auctoritatis vindex sanxisset. Et sane testis est noster Hilarius (*lib. de Synod. n.* 63). absque episcopo Eleusio (is erat Cyzici episcopus) et paucis cum eo, ex majori parte Asianas decem provincias intra quas consistebat, verum Deum nescisse : *Atque utinam*, subjungit ille, *Deum nescirent : cum procliviore enim venia ignorarent, quam obtrectarent. Sed horum episcoporum dolor se intra silentium non continens, unitatem fidei hujus quærit, quam jamdudum per alios amisit.* Scripta itaque ea fide, divisaque synodo universali, rescriptum ad utramque synodum ab imperatore impetrant Ariani, quo (*a*) primum de fide cognoscere, deinde causas episcoporum, mutuasque inter sese digladiationes **741** ac criminationes discutere collecti Patres jubentur, rebusque judicatis ac decisis decem legatos rationem eorum quæ gesta essent reddituros ad comitatum delegare; alterum etiam ad Patres Arimini congregatos, quo de Orientalibus episcopis cognitio iis interdicitur, iterumque de decem mittendis ad comitatum legatis admonentur. Prioris rescripti Sozomenus meminit : posterius (*scil.* Frag. VII, n. 1), hic VI kal. Junias, id est, quinto post illam fidem conscriptam die missum habetur. Tunc igitur his scriptis subsarcinati Valens, Ursacius et Germinius Ariminum magnis itineribus contendentes cum Auxentio genere Cappadoce potius delatore quam christiano, inquit Athanasius (*ep. ad Solit. p.* 861), (is ab imperatore licet latinæ linguæ penitus expers esset, militari manu in Mediolanensem sedem, relegato propter pietatem Dionysio, intrusus fuerat), Caio, et aliis quos sibi faventes in ea synodo reperiere; postulant, quod supra ex Athanasio (*lib. de Synod. p.* 874) diximus, ut huic suæ formulæ absque ulla causæ cognitione et tantum non cæcis oculis omnes subscribant. Verum non solum propter Consules regulæ appositos derisi, sed etiam propter impietatem latentemque *vapido sub pectore vulpem*, hæretici renuntiati, ex ipsa synodo expulsi sunt. Ergo XII cal. Augusti, quæ proximæ secutæ sunt, totius synodi concordi sententia Nicænæ regulæ nec addi quidquam posse, nec minui decernitur (*Frag.* VII, *n.* 4) : Ursaciusque, Valens, Caius et Germinius, quibus Athanasius Auxentium et Demophilum adjungit, velut ecclesiasticæ pacis perturbatores ac hæretici, de gradu suo et fidelium communione deturbantur, decemque legati ad imperatorem missi; per quos hæc concilii definitio innotesceret : *Et hæc quidem Arimini acta celeriter* (scribit Athanasius) *istiusmodi finem habuere.* Eam concilii sententiam ampliorem et integriorem, quam apud antiquos auctores exstet, adjectis duobus ejusdem synodi fragmentis, hæc collectio exhibet.

28. *Arianorum damnatorum artes. De formula Nicææ Thraciæ.* — Nec tamen ipsi Ariani ea sententia percussi animos deponunt, aut ab inceptis desistunt : sed et ipsi decem ex suis, in quorum numero condemnati illi exstiterunt, ad Imperatorem delegarunt, qui Concilii legatos celeritate prævertentes, ipsum Imperatorem adversus synodum adeo concitarunt, ut ipsos rectæ fidei legatos in suum conspectum venire non sustinuerit : sed primum Hadrianopoli, deinde Nicææ Thraciæ variis dilationibus delusos, ea spe detinuerit, quod crederet, infit Theodoretus (*lib.* II, *hist. eccl. c.* 19), episcopos Arimini legatorum suorum reditum exspectantes, partim senio, partim inopia pressos, omnes diuturnioris a propriis sedibus absentiæ pertæsos, reditus desiderio ad fidei propositæ subscriptionem flecti posse. Quin etiam Ursacio facultatem tradidit, de fide pro arbitratu statuendi : qua accepta strenuum illum Plautinæ familiæ ducem compressis, ut aiunt, manibus non sedisse, nemo est cui non statim in mentem veniat. Tunc ergo tanta auctoritate subnixi Ariani, derisam illam suam fidem interpolare potius quam emendare cupientes (quod supra aliud agentes retulimus), exemplaria ejus undique conquiri et corrogari per Martianum notarium curarunt (*Athanas. de Synod. pag.* 904), detractisque consulibus, velut fures alienis poculis ansas auferre solent, paucisque voculis commutatis, eamdem perfidiam, immo etiam deteriorem, bonos illos legatos qua vi, qua fraude non solum sua subscriptione confirmare, sed etiam ipsius concilii, cujus personam sustentabant, damnata verbis disertis sententia, **742** mum inquirendum esse disceptantes, quia litteræ imperatoris afferebantur, quibus nunc hoc, nunc illud præcipiebat.

(*a*) Ita Sozomenus lib. IV, c. 17; sed Socrates lib. II, c. 39, testis est magnam ea de re contentionem fuisse, alios de fide, alios de episcoporum causis pri-

cum Ursacio, Valente, cæterisque abdicatis, communionem inire compulerunt, fidemque illam sic interpolatam, quo simplicioribus similitudine nominis imponerent, Nicænam fidem nuncuparunt. Et certe qui fidem illam, quam Ariminenses patres subscriptionibus suis approbare compulsi sunt, ut apud Athanasium (*lib. de Synod. pag.* 875) atque Hieronymum exstat (*Dial. adversus Lucifer.*), contenderit cum illa quæ consules habuit, perfidiorem in eo sentiet, quod duo illa vocabula, *per omnia*, quæ Valens (*ut testis est Epiphanius hær.* 71) invitus admiserat, in ista subtracta sunt, cætera penitus similem. Athanasius (*de Synod. pag.* 905) ejusmodi interpolationem concilio Constantinopolitano, quod post Seleuciense Acaciani coegerunt, tribuit. Quod si est, non video quomodo æræ inter se non discrepent. Fragmentum enim Nicæni conventiculi, quod hic editur (*Fragm.* VIII, *n.* 5), actum fuisse illud conventiculum VI idus octobris, iisdem Eusebio et Hypatio consulibus indicat (nisi fortasse in temporis designatione (*a*) mendum obrepserit, legique VI Idus Novemb. debeat); Seleuciense vero Concilium quinto cal. Octobris incœptum, locupletissimi sunt testes Athanasius, et apud Socratem Sabinus (*lib.* II, *c.* 39). Non fert autem locorum distantia, vel negotii conditio, ut qui Seleuciæ Isauriæ V cal. octob. fuerint, intra VI idus ejusdem mensis Constantinopolis concilium habuerint, ac perfecerint.

29. Quinam autem illi Ariminensis concilii ad Imperatorem legati, vel cujus in Ecclesia gradus aut dignitatis exstiterint, non facile est ex historiis deprehendere, cum vix nuda eorum nomina teneamus. Solus Restitutus Carthaginensis episcopus refertur, qui tamen et ipse antiquis auctoribus ignobilis. Nam præter Gratum, quem Sardicensi concilio adstitisse, primumque quod Isidorus Mercator vocat Carthaginense concilium coegisse, ex eorumdem conciliorum actis et Athanasio didicimus; et Genetlium, cui successit circa annum Christi 390 Aurelius, nullius alterius episcopi, qui circa hæc tempora Carthagine sederit, exstat memoria.

30. *De concilio Carthagin., sub Genetlio.* — Quin etiam ipsius Genetlii pene exscriptorum vitio nomen oblitteratum est ex secundo ejusdem urbis concilio, quod ejus ductu tamen et auspiciis est gestum; ut non absque ratione, quando illud habitum fuerit et a quo, maximi viri quærant: quo negotio si ex veteribus libris eos expedierimus, auctori suo illud ipsum asserentes, operam fortasse hoc exordio non luserimus. Tria sunt autem, propter quæ illud concilium controvertitur. Primum, quia celebratum dicitur Valentiniano IV et Theodosio coss. cum tamen Valentinianus senior cum Theodosio Imperii collega consulatum gessisse nusquam legatur: alterum, quod in eo Genetlii nomen non habeatur: tertium ac postremum, quod Aurelius episcopus, qui Genetlio successit, ei præfuisse appareat. Verum notat Isidorus, hoc concilium celebratum fuisse æra 428; hæc autem æra in annum Christi 390 incidit, cui anno Valentinianum IV et Neoterium, non Theodosium, coss. fasti assignant. Pro Theodosio igitur Neoterium substituendum esse, nemo est qui non videat. Genetlii autem nomen veteres libri omnibus locis habent, in quibus coalescente littera t cum l, *Genedium* editi exhibent. Et canone II hujus Concilii, quo loci habetur, *Aurelius Episcopus dixit*, iidem libri legunt, *Epigonius Episcopus Bullensis regiorum dixit.* Quinto item et VI canone pro Aurelio Genetlium scribunt. Quibus emendatis, nihil superest unde ejus controversia **743** moveri queat. His etiam adstipulatur Fulgentius Ferrandus Carthaginensis diaconus, cujus Breviarii canonum cap. 194 hæc verba sunt, « ut qui aliquibus sceleribus irretitus est, vocem accusandi non habeat, Concil. Carth. sub sancto Genetlio tit. VI », quod in hoc, de quo agimus, concilio canone VI exstat. Sed hæc hactenus.

31. *De Musonio et de Restituto.* — Soli ergo Gratus, ut unde digressi sumus revertamur, et Genetlius iste Carthaginensis episcopi circa concilii Ariminensis tempus a scriptoribus memorantur. Athanasius in epistola ad episcopos Africæ ex eorum episcoporum numero plures Ariminensi concilio interfuisse tacitis tamen nominibus prodidit. Hieronymus contra Luciferianos Musonium Bizacenæ provinciæ antistitem nominat, cui primas in ea synodo propter ætatem ab omnibus delatas scribit. Corruptum enim est, quod omnes editiones legunt, *Bizantinæ provinciæ;* non enim quemadmodum Græci, ita et Latini ea vocabula usquam confundunt. Bizacena vero ejus Africæ, quæ Occidentali imperio tributa fuit, provincia est, Plinio geographisque eximia fertilitate cum centena fruge agricolis fœnus reddente nobilis, cujus et in concilii Africanis non semel fit mentio. Musonii etiam senis Bizacenæ provinciæ primæ sedis episcopi mentio habetur concilio Carthaginensi habito Idib. Aug., Attico et Cæsario consulibus, anno Christi 397 quem tamen eumdem esse cum eo de quo agimus pernegarem, nisi supra vidissemus Osium senem Nicæno concilio præfuisse, eumdemque Sirmiensi concilio, quod triginta et quod excurrit, annis postea gestum est, centenario majorem adstitisse, atque ad annum Christi 360 pervenisse. Restituti autem episcopi par apud omnes silentium. Nisi fortasse basilica (*V. August. Serm.* 19, *not. a*) Restituta Perpetua Carthagine, in qua non una synodus habita est, ab hoc qui in quæstione est Restituto, in honorem Perpetuæ martyris ædificata nomen acceperit; quemadmodum basilicam ibidem ab Aurelio episcopo, qui et Florens dicebatur, constructam in ejus gratiam Florentiam cognominatam, ex Sermonis B. Aug. (*V. Serm. August.* 359, *et notam b, pag.* 1405) post collationem in ejusdem basilicæ dedicatione habiti fragmento

(*a*) Mendum non obrepsit: sed cum Constantinopoli subscripta sit formula, quæ Nicææ in Thracia edita erat; Constantinopolit. synodum Sirmiensi fidei non stetisse vere dixit Athanasius, præsertim ubi Nicæni conventiculi non meminit.

insigni nondum edito didicimus. Quisquis autem vel Restitutus ille fuerit, vel cæteri cum eo ad imperatorem a synodo delegati, plane quales a Severo (*lib.* II *Hist. sacr.*) descripti sunt, sese adolescentes parum doctos, parumque cautos satis superque prodiderunt, cum mandati fines prætergressi, immo contra ipsum mandatum, ne quo modo cum Arianis communionem inirent, acta ipsius synodi, admissis in communionem quos illa rejecerat hæreticis, rescinderunt.

32. Dum hæc autem in Thracia geruntur, interea loci qui Ariminum convenerant, tam rectæ fidei quam Arianæ perfidiæ episcopi, legatorum suorum reditum exspectare jussi a Tauro præfecto prætorio, cui injunctum fuerat, ne collectos ante dimitteret quam in unam fidem convenirent; ibi summa cum molestia ac tædio detinentur. Quare litteris utraque pars sigillatim imperatorem obnixissime rogat obtestaturque, quando quidem hiems instaret, ne permitteret senes et a suis sedibus longe dissitos, in difficillimam tempestatem differri, sed quam primum ad suas civitates reverti concederet. Rectæ fidei episcoporum epistolam Socrates (*lib.* II *c.* 37) habet : Arianorum sub nomine synodi Ariminensis Orientalibus consentientis hæc collectio exhibet (*Fragm.* IX).

33. *Insignium virorum lapsus historia non silet. Iis quandoque bene vertunt. Liberii exemplum* (*August. de Agone Christi. c.* 39).—Cætera quæ deinceps in eo negotio gesta sunt, quemque exitum tandem invenerint, quando **744** quidem supra perstrinximus, et fusissime ab Athanasio, Hieronymo contra Luciferianos, et Sulpicio Severo pertractata sunt, hic subjungere superfluum est. Nobis enim solummodo ea tractare, quæ facere ad connexionem illustrationemque horum Fragmentorum videbantur, animus fuit. In quibus etiam vereor, ne nimio plura dixisse, tragicamque illam exsecrationem *ὅλοιο θνητῶν συλλέγων τὰς συμφοράς*, in me concitasse videar, qui venerandorum Patrum opinionem ac famam, controversias eorum, dissensiones defectionemque, velut obducta ulcera quæ occuli satius erat, refricando sugillem. Verum cum historiarum unus is sit scopus, ut sint, quemadmodum Thucydides scriptis reliquit, *κτῆμα εἰ ἀεὶ ξυγκείμενον*, ex quo omnis ævi homines utriusque laudis ac fortunæ exempla depromere, et ad ea varios repentinosque casus, quibus quotidie impetimur, componere queant : non video cur minus utilitatis ac commodi ex clarorum virorum calamitatibus, erratis, atque adeo sceleribus ad nos perveniat, qui ea legimus tantum, non sentimus, quam ex virtutibus rebusque præclare gestis : cum etiam illis ipsis, qui imbecillitate humana in ejusmodi calamitates inciderunt, non raro bene vertere soleant. Crœsum apud Herodotum *παθήματα, μαθήματα* sibi exstitisse, et Meropen in theatris se infortuniis evasisse sapientem ingenue agnoscentes libens prætermitto, ut in ecclesiastica tractatione desumpto ex sacra historia, ex qua formam trahit Ecclesia, exemplo locum faciam. B. Ambrosius de Petri apostolorum coriphæi abnegatione verba faciens egregie scribit, « Etiam lapsus sanctorum utilis est : nihil mihi nocuit quod negavit Petrus, profuit quod emendavit : didici vitare colloquia perfidorum. » (*Ambros. lib.* X *in Luc. n.* 89.) Idem auctor alibi monet adversarium sanctos in sua damna tentare aliquando cogi. « Dum enim tentat, » subjungit, « meliores reddit, ut qui tentatur possit alios instituere, qui sibi ipsi invalidus videbatur. Denique Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam a diabolo tentatus est. » Ita non solum aliis, sed etiam iis qui illa committunt, ut sua peccata bene cedant, immensa Dei benignitas efficit. Hæc enim sunt, ad quæ mens humana pertingere non potest divinæ providentiæ miracula, omnia piis bene vertere : « et quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium tamen ordinem reducere : ne quid in regno providentiæ liceat temeritati. » Quare nemini dubium esse debet quin renovatum in Liberio Pontifice Petri successore fuerit, quod Optatus Milevitanus et Augustinus observarunt, divina providentia effectum, ut idem ille Apostolus negaret, qui claves accepturus esset, quo Ecclesia catholica, cujus ipse personam gerebat, disceret tamquam « vera mater nec peccantibus filiis superbe insultare, nec correctis difficile ignoscere (*Idem, ibid.*), » ipsumque Liberium ad tempus labi permissum, ut ex suo lapsu acrior ac fortior in hæresim resurgeret : et in pœnitentes revertique cupientes clementior ac veniæ pronior exsisteret : itemque hoc litteris consignatum ad hæc usque tempora illis temporibus non multum absimilia perductum, ut qui stent, inde sibi timere discant, nec redeuntibus ad Ecclesiam se difficiliores præbeant.

34. *Osii et Luciferi casus*. — Nec minoris sane vel speculationis, vel documenti fragilitatis humanæ judiciorumque divinorum imperscrutabilis arcani sunt Osii ac Luciferi, fortissimorum catholicæ fidei propugnatorum eventa, quorum ille alter post nominis christiani confessionem sub persecutoribus sævissimis constantissime factam, post exhaustos pro **745** fide catholica contra hæresim labores immensos, perfectasque dignissime legationes multas, ita ut pater episcoporum haberetur, nimium tamen sui sepulcri amans (*Hilar., lib. de Synod., n.* 87) (centesimum enim annum excesserat) in suprema vitæ fibula penitus defecisset, nisi violentiæ Arianorum imperatorisque minis cedenti, et approbatione Sirmiensis Anomœanorum perfidiæ in præceps ruenti, divina clementia manum supposuisset : alter iis etiam superior, quibus Osius cesserat, post tot erecta, ut Hieronymi verba usurpem (*Hieron. adversus Lucifer.*), de perfidia debellata trophæa, sub ipso triumpho ab ipso dissensionum auctore superatus, separatus ab Ecclesia est, ac plane prostratus. Ad hæc enim quis non protinus cum Tragico exclamet,

> Ὡς θνητὸν ἀνδρῶν καὶ ταλαίπωρον γένος,
> Ὡς οὐδὲν ἐσμέν.

et abjecta omni fiducia sui, salutem suam ex Apostoli præscripto cum timore ac tremore operari non condiscat (*Phil.* II, 12)?

35. *Generàlis Ariminensium Patrum defectio quid nos doceat.*—At vero generalis illius circumventionis ecclesiastici ordinis et quasi ex compacto defectionis consideratio quam utilis et huic nostro sæculo apta est! Ex ea enim plane instruimur quam cauti circumspectique cum hæreticis tractantes esse debeamus, et quanti periculi sit a terminis, quos fixere Patres, vel unguem latum discedere. Nam boni illi Patres dum nudas quasdam, ut ab Arianis persuaderi sibi sinebant, *οὐσίας καὶ ὁμοουσίου* voculas in fidei professione omitti passi sunt, sanctissimæ Trinitatis quæ Deus est confessionem, id est, summam religionem, pro qua conservanda tantum sanguinis a Christo nato Ecclesia profuderat, tot martyres dederat, sibi ereptam atque extortam sero tandem animadvertunt. Quanto fortius prudentiusque ante vim illatam iidem ipsi definierant, iis quæ synodo Nicæna statuta erant nec addi quidquam debere, nec detrahi; et substantiæ nomen, et rem suam debere obtinere firmitatem (*Fragment.* VII, *n.* 3, *et fragment.* VIII)?

36. *Conciliorum necessitas ad quid.*—Falluntur enim errore, atque nos in eumdem secum errorem pertrahere conantur, qui persuadere cupiunt, in his quibus versamur opinionum procellis, Ecclesiam ut quod potissime sequi debeat stabiliatur, conciliis indigere. Quamvis enim fortasse nullo umquam tempore, quam nunc sunt, necessaria magis exstiterunt concilia, quibus sponsæ Christi, quam ipse sibi emit non *omnibus undis*, sed totius innocentissimi sui sanguinis profusione, ab ambitu, avaritia, nundinatione, ignorantia, morumque spurcitia atque obscœnitate vindicatæ genuinus color ac splendor restituatur, disciplina illa, quam Apostoli et qui ab iis proximi religionem constituerunt, velut murum aheneum contra ejusmodi charitatis atque unionis pestes prætenderunt, vetustate temporis an pastorum socordia collapsa restauretur exciteturque, et sacro ordini suus honor suaque auctoritas restituatur : quæ ut sarta tectaque conservarent primicerii illi religionis auctores, quotannis synodos provinciales bis colligi congregarique statuerant : licet, inquam, fortasse ad hæc revocanda reparandaque conciliis egeamus; ut tamen aliud teneamus quam quod hactenus in Ecclesia creditum observatumque est, concilio statui non posse arbitror. « Hoc enim semper », ut scriptum reliquit Peregrinus ille Lirinensis (*cap.* 32), « nec quidquam præterea hæreticorum novitatibus excitata perfecit Ecclesia, nisi ut quod sola traditione susceperat, hoc deinde posteris etiam per scriptionem chirographi consignaret, magnam rerum summam paucis litteris », nempe **746** Symbolo, « comprehendendo, et plerumque propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum novæ appellationis proprietate consignando. » Ejusmodi enim pias novitates, id est « adversum nova venena novas medicamentorum comparationes, » ut eas noster Hilarius vocat (*in Constant. n.* 16), « adversum novos hostes nova bella, adversum novas insidias concilia recentia » profanarum novitatum apostolica prohibitione nemo sanus excludat.

37. *Quam Ecclesiæ suæ laboranti non desit Deus. Hanc erigit Julianus, cum ruinam ejus meditatur.* — Jam vero qui faciem Ecclesiæ, qualis ab illa defectione exstitit, turbis, rixis, contentionibus, discidiis ubique confusam, laceram atque dissipatam, sibi ob oculos statuerit, non minus tunc a suis episcopis quam paulo ante a conjuratis nominis christiani hostibus vexatam, in qua nec antistites quid docerent, nec plebes quid sequerentur rati ac firmi haberent, denique adeo desperatam ac perditam, ut sanctissimis viris Neronianorum, Decianorum, Maximianorumque temporum desiderium excitaret (*Hilar. in Const. n.* 4); statimque mentis aciem ad subitam illam repentinamque mutationem rerum, quæ mox Constantio defuncto, revocatisque novi principis edicto in proprias sedes ab exsilio episcopis secuta est : certe agnoscet Dominum laboranti apostolorum naviculæ præsto adstitisse, et divinæ suæ Majestatis præsentia quassationem illam sedasse. *Moritur enim bestia*, inquit Hieronymus (*Adversus Lucifer.*), *et tranquillitas redit.* Et sane *πολλὰς καὶ παραδόξους ἔδουὺς σωτηρίας οἶδε τὸ θεῖον καινοτομεῖν νεύων πρὸς φιλάνθρωπον.*

Quis enim umquam crederet, nisi omnium auctorum fere ejus sæculi litteris testatum nobis esset, draconem illum apostatam Julianum, Mentem magnam de qua Isaias, atque Assyrium, qui nihil tam ex imperio concupierat, quam ut religionem christianam funditus perderet, ad quam evertendam, ut quondam Julius Cæsar ad Remp. opprimendam, sobrius accesserat, restaurationem fidei Nicænæ concordiamque episcoporum promovisse? Cum enim omnes propter fidem christianam exsules cujuscujus sectæ essent revocasset, tantum ut illas turbas, quibus tunc Ecclesia vexabatur, aleret ac retineret; diversarumque sectarum duces, quæ propemodum illo tempore infinitæ fuerunt, intra eadem mœnia degentes velut infestissimi hostes cominus acrius se mutuo persequerentur, citiusque conficerent : imperscrutabili tamen Dei providentia, quæ sicuti apud Hermam Pastorem legimus, « in bonum sibi vertit etiam pessima; ut per Ecclesiam multiplex ejus sapientia appareat, secundum præscientiam sæculorum quam fecit in Christo, » trium illorum confessorum ab exsilio reversorum diligentia, labore, sollicitudine omnes fere, qui Ariminensi sceleri sive simplicitate decepti, seu metu perterriti, sive etiam Ariana labe infecti subscripserant, culpam agnoscentes, Nicænam fidem amplexos supra vidimus. Siquidem communi externæ persecutionis periculo commoti, velut Syncretismo, in unam fidem coaluerunt, non pauci etiam ex hæreticis martyres effecti sunt. Ecquis enim divinæ voluntati obsistere queat? a qua etiam, ut eximie a Clemente Alexandrino scriptis traditum est, *καὶ αἱ τῶν ἀποστησάντων βουλαί τε καὶ ἐνέργειαι κυβηρνῶνται ἐπὶ τέλος ὑγιεινόν. τῆς γὰρ θείας σοφίας καὶ ἀρετῆς καὶ δυνάμεως ἔργον*

ἐστὶν οὐ μόνον τὸ ἀγαθοποιεῖν, ἀλλὰ κἀκεῖνο μάλιστα, τὸ διὰ κακῶν τῶν ἐπινοηθέντων πρός τινῶν, ἀγαθόν τι καὶ χρηστὸν τέλος ἀποτελεῖν καὶ ὠφελίμως τοῖς δοκοῦσι φαύλοις χρῆσθαι.

38. *Fragmenta hæc divinæ providentiæ nutu inventa. Cassiani libri de Incarnatione.* — Ejusdem etiam providentiæ opus esse mihi persuadeo, ut hæc Fragmenta turbulentissimis istis temporibus maxime lucem recuperent, per **747** quæ ad ejusmodi considerationem historiæ excitati, spem certam ex ejus cognitione concipiamus, quotienscumque scelerum nostrorum nos bene atque ex animo pœnituerit, divinam manum non mutilam ac decurtatam experturos, eumdemque Dominum periclitanti Apostolorum naviculæ tranquillitatem solidam ac firmam redditurum. Longe enim mea opinione errat, si quis putat hæresibus, quæ plurimæ totum fere orbem pervagantur atque conturbant, plus virium ac roboris in suorum sectariorum malis animis aut versutiis inesse, quam in nostris vitiis ac sceleribus. Quapropter ut divinæ Majestati pro hac eximia sui numinis in nos benignitate numquam pro meritis dignas agere gratias vel animo concipere possumus, ita etiam piis optimi viri et de genere humano bene meriti Pithœi nostri manibus, cui nos hæc Fragmenta debere summa illa majestas voluit, parem gratiam referre vix ac ne vix quidem valeamus. Cum enim sic vitam ipse instituisset, ut commoda publica ubique propriis negotiis præverteret, sævienteque Lutetiæ pestilentia, Augustobonam Tricassium, quæ illud nobis sidus ediderat, secessisset; nactus a Francisco fratre, viro propria laude virtutis et doctrinæ clarissimo, et plane tanto fratri germano, vetus exemplar fabularum Æsopiarum improbi, ut eum vocat Martialis, Phædri, quo opere eruditum Tiberii sæculum nihil venustius elegantiusve protulit, vel hujus sui secessus rationem publice constare voluit. Itaque procuratis characteribus pro captu urbis quidem magnæ et frequentis, sed mercaturæ ac commercio penitus addictæ atque occupatæ, a litteris vero penitus alienæ, elegantibus, conductisque operis, illas fabulas suo sumptu atque hæc Fragmenta typis vulgare constituit. In qua cogitatione absolutis fabulis, hisque Fragmentis tantum non ad umbilicum perductis, vir immortalitate dignissimus ad meliorem vitam assumptus est. Addeem hoc loco unde hæc etiam Fragmenta eruerit, nisi bonis viris ejusmodi rerum cognitionem profitentibus ruborem suffundere vererer, qui delitescentis hujus in bibliothecis suis thesauri velut gallus ille Æsopius unionis dignitatem non agnoverunt, vel agnitam non sine publica jactura tam diu continuerunt. Dicam tantum, quod prætermitti non potest, horum Fragmentorum unicum exemplar Pithœum Lutetiæ anno salutis ciɔiɔxc repertum habuisse. Non magis enim noster ille sedecim tyrannis oppressa urbe, quam Socrates triginta suas Athenas vexantibus, propositum vitæ decursum philosophando remque publicam juvando intermisit. Unicum, inquam, neque illud pervetus exemplar habuit, sed tantum abhinc centum annis in charta, manu gallica, nec latinam linguam satis percipiente, confusis dictionibus scriptam, quod præterea etiam librorum Cassiani de Incarnatione Christi epitomen eadem manu scriptam contineret, illam fortasse quam Eucherium Lugdunensem episcopum confecisse testis est Gennadius. Inde spem conceperat et antiquum exemplar, unde recens illud exscriptum fuerat, aliunde recuperari posse : quæ causa fuit cur tamdiu eorum editionem sustinuerit. In quo certe illi hoc felicissime contigit, ut in publicandis duobus istis eximiis antiquitatis monumentis fato interceptus præclare actam vitæ fabulam illustriore fine veluti Cygnea cantione concluderet. Quamvis sane difficillimum fuerit virum ingenii, animique bonis omnibus ornatissimum, qui semper illud antiqui poetæ sibi **748** occinens, *καὶ μήτε παυσαίμεθα εὐδρῶντες ἑροτούς*, omne dium, laborem, industriam, omnesque cogitationes suas publicis utilitatibus devoverat, atque impendebat, non in opere præclaro morte deprehendi.

39. *Pithœi elogium.* — De litterarum studiis tantum non loquor, in quibus assidue exquirendo, perscrutando bibliothecas, antiquorum auctorum scripta vel a mendis, vel ab interitu vindicata provulgando, vel alios quos in ea re aliquid posse judicabat exhortando, impellendo, atque etiam juvando, nullo tempore non aliquid movit ac promovit. Quamvis enim illa studia in nostro Pithœo summa fuerunt, doctrinæque laude præcipue innotuit, ut qui ex primo, quem juvenis dedit, publicatis quibusdam divini sui ingenii experimentis, eruditionis abstrusæ atque reconditæ gustu inter litteratorum principes, vel suffragante invidia, ab iis qui tum in litteris regnabant recensitus fuerit : quam de se conceptam opinionem ad ultimum usque vitæ diem adauxit, sustinebitque quamdiu litteræ durabunt. Quantula tamen hæc laudis et gloriæ tanti viri est portio? Licet enim nemo melius unum quempiam auctorem noverit, quam ipse omnes antiquos utriusque linguæ scriptores, quos ad unum legerat, ad vetera contulerat exemplaria, et concoxerat : licet nemo privata et domestica negotia exactius tenuerit quam ipse Gallicam externamque historiam, origines populorum, descriptiones temporum, successiones familiarum, bella, fœdera, conventiones, vel exterorum inter se vel nobiscum gesta, ad hæc etiam leges, mores, consuetudines provinciarum singularumve urbium, quarum omnium a teneris annis indefesso ac plane Herculeo labore sibi perfectam notitiam, cum ex vulgatis libris, tum etiam ex bibliothecis antiquis, archivis regiis, senatus, rationalium, urbium, monasteriorumque comparaverat, instrumentorumque ipsorum atque actorum bonam partem sua manu descripserat : in jure autem civili Romanorum licet ad eum gradum pertigerit, ut de eo, celeberrimoque ejus præceptore Cujacio, dici jure possit, quod de magnis olim oratoribus dictum

est, hunc discipulo præripuisse ne primus jurisconsultus esset, illum vero præceptori ne solus : licet, inquam, ea omnia quæ in quovis homine singula magnum virum et cum cura dicendum efficiant, in nostro Pithœo cumulata atque coacervata eumdem ad summam laudem et commendationem evehant : quantum tamen absunt ab illa sapientia, quam ingenii judiciique felicitate ex cognitione rerum, assidua lectione atque usu comparata, velut ex omnium antiquorum inventis qui sapientiæ commendatione floruerunt, conflatam sibi quæsiverat? Quantum ab illa civili prudentia, qua præditus velut ἀριστοτέχνης τις (ut cum Pindaro loquar) καὶ δημιουργὸς εὐνομίας καὶ δίκης, non solum de rebus privatis et fori maxima cum facilitate atque æquitate respondere ac statuere, sed etiam de iis quæ ad summam rempub. spectant sapienter deliberare, consiliorum exitus prævidere, dubiisque ac periculosis eventis provide occurrere noverat. Quamvis enim naturali quadam propensione, corroborata sordidissimi inquinatissimique apud nos moris odio, magistratus non nisi per sordes ineundi, ab omni ambitione vitæque fulgore, nisi quem virtus emitteret, alienissimus vixerit, ita ut honores et magistratus, vel ultro delatos respuerit ; juvandæ tamen patriæ desiderio, cujus amore mirum in modum exarsit, eos **749** quos sua sors Reip. admoverat excitando, commonendo, suggerendo quæ vel ab antiquis paribus in negotiis probata fuerant, vel ipse (ut erat peracri solidissimoque judicio) quæ facienda judicabat, toto vitæ suæ curriculo privatus negotium publicum, et absque chlamyde vel prætexta perpetuum magistratum gessit. Quantum denique ab illa morum integritate atque innocentia indefessoque per omnes vitæ partes probitatis tenore quibus virtutibus consecutus est, ut non solum togatorum doctissimus, sed et prudentissimus jurisconsultus, civis optimus, ac plane vir bonus audiret, qualem vel fimbria noverat vel Socrates. Atque hæc etsi tibi æque ac mihi notissima sint, eo tamen libentius commemoro, ut cum non nisi jucundissima virtutum amicissimi viri recordatio esse queat, tum etiam in primis qui in supremum ejus elogium inciderint, quod inter defuncti schedia refertum amici publicarunt, tua fide et auctoritate adducti, quicum ipsum pro summa inter vos amicitia veterique consuetudine, mutua virtutum alterius admiratione contracta intus (quod aiunt) et in cute noveras, persuasum sibi habeant pari modestia et veritate scriptum illud esse, qua vir modestissimus ab omni fuco ac vanitate quam maxime alienus, et qui ἀρχὰν μεγάλας ἀρετὰς ἀλήθειαν duceret, in reliquis rebus tota vita usus est.

40. *Adagium.* — Sed vereor ne tamquam δρυὸς ἄλις ita etiam præfationis satis superque sit, præsertim apud te (vir maxime), quem perspicaci clementissimi atque fortissimi regis nostri judicio propter singularem prudentiam egregiumque erga se remque publicam studium, fidem ac pietatem, olim propriam nostræ gentis, nunc vero magno nostro dedecore rarissimam laudem, componendis sedandisque magnatum nostrorum inquietibus animis delegatum atque diutius publicis commoditatibus subtractum detinere sine scelere vel etiam impietate nequeam; quapropter Deum optimum maximum precatus, ut te diutissime tuis, senatui, laborantique reip. cujus ex destinis es, salvum et incolumen commodet. Finem hic facio, meque tibi addictum obstrictum quod facis ames etiam, atque etiam rogo, vale. Ex Fossatensi castro quod olim castrum Bagaudarum, non ignotæ Diocletiani temporibus factionis, dictum est.

INDEX
RERUM ET SENTENTIARUM.

(Numeri arabici paginas edit. Veron., in hac nostra crassioribus characteribus expressas, Romani Operum Hilarii tomum indicant.)

A

Aaron consecratio. I, 519
Abimelech, id est, fratris mei imperium. I, 79
Abominationem meretur corruptio. I, 95
Abra unica Hilarii filia, II, 525, scripsit patri, *ibid.*; suadetur ut vana ornamenta abjiciat, 526; ut nullo interrogato, patri rescribat, 528; ut quod minus per ætatem intelligit, matrem interroget. 528
Abraham diu ignoratus a Deo, I, 29; quando cognitus, *ibid.* Abrahæ duæ promissiones factæ, 581. Abraham princeps fidei et timoris Dei, 479. Princeps electionis, 528; initium originis Judæorum secundum sanctificationem generis, 528; ad quem primum fuit Dei sermo, 528. Abraham unum ex tribus viris, non in uno tres adoravit, II, 92; visis tribus viris Dominum suum filei oculis agnovit, 89; et adoravit, sacramentum futuræ corporationis agnoscens, 91. Deum in forma hominis adoravit, 111. Deum verum adoravit, 112; per eam fidem, per quam adoravit, justificatus est, 112. Abraham sanctificatus parens, I, 675; pater fidelium. 674
Abrahæ sinus, I, 445. In hunc anima beata ab angelis fertur. 445
Abundantia beatitudinis perfectæ non est omnium ad civitatem Dei pertinentium. I, 438
Abyssus in Scripturis quid. I, 49
Acacius. II, 538, 627, 628, 631, 665
Accola. I, 292
Achivi adunati quid de iis decernant, qui Arimini deliquerunt. II, 702
Acticus. II, 680
Adæ, et cæterorum hominum discrimen, I, 718. Per Adam et in Adam oportuerat cognitionem Dei inchoari, 208. Adæ tentationum ordo, 678. Adam a diabolo captus, 606; a promissionibus Dei et incolatu paradisi excidit, 606; cur de paradiso post culpam ejectus, 255. Peccando ab immortalitate excidit, 26. Adæ peccato quid perdiderit homo, 549, 551 ; II, 711. In unius Adæ errore omne hominum genus aberravit, I, 758. Adæ transgressione homines ex beata requie ejecti, 635. Adæ mors per misericordiam Dei in æternitatis pœna non manet, 174. Corruptio ab Adam orta qui a Christo exhausta, 809. Adam

filius Dei, quia primum Dei opus, I, 705; veniam obtinuit, 705. Adam confessus, veniæ reservatus, et glorificatus in Christo est, 420. De Adæ salute, *vid. ibid. not.* In Adam uno peccata universis gentibus remittuntur, 705. Adæ corpori mala a diabolo illata qui sancti emundent. 711
ADAM secundus unde cœlestis. I, 441
Adspersio secundum legem per fidem emundatio peccatorum erat, I, 108; sacramentum erat futuræ ex Domini sanguine adspersionis. I, 108
ADAMANTIUS. II, 666
Admiratio non est rei ignotæ. I, 385
Adoptio, I, 480. Adoptionis nomina, et externas nuncupationes in Patre et Filio Ariani intelligunt, II, 568. Qui adoptionis tantum nomen Christo concedunt, refelluntur. II, 150
Adoptivi filii. II, 166
Adoratio in Spiritu qui proportionem habet cum cultu quem Deo debemus, II, 46. Adoratio strato in terram corpore quinquagesima post Pascha ab Apostolis vetita. I, 9.
Adspectus Dei multiplex. I, 388, 390
Adventui Domini omnis Patriarcharum est gloria præparata, I, 772. Adventui Christi lex et prophetia omnis deputabatur, 782, 783. Eum testata est lex omnis, 383; testata sunt omnia legis testimonia, 357. Adventus a Patre non idem est quod exitio a Deo, II, 156. Qui adventum Christi corporeum a prophetis prædicatum occultant, cœlum claudunt, I, 784. Adventu Christi quid præstitum mundo. 249
Adventum Christi novissimum qui præventuri sint. I, 769
Adversa. In adversis agendæ sunt Deo gratiæ. I, 331
Adulatores sicut lac in secundis blandi, velut coagulum in adversis acerbi, I, 333. Adulantes regibus arguuntur. 102
Adulteri servitus, I, 459. Leges in adulteros. 459
Adulterium morte et pœnarum quæstione punitur, I, 625, *ibid.*, *not.* Adulterii unius reus, et plurium artifex non debent pari in morte pœnarum quæstione vexari, 625. Adulterium spiritale, 762, *not.* Adulterium solo conceptum corde jam crimen est, 139. Adulterio æquant Evangelia oculi incidentis motum. 685
Ædificia alia firma, alia infirma. I, 488
Ægyptus sæculi species, I, 534. Ægyptus idolis plena, et omnigenum deorum monstra veneratus, 672; prope universa jam fidelis est. 237
ÆGYPTII soli Seleuciæ homousion constantissime obtinebant, II, 573. In gratiam Athanasii ad Julium scripserunt, 625, 670. Ægyptiorum litteræ ad Liberium, 671, 672. Ægyptii omnes Alexandrina synodo adunati. 702
ÆONES Valentini. II, 137
Æqualitas et similitudo num differant, II, 502 et seq. Æqualitas nec solitudinem habet, nec diversitatem. 186
Æquari Deo nequit, quod extra eum est. II, 197
Æquitatis sensus et opinio unicuique ex natura imponitur. I, 786
Aer quibusdam Deus, quia motu ac natura indissecabili circumferatur. I, 197
Æstus maris. I, 259
Ætas universa doctrinis Dei fuit erudita. I, 402
Æterni, et sæculi discrimen, I, 348, Æternitas in nullo a se deest, II, 4. In æternitatem non cadit vitium aut emendatio, profectus aut damnum, 56. Æternitas sola Dei similis est, 446. Deus est. 782
Æternitas Patris excedit quidquid concipi potest. II, 50
Æternitas Filii qui ab Arianis intellecta. II, 696
Æterna ex se nulla creata substantia est, I, 645. Quæcumque æterna est, hoc ex præcepto Dei habet, non ex natura. 646
Æternitas hominis. I, 627
Æternitatis spes ossibus significatur, I, 103. Æternitatis spes et cognitio unicuique inest naturalis, 171; cur hanc corporibus nonnulli negent, 172. Æternitatem ita corporis ut animæ sperare arduum, sed maxime verum est, 172. Æternitas utriusque Scripturis prædicata, 166. Æternitas corporalis justorum non est ambigenda, 694. Hæc dabitur iniquis ad pœnam æternam, 694. Æternitatis spem quomodo gentilium disputationes comminuant, 167. Æternitatis consequendæ plures occasiones Deus largitur. I, 720
AETHIUS Thessalon. II, 652, 658, *not.*
AETIUS. II, 680
AETIUS Anomœorum hæresis auctor condemnatur. II, 694
Actianæ hæresis auctores. II, 704
Affectum insitum nequaquam aut locus divellit aut tempus. I, 175
Afflictum quomodo relevet fides. I, 391
AFRI coguntur reddere subscriptiones contra Ursacium et Valentem. II, 582
AFRICA, II, 672. Decretum Orientalium ad Africam missum. II, 647
AGAPIUS. II, 667
AGAR allocutus est Dominus Deus. II, 88
Agens in rebus. II, 683
Agenda quisque debet præmeditari, I, 326. Agendi causæ sunt aut fructus oblectationis, aut judicium bonæ in eo quod aggredimur opinionis, 556. Ad bene agendum homo suis viribus non sufficit, 389. In bonis actibus quid naturæ sit, quid divinæ misericordiæ, 381. Actibus nostris ubique prælucere debet verbum Dei. 361
Acta apud Antiochiam confecta, II, 626. Acta adversus Athanasium, 625; unde irrita. 625
AGGÆI nomen psalmis prænotatum qua auctoritate. I, 3
Ἀιών determinatum sæculum significat. I, 203
Alarum velamento quid in Scripturis significetur. I, 162
Alabastra, Thebaidis locus. I, 384
Ἀλαλαγμός, quid. I, 196
ALCUINI fides græce versa. II, 721
ALEXANDER Alexandriæ plures ab Ecclesia ejecit, II, 628. Manent illius ad Sylvestrum litteræ, quibus undecim ejectos significat, 673. Melitii presbyteros suscepit. 626
ALEXANDER de Larissa. II, 652
ALEXANDER de Morenis. II, 655
Alexandria, II, 177, 670; quanta a Constantio passa sit, 570. De Alexandria multi Sardicam confluxerunt, 658. Alexandrinarum basilicarum deprædatio. 653
ALEXANDRINI conficta Athanasio crimina Sardicæ repellunt. II, 625
ALEXANDRINÆ synodi anni 362 decretum. II, 702
Alexandria provinciæ. II, 665
Altare comminutum. II, 653
ALYPIUS. II, 632
Amarquetais. II, 665
Ambitio sæcularis. II, 594, 595
Amici Dei Abraham et Moyses, I, 580; discipuli Christi. 580
Amari se a nobis exigit Deus, amore ipso non sibi, sed nobis profuturo. I, 39
Amoris mutui maxime erga fideles, arctissimum vinculum Dominus posuit, I, 758. Amoris obsequium longe differt a timoris officio, 355. In amorem non potest incidere necessitas, 356. Amore sibi hærent etiam absentes, 175. Amoris et odii rectus usus. 360
AMORRHÆUS, id est exacerbans. I, 534
Anapoli. II, 667
Anathema constitutus, nec vocatus, nec baptizatus est, nec fidelis, II, 245. Anathemati omnes a Constantio sunt subjecti, 583. In anathemate constitutis cujusmodi communio negetur. 628
Ancara. II, 667
Anchilo. II, 668
Ancyra, II, 665. Ancyræ strages editæ, 653. Ancyræ congreganda synodus. 463
ANCYRANÆ synodi decreta, II, 467 et seqq. Ea sola Sirmium delata sunt, quæ Hilarius libro de Synodis inseruit, 521. Si quid habent criminis, intra se habent, *ibid.* Ancyrana fides ab exordio non nihilum habuit offensionis, 517; quibusdam suppressis Sirmium delata est subscribenda, 516. Hilarius timet ne quæ tacita sunt, iterum dicantur, 516; synodi hujus litteras tenet, 517. Ancyranæ fidei quænam verba Arianis inimicissima, 580. *Vid.* Orientales.
ANFION. II, 647
ANGELUS officii nomen est, non naturæ, II, 110, 117. Angelus magni consilii, Filius, 88, 89, 91. Angelus Dei Agar allocutus, Dominus et Deus est, 88. Idem ad Abraham locutus est, 88, 91. In angelo Dei significatur ipse qui est, et ille cujus est, 88. Angelus in rubo visus, Dominus ac Deus nuncupatur, 94. Angelos tantum vidit Lot. 92
Angeli, natura spiritales, I, 557; nomine et natura vigilantes sunt, 429. Angelorum natura vel virtus ignis et spiritus nominibus ostenditur, II, 110. Angeli cœlorum nomine significati, I, 220. Ante tempora et sæcula conditi sunt, II, 596. Angelicæ virtutes primæ ad cognoscendum Deum genitæ, I, 544. Eis regionem quamdam finitam Deus collocavit, 544. Angelorum propriæ sunt habitationis sedes, 544 Angeli omnes in cœlo in meditatione justificationum Dei sunt, 375. Dicuntur virtutes cœlestes, quæ in opere ministerii sui permanent, 375. Angelorum leges. 316
Angeli, Archangeli, etc., ut nominibus, ita et officiis sunt diversi, I, 293. Pro diversitate ministeriorum diversis habent præceptorum observantias, 293; quas perpetuo custodiunt, 293. Angeli quidam ante Deum tanquam officio propriore assistunt, 317. Angeli ex originis suæ sorte

ut sint semper accipiunt, I, 694. Eis extra proprii laboris mercedem indulta gloria, 693, 694; quod illustratur similitudine filiorum, *ibid.* Angeli Christum unde laudent, II, 53. Gentium divisio secundum numerum Angelorum, I, 49, 166. Angeli opus non est gentium multiplicatio, II, 111. Ejus ministerium excedit potestas multiplicandarum gentium. 88

Angeli divina ministeria, I, 557. Angelicæ virtutes Dei membra dici possunt, 494. Angelorum intercessione non eget Deus, sed infirmitas nostra, 494. Angeli quodammodo oculi Dei quibus nobis misericorditer prospicit, 200; voluntatis Dei et communicandæ in nos beatitudinis sunt ministri, 427. Per Angelos lex Moysi disposita, 557. Angeli ministri legis in manu Mediatoris, 225, 226. Angeli ad confortandum Christum adventus non exstat in pluribus libris, II, 349. Angelus resurrectionis primus index, I, 810. Angelis Dei plenus est omnis aer, 278. Angeli nostræ voluntatis testes, 278. Et nobiscum manent, et Deo adsistunt, 278. Visum eorum puero suo meruit Elisæi oratio, 557. Angelis in cœlo et lætitia et cura salutis humanæ. 758

Angeli sunt montes. I, 427, 454. Ecclesiam quadam custodia circumsepiunt, 454; ubique fidelibus cunctis adsistunt, 557. Angeli nostræ fidei contra nequitias spiritales nos juvant, 200. Infirmitas nostra, nisi datis ad custodiam Angelis, tot tantisque spiritalium cœlestium nequitiis non obsisteret, 555. Angeli pusillorum sunt, 758; quotidie Deum vident, 758. Angeli fidelium orationibus præsunt, 758; ambitioso famulatu desideria nostra ad Deum pervehunt, 758; animam Lazari in Abrahæ sinum tulerunt, 445; justos deducunt in æternam requiem, 142; in Abrahæ sinum, 143. Eorum intra nos contemplari est monita, ministeria, dona. 427

Angeli fœminarum amatores, I, 521, *ibid.*, *not.* Angeli transgressores, regum nomine indicantur, 723; luxu dissolutos habitant, 723. Angelorum dominatui gentes ante Christum datæ, 49. Jus eorum in gentes perversum et injustum, 49

Angelorum numerus ex hominibus explendus. I, 758

Angelorum vita habituque plebs Israel in eremo mansit. I, 677

Anima frequenter spiritu significatur. II, 364

Anima Dei non est. II, 362

Animam Christi qui humanæ naturæ et infirmitatis existimant, quatenus fallantur, I, 111, *ibid.*, *not.* Anima Christi se signis et factis Deum probat. 602, *ibid.*, *not.*

Animarum origines captu difficiles, I, 491. Anima alterius originis a carne, 299. Animarum divinam nobis inesse originem omnibus velut insitum est, 172. Non est cur de animæ origine ingemiscamus, sed de corporeo ejus incolatu, 423. Animæ origo cur divina et cœlestis. 423

Animæ natura spiritalis, I, 492; natura cœlestis, 493. Quorsum nobis animæ spiritalis natura inserta, 97. Anima incorporalis est, 337. Non habet in se assumptæ aliunde alterius naturæ originem, 337. In omnibus membris est tota, 400 et seq. Anima illæsa putre reciditur corpus, 401. Anima domus Sapientiæ, 481; facta est ad imaginem Dei, 337. Animæ ratione homo ad imaginem Dei est, 493. Incorporeus est, 493. Nihil in se habet corporale. 493

Animarum conformatio invisibilis, I, 424. Animarum origines quotidie occulta nobis divinæ virtutis molitione procedunt, 266. Anima ab homine numquam præbetur, II, 334. Anima omnis opus Dei, 334. Animæ nostræ parens Deus, I, 185. Animæ generalis est quisque homo, 90. Animam hominis primum de thesauris divinitatis diffusam dixit Hilarius, 229. Nec facit cum iis qui volunt animas non in dies creari, sed initio rerum conditas de thesauro quodam mitti in corpora. 229, *not.*

Anima non terrena, sed ex afflatu Dei orta, et elementis corporis admixta, mortem nescit, I, 181. Animæ ea est natura, ut maneat æterna, 630. Menti uniuscujusque naturalis est spes æternitatis, 171. Anima Deo coæterna futura sit necesse est, cujus Dominus in æternum est dominaturus. 627, 629

Anima primi hominis ante est instituta quam corpus, I, 336, 493. Animarum initia, etc. Christum ostendunt quotidie operari, 267. Animarum nativus splendor, 690. Anima potior natura, in cujus efficientiam et operationem corpus aptatum est, 492. Animæ vestis, corpus, 723. Anima corporalis, 400. Quo sensu, *ibid.*, *not.* Animarum species corpoream naturæ suæ substantiam sortiuntur, 692. Anima in domicilio carnis ex ejus consortio corruptionis labem mutuatur, 289, 290. Cœlestis naturæ generositas corpore ut contagioso carcere captiva continetur, 424. Molesta ei est carnis terrenæ societas, 298. Anima hominis infirma est per naturam et consortium carnis, 179. Nonnullam inde labem peccati contraxit. 299

Animus lumen aut tenebras suas in corpus refundit, I, 690. Corporis delectatio qui redundet ad mentem, et mentis gaudiis sensus corporis imbuatur, I, 172. Animæ subtilitas peccato in naturam corporum ingravescit, 717. Animæ peccatricis servitus, 441. Animarum vitia sub corporalibus officiis sermo divinus significat. 135

Anima per dissolutionem corporis ab onere et consortio infirmis et periculosæ carnis exuitur, I, 422. Animas ex lege post mortem ad inferos descendere, 572. Animas e corpore excedentes statim excipit aut quies, aut pœna, 92, 445. Anima justi e corpore excedens in Dei susceptione requiescit, 112. *Vide* homo.

Animalis homo quis. I, 73

Annianus. I, 631

Annus benignitatis Dei, æterna vita. I, 192

Anomœusion episcopi novemdecim Seleuciæ defendebant, II, 573. Hi nihil nisi profanissimum asserebant, *ibid.* quo sensu Seleuciæ dissimilitudinem damnaverint, 574. Ibi condemnantur, et condemnati Constantinopolim convolant, 575. Rursum illic eorum hæresi renituntur orientales, I, 693. Hanc Constantius anathematizari vult, II, 694. Ita Aetium illius auctorem damnant, ut magis in hominem, quam in doctrinam lata sententia videatur, 694, sibi vindicabant illud: *De die autem illa nemo scit*, etc, 512. Tandem adversariorum dominantur. 574

Anthropomorphitarum error refellitur. II, 492

Antichristus, homo, II, 275. Homo peccati, filius diaboli, I, 807. Diaboli filius, peccati portio, legis assertor, 811. Cur dicatur abominatio desolationis, 788 et seq. Judæis susceptus loco sanctificationis insistet, 789. In ecclesiis sessurus est, II, 600. Quem terrorem Ecclesiæ incutiet, I, 742. Antichristi tempus, II, 595. Ministrorum ejus conatus. I, 790

Antichristi plures sunt, II, 593. Antichristus est qui Filium unius cum Patre divinitatis esse non confitetur, 599. Antichristus Constantius, 564. Antichristus Auxentius, 599. Antichristus est Arianus. 164

Antichristi stylo Scriptura composita, II, 597

Antiochia, provinciæ Syriæ Cœles. II, 664

Antiochiæ contra Samosateum quot episcopi adfuerint, II, 513, *ibid.*, *not.* Id senserunt quod Nicæni Patres. 513

Acta apud Antiochiam confecta. II, 626

Antiochenum concilium in Encæniis, II, 653. Adversus quam hæresim congregatum, 480. Quot episcopi ei interfuerint, 478. Fides ab iis exposita, 478. Filio originem non cœptam, sed manentem et ex Dei substantia dedit, 485. Patrem et Filium nec tempore, nec nomine, nec essentia, nec dignitate, nec dominatione discernit, 482. Hæc fides unde Arianis est incommoda. 579

Antiochi victoria. I, 259

Antonius a Domino. II, 665

Antonius a Gusra. II, 668

Antonius a Zeumate. II, 665

Apocalypsis auctor idem est Joannes, qui Evangelium scripsit. II, 165

Apollinarius errores ab Arianis est mutuatus, I, 19 et 20, in præf. ad tom. II.

Apostatæ et peccatoris discrimen. I, 375

Apostoli, quibus Christus circumferendus, in Joseph præmonstrantur, I, 672. Electionis eorum prophetia, 234. Apostolorum infirmitas, 221. Quia in his esset bonæ voluntatis affectus, quid consecuti sint, 221. Apostolorum erga legem favor, 765. Apostoli aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt, 804. In iis quæ legis sunt adhuc errant, cum panum incremento Christus populum satiavit, 740. Nondum eis concessum erat panem cœlestem perficere et ministrare, 740. Eorum in salvando Israel favor. 746

Apostoli *sacramento* (vel *sacramentis*) *aquæ ignisque perfecti*, I, 682. Salis instar æternitatis sunt sapores, 682. Tenebras mundi fugant, 682. Christi nativitatis rationem tardius didicerunt, quam missionem ac naturam, II, 158 et seq. Apostolorum fides proxime ante passionem Christi, I, 800. Christo est accepta, 800. Unde commota, unde confirmata, II, 348. Ante Christi resurrectionem nutans, post firmata est, 604. Apostolorum fides etsi minus præstat admirationis, plus affert auctoritatis. II, 171

Apostolorum potestas. I, 506. Cœlorum claves sortiti sunt, 98; ob fidei meritum, II, 157. Apostoli tanquam ex Christi corpore exeunt, I, 743. Christi virtutes in se habere, aut etiam ipsi esse intelligendi sunt, 222; perfectam Christi imaginem et similitudinem sortiuntur, 711; qui cœlestes fiant, 711. Apostolis eam in cœlis mansionem communicat Christus, quæ sibi propria est, 186. Apostoli principes Ecclesiarum, 234. Eorum principatus, Ecclesiæ ab ipsis principia sumentes. 580

Apostoli Ecclesiæ oculi, I 578; lucernæ Ecclesiæ, 362. Ecclesiarum fundamenta et columnæ, 221. In Apostolorum decore Ecclesiæ omnis ornatus est, 245. Apostoli quomodo

sagittæ, I, 474. Quomodo rami, 735. Qui prophetæ, sapientes, et scribæ, 786. Gratiæ Dei sunt ministri, 740. Apostolorum ministerio universis misericordia Dei subvenit. 727

Apostolorum constantia, I, 202. Apostoli contra senatus consulta et regum edicta gentes fere omnes paragrarunt, II, 594. Apostolorum prædicatio, Imperatorum in eos odiis efflоruit, 594. Apostoli per omnes orbis terrarum partes plurimas Deo habitationes paraverunt, I, 70. Apostolorum proprium est resurrectionis Christi testimonium, 750. Ipsi cæteros resurrectionis gloria et tempore anteibunt. 775

Apostolorum regula. II, 537
Apostolatus unitas. II, 162
Apostolicus sermo pro jam factis futura significat, II, 394
Apostolico in ministerio nihil venale sit. I, 711
Apostolici viri, I, 779; II, 620; Apostoli nominantur, I, 474, *ibid.*, *not.* Apostolicorum virorum constans cura et negotium. II, 620
Appellatio. Athanasius Tyro fugiens Imperatorem appellat. II, 652
Aquæ, quia indefessæ fluant, Deus a nonnullis nuncupantur, I, 197. Aquarum nomine homo sæpe in Scripturis significatur, 451; significantur motus populi insectationesque gentium, 243. Aquas populos intelligimus, 449. Aquæ, populi perituri, 616. Qui diversa hominum genera significent, 449. Aquarum super cœlos usus, 544. Aquæ baptismo Domini consecratæ. 199
Aquæ a Dacia Ripensi. II, 632
Aquila legem Judæis transtulit post Domini passionem, I, 153. Secundum litteram scribens, et extra spiritalem intelligentiam manens. *Ibid.*
Aquileia, II, 658. Concilium ad Aquileiam congregari rogant Itali. 677
Aquitanica provincia. II, 457
Arca Noe Ecclesiæ figura. I, 658
Arca Testamenti quid continebat, I, 510; species est corporis quod Dominus assumpsit. 510
Archivum Ecclesiæ. II, 649
Archydamus. II, 629
Arcu significatur pœnæ præparatio. I, 153
Arelatum, II, 672. Quæ Arelate a legatis Liberii proposita conditio. 674
Arelatensis synodus. II, 540
Quid in illa actum contra Paulinum. II, 621
Aretiis. II, 665
Argenti examinandi ratio. I, 205
Arietes intelliguntur sacerdotes. I, 205
Arimini congreganda synodus, II, 463. Fraus diaboli fuit synodorum Ariminensis ac Seleuciensis divisio, 698. Constantius Ariminensi Concilio scribit, 683: de fide atque unitate tractari jubet, 685, 688; at vetat de Orientalibus quidquam definiri, 684; completis universis decem legatos ad se mitti præcipit, 684. Concilium conturbant Valens et Ursacius associatis Germinio et Gaio. 688
